BULLARIUM

ROMANUM

AM

BULLARUM
DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM
SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM
TAURINENSIS EDITIO

LOCUPLETIOR FACTA

COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS

A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM

QUAM

SS. D. N. PIUS PAPA IX

APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT

AUSPICANTE

EMO AC REVMO DNO S. R. E. CARDINALI

FRANCISCO GAUDE

TOMUS VI

ab HADRIANO VI (an. MDXXII) ad PAULUM IV (an. MDLIX)

AUGUSTAE TAURINORUM

SEB. FRANCO ET HENRICO DALMAZZO EDITORIBUS

MDCCCLX

Huiusce operis Editores Taurinenses, Legum beneficio se uti velle, pro additionibus notisque, declarant, ita ut, sine eorum facultate, aliquid praelo iterum committere liceat memini..

LECTORI BENEVOLO

TAURINENSES BULLARII EDITORES

Sextum, quod bene vertat, Magni Bullarii volumen[1], sane cunctanter, verum aliquando tamen ex nostra officina prodit. Qui autem cunctationis caussam Lectori velit aperire, in hac tanta temporum perturbatione, is γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. Etenim, quisnam in tam pervagatis Italiae fortunis hospes versatur; quisnam ignorat inter armorum strepitus officinarum sonitum silere, officinatorum contentiones conquiescere? Operam nihilominus paullisper, non animum relaxavimus: aliquid de itinere, nihil de voluntate remisimus. Cuius quidem rei certissimum argumentum praebent, quas maiori profecto alacritate studioque in hoc ipso adornando volumine posuimus, lucubrationes curaeque; nullo, quem adire liceret, praetermisso codice; nullo ad rem non adhibito libro[2]. Verum non omnia per libros

(1) In romana editione Mainardi hocce VI volumen est tomi IV pars I, Romae an. MDCCXLV excusa, inscripta E.mo S. R. E. Cardinali Thomae de Almeyda, Patriarchae Olyssiponensi, qui in Urbe diem clusit supremum an. MDCCLIII, meritis clarus.

(2) Grates hic nobis agendae eruditissimo ac comi Sacerdoti D. Gaspari Gorresio, R. Ped. Scientiarum Academiae ab actis, equiti Mauritiano, maioris Bibliothecae Taurinensis Praefecto, qui benevolentia in nos sua, ac in opus nostrum studio, plurimos libros, quos ditissimae Bibliothecae plutei capiunt, utiliter adeundos nobis indicavit, multos humanissime praebuit. Quorum haud refert catalogum nunc texere, ne Lectoris patientia abutamur.

sanari possunt; etiam ingenii quaedam et doctrinae pars est; quum meliores saepe notae editiones desiderentur, saepius autographum desit; ita ut cura concinnandi textus tota in critices arte, quae antiqua monumenta liberare a vitiis, integritatique restituere conatur, conquiescat, necesse est. Hac quidem arte pluries usi sumus, ut crebrae notae paginis subiectae demonstrant, qua felicitate ii dicent, qui norunt quam sit operosum quid in pontificiis apicibus cuiusque vere Pontificis sit indicare; quid a mala manu vel addendo vel corrumpendo illatum definire.

Commendationem editioni nostrae comparare novis conaminibus aventes, nihil, ita nos Deus fortunet, consulto neglexímus. Et revera, bullas constitutionesque apostolicas in Mainardi romana editione comprehensas ad chronologiae, ut par erat, tesseram revocantes, iam in superioribus voluminibus studiose ordinavimus, adiecta ad paginae cuiusvis oram notula; ut qui nostra editione uteretur, cum minus alteriusve loci prolationes testimoniaque ex veteri romana in theologiae sacrorumve canonum operibus nancisceretur, actutum admonitus, decimum, exempli caussa, in Taurinensi locum habere constitutionem, quae in Romana vicesimum, haud anceps dubiusque haereret. At at, cum in recentiorum Pontificum Maximorum regnis, monumentorum segete mirum in modum crescente, partim ob adscripti anni dierumque errorem, partim quia *opere in longo fas est obrepere somnum*, apicum pontificiorum series mirum in modum perturbata visa esset, multaque in *Appendicibus* a Cocquelinio prolata suis sedibus inserenda forent, constitutiones universas in ordinem digerendi a vertice ad talos necessitas apparuit, atque tabula ad voluminis initium adposita est, in qua vetus novusque ordo describeretur. Quam sane methodum, ut ceteros reticeamus, in sancti Hieronymi *Litteris* disponendis sequuti sunt D. Pouget et D. Martianay et, post aliquot annos, Vallarsi [1].

(1) D. Antonius Pouget, e Congregatione sancti Mauri, Ordinis Benedictinensium, an. MDCXCIII, Lutetiae Parisiorum, sancti Hieronymi operum primum volumen *in-fol.* dedit; at, morte praeventus, perficere incepta nequivit. D. Ioannes Martianay continuavit opus, absolvitque an. MDCCVI, aliis quatuor voluminibus *in fol.* adiectis. Paucos post annos, sancti doctoris eamdem editionem notis illustratam, emendatam et auctam Dominicus Vallarsi Veronae ab an. MDCCXXXIV ad MDCCXLII evulgavit, quae XI *in-fol.* volumina comprehendit. Hinc triplex sancti Hieronymi disponendarum Litterarum ordo: *I, Veterum Editionum : II. Editionis Benedictinae; III, Editionis Vallarsianae.*

Nitidas praeterea formas recens fusas, praesentique ac grandi pecunia emptas, hocce nobis excendentibus volumen adhibere visum est, nulla certe impellente necessitate, quum illae. quibus priora quinque edidimus, nec obsoletae essent nec indecorae; sed quia et utilitati et venustati litandum. Quae autem in huius operis principio in cuiuscumque bullae fronte *Summaria* daturos promiseramus, dedimusque in quinque voluminibus, omittenda in posterum haud leves nobis caussae suasere. Etenim centies plerique huiusce editionis subscriptores petiverunt a nobis ut, quum summaria ex postillarum, quae ad paragraphos quosque vel habebantur vel suppletae fuerunt, compactione hucusque manaverint; nihilque, quod in paginarum marginibus non sit, capiant, ea praetermittere liberet: quibus morem gerere optime visum est. Adsunt equidem Cocquelinianae in capite cuiuscumque bullae rubricae, quae rerum argumenta praebent: adsunt notulae sive postillae, quae in paragrapho quoque scitu digniora innuunt. Nihil itaque tempore spatioque abuti opus est[1]; quique rem accurate perpendent, ii, quod optime ademptum est, retinere nos velle ineptum existimabunt.

En, candide Lector, morae haud nobis bene visae, qua via damna rependamus: en quibus modis, nec labori nec sumptibus parcentes, efficere conemur ut opus, in quo sacra profanaque doctrina tam plenos haustus haurire potest, futurum sit huiusmodi in quo studiosorum vota conquiescant.

Augustae Taurinorum, kalendis septembris MDCCCLX.

SEB. FRANCO et H. DALMAZZO Editores.

(1) Nec est ὑπερβολή. Lector, si vacat, vide voluminis II pp. 703 et 780; voluminis III pp. 433 et 744; voluminis IV pp. 54, 70, 135, 145, 261, 317, 347, 424, 542 *etc.*; voluminis V pp. 234, 380, 421 *etc.*, in quo, quum crebrae litterae subscriptorum de *Summariis* conquererentur, iam incepimus prolixiora compendiare, uti videre est in ipso volumine, pp. 434, 444, 481, 499 *etc.*, maxime vero p. 516, ubi summarium habetur prolixum, et nihilominus in compendium redactum.

TABULA

in qua Magni Bullarii constitutionum ordo Taurinensis editionis cum ordine constitutionum editionis Cocquelinianae confertur.

PAULI III CONSTITUTIONES

A. D.	Ordo editionis Taurinensis		Ordo editionis Cocquelinianae Tom. IV, p. I.
1534	I	Rationi congruit	1
»	II	Inter curas	2
»	III	Sanctissimus	3
1535	IV	Cum nobis	64
»	V	Ex iniuncto	4
»	VI	Dudum	5
»	VII	Cum nobis constet	6
»	VIII	Eius, qui	7
»	IX	Illius vices	8
»	X	Non sine	9
1536	XI	Consueverunt	10
»	XII	Ad dominici gregis	11
»	XIII	Superioribus	12
»	XIV	Si diffusis	13
»	XV	Exponi nobis	14
1537	XVI	Ex supernae	65
»	XVII	Licet potestatis	19
»	XVIII	Romani Pontificis	15
»	XIX	Cum, sicut	16
»	XX	Romani Pontificis	17
»	XXI	Benignitas	18
1538	XXII	Officii nostri	20
»	XXIII	Alias	21
»	XXIV	Cum, sicut	22
1539	XXV	Ex clementi*	23
»	XXVI	Dominus	24
1540	XXVII	Nuper	25
»	XXVIII	In eminenti	26
»	XXIX	Ex iniuncto	27
»	XXX	Debita consideratione	28
»	XXXI	Romanus Pontifex	29
»	XXXII	Cum, sicut	30
»	XXXIII	Regimini	31
1541	XXXIV	Altitudo	32
»	XXXV	Licet nuper	33
»	XXXVI	Sanctissimus	34
»	XXXVII	Cum, sicut	35
1542	XXXVIII	Romani Pontificis	39
»	XXXIX	In apostolici	36
»	XL	Dum ad universas	37
»	XLI	Cupientes iudaeos	38
»	XLII	Initio	40
»	XLIII	Licet ab initio	41
»	XLIV	Cum dilectus filius	42
»	XLV	Licet ecclesiarum	43
1543	XLVI	Illius, qui	44
»	XLVII	Exposcit debitum	45
»	XLVIII	Etsi cunctis	46
»	XLIX	Decens esse	47
»	L	Ut electiones	48
1544	LI	Decet Romanum	49
»	LII	Cum, sicut	50
1544	LIII	Cum, sicut	51
»	LIV	Romani Pontificis	52
1545	LV	Accepimus nuper	53
»	LVI	Cum, sicut nobis	54
»	LVII	Cura pastoralis	55
»	LVIII	Cum gravissimae	56
1547	LIX	Meditatio	57
1548	LX	Romanus Pontifex	61
»	LXI	Iniunctum	58
»	LXII	Ad nos	59
»	LXIII	Cum, postquam	60
1549	LXIV	Exponi nobis nuper	62
»	LXV	Licet debitum	63

IULII III CONSTITUTIONES

(Idem utriusque editionis ordo usque ad constitutionem XXVII)

A. D.	Ordo editionis Taurinensis		Ordo editionis Cocquelinianae
1554	XXVIII	Sanctissimus	29
»	XXIX	Sanctissimus	30
»	XXX	In multis	31
»	XXXI	Sanctissimus	28
»	XXXII	Cum, sicut nuper	32
»	XXXIII	Nuper	33
»	XXXIV	Pastoris aeterni	34
»	XXXV	Cum, sicut	35

PAULI IV CONSTITUTIONES

(Idem utriusque editionis ordo usque ad constitutionem VIII)

A. D.	Ordo editionis Taurinensis		Ordo editionis Cocquelinianae
1555	IX	Ab ea ipsa die	10
1556	X	Cum saepius	9
»	XI	Dudum	11
»	XII	Ut exactio	12
»	XIII	Sanctissimus	13
»	XIV	Apostolicae Sedis	14
»	XV	Romanus	15
»	XVI	Incumbentia	16
1557	XVII	Inter ceteras curas	17
»	XVIII	Sanctissimus	18
1558	XIX	Ineffabilis	19
»	XX	Sanctissimus	20
»	XXI	Decens	25
»	XXII	Sanctissimus	26
»	XXIII	Postquam	21
»	XXIV	Gloriosus	22
»	XXV	Cum, secundum	23
»	XXVI	Piis	24
1559	XXVII	Cum ex apostolatus	27
»	XXVIII	Etsi	28
»	XXIX	Cupientes	29
»	XXX	Aequa	30
»	XXXI	Super	31
»	XXXII	In sacra	32

HADRIANUS VI

PAPA CCXX

Anno Domini MDXXII.

An. C. 1522 Hadrianus, tituli Ss. Ioannis et Pauli presbyter cardinalis, et episcopus Dertosensis, absens et in Hispania degens, electus est in Summum Pontificem die IX ianuarii MDXXII, qui, retento priore nomine, Hadrianus VI voluit appellari. Romam maritimo itinere proficiscens, Urbemque ingressus die XXX augusti anni eiusdem, sequenti die coronatus est. Sedit in pontificatu annum I, menses VIII, dies VI, temporibus Caroli V, regis Romanorum; et unum Willhelmum Enchavordium [1] in cardinalium collegium cooptavit. Obiit die XIV septembris, anno MDXXIII, et sepultus est ad S. Petrum, ex qua basilica in aedem S. Mariae Theutonicorum eius ossa translata marmoreo sepulcro consignata sunt. Vacavit Sedes menses II, dies V.

1 *Enchenvoert* (R. T.).

I.

An. C. 1522

Declaratio et revocatio concessionum iurispatronatus et praesentandi ad beneficia ecclesiastica, a Sede Apostolica et eius officialibus ab anno primo pontificatus Innocentii PP. VIII citra factarum [1].

Sanctissimus Dominus noster Dominus Hadrianus Papa VI.

Causa huius constitutionis.

Accepto per Sanctitatem Suam quod nonnulli Romani Pontifices eius praedecessores diversis personis, collegiis laicorum iuspatronatus ac facultates et indulta praesentandi seu nominandi personas idoneas ad ecclesias, etiam metropolitanas, monasteria et beneficia eccle-

1 De hac materia notavi in eiusdem argumenti constitutione VII Innocentii VIII, tom. V, pag. 316, *Cum ab Apostolica.*

siastica, saecularia ac regularia, ac hospitalia et alia pia loca ex tunc deinceps vacatura, etiam interdum pro eorum haeredibus et successoribus, alias sub variis modis et formis per diversas eorum literas in perpetuum vel ad certum tempus reservarunt et concesserunt, considerans quod per huiusmodi facultates et indulta Romanus Pontifex saepius impeditur quo minus personas qualificatas, utiles et necessarias ad ecclesias et monasteria promovere, ac de beneficiis ecclesiasticis similibus personis providere, hospitalia quoque et pia loca huiusmodi personis, etiam utilibus, et monasteriis committere, et alias de illis disponere libere possit.

Revocatio concessionis iurispatronatus et praesentandi, quoad beneficia electiva,

§ 1. Ideo, ut per Sanctitatem Suam et Sedem Apostolicam liberius de personis benemeritis dictis cathedralibus ecclesiis et monasteriis provideatur, et de illis ac aliis dignitatibus, beneficiis, hospitalibus et piis locis huiusmodi disponatur, opportune providere volens, felicis recordationis Innocentii Papae VIII, Suae Sanctitatis praedecessoris, inhaerendo vestigiis, omnes et singulas reservationes et concessiones iurispatronatus, ac facultates et indulta praesentandi seu nominandi personas huiusmodi ad ecclesias, monasteria, prioratus, praepositruas, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus et praebendas, aliaque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et Ordinum quorumcumque regularia, qualitercumque qualificata, ac hospitalia et alia pia loca, per praedecessores et Sedem Apostolicam, aut eius legatos, nuncios, executores et subexecutores, ab anno primo pontificatus eiusdem Innocentii praedecessoris citra, quibusvis regibus, reginis, ducibus et marchionibus, ac aliis principibus et personis, necnon communitatibus, universitatibus, confraternitatibus et collegiis saecularium personarum, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, etiam ex motu proprio et ex certa scientia, ac de potestatis apostolicae plenitudine, aut etiam consistorialiter et alias, tam simpliciter quam sub quibusvis conditionibus et promissionibus, et alias quomodocumque et qualitercumque, et ex quibusvis causis, praeterquam ratione ereptionis locorum, in quibus ecclesiae, monasteria et beneficia praedicta consistunt, ex infidelium manibus et potestate, facta et concessa, quorum omnium formas et tenores eadem Sua Sanctitas haberi voluit pro expressis, quoad metropolitanas ac alias cathedrales ecclesias et monasteria, necnon prioratus et praepositruas, ac alias dignitates conventuales et alia electiva, etiam si ii, quibus reservationes et concessiones, facultates et indulta huiusmodi facta et concessa fuerunt, quascumque conditiones eis propterea quomodolibet impositas et promissiones per eos propterea factas adimpleverint.

Et quoad non electiva, cum declarationibus positis.

§ 2. Quo vero ad alia beneficia et hospitalia et pia loca huiusmodi, si illi, quibus reformationes et concessiones ac facultates et indulta huiusmodi facta et concessa fuerunt, ut praefertur, illorum occasione, fructus proxime dictorum beneficiorum, hospitalium et piorum locorum ad medietatem unius anni valoris fructuum eorumdem, secundum communem extimationem, de propriis eorum bonis non auxerunt, vel eorum ecclesias aut hospitalia et pia loca huiusmodi de novo fundamentaliter non aedificarunt, seu funditus non reaedificarunt, seu fundos, in quibus aedificarent aedificia, in praesentiarum subsecuto non concesserunt, ad quorum augmenti, aedificationis, reaedificationis et concessionis respectivae probationem eos, qui tali iure patronatus seu praesentandi et nominandi directe vel indirecte uti voluerint, eadem Sua Sanctitas teneri decrevit, etiam si conditiones, ad quas alias quam modis praemissis tenebantur, executioni deman-

datae fuissent, et in literis reformationum, et primo dictarum concessionum seu facultatum et indultorum huiusmodi cautum sit quod dictum ius simpliciter vel sub certis conditionibus, modis et formis ex fundatione vel dotatione pertineat aut pertinere censeatur, vel perinde habeatur ac si ex fundatione vel dotatione praedicta pertineret; et quod reservationes, primo dictae concessiones, facultates et indulta huiusmodi revocari non possint; et clausulae, etiam derogatoriarum derogatoriae fortiores, efficaciores et insolitae in dictis literis pro illarum praeservatione desuper adiectae sint, illarum formas et tenores pro expressis habendo, revocavit, cassavit et annullavit; ac ecclesias, monasteria, prioratus, praepositura, dignitates et beneficia huiusmodi ad eorum primaevam naturam, praemissis non obstantibus, reduxit. Decernens irritum *etc.*

Placet, publicetur et describatur. A.

(Papae subscriptio)

Lecta et publicata fuit supradicta Regula Romae in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae MDXXII, die vero nona mensis decembris, pontificatus praelibati SS. D. N. Papae anno I.

Pub. die 9 decembris 1522, pontif. anno I.

II.

Hortatur Fridericum, Saxoniae ducem, ut Martinum Lutherum haeresiarcam dimittat, eiusque relictis erroribus, catholicam fidem sequatur [1].

Hadrianus episcopus servus servorum Dei.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Satis et plus quam satis sustinuimus, dilecte in Christo, si forte Dei pietas tuam animam dignetur invisere, ac dare poenitentiam ad cognoscendum veritatem, ut resipisceres a diaboli laqueis, a quo captivus detineris. Novimus te paterne monitum a felicis recordationis praedecessore nostro, ut a te separantes [1] perniciem illam christianae religionis Martinum Lutherum; et cum iam toti orbi manifestae essent scelestissimae machinationes illius, speravimus et te ad cor poenitens reversurum.

Leo X monuit ducem Saxoniae ut Martinum dimitteret

§ 1. Sed quoniam expectavimus uvas [2] et ecce quia frustra conflavit conflator, malitiae enim tuae non sunt consumptae; coegit nos miseratio tui, coegit paternus amor, quo te et tibi subditos Saxones in Domino semper fuimus prosequuti, salutaribus et paternis monitis adhuc convenire, ut vel tandem resipiscatis, antequam plane in vos conveniat, quod mox subdit Propheta: *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit eos.*

Ille vero magis reprobus factus est.

Idem Pontifex iste multis rationibus hortatur ut resipiscat.

§ 2. Et quid dicemus vobis, quam quod Galatis suis Paulus: O insensati, quis vos fascinavit veritati non obedire? Currebatis bene. Interrogate patres vestros, ac dicent vobis; maiores vestros, et annunciabunt vobis quod ab ea aetate, quo uno eodemque tempore vixere Hadrianus Romanus Pontifex et Carolus ille Magnus imperator, Saxoniae fidei plantatores, ad nostra usque et carissimi in Christo filii nostri Caroli tempora, avi et proavi vestri, atque adeo Saxones omnes, semper habiti estis veluti pacis amatores, fidei propugnatores et per omnia obedientiae pacifici filii, talesque, ut non immerito Gregorius V, natione Saxo, olim Romanus Pontifex, Saxoniae ducem in Roman. imperatoris constituerit electorem. Quomodo ergo tam cito mutatus est color optimus? Cur tam facile transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium, quod non est

Saxones commendantur fideles, et propterea Gregorius V, natione Saxo, creavit ducem Saxoniae electorem Romani imperii.

1 Errores autem ipsius Martini, ipsorumque et ipsius damnationes habes in Leonis X constitutione XLIV, *Exurge*, pag. 748; et constit. XLVI, pag. 761, tom. V.

1 *Separares* habet Raynaldus, ad cuius editionem hanc bullam exegimus, atque pluribus, quibus in Romana editione scatet mendis, accurate expurgavimus (R. T.). 2 Rayn. hic habet *eas* (R. T.).

aliud, nisi sunt quidam, qui vos conturbant et volunt convertere Evangelium Christi? Quis vineam Domini Sabaoth tam pulchre plantatam est demolitus? Certe exterminavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam. Sed vae illud a vobis, a domesticis [1] et amicis a cruciatu praecordiorum. Obsecramus te, fili dilecte in Christo, leva oculos tuos in directum, et vide ubi sis prostratus.

Lutheri s quae mala induc t.

§ 3. Considera quantam Ecclesiae Christi, tot malis undique circumvallatae ac pene oppressae, pro opera, qua illi subvenire debueras, cladem insuper intulisti. Oppugnatur foris ab infestissimo illo ac potentissimo christiani nominis hoste. Dissident intus principes reipublicae christianæ, et in mutuam armati perniciem, cruentissimis inter se odiis conflictantur, et in fraterna viscera ferrum stringunt, ut vix ethnici inter se crudelius. An haec ita tibi visa sunt non satis gravia, nisi contritionem induceres super contritionem, nutriens ac fovens serpentem illum in sinu tuo, qui veneno linguae suae Ecclesiam et terras infecit adeo, ut nunc pervenerit gladius, etiam usque ad animam? Quanto autem pluris est anima quam corpus, tanto gravius est praedictis omnibus horrendum illud et plus quam tartareum venenum, quo haeresum ac schismatum contagione tot myriades animarum interierunt intereuntque. Ita tibi debemus omnes, quod nunc passim ab unitate matris Ecclesiae recedatur; quod avertatur vulgus indoctum, ac bis mille praestigiis ac fascinationibus retrahatur a fide, quam suxit ab ubere materno; quod basilicae sint sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reverentia, et sine Christo denique christiani; quod sacramenta fidei, non sacra censeantur; quod sanctuarium Christi, sanctum esse negetur; quod dies festi festivis frustrentur solemniis; quod moriantur homines in peccatis suis, rapiantur animae ad tribunal terrificum, nec poenitentia reconciliati, nec sacra communione muniti; quod pulcherrimus ille tabernaculi ordo confusus sit, et, pro christiana pace ac tranquillitate, ad rebellionem, ad rapinas, ad caedes, ad incendia, cum magno ac manifesto christianae reipublicae discrimine, veluti classico passim excitati. Pro quibus egregiis tuis in Ecclesiam Christi meritis, quo te praemio, immo quo non supplicio dignum censebimus? At dices forte: *Serpens me decepit.* Dignam certe recepisti mercedem, qui illum nutrivisti in sinu tuo. Sed ita ne stultus es ac sine corde, ut in eis maxime rebus, in quibus errare damnari est, uni homuncioni cooperto peccatis, quam tot sanctissimis ab initio patribus, qui in lege Dei meditati sunt die ac nocte, et quam tot universalibus conciliis, adversus quae impudens os illud velut sepulcrum patens, se aperire non erubescit, sanctae denique et catholicae Ecclesiae, cuius ritum, consuetudinem et decreta, a temporibus apostolorum ad nos usque inviolabiliter observata, unus iste sacrilega temeritate damnare praesumit, plus credere potueris? O caecam dementiam, ac plusquam iudaicam caecitatem! At fortassis hoc tibi imposuit, quod veterator ille Martinus et eius sequaces, de capitulis Scripturarum visi sunt sua confirmare. Et quis tandem haereticorum ita non fecit: an non hae sunt veteris serpentis astutiae, qui hac veluti esca obducto hamo, miseris animabus mille technis et versutiis semper est insidiatus, quique, quo angularem infringeret vere fidei lapidem, ac christianam scinderet unitatem, in Scripturarum agrum, suum seminare semen et perversam Scripturarum intelligentiam, iampridem est aggressus? Cum itaque maxima semper pars ecclesiarum imperita turba sit, et vix unus reperiatur aut alter, qui spiritualibus oculis de Scripturarum

1 Rayn. sic legit: *Sed vae illi et vobis ac domesticis* (n. 7.).

intelligentia digne valeat iudicare: siquidem librum signatum legimus, quem solus leo de tribu Iuda dignatus est aperire, ac solvere signacula eius. Quae tandem est ista diabolica excaecatio, uui carnali homuncioni, semper eructanti crapulam et potum, quam reliquo orbi universo, quam tot spiritualibus patribus, quorum voluntas semper fuit in lege Domini, qui vitae sanctimonia, ostensione spiritus ac virtute, glorioso denique martyrio suam doctrinam comprobaverunt, in Scripturarum intelligentia, plus te fidei habere potuisse? O caecitatem novam et inauditam! Unus apostata tibi potius [1] persuadere fefellisse priores universos, errare posteros, et in solum se et quos decepit pervenisse regnum Dei, pervenisse totas miserationum Dei divitias ac gratiam universitatis? Et quid non dicimus eum Propheta: *Heu, heu, heu Domine, ergo ne decepisti populum tuum?* Quin potius, cur non, devitatis (secundum apostolicum praeceptum) quaestionibus ac pugnis verborum, ex quibus oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, conflictationes hominum mente corruptorum, et subvertunt corda audientium, ex operibus suis, iuxta dominicam designationem, studuistis cognoscere filium profanum istum, qui ad vos venit primum in vestimentis ovium, lupus intrinsecus rapacissimus? Siquidem non ex foliis, non ex floribus, sed ex fructibus arbor cognoscenda erat.

Lutheri furor et immanis audacia

§ 4. An non manifesti sunt nequissimi fructus eius? Siquidem sacrilegus hic adversus Deum imagines sacras atque adeo ipsam crucem Christi sceleratis manibus confringere et pollutis conculeare pedibus non formidat; contra sacerdotes Dei, furore impio, temerarie debacchans, non desinit laicos, ad lavandas sibi in eorum sanguine manus, sedulo concitare; Ecclesiam Christi, parricidalibus armis oppugnans, hoc agit assiduo ut suffocentur homines in peccatis suis; hoc unum elaborat ne divina misericordia suis sacramentis, quae peccatorum remedia efficacia esse voluit, vulneratos in Ecclesia sua curet. Ita enim ea aut sustulit universa, aut haereseos suae pestifero inficit veneno, ut toxicum magis requirat, quam animarum medicinas.

Lutheri improba mandata.

§ 5. Praecipit suis, ne indignanti Deo quis satisfaciat; ne ieiuniis, orationibus, lamentationibus peccata redimat, ne ostia illa placens Deo, Corpus et Sanguis Domini nostri Iesu Christi a sacerdotibus offeratur quotidie pro peccatis nostris. Vota docet non reddere Domino Deo suo. Et cum ipse sit apostata ac professionis suae desertor, ut plurimos sui faciat similes, sancta illa Deo vasa polluere non veretur, consecratasque Christo virgines et vitam monasticam professas extrahere a monasteriis suis, et mundo, immo diabolo, quem semel abiuraverunt, reddere. Quod in veteri lege in umbraticis sacerdotibus Dominus non tulit, quod ethnici in idolorum suorum flaminibus omnes sunt abominati, Christi sacerdotes etiam vilissimis copulat meretricibus. Sanctos Patres illos, quorum vita et doctrina illustravit universum mundum, non solum debito honore non prosequitur, sed multo quam Cain scelestius despicit, deridet, contemnit, insectatur.

Lutherus conciliis detrahit, et licentiosam vitam inducere tentat.

§ 6. Sacrosanctis omnibus universalibus conciliis impudenti ore palam contradicit, ac sacrilega lingua detrahit; libertatis specie, licentiosam quamdam, nullis constrictam legibus, ac fere ferinam indncere conatur legem. Unde et exlex homo, contemptor ac violator legum omnium, in tantam erupit mentis vesaniam, ut sanctissimorum Patrum decreta et ecclesiasticos canones igne publico concremare non formidarit. Et breviter, christianam veritatem, omnem rerum ordinem, pulcherrimam denique Ecclesiae faciem, a

[1] Annalium scriptor citatus *potuit* loco *potius* hic legit (n. t.).

Christo, ab apostolis apostolicisque viris ac sanctissimis patribus ab initio constitutam, unus hic post tot centenos annos discindere, invertere ac deformare molitur.

Lutherus asserebat se esse alterum Danielem.

§ 7. Quod si nondum satis etiam internoscis de christiano magisterio an de Antichristi spiritu ista proficiscantur; si ita fascinavit te praestigiator ille, ut credere possis unum hunc perfidissimum apostatam, veluti alterum Helisaeum habere duplicem spiritum Heliae, aut alterum esse, quem se iactitat, Danielem, in quo sit spiritus amplior et intelligentia Scripturarum maior quam in omnibus olim sanctissimis illis doctissimisque viris, quam in sacrosancta Ecclesia catholica; quid est te uno caecius? Aut si iam ex fructibus arborem cognoscens, in errore persistis tamen, quid te miserius?

Lutheri sermo iniquissimus

§ 8. Sed esto, transfiguratus sit coram te satanas ille in Angelum lucis, et quae manifesta sunt opera carnis ac diabolica, spiritus esse et Christi opera, venenata sua facundia persuadere potuerit; numquid non ubique vel hoc ipso prodidit, cuiusnam spiritus sit, quod omnis eius sermo amarus est, virulentus, arrogans ac maledicentissimus, nusquam non scatens conviciis, blasphemiis ac scommatibus plusquam venenatis, adversus omne christianae pietatis, modestiae, mansuetudinis ac benignitatis officium? Numquid ita docuit Paulus, cuius se iactitat spiritum habere, cum nulla eius extet epistola, quae non pacem et unitatem ac alias id genus virtutes redoleat? An non Romanos suos hortatur in Domino ut in caritate fraternitatis se diligant, invicem sectentur, quae sunt pacis et quae aedificationis custodiant? Corinthiis an non testatur, se docere in ecclesiis Deum, non dissensionis, sed pacis Deum esse? Et breviter, numquid non ubique clamat, ubique docet evangelica illa tuba ut digne ambulemus in omni humilitate ac mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; utque deponamus omnem iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem? Quo igitur pacto maledicentiam, amaritudinem, iram, indignationem, blasphemiam, inflationem, iactationem, quae ita huic peculiaria sunt, ut illa Paulo ac illius discipulis universis, qui mitis est ac humilis corde, non Paulini, non christiani, sed diabolici spiritus esse certissima indicia vel caeco non clarissime appareat?

Lutherus ex sermone cognosci potuit valde perfidus.

§ 9. Ex verbis illius quomodo non intellexisti, Christum in corde suo, an vero Antichristum haberet, secundum quod ipsa Veritas in Evangelio ait: *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.* Et cum scriptum sit quod maledici regnum Dei non possidebunt; item, cum in Evangelio dicat Dominus: *Quicumque dixerit fratri suo racha, reus erit concilio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennae incendio:*

Lutherus sacerdotes ac Romanum Pontificem in sermonibus suis lacerabat et insectabatur.

§ 10. Illumne esse Antichristi apostolum cuiquam obscurum esse poterit? Qui non modo sacerdotes Dei, sed et principem sacerdotum, Petri successorem, Iesu Christi in terris vicarium, tam nefandis infamibusque nominibus, tam inauditis contumeliis, conviciis ac blasphemiis nusquam non lacerat, discerpit et insectatur, ut ea commemorare pudica refugiat lingua, et audire horreant aures castae. Qui apostolicam cathedram, in qua praesedit caput apostolorum Petrus, cui praefuerunt tot sancti Pontifices, quam Ecclesiam principalem, unde sit exorta unitas sacerdotalis, sanctus ille et gloriosus martyr Cyprianus non dubitat asserere, impio ac pestilenti ore cathedram pestilentiae, antichristianam, diabolicam, et si quae potuit excogitare nefandiora, toties appellare non cessat. Qui scholas christianas, quae tam mul-

tos doctissimos sanctissimosque viros, tam egregias in Ecclesia Dei columnas nobis protulerunt, impudica lingua sua, lupanaria, Sodomas et Gomorrhas ubique vocare non verecundatur. Qui non satis habet, omnipotentis Dei sacerdotes probris omnibus, conviciis, contumeliis ac blasphemiis horrendis et inauditis numquam non publice ac privatim insectari, quibusvis canibus viliores facere, nisi etiam laicos concitet ad lavandas sibi manus in sanguine ipsorum. Cum tamen quanto honore haberi velit sacerdotes suos, maxime autem principem sacerdotum, idem ipse Dominus in Deuteronomio testatus est, dicens: Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram: et iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes Levitici generis et ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quaecumque dixerint qui praesunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te iuxta legem eius: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto iudicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel: cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. Et Samuel cum sperneretur a filiis Israel, an non dicit Dominus: Non enim te spreverunt, sed me, ne regnem super eos, manifeste ostendens, invisibilem se contemni, cum visibilem quis spernit sacerdotem? Quare et Moses murmuranti adversus se populo respondit: Non adversus me murmurastis, sed adversus Dominum Deum vestrum. Quod si Leviticos illos sacerdotes tanta honoris praerogativa praecellere voluerit Dominus, qui exemplari tantum ac umbrae deserviebant coelestium, in umbratico illo tabernaculo sacrificiorum officia consummantes: quo tandem honoris loco eos haberi voluit, quibus tradidit claves regni coelorum, tantamque tribuit potestatem ut quae ligarent super terram, ligarentur et in coelis; et quae solverent super terram, soluta essent et in coelis: atque quorum ipsi dimitterent peccata, dimissa forent; quorum retinerent, forent et retenta? Qui non sanguinem hircorum aut vitulorum, sed hostiam vivam, sanctam, immaculatam, Corpus et Sanguinem Domini nostri Iesu Christi offerunt quotidie pro peccatis nostris, conficiunt verbo suo ac manibus tractant; et breviter, sacramenta omnia, quibus hominibus vita salusque tribuitur animarum, suis perficiunt orationibus? Quanto, inquam, honore hos praecellere voluerit Dominus, quis tandem dubitavit, quod nec ipse tacuit in Evangelio, cum dicit ad eos: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit et eum qui misit me?* Et quid consequitur? Quod in eumdem Christum blasphemus esset et maledicus, qui sacerdoti Christi blasphemat aut maledicit. An non hoc primum mandatum in retributione: *Honora patrem et matrem, ut sis longaevus super terram; qui autem maledicit patri aut matri, morte moriatur?* Numquid ad carnales tantum parentes illud est referendum, et num minus [1] ad eos, qui nos in Christo regeneraverunt, per quos christiani sumus, qui nobis peccata dimittunt, qui coelestibus nos pascunt sacramentis? Quid si peccatores sunt et mali sacerdotes? Quid si parentes? Numquid propterea eos, quos Dominus misit ante faciem suam et ad quos dicebat: Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo

[1] Raynaldus hic habet *non minus* (R. T.).

vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhæorum in die iudicii, quam illi civitati. An non praecipit ita Apostolus: *Obedite praepositis vestris et subiacete eis?* Quod si malis et peccatoribus non sit obediendum, quibus tandem? Quoniam si dixerimus *Peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Ovis es, noli discentere pastorem: noli te iudicem Dei constituere et Christi. An non ita praecipit Dominus in Evangelio, dicens: *Super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisaei, omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate et facite,* si quae autem fecerunt mala, facere nolite? manifeste significans habere eos dignitatem, tametsi vitae essent perditae. Numquid idem Dominus, cum postea tempore passionis alapam accepisset a servo sacerdotis dicente sibi: *Sic respondes Pontifici?* adversus Pontificem quidquam dixit contumeliose? quin magis innocentiam suam asserens et ostendens: *Si male*, inquit, *locutus sum, exprobra de malo: sin bene, quid me caedis?* An non et Paulus, cum caederetur in concilio iussu Ananiae, diceretque ad eum: *Percutiet te Deus, paries dealbate; et tu sedens iudicas me secundum legem, et contra legem iubes me percuti?* audiens ab adstantibus: *Sic insimulas sacerdotem Dei, maledicendo ipsum?* tamen inane nomen et umbram quamdam sacerdotis cogitans, expavit: *Nesciebam*, inquit, *fratres, quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim: Principi populi tui non maledices.* Quo magis miramur quod ex istis diabolici spiritus operibus, veluti fructibus nequissimis, arborem pessimam nondum cognovisti. Et quis tandem est ita hebes animo, ut non videat quo nunc prorumpant furiosissimi conatus istius, cum ut quisque est facinorosissimus, desperatissimus aut perditissimus latro aut homicida sub istius vexillis ac signis, conveniant? Ecclesiam iam Christi parricidalibus [1] ac sacrilegis manibus, non clam, sed palam oppugnantes, consecrata Deo loca, templa et monasteria exurunt et profanant; Christo dicatas virgines, sacerdotes Christi et monacos crudelissime persequuntur, ecclesiarum bona diripiunt, et breviter, rapinis, latrociniis, caedibus ac incendiis confundunt universa, excaecante nimirum eos iusto Dei iudicio, et in insaniam tam manifestam erumpere permittente, ut neminem iam latere possint scelestissimae machinationes istius. Atque hi, qui pestifera contagione ipsius infectos sese tandem cognoverunt, schismatico errore deposito ac haeretico furore deserto, unitatis ac veritatis domicilium fidei sanitate repetunt, inter quos, dilecte nobis in Christo Iesu, cum a te non ex postremis reversurum ad salutarem matris sinum speravissemus, quem reverentem libenter et obviis excepissemus manibus, bona spe tandem nostra frustrati, videmus super petram induravisse te faciem tuam; videmus perniciem illam animarum Lutherum, sub tuo patrocinio latitantem, super [2] adhuc virus longe lateque spargere. Sed quoniam adhuc potens est Dominus Deus etiam de lapidibus istis suscitare filios Abrahae, antequam egrediatur ut ignis indignatio eius et succendatur, nec sit qui extinguat, ideo te, fili dilecte in Christo, obsecramus per viscera nostri Redemptoris Domini nostri Iesu Christi, per christianam unitatem, per patriae caritatem, per tuam denique ipsius tuorumque salutem, miserere Ecclesiae Christi, et tot iam malorum procellis undique exagitatae, ac pene oppressae tua maxime culpa, aliquando fer opem; miserere patriae nostrae, quae sincerae olim fidei, eximiae religionis sanctae, sub iugo Domini ac religiosae obedientiae, insigni praecellens gloria, perniciem istam reli-

1 Raynaldus hic addit *armis* (R. T.). 2 Suum loco *super* legit Raynaldus (R. T.).

gionis christianae, ac fidei ac pietatis publicum hostem Martinum in suis se peperisse ac fovisse visceribus nunc erubescit; miserere denique tui ipsius, tuorumque miserere seductorum Saxonum, quos, nisi resipiscatis, et quidem cito, manet praesens et certa ultio divina, quam neque in hoc saeculo effugietis, neque in futuro. Haec dicit Dominus Deus: Audi, popule stulte; audi, princeps qui non habes cor, qui habetis oculos et non auditis [1]: me ergo non timebitis et a facie mea non dolebitis? numquid non audistis, quae fecerim in diebus antiquis? Legite Scripturas, in quibus putatis vos vitam aeternam habere, et invenietis quam gravis semper fuerit et quam terribilis divina vindicta in illos, qui in populo Dei schismata concitaverunt. Numquid non legistis horribilem divinam ultionem adversus Dathan et Abiron, quod multitudinem adversus Mosen concitavissent, quos, dehiscens sub pedibus terra et aperiens os suum, deglutivit et omnia quae ad eos pertinuerunt, ita ut descenderent viventes in infernum? Et adversus Core, quem, eandem ob causam, cum ducentis et quinquaginta viris coelestis flamma devoravit? Quod si ob durius imperium fortassis aut quorumdam pastorum seu ignaviam seu malitiam schismata excitanda putatis, numquid non ex libro Regum audistis adeo indignatum fuisse Dominum adversus decem tribus filiorum Israel et in omne semen eorum, ut dimoverit eos et tradiderit in direptionem, donec proiiceret eos a facie sua? Ob quam tandem culpam, nisi quod ob durius imperium Salomonis et imprudentius arrogantiusque responsum Rohoam regis Hierusalem, scissae fuerunt a tribu Iuda et Beniamin? Quam praesens semper fuerit Dominus vindex sacerdotibus suis, an non Saul ab regio abiectus honore, et Ozias rex Iuda percussus lepra, propterea quod, quae sacerdotum erant, contra sacerdotes Domini sunt ausi usurpare, sufficienti vobis potuerunt esse argumento? Et breviter, an non omnes testantur historiae, universos ultrice Domini manu infelici periisse exitu qui in christos Domini sacrilegas manus iniicere non formidaverunt; contra autem, felicia omnia et longam illis contigisse vitam, qui Christum in sacerdotibus suis venerati sunt? Moveant ergo vos exempla aliorum, et cogitate quid vobis sit expectandum, qui venerabilem Dei chorum in manus tentatis tradere profanas. Proinde quod Dominus per Mosen praecipit universo populo Israel, ut separarentur a tabernaculis Core, Dathan et Abiron, nec tangerent quidquam quod ad eos pertineret, ne involverentur in peccatis eorum; et hoc et vobis, praecipue autem tibi, dilecte fili, eiusdem Domini nostri auctoritate praecipimus, et obsecramus in Christo Iesu ut separemini a Martino Luthero, auferatis a vobis petram illam scandali, neque tangatis quod illius est, ne et vos divina ultio involvat subito in peccatis illius. Expurgate quamprimum fermentum illud, quod reliquam fidei vestrae massam corrupit, ut sitis nova conspersio novaque creatura.

Hortatur ducem Saxoniae ut desistat ab Ecclesiae persecutione, et divum Paulum imitetur.

§ 11. Non dedigneris, fili dilecte, Paulum imitari, quem sicut vicisti in Ecclesiae Dei persecutione, tam gravem animarum perniciem sub tuo nutriens patrocinio, ita reversus ad cor effice ut omnes intelligant tuam conversionem, utque qui per te sunt scandalizati, in te rursus glorificent Deum. Maxime autem hoc praesta quamprimum, ut impurum os illud obstruatur, ut capuletur blasphema lingua, quae contra Deum ac sanctos eius loqui non cessat, et virus suum undique spargit. Et ut propheticis vos verbis admoneamus, state super vias et videte ac interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris. State, inquam, et doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Interrogate de

[1] Locum hunc et in Raynaldo erratum, ita cum *Vulgata* supplendum putamus: *Qui habentes oculos, non videtis; et aures, et non auditis* (R. T.)

semitis antiquis, quae sit via bona, per quam ambulaverunt patres vestri, quam demonstraverunt tot myriades martyrum, docueruntque tot millia confessorum, et ambulate in ea.

Praemia conversionis proponit;

§ 12. Quod si a vobis impetraverimus, sicut et sincere speramus, erit quod gaudeamus cum angelis de peccatore poenitentiam agente, et perditam ac rursus inventam ovem humeris nostris ad ovile Domini gaudentes reportabimus, paternaque pietate, quantum in nobis fuerit, stolam vobis pristinam restituemus.

Poenas impoenitentiae denunciat.

§ 13. Quod si dixeritis *Non ambulabimus*, ac paterne salubriterque vos monenti responderitis *Non audiemus*, Ideo audite, gentes, dicit Dominus, et cognoscite, congregationes, quanta ego faciam eis. Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt et legem meam proiecerunt. Sed et hoc tibi denuntiamus in virtute omnipotentis Dei et Domini nostri Iesu Christi, cuius in terris vicarius sumus, nec te in praesenti saeculo hoc laturum impune, et in futuro aeterni te ignis expectare incendium. Vivunt una Pontifex Hadrianus et religiosissimus imperator Carolus, meus carissimus in Christo filius et alumnus: cuius tu edictum vere christianum adversus Lutheranam perfidiam, et quod talem decebat imperatorem, non sine gravi offensa ac vilipensione Caesareae maiestatis violare non timuisti. Non committemus ut, quos olim cum magno Carolo Hadrianus Pontifex in Christo genuerunt; nunc Hadrianus Pontifex et Imperator Carolus, sub schismatico ac haeretico tyranno, haeresum ac schismatum sinamus interire contagione. Quare revertimini ad cor et resipiscite tu tuique misere seducti Saxones, nisi utrumque gladium, apostolicum simul et Caesareum, velitis experiri.

Scripta Romae, MDXXII.

Dat. anno 1522, pontif. anno I.

III.

Ad parandam expeditionem contra Turcas treugas triennales principibus christianis indicit, sub poena excommunicationis incurrenda per infractores (1).

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Monet nos Veritas in Propheta, vigilem pastorem venientem gladium ex specula prospicere, atque annunciare oportere, alioquin animarum, quae perierint, exactam rationem ab eo requirendam esse. Hoc potentius cogitantes Romani Pontifices praedecessores nostri, praesertim ab eo tempore, quo Turcarum effraenata rabies Constantinopolim expugnavit, ac procul intuentes hostilem gladium christianorum iugulis in dies magis imminentem, ad christianos omnes et praesertim principes, qui, iuxta Isidorum, a Christo Ecclesiam tuendam susceperunt, clamare, ac eos monere non cessarunt, quantum universae christianitati periculum atque excidium immineret, nisi, mutuarum inter se dissensionum et discordiarum obliti, communi hosti resisterent, atque impetum christianam religionem funditus evertere molientis reprimerent. Hactenus tamen malo nostro annunciata calamitas non fuit credita, non fuerunt auditae ipsorum pastorum voces, sed utiles eorum admonitiones surdo pertransivere aure christiani principes, quorum culpa, immanissimo Christi hoste invalescente, christiana respublica innumeris cladibus ac ruina vexata atque afflicta fuit, ac tot iacturas et irreparabilia damna accepit, ut nemo christifidelis, absque ingenti moerore et lacrymis, ea referre audire possit. Quis enim a lacrymis abstineat audiens sanctam illam Ierusalem ac sacrum Calvariae montem, salutiferae Cru-

Saepe moniti christiani principes a Pontificibus, ut, sepositis particularibus odiis, contra Turcam convenirent,

Sed frustra, unde plurima mala exorta sunt reipublicae christianae.

(1) Ex Archivo Angliae Rimer, tom. XIII, pag. 780.

cis triumpho inclytum, sacratissima loca illa, quae Dominus et Salvator noster Iesus Christus humana carne vestitus et sacri discipuli eius incoluere, ab infidelibus barbaris occupata detineri, nec a nobis ipsum Domini sepulcrum, nisi precio Dominici Nominis blasphematoribus persoluto, visitari posse? Quis non pie ingemiscat, animo reputans patriarchales illas sedes sanctorum Patrum, suavem odorem adhuc redolentes, spurcissimis Christi hostibus servire? Constantinopolim, Graeciae lumen et Orientalis imperii caput, reliquamque Graeciam et magnam Europae partem, Syriam, Asiam ipsam fere universam, ab infidelibus Turcis, christianorum principum culpa, ablata fuisse; miserosque christianos illic degentes, nisi Christum abnegare et Mahumeticae impietatis et Satanae mancipia fieri velint, dira et crudeli barbarorum servitute opprimi? Quis, ut antiqua et vetera omittamus, non perterreatur atque exhorrescat cogitans modernum Turcarum tyrannum proximo anno Belgradum, quod totius regni Hungariae claustrum semper fuit, brevissimo temporis spatio cepisse? Nuper vero insulam Rhodum, totius Orientalis maris ianuam, ab Ierosolymitanis militibus per tot annos defensam, multisque Turcarum cladibus nobilitatam, etsi maximis terra marique copiis obsessam, non usque adeo tamen coarctatam, qui si christiani principes inter se iuncti, ac potius quae Iesu Christi, quam quae sua cuiusque erant, quaerentes, mature succurrissent, et Rhodus ipsa (ut alias parvo subsidio memoria nostra factum fuit) liberari, et de hostibus victoria cum Dei adiutorio obtineri potuisset, in ditionem ac potestatem suam redegisse, et nunc tot et tantis rerum successibus elatum, aperte minari se almam urbem Romanam, sanctorum apostolorum Petri et Pauli aliorumque martyrum sanguine consecratam,

Belgradum et alia multa a Turcis capta.

Turca minatur urbi Romae.

in qua vicarii sui sedem esse voluit Altissimus, expugnaturum, eiusque sanctissima templa ac sanctorum venerandas reliquias prolanaturum, demum christianum omne imperium et ipsius[1] nomen funditus eversurum.

§ 2. Quocirca, nos considerantes quod Salvator noster Dominus Iesus Christus, in excelsis tenens imperium, gregis sui tutelam non deserens, Romanum Pontificem in terris vicarium suum constituit, qui dictum gregem vigilanti cura protegere, ipsamque Ecclesiam ab omnibus adversis, quantum in se esset, conservare, defendere, ac reges et principes ad imperii fastigia divina permissione vocatos contra barbaras nationes, catholicam fidem opprimere conantes, potissimum inducere atque animare debeat; animoque revolventes nostri officii esse, his praesertim difficillimis et calamitosis temporibus, inter ipsos christianos reges et principes, mutuis inter se discordiis et dissensionibus divisos, pacem, quam Christus, in coelum ascensurus tamquam munus haereditarium discipulis suis reliquit, seminare; memoresque nos, postquam de nostra ad summi apostolatus apicem assumptione, in longinquis Hispaniarum partibus positi, certiores facti fuimus, antequam ad Urbem iter arriperemus, reges, principes et potentatus christianos, literis ac nuntiis ad hoc unum destinatis, ad perpetuam inter se pacem et concordiam vel saltem annorum aliquot inducias, quam instantissime hortatos fuisse, eosque admonuisse, nullum aliud rebus nostris remedium contra formidandam Turcarum potentiam superesse, quam si illi, inter se reconciliati et uniti, coniunctis viribus perfidorum hostium consilia perverterent; et postquam, Deo favente, ad Urbem ipsam appulimus nihil ardentiori studio et conatu procurasse, quam concordiam seu inducias huiusmodi.

Hadrianus, ante suum ad Urbem accessum, ad principes christianos nuncios misit ad pacem inter eos conciliandam.

1 Editio Luxemburgensis addit *Christi* (R. T).

Monitionibus ecclesiast. censuras addendas putat ut inducias inter principes faciant.

§ 3. Et tamen, ob quorumdam dictorum principum, heu! nimis inveterata inter se odia, huiusmodi instantiam nostram perparum profecisse, ut regibus, principibus, potentatibus ac aliis praefatis nulli excusationi locus ultra relinquatur, omnesque intelligant nos nihil, quod ad pastorale officium attinet, omisisse, cogimur, ex quo humana admonitio atque auctoritas, uti experientia docuit, ad praemissa frustra tentata est, annorum aliquot inducias seu treugas inter ipsos reges, principes ac potentatus, sub ecclesiasticis censuris et poenis, divina auctoritate, qua, Iesu Christi in terris vicarium, licet immeriti, agentes, fungimur, indicere, ut si non zelo fidei ac religionis ipsius Christi, cuius causa agitur, saltem divini iudicii metu ad cor redeant, et privatis affectibus publica commoda anteponant.

Triennales itaque indicit treugas.

§ 4. Habita igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione ac diligentissimo examine, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, atque ad revocandum saltem ad tempus haereditatem Domini, ad pacem scilicet atque concordiam, a christianis finibus tamdiu nostris demeritis exulantem, atque ut tandem sancta et pernecessaria expeditio, universali christianorum damno et dedecore tamdiu procrastinata ulterius non differatur, quorumdam praedecessorum nostrorum, praesertim Innocentii III, Nicolai V et aliorum, vestigiis inhaerentes, triennales inducias seu treugas inter omnes reges ac principes, communitates, potentatus, respublicas, ceterosque christifideles saeculares et ecclesiasticos, de omnipotentis Dei ac praefatorum Petri et Pauli apostolorum Eius, et ea, quae nobis ex alto concessa est, auctoritate, ac de eorumdem fratrum consilio et assensu, indicimus.

Principibusque eas servandas iubet sub poena excommunicationis latae sententiae.

§ 5. Ac eosdem reges, principes, communitates, potentatus, respublicas, ceterosque christifideles omnes, praemissas inducias seu treugas, sub excommunicationis latae sententiae anathematisque et interdicti ecclesiastici in terris et dominiis eorum omnium et singulorum poenis, dicto durante triennio inviolabiliter servare debere decernimus.

Ab offensionibus hoc tempore praecipit abstineri.

§ 6. Eos nihilominus in virtute sanctae obedientiae requirentes, ac per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi, per acerbissimam passionem, quam immaculatus et innocens Agnus, ut nos miseros peccatores ab aeterna morte redimeret, pati dignatus est; per iudicium extremum, in quo omnes stabunt ante tribunal Eius, accepturi unusquisque secundum opera sua, perque spem vitae aeternae, quam repromisit Deus diligentibus se, paterno affectu obtestantes ut, in unitate et charitate mutua, sine qua nihil Deo acceptum esse potest, perseverantes, a mutuis offensionibus abstineant, armaque bellica christiani contra christianos, dicto durante triennio, amplius non exerceant. Satis enim superque fraterni sanguinis per fratres effusum; satis, cum gravissima Dei offensa, inter vos, christiani reges, principes et potentatus, saevitum est. Velitis ergo iniuriarum, quae inter vos invicem illatae atque acceptae fuerunt, propter Christum Redemptorem vestrum, saltem ad tempus oblivisci, ut manifestae ruinae, nobis et universae christianitati ab immanissimis Christi hostibus imminenti, unione et concordia vestra occurrere, unitisque animis et armis hostes ipsos, non tam propriis viribus suis, quam vestris discordiis et dissentionibus confidentes, a vestris et subditorum vestrorum omniumque christianorum cervicibus repellere, necnon tot civitatibus, provinciis ac regnis ademptis recuperandis, fratribusque vestris, crudelissimo servitutis iugo tamdiu oppressis, opemque vestram, sublatis ad coelum ma-

nibus, implorantibus, a perfidissimi Turcarum tyranni iugo durissimo eripiendis viam parare possitis. Date inducias has Deo, a quo tam amplam in terris potestatem accepistis, ut eo vobis hoc pacto[1], potestatem vestram, alioquin, ut certo expectare potestis, vobis auferendam, retinere mereamini. Date denique inducias ipsas Christo Salvatori nostro, qui, in ligno crucis tenso corpore pendens, crucifigentibus se pepercit, ac Deum Patrem etiam pro illis rogavit, qui nos, de nihilo a se creatos et per primorum parentum inobedientiam exules paradisi factos, nullis nostris meritis, sed infinita sua clementia precioso suo Sanguine redemit, ne si, quod absit, privatas inimicitias et commoda vestra eius honori praeferentes, tam immensis eius beneficiis ingratos vos exhibueritis; sacramque eius religionem a perfidissimis hostibus conculcari, et innumerabiles ipsius Christi Sanguine redemptorum animas vel in miserrimam servitutem adduci, vel in exitiale infidelitatis barathrum praecipitari permiseritis, horrendum et durissimum Ipsius, qui terribilis est et aufert spiritum principum, iudicium et in praesenti et in futuro contra vos provocetis.

Reservat sibi decisionem dubiorum, quae super huiusmodi induciis oriri contingat.

§ 7. Ceterum, quia forte, peccatis nostris exigentibus, inimicus humani generis, ubi indictae induciae per vos, nostris, imo divinis his mandatis obedientes, acceptatae fuerint, quas a principio impedire non potuit, temporis successu perturbare non desinet, licet enim de prudentia, magnanimitate et constantia vestris in Domino fiduciam habeamus, ut nullo modo vos eius malignitati locum daturos arbitremur; tamen, propterea induciae ipsae ne dissolvantur, dubiorum, si qua super induciis huiusmodi aut earum dependentibus, emergentibus et annexis vel connexis quoquomodo oriantur, decisionem et declarationem nobis, tamquam summi pacis Auctoris vices in terris gerentibus, una cum praefatis fratribus nostris reservamus, ipsis induciis nihilominus, iuxta praesentium literarum tenorem, in suo robore permansuris.

Conclusiones.

Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimotertio, pridie kalendas maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 aprilis anno 1523, pontif. anno I.

[1] Ed. Luxemburg. addit opportune *placato* (R. T.).

IV.

Administratio militiarum Sancti Iacobi de Spatha, de Calatrava et de Alcantara, in regnis Hispaniarum institutarum, Ordinum Sancti Augustini et Cistercicusis, coronae regiae perpetuo conceditur, cum omnibus iuribus quae earum magni magistri habere consueverunt (1).

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Militiam S. Iacobi de Spatha, de Calatrava et Alcantara et Caroli V Imperatoris opera, nonnulla regna occupata a Mauris nuper recuperata fuerunt.

Dum intra nostrae mentis arcana debita moderatione pensamus Sancti Iacobi de Spatha ac de Calatrava et de Alcantara, in regnis Hispaniarum erectas propterea militias institutas fuisse ut contra orthodoxae fidei hostes et inimicos arma quaedam et valida praesidia essent, earumque milites in infidelium expugnatione ac regnorum ab ipsis infidelibus occupatorum recuperatione iugiter vacarent; strenuaque ipsorum virtute et opera, proximis annis, non solum quamplurimas civitates et loca, sed etiam aliquot principatus, dominia et

(1) De militia S. Iacobi habes etiam in constitutione LXXX Alexandri III, *Benedictus*, tom. II, pag. 781; constit. XX Iulii II, *Romani*, tom. V, pag. 466; et constit. L Leonis X, *In Apostolicae*, ibid., pag. 769.

regna, quae infideles Mauri occupaverant et per multos annos detinuerant, non sine proprii sanguinis effusione, cum magna Christi nominis gloria recuperata et ad fidem Christi reducta fuisse consideramus. Insuper et animo revolvimus, quae carissimus in Christo filius noster Carolus, Castellae et Legionis rex catholicus, in imperatorem electus, claræ memoriæ Ferdinandi regis avi et Elisabeth reginæ aviæ, Castellae et Legionis huiusmodi, ac aliorum progenitorum suorum vestigia secutus, pro universa Ecclesia (cuius ut nos ad summi apostolatus apicem assumptione pastor, ita ipse ad sacri imperii fastigium electione advocatus existit), non solum insulae Servarum, quam ipsi Mauri detinebant, expugnatione, sed etiam adversus Martinum Lutherum, per Sedem Apostolicam haereticum declaratum, executione fecit, et in dies ipsum sub disciplina nostra a teneris educatum, ob eius devotionem ac fidem erga nos et hanc sanctam Sedem, in qua, permissione divina, sedemus, ac universam rempublicam christianam, divina favente gratia, facturum fore speramus, dignum merito censemus et congruum ut militiae praedictae coronae regni Castellae et Legionis perpetuo applicentur, non minus ut Caroli ipsius in imperatorem electi studia et conatus ad profligandos et subiugandos infideles barbaros, concedente Domino, crescant et augeantur, quam ut ipsarum militiarum felix et prosperum regimen semper in melius procedat, et illorum militum disciplina solertior evadat, ipsumque Carolum in imperatorem electum, eiusque posteritatem, signo specialis benevolentiae prosequamur, et quadam perpetuitatis memoriâ decoremus.

§ 1. Sane, cum Ferdinandus rex et Elisabeth regina praefati, in humanis agentes, suorum et ipsi progenitorum vestigia secuti, quamplurima egregia facinora et gesta fecerint, nec solum Hispaniam a Saracenis et Mauris, qui regnum Granatae ac plura alia dominia occupaverant, non sine multis laboribus et impensis, magna christiani sanguinis effusione purgaverint; ac quamplurimos infideles a falsis idolorum tenebris ad veram orthodoxae fidei lucem reduxerint, sed pluribus etiam casibus Oceanum mare penetraverint, et ad diversas ac maximas et antea mortalibus ignotas insulas salutiferae Crucis vexillum detulerint, et in ipsis insulis plurimas metropolitanas et cathedrales ac alias ecclesias ad Christi Nominis gloriam et exaltationem erigi, seque, ob talia merita, catholici nomine ab hac sancta Sede insigniri obtinuerint.

Similiaque facinora a Ferdinando rege et aliis progenitoribus gloriose peracta fuerunt.

§ 2. Cumque in dictis Castellae et Legionis regnis Sancti Iacobi de Spatha ac Calatrava et Alcantara, Sancti Augustini et Cisterciensis Ordinis, militiarum magistratus, ad eiusdem fidei exaltationem et infidelium barbarorum, maxime circumvicinarum partium, depressionem et expugnationem instituti fuerint, ut praefertur.

Et ad eiusmodi peragenda opera, dictae militiae institutae fuerunt.

§ 3. Et quandoque illi per Romanos Pontifices, praedecessores nostros, regibus Castellae et Legionis huiusmodi, seu eorum primogenitis aut propinquioribus, Infantibus nuncupatis respective, in administrationem, dum expediens fore visum fuerit, concedi consueverint; illorumque ad praesens idem catholicus rex in imperatorem electus perpetuus administrator per Sedem praedictam deputatus existat; ipsarumque militiarum magistrorum electiones ad praedictarum militiarum huiusmodi praeceptores seu milites spectare noscantur; ac inter eos, occurrente dictorum magistrorum vacatione, super electionibus pro tempore faciendis possent quandoque dissensiones oriri; plurimumque regis Castellae et Legionis pro tempore existentis intersit ut ipse magi-

Et quandoque eaedem militiae eisdem regibus aut eorum primogenitis per Sedem Apostolicam in administrationem datae fuerunt.

Et multis de causis eisdem perpetuo sunt dari expedit.

stratuum huiusmodi curam et administrationem habeat, cum magistratus ipsi quamplurimas civitates et arces, partim ab ipsis regibus Castellae et Legionis donatas, partim per ipsos magistros ab infidelium manibus proprii sanguinis effusione comparatas et acquisitas possideant; et si illorum magistri aliquando se regi opponerent, ex illorum institutione, quae ad eorumdem regnorum pacem et quietem ac infidelium expugnationem emanavit, gravia scandala et pericula in regnis ipsis, prout proximis annis, cum in minoribus constituti et dictorum regnorum regimini et administrationi praepositi essemus, propter aspirationes ad ipsos magistratus, oculis nostris vidimus, succedere possent; si autem magistratus ipsi coronae regiae regis Castellae et Legionis huiusmodi pro tempore existentis perpetuo unirentur, annecterentur et incorporarentur, ita tamen quod ex illorum huiusmodi unione tituli singulorum magistratuum huiusmodi ad infrascriptum effectum extincti non censeantur, illi per regem ipsum longe melius regi et gubernari possent; curaretque rex ipse ut illarum militiarum milites idonei et in arte militari adeo periti et experti essent ut de illis merito sperari posset quod non solum dicta regna ab infidelibus defenderent, sed ipsum regem ad expeditionem contra Turcas et alios infideles, maritima classe ac terrestri exercitu, suscipiendam et prosequendam ultro solicitarent et invitarent, scandalisque et dissensionibus inter ipsos praeceptores seu milites electores ac aliis periculis, quae exoriri possent, obviaretur; ipseque Carolus rex, in imperatorem electus, ad sanctum pacis et unitatis regum et principum opus, quod pro totius christianae reipublicae necessaria defensione ac contra hostes Turcas felici expeditione perficere et concludere desideramus, pro sua religione et devotione in hanc sanctam Sedem, nos plurimum iuvare, ac rempublicam christianam a tam gravi periculo, in quo constituta est, divina favente gratia, liberare posset, ac omnia pro fidei catholicae exaltatione ac infidelium barbarorum depressione libentius et constantius facere non cessaret; similiterque eius successores facere parati essent; militesque dictarum militiarum, sub regis huiusmodi disciplina magistrali, et experti et ad conferendum manus contra Turcas et infideles huiusmodi multo promptiores et alacriores redderentur.

Et ideo administrationem militiarum praedictarum coronae regiae perpetuo unit.

§ 4. Nos praemissa diligenti consideratione pensantes, ac animo revolventes qualia et quanta eiusdem Caroli regis in imperatorem electi maiores, priscis ac etiam nostris temporibus, pro expugnatione infidelium et barbararum nationum perfecerint; quodque regna et terras ac insulas ab ipsorum infidelium manibus eripuerint, et ad christianam religionem reduci curaverint, et quae ipse Carolus rex in imperatorem electus tam ferventi animo, hac tempestate nostra, pro christianae fidei religione et huius sanctae Sedis dignitate tuenda, adversus Martinum Lutherum praefatum et eius fautores ac alios, qui contra nos et dictam Sedem superbiae cornua erexerunt, ac in dictae insulae Servarum expugnatione, quam, divino assistente auxilio, sibi subdidit, digne et laudabiliter effecerit; ac sperantes quod, quanto maioribus beneficiis et gratiis maiestas sua a Sede Apostolica se praemunitam et affectam cognoverit, tanto magis eidem Ecclesiae, cuius advocatus, ut praefertur, existit, exuberantes favores, quoties opus fuerit, exhibebit, ac brevi tempore, pro sua ipsius singulari devotione ac virtute regiaque magnanimitate et imperiali celsitudine, ad honorem Dei et nominis christiani propagationem, adversus nefandissimos Turcas, christiani nominis perpetuos hostes, et contra spurcis-

simam illam gentem, quae christianum sanguinem avide sitit, et nostris cervicibus imminet, iustissimum bellum suscipiet, ac tot provincias et regna ab ipsis Turcis et aliis infidelibus occupata recuperabit, et nomen Salvatoris Domini nostri Iesu Christi longe lateque propagabit, habita super iis cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus matura deliberatione, ac de eorum consilio et assensu, magistratus praedictos, quorum omnium qualitates, necnon verum et ultimum vacationis modum, illorumque ac coronae regiae Castellae et Legionis huiusmodi regnorum veros annuos valores, praesentibus pro expressis haberi volentes, eidem coronae regiae, etiam si corona ipsa aliquo tempore ad mulierem spectaret, cum omnibus praeeminentiis, iurisdictionibus, facultatibus, redditibus, iuribus, obventionibus et pertinentiis suis universis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo unimus, annectimus et incorporamus: ita quod ius administrandi ipsos magistratus, sive in virum sive in mulierem, cum corona transeat; et omnia, quae ipsi magistri, qui pro tempore fuerint, facere et exercere; et commendas ipsas et praeceptorias ac alia beneficia militiarum huiusmodi personis idoneis conferre libere possit, in omnibus et por omnia, perinde ac si unio huiusmodi, quoad praemissa dumtaxat, minime facta fuisset; ipsorumque magistratuum possessionem, propria auctoritate, libere continuare, seu illam de novo sibi et regi Castellae et Legionis pro tempore existenti, etiam propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere; illorumque fructus, redditus et proventus in suos ac magistratuum huiusmodi usus, ad quos deputati sunt, et utilitatem convertere, dioecesanorum locorum et quorumvis aliorum licentia seu consensu minime requisitis. Ita tamen quod ipse catholicus rex in imperatorem electus, eiusque successores Castellae et Legionis reges pro tempore existentes, ea, quae spiritualia concernunt, per personas dictarum militiarum religiosas, per ipsos reges pro tempore existentes ad id deputandas, ad eorum nutum amovibiles, probe et laudabiliter exerceri facere debeant et teneantur. Quibus sic pro tempore deputatis personis gerendi, faciendi, mandandi, ordinandi, exercendi, exequendi et disponendi omnia et singula, quae dictarum militiarum magistri pro tempore existentes, de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet facere, gerere, exercere, mandare, disponere, exequi poterant et consueverant, auctoritate et tenore praemissis, plenam, liberam et omnimodam facultatem concedimus; et ne in praeiudicium dictae unionis per milites seu fratres dictorum Ordinum aliquid de facto teneatur, per viam electionis vel postulationis seu alias, decedente rege vel regina qui dictos Ordines administraverit, auferimus ab eis omne ius ac potestatem eligendi, postulandi vel de novo administratore perpetuo providendi; et sub poena excommunicationis ac privationis commendarum et praeceptoriarum ac aliorum beneficiorum, quae obtinent, inhabilitatisque ad ipsa in posterum obtinenda, omnibus et singulis prohibemus ne eligant, postulent, vel de eligendo aut postulando tractent, quas poenas volumus eos ipso facto incurrere, absolutionem nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter reservantes.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus nostra, qua voluimus quod in unionibus exprimi deberet valor etiam beneficii, cui unio fieret, et semper commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest; ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus ac stabi-

limentis, usibus et naturis dictarum militiarum, iuramento et confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque et indultis ac literis apostolicis dictis militiis earumque praeceptoribus, militibus et conventibus per dictam Sedem forsan concessis, illis praesertim quibus caveri dicitur quod magistratus de Alcantara et de Calatrava, per personas regulares Sancti Augustini et Cisterciensis Ordinis huiusmodi, expresse professas et non uxoratas, ac alias certo modo qualificatas, dumtaxat obtineri possint, quibus, etiam si ad eorum derogationem de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, illorum tenores huiusmodi praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque; aut si aliqui super provisionibus faciendis huiusmodi magistratibus ac dignitatibus speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in partibus generales dictae Sedis vel eius legatorum literas impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum; quas quidem literas et processus habitos per easdem et inde secuta quaecumque ad magistratus huiusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem magistratuum aut beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; et quibuscumque privilegiis, indulgentiis generalibus vel specialibus et literis apostolicis, quorumcumque tenorum existant, per quas, praesentibus non expressae vel totaliter non insertae, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, etiamsi de earum tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis; proviso quo dicti magistratus debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congrue supportentur onera consueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Prohibitio alienandi bona immobilia aut mobilia pretiosa dictarum militiarum.

§ 6. Volumus autem quod ipse rex, pro tempore existens, ab alienatione quorumcumque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dictorum magistratuum penitus abstineat;

Facultas exigendi iura magistris solvi consueta.

§ 7. Quodque, antequam dictos magistratus vel eorum aliquem administrare possit, succedendo in regno huiusmodi, nobis seu successoribus nostris canonice intrantibus iura omnia solvere teneatur, quae magistri pro tempore solvere consueverunt, quibus solutis, ex tunc confirmatio et licentiae concessae sint et esse censeantur, administrationemque libere exercere possit.

Declaratur quibus in casibus concessio et gratia huiusmodi irrita sit.

§ 8. Et ille ex iis, qui ullo umquam tempore, quod absit, a nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis canonice intrantis et Romanae Ecclesiae obedientia et devotione se subtraxerit, vel contra eum bellum susceperit, in eius damnum et detrimentum honoris aut rerum, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte machinatus fuerit, huiusmodi gratia privatus existat, praesentesque literae nullius sint roboris vel momenti, ipsaque unio eo ipso dissoluta sit. Ipsique magistratus per dissolutionem huiusmodi vacare censeantur, et de illis per Sedem praedictam libere disponi possit.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimo tertio, IV nonas maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 maii 1523, pontif. anno I.

V.

Canonizatio Sancti Bennonis, episcopi Misnensis, eiusque in sanctorum confessorum numerum relatio, cum eius festivitatis pro die decimasexta maii institutione, et indulgentiarum pro ea die ad illius sepulcrum quotannis accedentibus elargitione.

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Deus Ecclesiam suam multorum sanctorum agmine illustravit atque munivit.

§ 1. Excelsus Dominus militantem Ecclesiam pretiosorum lapidum vivorum, ipsi summo angulari lapidi Christo Iesu unitorum, ornatissima varietate decoratam, structura mirabili fundare disposuit. Hinc processerunt beati patriarchae, qui, fide praeclari, sanctorum angelorum susceptores effecti, facie ad faciem Deum videre meruerunt. Hos secuti sunt sancti prophetae, quibus ostendit Deus secreta sua, ut ventura, quasi praesentia, Spiritu Sancto illuminante, agnoscere atque enunciare potuerint. Postquam autem venit plenitudo temporis, et Oriens ex alto in assumpta sibi humanitate nos visitare, nostraeque salutis mysteria, sicut praedixerant prophetae, adimplere dignatus est, constituti fuerunt beati apostoli, divinae legis promulgatores et praedicatores, qui, per orbem universum, genus humanum, quod sub diabolicae potestatis iugo tenebatur, ad salutem excitantes, Dei verbum in omnibus terrae finibus praedicarunt. Hos secuti sunt martyres splendidi, qui, fidei loricam induti et inconcussae stabilitatis balteo succincti, ac stolas suas in sanguine innocentis Agni lavantes, et candidato exercitu Christum Iesum imitati, cum gloriosa victoria, palmas manibus gestantes, se dicto vivo lapidi Christo adiunxerunt, sempiternam sui memoriam et exemplum venerabile militanti Ecclesiae relinquentes. Progressi sunt doctores lucidi, qui, suis doctrinis et exemplis catholicam et orthodoxam fidem [1] ipsam subvertere satagentibus se opponentes, dictam militantem Ecclesiam multipliciter illustrarunt; quibus eadem Ecclesia comitata *progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*. Sequuntur postea sancti confessores, qui, virtutum gemmis coruscantes, Domino, rationem de talentis creditis reposcenti, utpote fideles et boni servi, multiplicatum de suis laboribus fructum attulerunt, et in arcam coelestem reposuerunt; omniaque mundi blandimenta, ut venenum aspidum fugientes, latibula in terris petierunt, antris abditi, rudi victu, scaturientis aquae levi potu carnem macerantes, tegmine hircino amicti, iunceo vel stramineo [2] fessa membra somno foventes, nudis pedibus Dominum quaesierunt, aeternamque patriam invenerunt. Adsunt et virgines nitidae, mundo corpore, sincero corde sanctaque mente, cum oleo in lampadibus suis sponso, qui est prae filiis hominum speciosus, obviam venientes. Devotae tandem continentesque viduae et aliae quamplurimae sexus utriusque personae, piis et sanctis operibus semper intentae, cum plenis manipulis eidem coelesti sponso se repraesentaverunt, cum angelis gloriam in altissimis Deo et in terra pacem hominibus bonae voluntatis mirifice depromentes.

Et nunc in ea suscitavit sanctum Bennonem, qui suis meritis eam decoravit.

§ 2. Haec omnia unus et idem Spiritus admirando plurimum operatur mysterio; et sicut Altissimus ab initio vineam suam talibus piis cultoribus, iuxta sanctam promissionem suam, visitavit, firmavit et auxit, sic semper ad illam suae protectionis auxilium multipliciter impartitur, et eamdem vineam, more solito, visitans, virum fortem ad huiusmodi vineae culturam adduxit, gloriosum scilicet confessorem beatum Bennonem, superno coetui merito sociandum, imo verius sociatum, qui, inter

1 Addenda hic putamus verba quae sequuntur: *defensantes, falsisque prophetis ac iniquis doctoribus, fidem ipsam* ecc. prout videre est in tom. v, pag. 718, § 4, in bulla Canonizationis S. Francisci de Paula (R. T.). 2 Deest forsitan *lectulo* vel *cubili* (R. T.).

caeteros Christi athletas, suis meritis et exemplis ipsam sanctam Ecclesiam, divina cooperante gratia, multipliciter decoravit, praesentisque temporis caliginem suae lampadis fulgore mirabiliter illustravit. Ipse enim adversus mundum, carnem et daemonem fortiter dimicavit, et in odorem Altissimi currens, copiosam utriusque sexus christifidelium multitudinem salubriter post se traxit; ac, velut effusam super faciem terrae, religiosam professionis suae generationem dereliquit, ut ad illuminationem gentium celebri memoria, tamquam rutilum sidus, in Ecclesiae firmamento servaretur.

Miracula etiam ac virtutibus multis in vita claruit, quorum aliqua hic indicantur.

§ 3. De cuius quidem origine, vita, moribus et fama, necnon mirabilibus, quae, in praemium sanctitatis eius, Deus mundo multipliciter ostendere dignatus est, ne de tam celebri viro etiam posteritas maneat ignara, pauca ex multis duximus recensenda. Siquidem Fridericus Bultenburgensis, vir nobili loco natus, pater fuit beati Bennonis, quem ex Bezela eius pia uxore susceperat. Cumque in beato Bennone ab ineunte aetate bona indoles eluceret, ne illa aequalium studiis, malis moribus ac depravatis opinionibus (ut illa aetas assolet) corrumperetur, magnopere sibi providendum existimavit; et eum, ut primum ex infantia excessit, divo Bernardo, episcopo Hildesemensi, commendavit et tradidit. Qui, cum negocium sibi commissum attenderet, ut puer ad virtutem recte informaretur, illum primum ad amorem Dei optimi maximique induxit; deinde vero, cum vir prudens intelligeret utile esse si literae cum virtute coniungerentur, beatum Bennonem a Bigario [1], bono sane viro et docto, instruendum curavit, sub quo magnos ille progressus fecit; quamobrem, ineunte iam adolescentia, eum ad bene beateque vivendum satis instructus esset, monasticam vitae rationem suscepit. Monacus itaque cum esset, reiectis voluptatibus, omnem vitae cursum in virtute confecit; quod cum fratres, cum quibus vivebat, probassent, tantumque in eo virtutis esse cognovissent, quantum ecclesiasticis honoribus erat mandandum, defuncto eorum abbate, cunctis fere suffragiis abbatiam illi detulerunt. Sed quia res in contentionem inciderat, cum essent, sed non ita multi, qui Sigiberto, religioso viro, suffragabantur, beatus Benno, ut erat ab omni ambitione alienus, honorem recusavit, et pro Sigiberto summo studio egit, rogavitque ne se ab ea vivendi ratione, qua in tranquillitate esset, distraherent; sed quo ille vehementius rogabat, eo magis monacorum studia incendebantur. Urgentes igitur et instantes, beatum Bennonem, vel invitum, ad dignitatem rapiunt, quam ipse, tertio post mense, deposuit, seque ad pristinam vitam et bene quidem institutam retulit; coepitque eum clarae memoriae Henricus tertius imperator diligere primum, qui, cum videret sanctissimum hominem ad rempublicam bene gerendam natum esse, tantum virum in coenobii angulis aetatem consummare passus non est. Sed, cum a felicis recordationis Leone Papa IX, praedecessore nostro, assensum obtinuisset, illum, magnopere repugnantem, e monasterio eduxit, ac praepositurae ecclesiae Boslariensis, Hildesemensis dioecesis, praefecit. In ea vero, cum usque ad ingravescentem aetatem integre casteque conversaretur, canonici ecclesiae Misnii, fama eius inducti, venerandum senem, qui tunc quinquagintasex annos natus erat, ecclesiae suae praeesse voluerunt. In qua, cum omnia praeclare, tum hoc praeclarissime egit, quod Vandalos, de religione christiana male sentientes, ex pernicioso errore eripuerit, eoque traduxerit ut, una cum catholica Ecclesia, pari studio fidem christianam

[1] *Wiger*, prior monasterii S. Michaelis (n. t.).

tuerentur. Quod factum et memorabile est et plane divinum. Illis namque temporibus, piae memoriae Gregorius Papa VII, etiam praedecessor noster, et similis memoriae Henricus quartus, imperator, magnas inter se inimicitias gerebant, et ita quidem ut alter alterum de eo, in quo locatus erat, dignitatis gradu deiectum studeret; qua de causa uterque suos in concilium vocabat. Paruerunt imperatori non solum principes, sed etiam universi et Germani et Galliarum episcopi; solus beatus Benno decreti imperatoris auditor non fuit, quippe qui praeclarum fore existimabat, si Ecclesiae dignitatem, quoad eius fieri posset, tueretur. Atque, ut suae erga Ecclesiam devotionis documentum daret, imperatorem marchionemque Misnensem, hostes religionis iudicatos, excommunicavit, quin etiam marchioni ingressum templi Misnensis prohibuit, seque ad concilium Pontificis contulit. Ad hanc magnitudinem animi quid addi potest? Sed, antequam profectionem susciperet beatus Benno, in Albim, magnum et celebre flumen perfluens, ecclesiae suae Misnensis claves proiecit, ut iis, qui se imperatoris causae adiunxissent, eamque ob rem excommunicati essent, ingressus ecclesiae non pateret; ex quo facile concipi potest quantas ille inimicitias pro Ecclesia catholica susceperit, quantoque se obtulerit periculo. Nam, cum imperator se suosque iniuria affectos existimaret, ne suas et communes iniurias prosequi intenderet, beatum Bennonem a concilio reversum, ut suum expleret animum, in vincula coniecit. Sed Deus omnipotens, qui bonos scelerate oppressos erigit, divinum hominem respexit; fuit igitur beatus Benno non ita multo post et liberatus et in pristinum statum restitutus. Cum autem eo tempore claves ecclesiae Misnensis, de quibus praefati sumus, desiderarentur, in dicto Albi flumine capitur piscis, in cuius visceribus claves amissae reperiuntur, magnum sane et haud obscurum divinitatis specimen. Nunc vero de iis, quibus ecclesiam suam exornavit sanctissimus homo. Et primo quidem, cum videret egregium cantum rebus sacris magno ornamento esse, optimam quidem ille canendi rationem instituit, quae hodie in templo Misnensi magno cum decore viget; ecclesiam praeterea bonis multis atque facultatibus locupletiorem fecit; quin imo in eo loco, in quem secedere solebat, si quando a caeteris curis ad contemplationem Dei optimi maximi se convertere vellet, ecclesiam collegiatam extruxit instituitque. Sed quid pluribus de propenso beati Bennonis in rem ecclesiasticam studio? Albim flumen praedictum siccis pedibus transivit; cumque aliquando (ita ut facere solebat) agricolas inviseret, videretque homines de labore fessos vehementer sitire, commiseratione adductus, aquam in vinum convertit. Idemque beatus Benno, alio quodam tempore, cum in valle proxima civitati Misnensi concionem ad populum haberet, animadvertit multos, ut fit tempore aestivo, siti pene exanimes: ut illis subveniret, terram percussit, e qua subito uberrimus et perennis fons emanavit, qui adhuc hodiernis diebus fons sacer appellatur. Campana vero ab ipso divo Bennone consecrata omnem vim coeli ab agris finitimis avertit; tum ager ille, per quem iter facere solebat vir divinus, omnes, qui in ea vicinia sunt, agros ubertate facile superat. Est praeterea pagus quidem, Neumberch nuncupatus, a Misna longe distans: aliquando tamen divinitus accidit ut, uno eodemque tempore, beatus Benno et illic rem sacram faceret, et Misnae rebus sacris interesse videretur. Marchio quidam Misnensis, ad rem avidior, cum per summum scelus in possessionem bono-

rum ecclesiae Misnensis irruisset, beatus Benno hominem recte facturum affirmavit, si ea, quae ipsi ecclesiae Misnensi eripuisset, restitueret; sin minus Deum aliquando pro tanta improbitate poenas ab eo expetiturum. Quibus verbis homo furens concitatus sanctissimum virum alapa percussit; tunc beatus Benno, Divo Spiritu afflatus: *Hanc tantam iniuriam*, inquit, *hoc eodem tempore sequentis anni Deus omnipotens ulciscetur*. Quem marchio ille protervus atque superbus irrisit: ac paulo post beatus Benno aegrotare coepit, et brevi futurum sperans ut ex hac vita ad superos, quorum consuetudo dulcis est atque aeterna, migraret, paulo antequam moreretur canonicos suos adhortatus est ut eam charitatem, quam nos docuit Christus, studiose complecterentur; deinde Eucharistiam, cibum illum divinum, magna cum pietate suscepit, et cum orationes ad Deum optimum maximumque habuisset, e vita excessit, et id quidem quadragesimo pontificatus sui anno, post Christum autem natum millesimo centesimo sexto. Hactenus de iis, quae in vita, non humano consilio, sed divinitus gessit divinus homo.

Et post mortem miracula etiam edidit.

§ 4. Ad ea vero quae, post mortem illius, summa cum admiratione acciderunt, nonnulla recitanda censuimus; ac primum, marchio, de quo paulo ante mentionem fecimus, cum tempus illud evenisset quo sanctus vir ipsum marchionem poenas daturum praedixerat, in hanc vocem prorupit: *Benno superiori tempore nescio quod periculum nobis hodierno die eventurum minabatur; mortuus est ille, non igitur est quod nobis timeamus.* Vix ille haec verba finierat, subito consternitur, et auxilium eorum, qui aderant, implorans, miserandum in modum ac magno cum dolore et gemitu moritur. Hinc facile concipi potest, divinam potestatem divino homini communicatam esse. Accedit huc alterum exemplum priori haud dissimile. Willelmus, alius marchio, antedictam Misnensem ecclesiam iniuriose tractabat; cumque praepositus eiusdem ecclesiae hominem magnis precibus a malo instituto abducere vellet, ipse non solum recte monentibus parere noluit, sed etiam multo magis quam antea ipsam ecclesiam vexavit. Tum dictus praepositus, cum aliunde auxilium petere non posset, ad divum Bennonem confugit, ab eoque precatus est ut ecclesiam servaret; quo factum est ut beatus Benuo marchionem per quietem admonuerit ne quid gravius adversus ecclesiam moliretur: quod cum ille, ut inane somnium contemneret, quarto deinceps vehementer obiurgatus, alterum oculum amisit, periculo graviori proposito, nisi ab improbo instituto desisteret. Willelmus marchio, partim metu, partim poenitentia ductus, ecclesiae restituit omnia, illiusque facultates, quantum potuit, auxit, quin etiam divum Bennonen et plurimi fecit et maxime coluit. Illud vero praetereundum non est, duos esse pagos, in quorum altero, marchionem dum fugeret, se abdidit, in altero vero Vandalos a summa impietate ad fidem christianam convertit, in quibus vestigia pedum eius adhuc integra concernuntur; tum tugurium illud, in quo apud Vandalos fuit, etsi nulla stabiliori structura firmetur, tectumque habeat stramineum vetustate confectum, illud tamen nec unquam vitium fecit, nec igni est consumptum, cum tamen saepenumero vicinae aedes incendio flagrarunt. Habitus quoque episcopalis, quo corpus suum terrae commendatum extitit, una cum mitra episcopali, ultra ducentos annos sub terra latuit, et absque aliqua alteratione ex sepulcro effossus, hodie integer cernitur,

et ostenditur. Possent hic quamplurima alia miracula afferri. Multos enim divini Bennonis meritis e mortuis excitatos constat; multos variis morbis curatos; denique, qui votum fecerit, neminem illius beneficium non sensisse.

Carolus ergo V imperator et alii principes pro beati Bennonis canonizatione huic Pontifici supplicarunt.

§ 5. Propter quae carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum et Hispaniarum rex catholicus in imperatorem electus, et dilecti filii nostri Albertus S. Petri ad Vincula presbyter, et Matthaeus S. Angeli diaconus, sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ac venerabiles fratres nostri Riccardus Trevirensis et Hermanus Coloniensis, archiepiscopi, per eorum patentes literas, necnon dilecti filii nobiles viri Ferdinandus, archidux Austriae, ac Georgius et Henricus fratres germani, duces Saxoniae, lantgravii Thuringiae et marchiones Misnae, per venerabilem fratrem nostrum Ioannem episcopum Misnensem, nuncium et oratorem ad nos ab eis destinatum, et dilectum filium Willelmum de Enckfort electum Durtosensem, datarium et praelatum nostrum domesticum, eorum apud nos et Sedem Apostolicam etiam oratorem et negociorum gestorem, humiliter supplicari fecerunt ut, praemissis diligenter inquisitis et exploratis, ad beati viri canonizationem procedere dignaremur.

Qui, post inquisitionem et processum desuper ab Alexandro VI, Iulio II et Leone X habitos, re mature discussa, servatis servandis, ad sancti Bennonis canonizationem devenit di[illegible] ut [illegible];

§ 6. Quorum quidem precibus licet libenter annuere vellemus, summopereque gauderemus huiusmodi canonizationem nostris temporibus, divino quodam mysterio, contigisse; ac nobis iustum videretur ut idem beatus Benno, quem iam Deus in coelesti gloria sanctorum choro dignum fecisse plurimis et manifestis indiciis et miraculis ostenderat, in terris etiam sibi debito sanctorum honore non defraudaretur, non statim rem tanti ponderis ac momenti faciendam, sed, iuxta veterem et laudabilem consuetudinem, cunctanter matureque considerandam duximus. Post triplicem igitur inquisitionem ex recolendae memoriae Alexandri sexti primo, et deinde Iulii secundi, et successive Leonis decimi, praedecessorum etiam nostrorum, commissionibus super hoc debite factam, tandem idem Leo decimus tribus etiam Romanae Ecclesiae cardinalibus, ex tribus illorum ordinibus, videlicet venerabilibus fratribus nostris Bernardo, Ostiensi, Sanctae Crucis in Hierusalem, et Antonio, Albanensi, episcopis, tunc tituli S. Vitalis presbytero, ac Ioannis Ss. Cosmae et Damiani diacono, cardinalium, de fratrum suorum, de quorum numero, licet absentes, tunc eramus, consilio et assensu, commisit ut ipsi, visis et examinatis processibus editis super eiusdem beati viri vita, moribus, fama et miraculis, ante et post ipsius decessum, eius intercessionibus a Deo factis, aliisque cunctis ad sanctorum canonizationem huiusmodi necessariis, se super omnibus et singulis diligenter informarent, et per eos comperta, in suo secreto consistorio, ut moris erat, fideliter referrent. Cumque ipsi cardinales, visis et examinatis diversis processibus in partibus Germaniae de Sedis praedictae commissione habitis, et ad Curiam nostram transmissis, testiumque fide dignorum depositionibus, pro tanta rei dignitate, debite ponderatis, de supradictis miraculis ac vitae sanctimonia et aliis a iure requisitis fidelem nobis relationem, in pluribus etiam secretis consistoriis, fecissent; nosque ipsorum et omnium cardinalium vota pro celebranda dicta canonizatione convenientia et conformia invenissemus, et pro celebriori executione, dilectus filius Ioannes Baptista de Senis, utriusque iuris doctor et aulae nostrae consistorialis advocatus, in publico consistorio, omnia de ipsius beati viri vita,

moribus, fama et miraculis copiose percensuisset, nobisque humiliter supplicasset ut ad eiusdem beati viri canonizationem, matura deliberatione praehabita, procedere dignaremur; nos, de relatis coram nobis in pronis maximas omnipotenti Deo gratias agentes, rogavimus omnes in eodem publico consistorio tunc astantes ut suis orationibus et ieiuniis Ecclesiam Dei iuvarent, ac ne eam Altissimus modo aliquo in huiusmodi canonizationis officio errare permitteret instanter orarent; demum, post aliquot dies, convocatis denuo in aula nostra consistoriali in Palatio Apostolico universis et singulis, qui tunc aderant in Romana nostra Curia, ecclesiasticis praelatis, patriarchis videlicet, archiepiscopis et episcopis, in praesentia eorumdem fratrum nostrorum dictae Romanae Ecclesiae cardinalium, eosdem processus, super eiusdem beati vita, moribus, fama et miraculis editos, per eumdem Ioannem Baptistam breviter summarieque repeti fecimus: quae cum ex serie per cardinales ac alios, quibus id munus per nos iniunctum fuerat, enarrata et exposita fuissent, omnesque astantes praelati quid sibi super huiusmodi canonizationis negotio videretur interrogati, unanimi consensu, nullo penitus discrepante, respondissent sibi videri quod idem beatus vir inter sanctos merito adscriberetur et connumeraretur, nos iterum humiles ipsi omnipotenti Deo, quod, ad beatum servum suum debitis honoribus prosequendum, corda nostra illuminare dignatus esset, gratias agentes, ad ipsius canonizationem diem dominicam primam post Pentecostem, quae tunc occurrebat ultima die mensis maii anno Domini MDXXIII, deputavimus; ac in basilica Principis apostolorum de Urbe, amplum suggestum ligneum de more parari et exornari iussimus, super quo quidem, astante universo clero et populo, de vita, miraculis et fama eiusdem beati Bennonis humili devotioneque pleno (ut moris est) sermone habito, deindeque Litania et hymno, *Veni Creator Spiritus*, per omnia devote decantatis, necnon a procuratoribus causae ipsius canonizationis et ab eiusdem Caroli, in imperatorem electi, apud Sedem praedictam constituto oratore a nobis magna cum instantia petito pronunciari adscribi inter sanctos eumdem beatum Bennonem, cum iam omnia consummata essent, omnesque Ecclesiae caeremonias consuetas super ea re rite servavissemus, Deum prae oculis habentes, ad canonizationem eiusdem beati sub his verbis procedendum duximus et processimus.

Ipsumque catalogo sanctorum confes. adscripsit et festum eius die 16 iunii agi iubet;

§ 7. Ad laudem et honorem sanctae et individuae Trinitatis, et exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi ac beatorum Petri et Pauli apostolorum et nostra, de fratrum nostrorum consilio, decernimus et definimus bonae memoriae Bennonem, olim episcopum Misnensem, sanctum esse, et in sanctorum catalogo adscribendum, ipsumque in eodem sanctorum confessorum catalogo describimus. Statuentes ut ab universali Ecclesia quolibet anno festum ipsius et officium, sicut pro uno confessore pontifice, sextadecima die mensis iunii, hoc est die depositionis suae, devote et solemniter celebretur.

Indulgentiasque ea die annis singulis ad eius sepulcrum accedentibus elargitur;

§ 8. Et insuper eadem auctoritate omnibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis ad sepulcrum eiusdem S. Bennonis eadem die accesserint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus.

Missam deinde celebrat cum oratione et collectis sancti Bennonis, et indulgentiam impartitur;

§ 9. Quibus debite peractis, inchoatoque per nos ac decantato usque ad finem a cantoribus nostris hymno, *Te Deum laudamus*, in illius etiam finem, cardinali diacono in cantu dicente: *Ora pro*

nobis, beate Benno, a choroque responso, *Ut digni efficiamur promissionibus Christi,* nos illico propriam orationem de eodem Sancto alta voce decantavimus dicentes: *Deus, qui nos beati Bennonis pontificis confessione gloriosa circumdas et protegis, da nobis et eius imitatione proficere, et intercessione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.* Deinde vero a dicto choro responsum *Amen;* solemnem illic missam nos ipsi celebravimus de dicta tunc occurrente dominica prima post Pentecosten, collectas singulas sub una conclusione terminantes, additis etiam praedicta ceterisque specialibus eiusdem S. Bennonis collectis immediate sequentibus. Pro secreta videlicet: *Sanctus tuus, quaesumus, Domine, Benno confessor et pontifex nos ubique laetificet ut, dum eius recolimus merita gloriosa, apud te semper patrocinia sentiamus.* Cum sua conclusione videlicet, *Per Christum* etc. Deinde vero post communionem subiunximus dicentes: *Quaesumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis ut sancti tui Bennonis confessoris et pontificis, cuius solemnia celebramus, etiam intercessione adiuvemur,* cum simili conclusione. Et ita missam ipsam ad finem usque cum solitis caeremoniis, iuxta ordinarium apostolicum, illic debite terminavimus, indulgentiamque plenariam omnibus officio huiusmodi tunc astantibus devote elargiti sumus.

Has literas desuper edit;

§ 10. Praesentes literas in praemissorum testimonium concedentes ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, qui in sanctis suis mirabilis est, ac gloriosus vivit et regnat benedictus in saecula saeculorum.

Earumque transumptis credi iubet;

§ 11. Ceterum, quia difficile foret *etc.* Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimotertio, pridie kalendas iunii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 31 maii 1523, pontif. anno I.

VI.

Contra christianam fidem susceptam abnegantes, sacramentis abutentes, sortilegiisque et maleficiis alios laedentes, ab inquisitoribus haereticae pravitatis graviter puniendos [1].

Hadrianus episcopus servus servorum Dei, inquisitori Comensi. — Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Inquisitores Cremonae procedebant contra maleficos et obedientiam diabolo praestantes.

§ 1. Dudum, uti nobis exponi fecisti, per felicis recordationis Iulium Papam II, praedecessorem nostrum, non sine magna tunc animi sui displicentia accepto quod, per quemdam Georgium de Casali, Ordinis fratrum Praedicatorum professorem et in civitate Cremonensi haereticae pravitatis inquisitorem deputatum, in nonnullis Lombardiae partibus et praesertim in locis, in quibus dictus Georgius inquisitor deputatus erat, repertae fuerunt quamplures utriusque sexus personae, propriae salutis immemores et a fide catholica deviantes, certam sectam facientes, fidem, quam in sacri susceptione baptismi susceperant, abnegantes, sanctam crucem pedibus conculcantes, et obbrobria super eam perpetrantes, ecclesiasticis et praesertim Eucharistiae sacramentis abutentes, diabolum in suum dominum et patronum assumentes, eique obedientiam et reverentiam exhibentes, et suis incantationibus, carminibus, sortilegiis aliisque nefandis superstitionibus iumenta et fructus terrae multipliciter lae-

1 Adversus maleficos et sortilegos vide quae dixi in constitutione I Innocentii VIII, *Summis*, tom. V, pag. 296.

dentes, aliaque quamplurima nefanda excessus et crimina, eodem diabolo instigante, committentes et perpetrantes, in animarum suarum periculum, divinae Maiestatis offensam perniciosumque exemplum et scandalum plurimorum.

Aliqui se illis opponebant.

§ 2. Contra quas cum dictus Georgius tunc, ut asserebat, in dictis locis suae inquisitioni deputatis, prout ipsius Georgii incumbebat officio, ipse Georgius processisset, nonnulli autem, tam clerici quam laici illarum partium, quaerentes plus sapere quam oportet, praemissa delicta ad eiusdem Georgii inquisitionis officium non pertinere temere asserentes et praesumentes, in populo errores et scandala seminaverunt, sicque eumdem Georgium in populo odiosum reddere, et dicti Georgii officium impedire conati fuerunt, prout etiam tunc impediebant; ita quod, propter praemissa, personae praedictae ad delicta huiusmodi perpetranda quotidie inducebantur, in non modicum fidei obbrobrium, animarum periculum et scandalum plurimorum.

Iulius ergo II inquisitorem procedere contra eos iussit.

§ 3. Dictus praedecessor volens (ne inquisitionis officii executio quomodolibet retardaretur, et labes haereticae pravitatis longe venena diffunderet) providere, dicto Georgio per quasdam suas in forma brevis literas commisit et mandavit quatenus in locis eiusdem Georgii inquisitioni deputatis de excessibus huiusmodi cognoscere, et contra quascumque personas, cuiuscumque conditionis et praeeminentiae forent, inquisitionis officium exercere et exequi; ipsasque personas, quas in praemissis culpabiles reperiret, una cum locorum ordinariorum vicariis, quatenus voluissent interesse, iuxta dictarum personarum demerita, corrigere et punire deberet, secundum modum contra alios haereticos a iure et sacris canonibus statutum, contradictores quoscumque per censuram ecclesiasticam et alia iuris opportuna remedia compescendo. Eos vero qui in praemissis consilium, auxilium vel favorem praestarent, praefatus praedecessor noster eisdem indulgentiis uti et gaudere decrevit, quibus crucesignati contra alios haereticos, ex indulto apostolico eis concesso, tunc gaudebant et utebantur, prout in dictis literis plenius contineri dicitur.

Hic modo Pontifex, iusta de causa et delata ab inquisitore Comensi,

§ 4. Et sicut eadem expositio subiungebat, non solum delicta et crimina huiusmodi contra fidem catholicam et christianam religionem sub iurisdictione inquisitionis Cremonensis committuntur et perpetrantur, sed omnibus aliis locis et dioecesibus, sub iurisdictione aliorum inquisitorum dicti Ordinis congregationis Lombardiae, in dies perpetrantur et committuntur. Et cum eadem sint delicta, eadem profecto provisione et castigatione eis est earumdem literarum tenore providendum. Quare tu, sicut asseris, in civitate Comensi, ubi dictae pravitatis inquisitor existis, tam tuo quam omnium aliorum dictorum Ordinis et congregationis haereticae pravitatis inquisitorum ubilibet consistentium et deputatorum nominibus, fecisti nobis humiliter supplicari ut literas praedictas ad vos extendere et ampliare, aliasque desuper opportune dignaremur providere.

Hoc idem omnibus inquisitoribus mandat.

§ 5. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, literas praedictas, cum omnibus in eis contentis clausulis, in omnibus et per omnia, prout in eisdem literis continetur, ad te et alios Ordinis et congregationis huiusmodi inquisitores, tam in praesentiarum deputatos, quam in futurum perpetuis futuris temporibus deputandos, ac si tibi et cuilibet inquisitorum dirigerentur et directae fuissent, apostolica auctoritate, tenore praesentium extendimus, ipsasque literas tibi et illis, ut praemittitur, eisdem auctoritate et tenore concedimus.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus illis, quae idem Iulius praedecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 7. Et quia difficile foret *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx iulii MDXXIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 iulii 1523, pontif. anno I.

CLEMENS VII

PAPA CCXXI

Anno Domini MDXXIII.

Die XIX novembris, anno MDXXIII, universalis Ecclesiae clavo praeficitur Iulius cardinalis Medices, archiepiscopus Florentinus et sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarius, appellaturque Clemens VII. Pontificiam tiaram induit die XXVI mensis eiusdem. Fuit temporibus Caroli V imperatoris et Ferdinandi II regis Romanorum, et XIII promotionibus XXXIV creavit cardinales. Vixit in pontificatu annos X, menses X, dies VII. Obiit die XXV septembris MDXXXIV, et sepultus est in basilica Vaticana, unde, sub Paulo III, corpus eius translatum est ad Sanctam Mariam supra Minervam. Vacavit Sedes dies septemdecim [1].

I.

Canonizatio sancti Antonini, archiepiscopi Florentini, professoris Ordinis fratrum Praedicatorum Sancti Dominici, cum institutione suae festivitatis pro die II mensis maii, ex constitutione Hadriani VI [2].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Rationi congruit, et convenit aequitati, ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt, licet, eius superveniente obitu, literae apostolicae super illis confectae non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

Magna et mirabilia Deus pro humani generis salute operari dignatus est;

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Hadrianus Papa VI, praedecessor noster, pie praemeditans singulos, praesertim aqua regenerationis renatos populos, Propheta docente, misericordias Domini in aeternum cantare decere, magnaque profecto et mirabilia esse opera misericordiae, quibus Salvator noster Iesus Christus in salutem generis humani miserationis huius largissime sese effundere dignatus fuerat, quae, si ab initio creati hominis recensenda forent, nullae humanae linguae ad id sufficere poterant, quia inenarrabile illud erat, quod, cum Deus ipse hominem creasset ad imaginem et similitudinem suam, illi, ut felicitatis aeternae particeps fieri, et in coelesti patria illa consortiis angelorum adscribi posset, benigne concesserat, si datae sibi divinitus legis non contempsisset imperium; neque tamen ipsum, legis huiusmodi trasgressorem factum, passa erat divina clementia penitus interire, quinimmo congruentes exhibere medicinas dignata extiterat, quibus a lege Domini aberrans in certam salutis semitam perduceretur, angelos destinando, qui ei divinam patefacerent voluntatem, ipsumque iusta suaderent et ad implendum divina mandata opportune adiuvarent.

Angelos primum destinavit;

§ 2. Mittendo etiam patriarchas gratiae suae spiritu repletos, qui exemplo sui totum humanum genus instruerent ad salutem.

Patriarchas postea misit,

§ 3. Necnon prophetas qui, Spiritu Sancto illuminati, omnibus non praesentia solum beneficia commemorarent, sed futura etiam praedicerent.

Prophetas etiam,

§ 4. Illud vero erat maximum, et cui nullum aliud miserationis opus comparari poterat, quod ipse Dei Filius in per-

Filium deinde proprium.

[1] Exclusis extremis. [2] Bullam hanc multis expurgavimus mendis, adhibito *Bullario Dominicano* P. Ripoll nec non Raynaldo in *Continuat. Baronii* (R. T.).

sona sua, naturam nostrae mortalitatis assumere, ac ea mysteria, quae de passione et morte sua per sanctorum prophetarum ora praedicata et annunciata fuerant, adimplere, ac per passionem et mortem suam huiusmodi, nos a perpetua morte liberare dignatus fuerat.

§ 5. Cumque praedecessor ipse, tot gratiis et beneficiis invitatus ac provocatus, nihil studiosius curare ac efficere, quam Eius voluntati ac mandatis parere atque obedire deberet; ipsisque in illis qui sibi, propter vitae integritatem ac sanctimoniam, dilecti fuerant, et per quos diversa et magna miracula ostendebat, sanctissimum nomen suum glorificari, ipsosque catalogo sanctorum adscribi, et ab universali Ecclesia claris honorum ac laudum praeconiis honorari mandaret; sicut etiam ipsa sancta Mater, Christi Salvatoris nostri huiusmodi sponsa, praedecessorem ipsum docebat, ut fidelium animas superna ac caelesti beatitudine fruentes debita reverentia prosequeretur, quos, dum in humanis adhuc agerent, ipsi Deo acceptos, post autem ab hoc saeculo migrationem, in beatorum numero collocatos et aggregatos esse intelligebat, dum fidelibus aliquo calamitatis genere oppressis, ac eorum suffragia implorantibus, divina omnipotentia in eorumdem coelestis beatitudinis testimonium, miraculose subvenire dignabatur; superna quoque patria illa Ierusalem ita omnium electorum salvatione laetabatur, ut quorum prestantiora erant merita, pro illorum uberioribus praemiis, copiosiora etiam gaudia percipiebat, quod in excessu mentis suae positus Isaias propheta sensisse videbatur, cum diceret: *Exulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus.*

Leo igitur, agnoscens ipsius Dei nomen glorificari, dum eius sancti venerantur in terris,

§ 6. Praedecessor igitur ipse dicendum putavit: Exultent omnes angelorum chori, qui, de evacuatarum sedium repletione soliciti, humiles corde ac bonis et sanctis operibus praecellentes, per virtutum gradus, in beatas illas mansiones, unde superbi corruerant spiritus, perducere gaudent. Exultent quoque animae iustorum, qui, Christi vestigia sequuti, vitae huius stipendiis emeriti, ac mundi illecebris omnibus superatis, coelesti regno tandem perfrui meruerunt, et etiam tunc numerosiore coelestium civium populo laetarentur. Exultet universum coelum laudibus, resultet terra gaudiis, cum sanctorum editio laetitiam habeat plurimorum. Siquidem fidei zelus exigebat, ac iustitiae pietas postulabat ut quod pro salute plurimorum gerebatur, communibus ubique gaudiis et plausibus celebraretur. Praecipue vero praedecessor ipse etiam putavit exultare debere pontificum beatorum coetum et sacram illam doctorum concionem, inter quos sanctus Antoninus, postquam ex hac lacrymarum valle ad coelestem illam, quae sursum est Ierusalem (vocante ipsum Domino) migraverat, tamquam novum sydus gloriose micabat et fulgebat. Cumque eiusdem Antonini, archiepiscopi Florentini, ex civitate Florentiae oriundi, Ordinis Praedicatorum, vitae excellentia, casti mores, fructuosa praedicatio ac sanctissimorum operum perpetua coruscatio toti fere orbi nota esset, et ab omnibus praedicaretur, nos, tunc in minoribus constituti et tituli Sancti Laurentii in Damaso, tunc Sanctae Mariae in Dominica, diaconus, qui, ex concessione apostolica, ecclesiae Florentinae praeesse dignoscebamur, et dilectus filius noster, tunc ipsius praedecessoris, Thomas tituli Sancti Sixti, tunc Ordinis Praedicatorum generalis magister, presbyter, cardinales, ac tunc priores libertatis et vexillifer iustitiae populi Florentini, necnon archidiaconus et dilecti filii capitulum

Ideo S. Antoninum catalogo Ss. ascribere cogitavit, sicut apud eum pro canonizat. instatum fuerat.

ecclesiae Florentinae, considerantes ipsius Antonini archiepiscopi vitae sanctimoniam quotve et quibus miraculis, tam in vita quam post mortem, claruerat et in dies clarebat; desiderantesque ipsum, iuxta morem et ritum sanctae Romanae Ecclesiae, canonizationis dignitate praefulgere, ac sanctorum numero et catalogo aggregari, piae memoriae Leoni Papae X, secundum carnem fratri patrueli, etiam praedecessori nostro in dicta ecclesia Florentina tunc existenti, missa pontificali et aliis peractis solemniis, humiliter supplicarunt ut gloriosae memoriae dicti Antonini archiepiscopi canonizationi intendere dignaretur.

Idem processum desuper fieri committit.

§ 7. Idem Leo praedecessor, eorum pio desiderio annuere volens, dilectis filiis magistris Iacobo Symonetae et Guillelmo Cassadoro, nostris, tunc ipsius Leonis praedecessoris, cappellanis, et causarum Palatii Apostolici auditoribus commiserat ut ipsi et quilibet eorum de sanctitate vitae ceterisque virtutibus et miraculis eiusdem Antonini archiepiscopi se diligenter informarent; et habita super his informatione matura, ipsi Leoni praedecessori in consistorio suo secreto fideliter referrent, ut de fratrum suorum consilio, ad omnipotentis Dei laudem, efficere posset quae sanctorum patrum dogmata et sanctorum canonum institutiones, necnon iustitia et christiana caritas postularet atque requireret. Cumque auditores praefati, ad inquisitionem praemissorum procedentes, articulis et interrogatoriis datis, ac citatione legitima praecedente, sexaginta duos testes coram eis productos recepissent, eosque, praevio iuramento, examinassent, idem Leo praedecessor ex dicta civitate Florentiae ad almam Urbem et Romanam Curiam redire proposuisset, dilectos filios Ioannem Mariam abbatem monasterii Vallis Umbrosae, Fesulanae dioecesis, et Antonium Sacramorum, canonicum dictae ecclesiae Florentinae, ac Leonardum de Guasconibus, tunc vicarium episcopi Fesulani in spiritualibus generalem, dictorum auditorum loco, in causa canonizationis huiusmodi subrogaverat, eisque commiserat et mandaverat ut ipsi, vel duo aut unus eorum, ad ulteriorem praemissorum inquisitionem procederent, ac testes reciperent, eorumque attestationes ac depositiones et omnia alia acta in scriptis fideliter redacta, sub eorum sigillo clausa, ad ipsum Leonem praedecessorem remitterent.

Et commissarii processum absolverunt et Leoni transmiserunt.

§ 8. Ipsique subrogati in causa inquisitionis huiusmodi ad ulteriora procedentes, quadragintaocto testibus coram eis productis, iuratis et examinatis, ac processu desuper formato et absoluto, illum, sub eorum sigillis clausum, ad eumdem Leonem praedecessorem remiserant; et successive nonnullis aliis testibus, tam per praefatum vicarium quam nonnullos alios notarios, ad procuratoris fidelis civitatis Florentiae instantiam, examinatis, et eorum attestationibus, etiam sub sigillo clausis, ad eosdem auditores remissis, et de eorum mandato per notarium causae in registro insertis, praefatus Iacobus, praesente eodem Guillelmo, die nona mensis decembris anni millesimi quingentesimi sextidecimi, omnia et singula in huiusmodi canonizationis causa, tam coram eis, quam dictis subrogatis et notariis acta, deducta et probata, plene, fideliter et diligenter eidem Leoni praedecessori et sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus in consistorio suo secreto retulerat.

Leo praedictus eosdem processus cardinalibus iterum examinandos dedit.

§ 9. Qua relatione facta, idem Leo praedecessor eam volens adhibere diligentiam et gravitatem, quam rei magnitudo postulabat, processus in ipsius canonizationis negotio factos venerabili fratri nostro, tunc

suo, Bernardino Ostiensi, tunc Sabinensi, episcopo, et tunc in humanis agentibus bonae memoriae Leonardo tituli S. Petri ad Vincula presbytero, et Bernardo S. Mariae in Porticu diacono, cardinalibus, per eos denuo diligenter examinandos, in dicto consistorio secreto, vivae vocis oraculo commiserat. Cumque idem Leo praedecessor praefatum Bernardinum cardinalem ad carissimum in Christo filium nostrum, tunc suum, Franciscum Francorum regem christianissimum legatum a latere suo destinasset, in eius locum dilectum filium nostrum, tunc suum, Innocentium S. Mariae in Dominica diaconum cardinalem subrogaverat.

Et successive eorum veritas in consistorio P. p. e relata fuit

§ 10. Ipsique Bernardinus ac Leonardus et Innocentius cardinales, in causa canonizationis huiusmodi rite procedentes, ac dicto processu una cum auditoribus et abbate praefatis, necnon dilecto filio Melchiorre Baldastino, iuris utriusque doctore, nostrae, tunc ipsius Leonis praedecessoris, aulae consistorialis advocato, iteratis vicibus diligenter examinato, et causa huiusmodi mature discussa, primo per Bernardinum episcopum die tertiadecima iunii anni millesimi quingentesimi deciminoni, in uno multis et magnis in vita, deinde in alio consistorio secretis, per Leonardum cardinalem praefatum, post mortem ipsius Antonini archiepiscopi miraculis fideliter relatis, eodem Innocentio cardinale praesente et relationem per ipsos factam comprobante. Etsi, ex eorumdem cardinalium relationibus, de vitae sanctimonia et humilitate aliisque virtutibus et miraculis eiusdem Antonini archiepiscopi plenissime constaret, quamplurimis tamen fide dignis testibus se offerentibus, ac super eisdem miraculis deponere volentibus.

§ 11. Idem Leo praedecessor, die vigesimaquinta mensis ianuarii anni millesimi quingentesimi vigesimi, eisdem Iacobo et Guillelmo auditoribus etiam commiserat et mandaverat ut, per se vel alium seu alios, tam in dicta Urbe, quam extra eam et ad partes, ad aliorum testium receptionem et illorum examinationem procederent, et deinde in dicto consistorio secreto referrent; ipsique Iacobus et Guillelmus auditores dilectos filios venerabilium fratrum nostrorum, tunc ipsius Leonis praedecessoris, archiepiscopi Senensis et Pistoriensis, ac eiusdem Fesulani episcoporum vicarios in spiritualibus generales, ac praefatum Antonium Sacramorum canonicum, iuxta tenorem commissionis eis factae, subdelegaverant, eisque et eorum cuilibet mandaverant ut super miraculis in vita et post mortem per ipsum Antoninum archiepiscopum factis testes reciperent, et, praevio iuramento, diligenter examinarent, eorumque dicta et attestationes in scriptis redigerent, et cuncta sub eorum sigillis clausa ad eos remitterent. Cuius commissionis vigore dilectus filius Ludovicus de Adimaris, praefati episcopi Fesulani vicarius in spiritualibus generalis, in causa canonizationis huiusmodi rite procedens, super eisdem miraculis centum quinquaginta et uno testibus coram eo, adhibito fidei procuratore huiusmodi, deductis, iuratis et fideliter examinatis, eorumque dictis in scriptis redactis, processum per eum absolutum et suo sigillo clausum ad eosdem Iacobum et Guillelmum auditores per proprium nuncium remiserat.

Idem tamen Leo alios testes desuper recipi et examinari iussit;

§ 12. Ipsoque processu per eosdem auditores recepto et aperto ac diligenter examinato, et facta per eos super illum in secreto consistorio fideli relatione, idem Leo praedecessor ipsius ultimi processus examen commiserat eisdem Bernardino episcopo et Innocentio cardinali, ac dilecto filio nostro, tunc ipsius Leonis prae-

Visoque processu, auditores Rotae illum de novo in consistorio retulerunt, et Leo e- bis praelatis revisionem ultimi processus commisit, cuius relatione habita, sanctum

Antoninum canonizandum esse censuit de voto . cardinalium.

decessoris, Achilli, tituli Sanctae Mariae Transtiberim presbytero cardinali, quem ipse Leo praedecessor loco eiusdem Leonardi cardinalis, vita functi, in huiusmodi causa subrogaverat; ipsique, omnibus processibus per eosdem Bernardinum et Achillem ac Innocentium cardinales de novo diligenter examinatis, facta per eos plena et fideli relatione, ac scrutatis eorumdem cardinalium votis, in eamdem sententiam convenerunt, et Antoninum archiepiscopum ipsum canonizandum censuerunt. Deinde alio tempore, videlicet die quartadecima mensis decembris anni millesimi quingentesimi vigesimi, scrutatis votis omnium et singulorum cardinalium, qui numero trigintaseptem tunc in secreto consistorio aderant, una et eadem omnium sententia fuerat, ipsum videlicet Antoninum archiepiscopum canonizandum fore.

Et publicum consistor. pro absolvenda canonizatione indixit.

§ 13. Quibus peractis, idem Leo praedecessor, in vigilia Pentecostes anni millesimi quingentesimi vigesimi primi, publicum consistorium pro sexta feria post festum ipsius Pentecostes indixerat et teneri mandaverat, in quo idem Melchior publicam orationem de vita, sanctitate, moribus ac virtutibus ipsius Antonini archiepiscopi, necnon miraculis in vita et post mortem factis, et in processibus huiusmodi contentis atque probatis, ut ea in secretis consistoriis relata praelatis Curiae ac curialibus omnibus innotescerent, habiturus erat.

Sed morte praeventus fuit.

§ 14. Sed, cum ante dictam sextam feriam febre correptus fuisset, consistorium illud praefata sexta feria teneri non potuerat. Deinde impedimentis, ac postremo obitu eiusdem Leonis praedecessoris supervenientibus, in canonizationis huiusmodi negotio ulterius processum non fuerat.

Hadrianus VI, ad pontificatum assumptus, peste in Urbe saeviente, canonizationis absolutionem distulit;

§ 15. Idem Hadrianus praedecessor qui, post ipsius Leonis praedecessoris obitum, divina favente clementia, ad summi apostolatus apicem assumptus fuerat, cum ad dictam Urbem, Domino concedente, pervenisset, et a nobis, tunc in minoribus constitutis, ut praefertur, ac Thoma card. S. Sixti praefato, ac venerabile fratre nostro, tunc ipsius Hadriani praedecessoris, Nicolao episcopo cardinali de Flisco, dicti Ordinis Praedicatorum protectore, ac eisdem prioribus libertatis et vexillifero iustitiae populi Florentini requisitus fuisset ut ad ulteriorem eiusdem canonizationis expeditionem procedere dignaretur, etsi omnino ipse Hadrianus praedecessor id facere intenderet, peste tamen in dicta urbe tunc ultra modum saeviente, idipsum aliquantulum differre coactus fuerat.

Ea postea cessante, S. Antoninum canonizandum esse dixit;

§ 16. Postmodum vero, cum pestis ipsa per Dei misericordiam cessasset, ipse Hadrianus praedecessor, christiani gregis universalem curam gerens, pro debito pastoralis officii, militantem Ecclesiam coelesti ac triumphanti sponso illius conformare, et pro eius aedificationis implemento omnibus diligenter examinatis ac mature discussis, ipsum beatum Antoninum in catalogo sanctorum referendum esse duxit.

Et pauca ex multis eius miraculis recenseri iussit

§ 17. De cuius quidem Antonini archiepiscopi origine, vita, moribus et fama, omissis in praesentiarum miraculis prae multitudine illorum, quae libello quodam impresso, ex ipso canonizationis processu per causae procuratorem fideliter excerpta et per ipsum fideliter revisa atque collata, continentur, aliqua ex multis ipse Hadrianus praedecessor duxit recensenda.

Virginitatem infans vovit et conservavit;

§ 18. Antoninus igitur ipse beatus in civitate Florentiae, quae inter cunctas Italiae civitates, cum multis aliis virtutibus et dotibus urbes insignes et praeclaras facientibus, tum maximo pietate ac religione semper floruerat, e Nicolao et Thomasia, sub timore Domini pie et caste viventibus, tamquam ex bona arbore bo-

num fructum faciente, ortus et ab eis bene et pudice educatus, cum primum per aetatem Deum sibi cognoscere licuerat, eligens Ei soli servire, ac mundi pompis omnibus renuntiare velle, sese ipsi Deo in totum dicaverat, ac in oratorio horti Sancti Michaelis dictae civitatis ante imaginem Crucifixi humiles ac devotas preces porrexerat ut virginitatem, quam illi voverat, usque ad ultimum vitae spiritum illius dono et gratia conservare posset. Imitaturus enim Christum ipsum, quem, de Virgine natum, virginitatem perpetuo conservasse constat, et secreta Dei contemplaturus, nullum gratius donum petere atque impetrare potuisset. Virginitatem namque servanti, tantum dabatur propius arcana et coelestia contemplari, ac divinarum rerum veritatem cognoscere, quantum ea virtus secretior erat, et a terrenis sordibus omnique corporis contagione et foeditate longius abest. Deus, qui scrutator est cordium, sinceram pueri mentem purumque animum introspiciens, humilem ac sanctam eius orationem exaudiverat, eumque inter illos commendandum elegerat, quos in Apocalypsi praeviderat Ioannes sequentes Agnum quocumque iret, cantantes canticum novum ante thronum Dei, quod soli modulantur qui cum mulieribus non sunt coinquinati, et labem carnis atque immunditiam omnem execrati, amiciuntur stolis albis, et corona immortalis gloriae decorantur.

Ieiuniisque et studia frequentavit;

§ 19. Puer igitur ipse a Deo electus, crebris ieiuniis, continua ad Deum praemeditatione, frequentibus circa orationem et studia vigiliis, etiam illum modicum aetatis calorem extinguebat.

Religionem S. Dominici anno suae aetatis XIII ingredi petiit;

§ 20. Cumque tertiumdecimum attigisset annum, ut, humanis illecebris posthabitis atque contemptis, soli Deo eiusque mandatis servire, ac penitus vacare posset, Religionem Sancti Dominici, quae per ardua tendit, ingredi statuerat, et die quadam devotionis fervore accensus ad domum eiusdem Sancti Dominici de Fesulis, dicti Ordinis, pergens, a priore dictae domus habitum per fratres dicti Ordinis gestari solitum sibi exhiberi magna cum humilitate petierat. Prior ipse, quem pueri tenerior aetas et Religionis austeritas ad habitum illum ipsi negandum, eius vero fervor ac devotio ad exhibendum inducebat, secum ipse cogitando, quonam modo praematurum pueri desiderium differre posset, eum interrogaverat, quibus studiis vacaret; qui cum respondisset se decretorum lectioni operam dare, tunc prior, modum invenisse ratus, quo interponerentur anni donec maturior illi aetas accederet, dixerat non solere canonistis habitum dicti Ordinis exhiberi, nisi toto decretorum libro memoriae commendato.

Sed repulsus, ad domum paternam redit, et, anni spatio, integrum Decretorum librum memoriae mandavit;

§ 21. Quibus verbis fide adhibita, innocens simplexque ut columba puer, a priore discedens et domum paternam repetens, decretorum lectioni totis viribus incumbere ac vacare coeperat, adeoque sedula lectione ac assidua oratione profecerat, ut cum Sapiente merito dicere posset *Optavi et datus est mihi sensus*. Illuminatus enim ab eo, qui illuminat omnem sensum, et qui lux, via et veritas est, eiusdem anni spatio decretum integrum memoriae mandaverat, quod, propter sui magnitudinem, tam brevi temporis spatio a quoquam vix legi posset.

Postea habitum Religionis accepit,

§ 22. Quo peracto, laetus et alacer, quasi ad victoriae suae palmam accipiendam properans, Fesulas redierat, ac priori asserens se integrum decretorum librum mandasse memoriae, dictum habitum, illis, qui librum huiusmodi memoriae mandassent, dari solitum, magna instantia postulaverat. Prior, secum considerans quam essent mirabilia opera Dei, accitis patribus ipsius domus, factoque memoriae

periculo, illis rei miraculo stupentibus, ac inter se dicentibus *Quis putas puer iste erit?* de illorum unanimi consensu, eidem Antonino ipsum genibus flexis humiliter petenti, cum benedictione Domini exhibuerat.

In quo multum profecit, et reformavit;

§ 23. In quo per quadragintaquatuor annos tanta humilitate ac vitae sanctimonia perseveraverat, talentum sibi a Domino creditum, non sudario alligans aut terrae infodiens, sed, ut providus dispensator, in communem utilitatem convertens, ut, qui eius innocentiam et puritatem noverant, dicere soliti fuerant, sibi videri quod in eo Adam non peccasset; adeoque ipsius Religionis servator fuerat, ut omnium fratrum oculos in se, tamquam lucidissimum exemplar ac rectissimam normam, converteret; ipsique fratres eum, tunc aetate iuvenem, aliorum regimini praeposuerant, invitumque coegerant ut domorum dicti Ordinis Italiae gubernacula susciperet, ac officium generalis vicariatus congregationis Tusciae regularis observantiae exerceret. In quo ita se laudabiliter gesserat, ac tantam animi et corporis humilitatem ostenderat, non solum doctrina, paternisque monitionibus (ut officium illud praelationis exigebat) subditos regens atque instruens, sed corporali etiam servitio et proprio servili ministerio utens, ut verus Christi miles eiusque sanctorum operum imitator ab omnibus iudicaretur, et in eo dominicum istud verbum videretur impletum: *Qui maior est vestrum, sit ipse minister vester.* Nonnullas dicti Ordinis domos, in quibus regularis observantia relaxata fuerat, visitando, eas ad veram et sanctam regularem observantiam reduxerat.

Orationibus, vigiliis ieiuniisque et praedicationibus incumbebat.

§ 24. Et ut se omnibus exemplar praeberet, ultra continuos animi et corporis labores, ac praeter assiduas in orationibus studiisque vigilias, a carnium esu quasi semper abstinuerat. Cilicium nunquam dimiserat, ac ferreo super nudam carnem cingulo cinctus, nudam terram seu ligneas tabulas pro lecto habuerat, donec ad senectutis annos pervenerat, tunc enim strato ex paleis uti coeperat; ieiuniis aliisque corporis macerationibus supra tenues corpusculi vires continue poenitentiam agens, horas fere omnes diei ac noctis, ad arcana Dei contemplanda ac verbum eius evangelizandum et ea scribendam quae ad communem utilitatem et christianam religionem pertinent, sedulo ac iugiter impendebat; nec solum viva voce praedicando tunc viventibus, sed et posteris plurima librorum optimorum, tum in sacris literis, tum in naturalibus, tum maxime in moralibus scientiis monumenta utilissima relinquendo, prodesse studuerat.

Eugenius IV archiepiscopum Florentin. eum, quamvis reluctantem, creavit.

§ 25. Quarum tam grandium atque adeo insignium virtutum fama permotus piae memoriae Eugenius Papa quartus, etiam praedecessor noster, ecclesiae Florentinae, tunc pastore carenti, de persona eius praeter omnem spem, providerat, ipsumque illi praefecerat in archiepiscopum et pastorem. Quod cum sibi nunciatum fuisset, haudquaquam huiusmodi nuncio laetatus fuerat, sed, ut omni humilitate plenus, tale onus humeris suis impar iudicaverat, ac statim cogitare coeperat quo pacto posset illo absolvi ac liberari. Suis igitur et amicorum literis eidem Pontifici supplicare non destiterat ut se in minoribus inter confratres suos relinquere, ac dictae ecclesiae de persona alterius, qui tantae dignitati magis idoneus esset futurus, providere dignaretur. Cogitaverat autem Sardiniam petere, ac ibi tantisper delitescere, donec alius eidem ecclesiae praeficeretur; sed, ut dici consuevit, *Homo cogitat et proponit, Deus autem disponit.* Nam, quanto magis reluctabatur ne archiepiscopalis dignitatis onus sibi imponeretur, tanto magis operabatur Deus ne alius quam ipse archiepiscopus crearetur. Siquidem ipsi ecclesiae et civitati Florentinae pariter consulere

volens, tum ipsum Eugenium Papam, tum etiam Cosmum Medices, qui tunc temporis in ipsa civitate ingenio, opibus et auctoritate ceteris praestabat, ac inter egregias animi dotes atque virtutes religionem in primis colebat, inspiraverat ut hominem, partim precum blanditiis, partim censurarum timore, compellerent ad consentiendum provisioni de se factae. Qui, cum illam Dei voluntatem esse agnosceret, ne illi contumacius velle resistere videretur, obedientiae iugo collum submiserat, ac Pontificis mandatis et Cosmi precibus (uti par erat) paruerat et obtemperaverat; ac non solum ipsi ecclesiae, sed etiam universae civitati Florentinae illiusque populo et gregi sibi commisso ita utiliter praefuerat, ut inde omnes intelligerent ipsum divino potius, quam humano consilio ipsi ecclesiae, pro illius populi salute, in archiepiscopum praefectum fuisse.

Opera pietatis quae essive ipse exercuit in archiepiscopatu;

§ 26. Nam secum ipse reputans ad huiusmodi dignitates vocatos non luxui ac deliciis deditos esse oportere, sed omnibus, et praesertim subditis, frugalitatis ac virtutis exemplar esse debere, nihil prorsus de illo tenui ac simplici victu, quo per quadragintaquatuor annos in Religione usus fuerat, immutaverat; ipsamque paupertatem, quam, veluti sponsam charissimam semper dilexerat, constantissime retinuerat, etiam semper aliquid de necessariis usibus suis detrahens, ut largior erga pauperes ac liberalior esse posset. Octo familiaribus, inter quos unus erat religiosus, utens, qui pro archiepiscopatus negociis vix sufficere poterant, charitatis et misericordiae operibus semper intentus. Nam ut hospitale, quod pauperum verecundorum dicitur, in dicta civitate, in eoque confraternitas pro illius regimine institueretur, praefato Cosmo viro pientissimo plurimum adiuvante, auctor fuerat; solent enim ipsius confraternitatis confratres egestate oppressis seu mendicare erubescentibus uberes copiosasque eleemosynas elargiri. Et ut ipse beatus Antoninus omnia misericordiae opera praestaret, infirmos ac etiam peste laborantes visitabat, illisque non solum de spiritualibus, sed etiam de temporalibus cibis et medicinis opportunis providebat; illisque interdum sibi paratos cibos, cum aliter prandere non posset, inaudita charitate largiebatur; nudos etiam propria quandoque tunica, cum iam omnia erogasset, vestiebat. Cumque omnes mensae suae archiepiscopalis fructus, redditus atque proventus in pauperum alimoniam, virginum dotes atque hospitalium sustentationem aliosque pios usus erogasset, ac pro temporum angustiis esset pauperum copia, et nihil aliud superesset unde pauperibus ipsis et indigentibus subveniri posset, a praefato Eugenio et recolendae memoriae Nicolao quinto ac Callisto tertio et Pio secundo, Romanis Pontificibus similiter praedecessoribus nostris, quibus ob vitae sanctitatem carus erat, non parvas pecuniarum summas in huiusmodi pios usus convertendas recipiebat, easque pauperibus ipsis distribuebat. Denique nullum caritatis et misericordiae genus erga carceratos, viduas et pupillos omittebat, memor scilicet verbi Pauli apostoli dicentis: *Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* In administranda iustitia, nullus iudicum eo tempore illi comparari poterat, ita ut praefatus Nicolaus praedecessor appellationes, quas a suis sententiis ad Sedem Apostolicam deferri contingeret, nulli alteri committi, sed ad eum ipsum examinandas remitti mandabat, ratus hominem ab omni odio, amicitia, prece, precio aliisque omnibus, quae iudicantium animos in sententiis dictandis perturbare ac pervertere solent, penitus alienum esse. Causas omnes ad eum delatas concordia componere aut celeri sententia definire studebat. Cuius iudicio fere omnes prop-

terea acquiescebant, quia id ab ore sanctissimi viri, Deo sic inspirante, procedere existimarent. In corrigendis vitiis, emendandisque delictis ingenti utebatur severitate, ita tamen ut in eo misericordia cum iustitia coniuncta esse videretur. Fidei et ecclesiasticae libertatis defensorem se praebebat acerrimum, nec ullius minas formidabat. Cumque olim cives quidam Florentini insolentiores illi voluntatibus ipsorum se opponenti minati fuissent, ita responderat, ut ostenderet nihil sibi ex bonis terrestribus adimi posse, quo valde tristaretur, et se, ecclesia sua spoliatum, libenter ad Religionem et fratres suos rediturum fore, qui laeti ac libentes eum, variis curarum oneribus levatum, exciperent. Clerum reformaverat, ac populum correxerat, pravosque civitatis mores emendaverat, ludos omnes prohibitos atque damnatos substulerat, superfluos mulierum ornatus restrinxerat, ac fere omnium cordibus devotionem spiritualem infixerat, quandoque fraeno, quandoque vero calcaribus, pro animarum et temporum qualitate, utens, ut, semotis seditionibus, sub Dei timore et caritatis zelo viverent, et in sancta religione persisterent.

Tandem annum agens LXX in Domino obdormivit.

§ 27. Quibus animi virtutibus in dicto Ordine quadragintaquatuor, in archiepiscopatu vero tredecim annos continue, absque non solum culpa, sed etiam culpae suspicione usus, cum annum septuagesimum ageret, quod saepius praedixerat, susceptis de more summa cum devotione Ecclesiae sacramentis, bonis omnibus (si qua tunc illi remanserant) inter pauperes Christi distributis, cum lacrymis imagine Crucifixi amplexa, ac saepius iis repetitis verbis: *Servire Deo regnare est*, ac *Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio*, hilari atque laeto animo, coram suis caris religiosis fratribus orantibus et flentibus, sexto nonas maii anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi noni, ita immaculatam animam reddiderat Creatori, ut cum Apostolo dicere posset: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona iustitiae.*

Et miraculis postea claruit.

§ 28. Postridie praefatus Pius praedecessor, cum viri sanctitatem iampridem cognitam haberet, Florentiam ingressus, omnibus christifidelibus eius corpus, antequam sepulcro conderetur, visitantibus indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum concesserat. Ex quo tanta non solum ipsius civitatis, sed etiam circumvicinorum locorum multitudo confluxerat, ut eius corpus per octo dies sepulcro tradi non potuisset, omnibus id videre atque osculari volentibus, multisque infirmis eius intercessione sanitatem a Deo implorantibus, eamque miraculose consecutis; qui, licet ex sanctis operibus suis beatus et sanctus ab omnibus eius vitam intuentibus aut famam integerrimam audientibus certissime crederetur, eam tamen opinionem auxerat manifesta et oculata visio dominica cuidam Tuccio, monaco monasterii Cistelli Florentiae, Cisterciensis Ordinis, in civitate ipsa Florentiae, et Constantio de Fabriano, tam sanctitate vitae claro quam scientia et doctrina, in dicto Praedicatorum Ordine professori, in civitate Æsculana oblata. Quorum uterque eadem noctis hora, qua dictus beatus Antoninus ad Dominum transivit, eius animam ab angelis in coelum visibiliter portari viderunt. Eamdemque opinionem fidemque postea confirmabat magna et innumera miraculorum multitudo, quae omnipotens Deus, ipsius B. Antonini, inter coelestes beatorum choros recepti, meritis, tam dum in hac misera luce vixerat, quam vita functus, post mortem ipsam mundo manifestaverat. Siquidem, eius invocato nomine, daemoniaci a malis spiritibus liberati; diversorum morborum generibus oppressi

et a medicis omnino destituti, ac mortui et pro mortuis utique habiti revixerant, ac pristinae sanitati restituti, ac leprosi munda'i fuerant. Praeterea claudi incessum, surdi auditum, muti loquelam, contracti motum liberum, caeci lumen recuperaverant; ciusque sanctitatis non modicae ipsi Hadriano praedecessori et toti populo testimonium perhibere poterant verba, quibus, vivente adhuc ipso beato antistite Antonino, idem Nicolaus praedecessor in canonizatione sancti Bernardini de Senis per eum facta usus fuerat; asserendo non minus ad Dei laudem Antoninum vivum, quam Bernardinum mortuum inter sanctos referendum putare.

Idem Hadrianus VI de praedictis Deo gratias egit, et in triduum orationes et ieiunia indixit.

§ 29. Quibus et aliis multis, quae per eumdem Hadrianum praedecessorem recenseri poterant, iure ac merito praedecessor ipse Hadrianus ad ipsius beati Antonini venerationem inducebatur. Egitque omnipotenti Deo quantas potuit gratias, quod praedecessorem Hadrianum ipsum dignum reddiderat, per quem canonizatio ipsa celebraretur [1]. Cumque, praeter magna et multiplicia ipsius beati Antonini merita et mirabilia signa, per divinam potentiam ad eius intercessionem mortalibus ostensa, quae in libellum, ut praefertur, a diligenti et fideli procuratore causae, ex processu et testium dictis, redacta et impressa, adeo multa essent et probatissima et vera, ut per se Hadrianum praedecessorem huiusmodi ad canonizationem eamdem faciendam facile persuadere possent; sciretque ipse Hadrianus praedecessor nihil numquam fere ab omnibus regibus et principibus christianis, etiam a clarae memoriae Maximiliano in imperatorem electo tunc in humanis agente, uniore instantia a praefato Leone et ab eodem Hadriano praedecessoribus postulatum ac prope flagitatum fuisse, durum et quodammodo impium ipse Hadrianus praedecessor arbitratus fuerat, eos tam pio ac devoto desiderio suo diutius frustrari. Ne igitur ipse Hadrianus praedecessor tam praefatis principibus pie supplicantibus ac Spiritui Sancto resistere videretur, qui per os Prophetae laudare Deum in sanctis suis iubet, consistorium publicum habuerat, in quo, cum, pro ulteriori executione, praefatus Melchior advocatus omnia de ipsius beati viri vita, moribus et miraculis copiose percensuisset, ipsique Hadriano praedecessori pro parte eorumdem regum, ducum, principum ac plurimorum praelatorum, episcoporum, capitulorum ac Religionum humiliter supplicasset ut ad eiusdem canonizationem, matura deliberatione praehabita, procedere dignaretur, idem Hadrianus praedecessor, de relatis coram eo in primis humiliter Deo gratias agens, magna multitudine astante, in triduum orationes ieiuniaque indixit ut Deus omnipotens ipsi Hadriano praedecessori quod factu optimum in hac re foret ostendere dignaretur, nec pateretur militantem Ecclesiam suam errare, qui se triumphanti conformare consueverat.

Postea, convocatis in consistorio praelatis et processibus repetitis, fuit dictum quod canonizandus est S. Antoninus.

§ 30. Triduo deinde elapso, omnes, qui in Romana Curia erant, praelatos iussit in suo secreto consistorio convenire, qui, processibus super ipsius beati Antonini vita, moribus, fama et miraculis editis per ipsum Melchiorem advocatum breviter repetitis, ad unum interrogati quid super huiusmodi negocio faciendum censerent, in eamdem sententiam convenerunt, beatum videlicet Antoninum canonizandum esse.

Hadrianus ita, ceteris aliis ritu et recte peractis, S. Antoninum canonizavit, et sanctorum confessorum numero adiunxit;

§ 31. Ipse ergo Hadrianus praedecessor, Dei nutum et voluntatem sequens, attendensque iustum ac debitum esse ut quos Deus honorat in coelis, venerationis officio laudarentur et glorificarentur in terris, cum ipse potius laudetur et glorificetur in

1 Ripoll hic addit: *Cuius celebratio ideo forsan eidem Leoni praedecessori permissa non fuerat, ne ad eam, patriae potius affectione quam iusto devotionis zelo motus videretur, aut non cuncta recte inspicientibus iudicaretur* (R. T.).

illis, qui est laudabilis et gloriosus in saecula, diem illum canonizationis ipsius beati Antonini in medio basilicae Principis apostolorum de Urbe, quo maxima omnis generis ordinisque multitudo confluxerat, celebrandae statuerat, ubi, astante populo et universo clero, de vita et fama et miraculis eiusdem Antonini, humili devotioneque pleno sermone per eumdem Hadrianum praedecessorem, ut moris est, habito: deinde litania et hymno *Veni Creator Spiritus* devote cantatis, ac reliquis omnibus legitime peractis, praedictus Ordinis Praedicatorum in causa procurator in medio stans, dictumque illud beati Ioannis apostoli clara voce proponens, videlicet: *Tres sunt qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus*, probaverat ipsas beatae Trinitatis personas testimonium perhibere quod beatus Antoninus in coelis esset. Patrem videlicet in miraculorum potentia, Filium in doctrinæ sapientia, et Spiritum Sanctum in vitæ ipsius bonitate. Et propterea non solum nominibus omnium, qui antedictam canonizationem fieri supplicaverant, sed etiam ex parte ipsius sanctæ ac summæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, quatenus ipse Hadrianus prædecessor eumdem B. Antoninum sanctum pronunciare dignaretur postulaverat. Ea propter Hadrianus praedecessor huiusmodi, considerans quod in eadem canonizatione non permissurus esset Deus ipsum errare, qui omnia in ea quomodolibet requisita observata fuisse cognoverat et observari fecerat, prout observaverat, sub data videlicet pridie kalendas iunii, pontificatus sui anno primo, de eorumdem fratrum suorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium omniumque praelatorum in Romana Curia existentium unanimi consensu et maturo consilio, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisus, beatae memoriae Antoninum Florentinum, sacrae theologiae professorem, ex gremio sacri Ord. Praedicatorum et ex officio vicariatus generalis congregationis Thusciae regularis observantiae huiusmodi in archiepiscopum Florentinum assumptum, sanctum esse, et aliorum sanctorum Dei catalogo adscribendum et aggregandum fore, ac fideliter firmiterque teneri debere decrevit, ipsumque sanctorum confessorum et doctorum, quos sancta Dei veneratur Ecclesia, consortio solemniter adscripsit aggregavitque, ac eum tamquam sanctum publice privatimque colendum esse declaravit ac voluit.

§ 32. Statuitque et mandavit universis venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis dictorum, ac patriarchalium, metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum capitulis et quorumvis Ordinum, tam Mendicantium quam non Mendicantium, professoribus, nec non quibuscumque ecclesiasticis personis, ut festum ipsius sancti Antonini, secunda die mensis maii, qua die, nexu carnis soluta, eius anima preciosa coelos ascenderat, singulis annis solemniter et devote celebrarent, divinum officium, veluti pro uno confessore pontifice et doctore, tam publice quam privatim, prout contingeret, persolvendo. Dilectis vero filiis fratribus dicti Ordinis Praedicatorum huiusmodi officium, sub duplici festo et maiori, cum octavis, eo modo quo aliorum dicti Ordinis Praedicatorum sanctorum celebrare festa, tam in die quam in octavis consueverant, etiam in vacantiis feriarum hebdomadalium in provincia, iuxta consuetudinem Ordinis præfati, celebrandi concessit facultatem. *Festumque ipsius die secunda maii celebrari iussit;*

§ 33. Quibus debite peractis, inchoatoque per eumdem Hadrianum praedecessorem et decantato, ac ad finem usque a cantoribus prosecuto hymno *Te Deum lau-* *Decantato postea hymno Te Deum laudamus etc., orationem propriam de ipso S. Antonino*

vocitavit, et missam tunc currentem de Dominica Trinitatis celebravit.

damus; in illius etiam fine cardinali diacono in cantu dicente, *Ora pro nobis, B. Antonine;* a choroque responso, *Ut digni efficiamur promissionibus Christi*, ipse Hadrianus praedecessor illico propriam orationem de eodem sancto alta voce decantavit, quae talis est, videlicet, *Gregem tuum, quaesumus, Pastor aeterne, custodi, et quos, beati praesulis Antonini, a te virginitatis et pietatis speciali praerogativa datati, doctrina salutis illustras, eiusdem etiam semper tuere praesidiis. Per Dominum nostrum Iesum Christum* etc. Deinde vero a dicto choro responso *Amen*, solemnem illic missam idem Hadrianus prædecessor celebravit de dicta tunc currente dominica Trinitatis, collectas singulas sub una conclusione terminans, additis etiam praedicta ceterisque specialibus eiusdem sancti Antonini collectis immediate sequentibus. Pro secreta videlicet :

Secreta

§ 34. *Munera, quae in salutiferae passionis Filii tui memoriam sacrificantes offerimus, quaesumus ut, beato Antonino confessore tuo atque pontifice assistente, nobis ad salutem provenire concedas. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum* etc. Deinde vero post communionem subiunxit, dicens:

Oratio post communionem.

§ 35. *Quaesumus, Domine Deus noster, ut, coelesti et admirabili Sacramenta salutis nostrae refecti, beati antistitis Antonini confessoris tui auxiliis semper adiuti, et abstrahamur a noxiis et ad salutaria dirigamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum* etc., cum simili conclusione: et ita missam ipsam ad finem usque, cum solitis caeremoniis, iuxta ordinarium apostolicum, illic debite terminavit.

Indulgent. assistentib. officio et futurae S. Antonini traslationi concessit.

§ 36. Indulgentiamque plenariam omnibus officio huiusmodi tunc assistentibus devote concessit. Quam etiam plenariam indulgentiam similiter omnibus et singulis fidelibus, in die, qua contingeret translationem fieri sacri corporis eiusdem beatissimi Antonini, de loco ubi humiliter tunc iacebat in terra, in ecclesia S. Marci Florentina, Ordinis Praedicatorum, ad eminentiorem et honorabiliorem locum per fratres dictae ecclesiae, in eadem Sancti Marci ecclesia, ad honorem et laudem Dei et ipsius Sancti, convenientibus et manus adiutrices porrigentibus, tam pro se ipsis viventibus, quam pro defunctis et absentibus seu infirmis aut corporaliter accedere impeditis, mittentibus, pro ea consequenda, ad dictam ecclesiam eleemosynam a primis vesperis translationis ipsius et deinde per totam octavam eiusdem, pro una vice tantummodo duraturam, volens ut, ad effectum praedictae indulgentiae consequendae, tam prior domus ipsius ecclesiae S. Marci, quam alii duodecim fratres per eumdem ibidem confessores deputandi possent absolvere omnes confitentes ab omnibus casibus et censuris, a quibus de iure episcopi et dioecesani poterant, et vota similiter commutare. Ac etiam in loco sepulturae eiusdem sancti Antonini, in depositionis suae die, videlicet secunda maii huiusmodi, perpetuo duraturam, quadraginta annorum et totidem quadragenarum indulgentiam annuatim condonavit.

Hadrianus tamen obiit, literis non expeditis, quas hic modo Pontifex expediri mandat.

§ 37. Ne autem de canonizatione, decreto, adscriptione, aggregatione, declaratione, voluntate, statuto, mandato, concessionibus et condonatione praedictis, pro eo quod super illis ipsius Hadriani praedecessoris literae, eius superveniente obitu, confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, volumus, et praefata apostolica auctoritate decernimus quod canonizatio, quam tam communitatis dictae civitatis Florentinae quam nostris, qui eidem ecclesiæ Florentinæ præeramus, impensis, summo desiderio ac diligentia fieri procuravimus, ac decretum, adscriptio, aggregatio, declaratio, voluntas, statutum, mandatum,

concessiones et condonatio praedictae perinde a dicta die pridie kalendas iunii suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Hadriani praedecessoris literae, sub eiusdem diei data confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes literae ad probandum plene canonizationem, decretum, adscriptionem, aggregationem, declarationem, voluntatem, statutum, mandatum, concessiones et condonationem Hadriani praedecessoris huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Easque solemniter publicari iubet; § 38. Nos enim omnes et singulos in dignitate constitutos, in virtute sanctae obedientiae, requirimus et monemus quatenus universis clericis et populis suarum civitatum et dioecesum et parochialium, praesentes nostras literas solemniter publicantes, eosdem hortentur ut Deus ipse, a quo bona cuncta procedunt, ipsius sancti doctoris et confessoris Antonini meritis et precibus exoratus, militantem Ecclesiam, apostolicam fidem et cunctos christifideles, a paganorum et aliorum infidelium et haereticorum tueatur incursibus, et a periculis semper protegat atque defendat; ac illam quam nobis mundus dare non potest pacem, hostium omnium sublata formidine, firma cum tranquillitate concedat. Utque, post huius vitae militiam, depositumque pastoralis officii ministerium, una cum grege nobis credito, ad sempiterna tandem gaudia pervenire mereamur.

Et eum transumptis credi praecepit. § 39. Demum, quia difficile foret *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimotertio, VI kalendas decembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 26 novembris 1523, pontif. anno I.

II.

Gratiae, immunitates et privilegia abbatis conventus fratrum S. Antonii Viennensis, Ordinis S. Augustini, ex constitutione Leonis X [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Rationi congruit, et convenit honestati ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt, licet, eius superveniente obitu, literae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum sortiantur effectum.

Leo X et, ante eum, § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Leoni Papae X, praedecessori nostro, pro parte dilecti filii Theodori, abbatis monasterii S. Antonii de S. Antonio, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Augustini, Viennensis dioecesis, exposito quod, licet alias praefatum monasterium, in quo corpus eiusdem gloriosi S. Antonii requiescebat, et ad quod multi christifideles, Altissimo et eidem S. Antonio vota sua reddituri, in dies conveniebant, per olim Francorum regem fundatum, necnon praeceptoriae, domus et alia loca Religionis ipsius S. Antonii a primaeva eorum institutione aliorum christifidelium eleemosynis fundata extitissent, et quasi nulla alia bona immobilia haberent; fructusque, redditus et proventus domorum Religionis huiusmodi seu illarum praeceptoriarum, etiam generalium, in quaestuis, quae per religiosos ipsius Religionis, seu ab eis deputatos nuncios quaestores pro tempore per diversa loca fiebant, et eleemosynis, quae in dies a christifidelibus erogabantur, consistentes, incerti existerent; ac potissime in ipso monasterio Sancti Antonii et aliis praeceptoriis, domibus et locis prae-

1 Privilegia huius Ordinis vide in tom. IV, constitutione XI Bonifacii VIII, *In dispositione*, pag. 143.

dictis seu illorum hospitalibus, ex bonis et quaestuis ac eleemosynis huiusmodi iugis et indefessa hospitalitas observaretur; pauperes horrendo morbo S. Antonii nuncupato laborantes et languentes et aliae miserabiles personae undique confluentes alerentur, vestirentur et gubernarentur, ac peregrini reciperentur, et quam plura caritatis opera, eiusdem S. Antonii contemplatione, exercerentur.

Callistus II.

§ 2. Et etiam alias piae memoriae Callistus secundus, qui, singulari devotione ductus, ad monasterium ipsum se personaliter conferens, illius ecclesiam consecraverat.

Urbanus IV, Gregorius X, Benedictus XI, Nicolaus IV et Martinus V, Callistus III, Pius II, Sixtus IV, Alexander VI et Iulius II et alii Pontifices plurima privilegia, et praesertim quaestuandi pro hospit. manutentione concesserunt.

§ 3. Ac Urbanus IV, Gregorius X, Benedictus XI, Nicolaus IV, Martinus V, qui, ex concilio Constantiensi Romam rediens, ipsum monasterium visitaverat, Callistus III, Pius II, Sixtus IV, Alexander VI et Iulius etiam II ac alii Romani Pontifices, etiam praedecessores nostri, tunc sui, ad plenum informati, et animo revolventes Religionem ipsam hospitalitate continua onustam, et eidem Religioni in hospitalitate huiusmodi servanda et utriusque sexus illius personis manutenendis ingentia onera incumbere, quae abbas monasterii S. Antonii et praeceptores Religionis huiusmodi, absque quaestuis et eleemosynis praedictis, subire et manutenere non poterant, sed loca Religionis et hospitalitatem huiusmodi deserere, et ab innumeris, quae in ipsis locis celebrari et exerceri consueverant, divinorum celebrationibus et pietatis operibus cessare, victumque vagando et mendicando miserabiliter quaerere cogerentur, monasterio et Religioni S. Antonii huiusmodi, ac eiusdem monasterii pro tempore existenti abbati et dilectis filiis conventui ac praeceptoribus et aliis ipsius Religionis personis, domibus et locis quamplura et diversa privilegia, praeeminentias, facultates, indulgentias, concessiones, etiam quaestuandi et quaestuas fieri ac percipi mandandi, necnon gratias et indulta concessissent.

Sixtus IV decrevit beneficia Ord. S. Antonii eius tantum Regulam professis conferri posse [1].

§ 4. Et Sixtus ac nonnulli alii ex praedecessoribus huiusmodi, quod praeceptoriae et alia beneficia dictae Religionis quibusvis aliis, quam dictum Ordinem expresse professis, ac de regis Francorum pro tempore existentis expresso consensu, non commendarentur statuissent ac prohibuissent.

Nonnulli ex dd. Pont. gratias d. Ord. praeservarunt, etiam si aliorum privilegia suspenderint.

§ 5. Nonnullique ipsorum praedecessorum interdum indulgentias et privilegia aliis Ordinibus, etiam exemptis, concessas et concessa, consideratione vel causa aliqua, etiam intuitu cruciatae contra infideles aut spoliorum et damnorum pro fide catholica illatorum, seu basilicae Principis Apostolorum de Urbe et aliarum ecclesiarum aut piorum locorum fabricarum, suspendendo, Religionem S. Antonii huiusmodi illaesam praeservavissent.

Exemptamque a solutione impositionum esse voluerunt;

§ 6. Eamque a quibusvis impositionibus, apostolica vel ordinaria aut alia auctoritate, quacumque ratione, impositis, necnon decimis, oneribus et aliis gravaminibus et solutionibus exemissent.

Legata etiam piis locis Sancti Antonii relicta, d. Religionis esse declararunt;

§ 7. Ac quod oblationes et alia pia relicta vota et bona, quae in cappellis, oratoriis, hospitalibus, ecclesiasticis beneficiis et aliis piis locis, sub ipsius S. Antonii invocatione, pro tempore offerentur, pie largirentur, ut Religionis eiusdem Sancti Antonii essent et esse censerentur declaravissent.

Privilegiaque dicti Ordinis derogari prohibuerunt.

§ 8. Necnon privilegiis, Ordini, Religioni per eosdem praedecessores et Sedem Apostolicam concessis, etiam praetextu clausulae in supplicationibus apponi solitae, videlicet, cum derogatione privilegiorum et indultorum Religioni Sancti Antonii concessorum, in literis latissime extendenda, minime derogari posse forsan voluissent.

1 Const. non posui, uti hic sufficienter relatam.

Leo X supradicta approbavit etc.

§ 9. Et idem Leo praedecessor voluisset, privilegiaque ipsa approbavisset, prout in diversis praedecessorum praedictorum desuper confectis literis plenius contineri dicebatur, et ut a nonnullis asserebatur; alias, antequam supplicationes Religionem huiusmodi concernentes eisdem praedecessoribus porrigerentur, per protectores ipsius Ordinis tunc existentes, an Ordini et illius privilegiis huiusmodi contrariarentur inspici, et si contrariae essent, lacerari consuevissent.

Sed praefata privilegia de facto non servabantur, et Ordo S. Antonii multa damna patiebatur.

§ 10. Nihilominus, causantibus sinistris eventibus aut hominum malitia, et pullulante cupiditate vel alias, a certis annis tunc citra, Religionis huiusmodi sic exemptae tot annis illaesa privilegia, immunitates, indulgentiae et indulta, praetextu cruciatarum ac fabricarum dictae basilicae et aliarum ecclesiarum, fore annuatim suspensa, moderata et modificata; ac abbas, conventus et personae Religionis huiusmodi, nedum ratione bonorum illius immobilium, sed etiam mobilium et quaestuarum, eleemosynarum per illius religiosos aut ab eadem deputatos fieri solitarum, et decimarum et impositionum solutionum, sub diversis censuris et poenis compulsi; et, quod deterius erat, privilegia huiusmodi, in genere et in specie, importunitate vel praeoccupatione revocata; ac nonnulla bona immobilia et quaestuae ac beneficia ad ipsam Religionem spectantia ab illis praeceptoriis et hospitalibus dismembrata, ac aliis beneficiis, absque abbatis praefati consensu, applicata et unita, ac forsan in alia beneficia erecta fuerant; ipsaque bona immobilia, quaestuae et beneficia, etiam absque aliqua recognitione ipsius abbatis, tamquam applicata et unita, ac erecta et praescripta, a diversis communitatibus seu personis ecclesiasticis et saecularibus detinebantur; et nonnullarum ecclesiarum capitula, necnon locorum communitates, et earumdem communitatum particulares, ac aliae saeculares et regulares personae, quae pias eleemosynas et oblationes ad honorem eiusdem Sancti Antonii Religioni huiusmodi elargiri et facere consueverant, illas tunc facere minime curabant; ac contra privilegia et indulta praedicta, per longissima tempora inviolabiliter observata, nonnulli locorum ordinarii, cathedraliumque et collegiatarum canonici, necnon parochialium ecclesiarum rectores, suarum conscientiarum prodigi, medietatem aut aliquam partem quaestuarum, eleemosynarum praedictarum exigere, et literas licentiae quaestuas huiusmodi faciendi Religioni seu eorum nunciis praefatis denegare non expavebant; nonnullique diversorum aliorum Ordinum, ecclesiarum et hospitalium quaestores, praetextu quorumdam privilegiorum illis forsan tunc noviter concessorum, quaestuas nolis et campanellis sonantibus faciebant; ac sub ficto nomine, quod eidem sancto Antonio offerebant, surripientes nolas seu campanas porcis et aliis animalibus appendebant; et, quod dolenter referendum erat, communitates et aliae personae huiusmodi, certa oratoria, cappellas, beneficia ac forsan hospitalia sub dicti S. Antonii nomine fieri, et in illis eiusdem S. Antonii figuram et imaginem depingi facientes, oratoria et hospitalia ac beneficia ipsa, sub invocatione eiusdem sancti, apostolica seu ordinaria auctoritate, erigi procurabant; et illorum praetextu, eleemosynas et alia pia relicta, quae Religioni huiusmodi, pro languidorum et pauperum in illis hospitalibus degentium, necnon religiosorum, die noctuque in monasterio, domibus, praeceptoriis ac aliis locis dictae Religionis Altissimo famulantium, substentatione relinquebantur, de facto percipiebant, detinebant, occupabant, ac in damnabiles eorum usus convertebant, eisdemque ab-

bati et conventui ac Religioni subiici recusabant, in animarum suarum periculum.

Et fere ad nihilum reducebatur.

§ 11. Propter quae Religio huiusmodi eatenus gravem passa erat et in dies patiebatur iacturam, ac in maximam lapsa erat et dietim labebatur ruinam, et hospitalitas in hospitalibus Religionis huiusmodi, pront consueverat, non observabatur; divinus cultus ac Religionis huiusmodi facultates diminuebantur; religiosique et aliae ipsius Religionis personae maximis necessitatibus circumveniebantur, et Religio huiusmodi ad nihilum reducebatur.

Abbas dicti Ordinis praedictorum privilegiorum et gratiarum innovationem et confirmationem e Leone X petierat.

§ 12. Unde, pro parte dicti Theodori abbatis, qui, paulo ante apud Sedem Apostolicam constitutus, asseverat se etiam ad id assiduis querelis praeceptorum et religiosorum dictae Religionis, ac in illius hospitalibus degentium utriusque sexus languidorum et aliarum miserabilium personarum excitatum, cui [1] Leoni praedecessori fuit humiliter supplicatum ut privilegia, praeminentias, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, facultates, indulgentias, concessiones et indulta praedicta approbare et innovare, alias super eis opportune providere de benignitate apostolica dignaretur.

Qui ea innovavit et approbavit,

§ 13. Idem Leo praedecessor, qui, ad sacrum apostolatus ministerium, divina disponente clementia, evocatus, monasteriorum et aliorum piorum locorum omnium suae curae commissorum necessitates paterna consideratione pensabat; et ut illis ac personis in eis sub suavi Religionis iugo Altissimo famulantibus et ad ea hospitalitatis causa divertentibus, opportuna in suis necessitatibus subsidia corresponderent, ac eorum conservatio, quies et augmentum provenirent, opem et operam, quantum sibi ex alto concedebatur, favorabiliter adhibebat; et illa, quae propterea per praedecessores suos Romanos Pontifices provida deliberatione concessa comperiebat, ut firmius et illibata servarentur, libenter approbabat, ac de novo concedebat, aliasque provisiones congruas desuper adiiciebat, prout etiam catholicorum principum exposcebat devotio, et id conspiciebat in Domino salubriter expedire; quique Religionem huiusmodi S. Antonii in visceribus gerebat caritatis, et illam nedum conservari, sed in melius dirigi suis potissimo temporibus sinceris desiderabat affectibus, praefatum Theodorum abbatem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existebat, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum, absolvit et ut absolutum fore censeretur, huiusmodi supplicationibus inclinatus, consideratione etiam carissimorum in Christo filiorum nostrorum, tunc suorum, Caroli in imperatorem electi Romanum et Hispaniarum catholici, necnon, qui dicti monasterii fundator et protector existebat, Francisci Francorum christianissimi, regum, eidem Leoni praedecessori desuper per eorum literas humiliter supplicantium, sub datis videlicet IV nonas octobris, pontificatus sui anno nono, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, facultates, indulgentias, concessiones, gratias, indulta monasterio, Religioni, abbatiae, conventui et personis praedictis, per praefatos et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, tunc suos, concessa, et singulas ipsorum praedecessorum et suas desuper confectas literas et in eis contenta quaecumque auctoritate apostolica approbavit et innovavit, ac ea omnia et singula, prout per praedictos praedecessores concessa fuerunt, de novo, ita quod abbas

1 Legimus *eidem* (R. T.).

et conventus, necnon praeceptores et personae praefatae, privilegiis quibus tempore Sixti et Innocentii ac Alexandri et aliorum praedecessorum praefatorum uti poterant et utebantur, etiam in Urbe et Curia Romana, libere et licite uti possent, concessit, illaque robur perpetuae firmitatis obtinere et inviolabiliter observari debere.

Ipsaque nonnisi certa hic data forma observata, derogari posse decrevit;

§ 14. Necnon de cetero, perpetuis futuris temporibus, singulas praedecessorum huiusmodi ac supra et infra scriptas conficiendas literas, necnon privilegia, immunitates, indulgentias, praerogativas, facultates, exemptiones, concessiones, gratias, indulta et alia in eisdem literis contenta, sub literis per eumdem Leonem praedecessorem alias venerabili fratri nostro, tunc suo, moderno episcopo Meldensi, super suspensione et modificatione indulgentiarum ac privilegiorum dictae Religioni Sancti Antonii, sub data videlicet duodecimo kalendas septembris, dicti pontificatus anno septimo, ultimo concessis, et aliis quibuscumque, etiam quae per Leonem et alios praedecessores huiusmodi, etiam contemplatione fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe praedicta, a quarta feria cinerum fieri consueverant, revocationibus, suspensionibus, modificationibus generalibus vel specialibus, etiam si in specie de Religione Sancti Antonii huiusmodi specialis, nominata et expressa mentio fieret; etiam in subsidium sanctae cruciatae contra infideles aut dictae basilicae, necnon aliarum etiam patriarchalium, cathedralium vel aliarum ecclesiarum, monasteriorum ac aliorum quorumcumque piorum locorum, ac occasione damnorum etiam per infideles illatorum, et bonorum oblatorum aut in recompensam laborum Romano Pontifici et Sedi Apostolicae, etiam contra dictos infideles impensorum, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis et alias qualitercumque efficacissimis et insolitis, catenus factis et in posterum faciendis, minime comprehendi posse neque debere, sed ab illis semper excepta; ac quoties huiusmodi suspensiones, revocationes et modificationes emanarent, toties quoties in pristinum et eum, in quo, antequam illae emanassent, erant, statum restitutae, repositae et plenarie reintegratae essent; et si illa per Leonem praedecessorem aut eius successores Romanos Pontifices pro tempore existentes, importunitate aut etiam motu simili vel alias revocari, suspendi aut modificari contingeret, revocationes, suspensiones et modificationes huiusmodi, nisi ille, de consilio venerabilium sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium tunc et pro tempore existentium, consistorialiter habito, et cum trina intimatione per literas apostolicas sub plumbo, ita ut semper et qualibet vice trimestre intercederet, eisdem Carolo electo et Francisco regi ac aliis Romanorum imperatoribus sive in imperatores electis, ac Francorum regibus et eorum successoribus pro tempore existentibus facienda, ac eorum, per diversas literas ipsorum propriis manibus subscriptas et parvis eorumdem sigillis munitas, et non alias, aliter nec alio modo, expresso accedente consensu, fierent, suffragari; nec privilegiis, indultis et literis apostolicis dicto Ordini concessis, praetextu quarumcumque specialium clausularum, praesertim illius in supplicationibus per Leonem praedecessorem et eius successores Romanos Pontifices pro tempore existentes huiusmodi, aut de eorum mandato catenus signatis et pro tempore signandis, videlicet cum derogatione privilegiorum, indultorum et literarum apostolicarum latissime extendenda, in supplicationibus apponi solitae, etiam si in supplicationi-

bus ipsis de Sixti et aliorum, etiam ipsius Leonis, praedecessorum, privilegiis ac Religione huiusmodi mentio fieret, non operari; necnon praedicto Sixti privilegio derogatum non censeri, neque vigore dictae clausulae, in eisdem supplicationibus apponi solitae, debuisse neque posse in literis apostolicis, tam per Cancellariam quam Cameram Apostolicam expeditis et expediendis, ad dictum privilegium Sixti praedecessoris extendi, nisi in dictis supplicationibus fieret specialis et specifica mentio dicti privilegii, necnon regis, ad cuius instantiam concessum fuisset; literasque apostolicas desuper etiam per Cameram Apostolicam expeditas seu in futurum expediendas illis, pro quibus, vigore dictarum supplicationum et illorum sumptorum, expeditae fuissent seu in futurum expedirentur, non suffragari posse neque debere; illasque ipsius Leonis praedecessoris et eius successorum huiusmodi intentionis defectu carere, et pro cassis, irritis et non legitime expeditis haberentur, et ad dictam Cameram seu Cancellariam corrigendae remitterentur; ipsasque super supra et infrascriptas conficiendas literas vim contractus et indissolubilis obligationis inter eumdem Leonem praedecessorem et Sedem praedictam, ac Franciscum regem et eius successores, necnon Theodorum et pro tempore existentem abbatem praefatos obtinere. Et sic, per quoscumque iudices ecclesiasticos et saeculares, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et causarum Palatii Apostolici auditores, in eadem Curia vel extra eam, in quibusvis causis et instantiis sententiari, decidi, iudicari et interpretari debere, sublata eis et eorum cuilibet aliter indicandi et interpretandi facultate; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decrevit et declaravit.

Et quaestuandi facultatem lioeto concessit;

§ 15. Et nihilominus, ut necessitatibus dictae Religionis commodius provideretur, quod deinceps perpetuis futuris temporibus liceret religiosis dictae Religionis et aliis personis ab eis, ut prius, deputatis, quaestuas, vota, eleemosynas, pia relicta et alia, etiam confraternitatum, pia suffragia, quae in dicti sancti Antonii honorem fierent, in quibuscumque regnis, ducatibus, communitatibus et aliis, etiam imperatoris dominii ac dioecesis, etiam in Urbe et Curia praedictis, ordinariorum locorum et quorumcumque aliorum licentia petita, licet non obtenta, facere; ac ordinarii locorum et aliae personae, ad quos pertinere dignosceretur, literas seu mandata licentiae quaestuandi huiusmodi nullis, nisi a praefato Theodoro et pro tempore existente abbate dicti monasterii et generali capitulo eiusdem Religionis Sancti Antonii per eorum literas patentes specialiter deputatis, concederent; ac illa ipsis deputatis, absque ea, quam contra dicta privilegia et indulta exigere solebant, pecuniarum exactione, sub excommunicationis latae sententiae ac aliis censuris et poenis in dictis privilegiis desuper concessis contentis, concedere tenerentur; nec ultra unum florenum pro dictis literis et mandatis, iuxta privilegia praedicta, percipere possent; et si quid ultra percepissent, ad restitutionem eius religiosis et deputatis praefatis faciendam, sub anathematis poena, tenerentur.

Exemptionemque a decimis et aliis impositionibus elargitus est 1;

§ 16. Quodque abbas monasterii et praeceptores et aliae religiosae personae Religionis huiusmodi etiam in Urbe et Curia huiusmodi, occasione quaestuarum, votorum, eleemosynarum, relictorum, confraternitatum et aliorum piorum suffragiorum et quorumcumque bonorum mobilium et immobilium, ad solutionem alicuius decimae, subsidii aut alterius im-

1 Ad hoc habes etiam bullam Bonifacii VIII superius citatam.

positionis talliarum, gabellarum, iucundorum adventuum, etiam imperatorum, regum, legatorum, etiam de latere, seu nunciorum Sedis praedictae, etiam dictae Romanae Ecclesiae cardinalium et aliorum quorumcumque praelatorum ecclesiasticorum, quavis etiam apostolica vel alia quavis auctoritate impositis seu imponendis, minime tenerentur; nec ad id compelli, aut propterea interdici, suspendi vel excommunicari, aggravari, reaggravari et beneficiis suis privari possent.

Supplicationes gratiam vel iustitiam concernentes, circa negotia et causas Ordinis S. Antonii nonnisi certa hic data forma expediri posse decrevit;

§ 17. Quodque de cetero, etiam perpetuis futuris temporibus, supplicationes, tam gratiam quam iustitiam et alia negocia dictae Religionis concernentes, aut impetrationes beneficiorum seu praeceptoriarum dicti Ordinis, etiam in Urbe et Curia huiusmodi consistentium, continentes, per ipsum Leonem praedecessorem et pro tempore existentem Romanum Pontificem, seu de eorum mandato, non signarentur, aut per referendarios pro tempore existentes non referendarentur, sed nunc et pro tempore existenti dictae Religionis protectori mandarentur; et ipse protector supplicationes huiusmodi, si dictae Religioni praeiudicare non cognosceret, manu sua signaret, et Leoni praedecessori vel pro tempore existenti Romano Pontifici aut cardinali seu alteri, curam signaturae habenti, signandas remitteret; et quaecumque gratiae eidem Religioni praeiudicantes, absque manu dicti protectoris de cetero concedendae, subreptionis et obreptionis vitio subiacerent, nulliusque roboris vel momenti existerent.

Beneficia dicti Ordin. nonnisi tantum religiosis conferri voluit;

§ 18. Ac quod Religionis huiusmodi [1] consistentes praeceptoriae et alia beneficia, etiam in Urbe et Curia huiusmodi, nullis, nisi dictum Ordinem expresse professis, ac de expresso consensu regis Francorum ac abbatis pro tempore existentium praedictorum, per Leonem praedecessorem aut successores suos huiusmodi, necnon Sedis praedictae legatos, etiam de latere, et nuncios legatorum de latere potestate fungentes, etiam ad tempus commendari, aut in administrationem dari possent; et si commendas de illis per Leonem praedecessorem aut successores suos legatos et nuncios huiusmodi fieri contingeret, commendae huiusmodi defectu intentionis Leonis praedecessoris et successorum eorumdem carerent, literaeque desuper pro tempore confectae, nullae, irritae et invalidae existerent.

Cappellas et oratoria ac pia loca omnia sub invocatione S. Antonii, constructa et construenda, abbati S. Antonii subiecit;

§ 19. Ac quod hospitalia, cappellae, oratoria, beneficia et alia pia loca, etiam in Urbe et Curia huiusmodi, seu aliis quibuscumque terris, dominiis et locis, sub dicti Sancti Antonii invocatione fundata, constructa, aedificata et erecta, et quae in posterum perpetuis futuris temporibus fundari, construi, aedificari et erigi contingeret, cum eorum applicationibus, appropriationibus, unionibus, annexionibus et incorporationibus factis et deinceps faciendis, ad abbatem et Religionem huiusmodi spectarent et pertinerent, illisque subiicerentur et subiecta existerent, et a dicto monasterio dependerent; illaque per eiusdem Religionis canonicos et religiosos, non autem per alios ecclesiasticos et saeculares, etiam oppidorum, locorum et villarum et communitatum personas, nisi de abbatis et conventus praedictorum expresso consensu, regi et gubernari deberent, et in signum recognitionis superioritatum huiusmodi de aliquo annuo rationabili canone seu censu, per eosdem abbatem et conventum ac definitores generalis capituli huiusmodi imponendo et eis singulis annis persolvendo, respondere deberent et tenerentur; ac in eventum rebellionis aut non subiectionis ac remissionis, singulares communitatum et aliae personae huiusmodi, ma-

[1] L. [illegible] vel. forsan *ubicumque consistentes* (R. T.).

ioris excommunicationis sententia per Leonem praedecessorem et eius successores praefatos innodatae, earumque ecclesiae interdictae esseut et esse censerentur; nec ab huiusmodi maiori excommunicatione per Leonem praedecessorem aut successores praedictos absolvi, aut interdicta ipsa relaxari possent, nisi ad id abbatis et conventus praedictis expressis[1] per eorum patentes literas accederet assensus; liceretque Theodoro et pro tempore existenti abbati et conventui, necnon praeceptoribus huiusmodi beneficia, oratoria, hospitalia et alia loca, sub nomine eiusdem Sancti Antonii pro tempore, etiam in Urbe et Curia praedictis, fundata et dotata, quae eidem Theodoro et pro tempore existenti dicti monasterii abbati et conventui ac praeceptoribus huiusmodi obedire seu subiici, aut annuam responsionem solvere recusare contigerit, solo aequare aut demoliri, et imagines a parietibus delere, seu per easdem communitates et alias personas ecclesiasticas et saeculares solo aequari et demoliri, ac imagines huiusmodi deleri, sub excommunicationis latae sententiae, interdicti ac aliis censuris et poenis, etiam cum invocatione auxilii brachii saecularis, facere.

Eleemosynas nolis sonantibus colligere, et nolas animalibus appendere posse dicto Ordini tantum permisit;

§ 20. Quodque etiam deinceps perpetuis futuris temporibus, etiam in Urbe et Curia huiusmodi, nullis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis forent, nisi d. Religionis religiosis aut ab eis deputatis procuratoribus seu nunciis, sub eadem excommunicationis latæ sententiæ et vigintiquinque ducatorum auri de Camera, Camerae Apostolicae applicandorum, poenis, liceret quaestuas huiusmodi facere; ac vota, legata, eleemosynas, oblationes et alia pia suffragia qualitercumque donata seu donanda petere, quaerere, exigere, colligere aut recipere nolis seu campanis sonantibus, aut per sonum nolarum seu campanellarum huiusmodi; nec campanellas seu nolas porcis et aliis animalibus, quomodocumque nuncuparentur, appendere seu appendi facere, auctoritate apostolica praedicta statuit et ordinavit.

Uniones et suppressiones beneficiorum dicti Ordinis prohibuit et annullavit;

§ 21. Et insuper quascumque uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, applicationes, erectiones et institutiones factas, ac ex tunc, prout eodem die et e contra, perpetuis futuris temporibus faciendas, etiam in Urbe et Curia huiusmodi, absque abbatis et conventus ac capituli generalis seu definitorum praedictorum expresso consensu, de praeceptoriis, beneficiis, hospitalibus, oratoriis, confraternitatibus[1] et aliis bonis, ad dictam Religionem Sancti Antonii quomodolibet spectantibus et pertinentibus, aut quocumque titulo spectarent et pertinerent, apostolica auctoritate praedicta revocavit, cassavit, irritavit et annullavit; ac praeceptorias, hospitalia, oratoria, beneficia, confraternitates, quaestuas et vota praedicta in pristinum et eum, in quo, antequam huiusmodi uniones, annexiones, incorporationes, suspensiones, applicationes, erectiones et institutiones fierent, erant, statum restituit, reposuit et plenarie reintegravit; necnon uniones, annexiones incorporationes, suppressiones, applicationes, approbationes, erectiones et institutiones praedictas nullas, irritas, cassas et inanes, illarumque praetextu, quaestuas et alia bona mobilia[2] huiusmodi praescripta non esse, neque praescribi posse, neque debuisse, locum cuicumque praescriptioni contra eamdem Religionem et illius bona, non esse, neque in futurum fore; liceretque deinceps Theodoro et pro tempore existenti abbati et conventui ac praeceptoribus praefatis bona praedicta, etiam in Urbe et Curia huiusmodi, recuperare, ac illorum corporalem possessionem apprehendere, et apprehensam continuare; dictasque uniones,

1 Legimus... *praedictorum expressus* etc. (R. T.).

1 Cherubinius hic addit *quaestuis* (R. T.).

2 Hic quoque addit *et immobilia* (R. T.).

annexiones, incorporationes, suppressiones, applicationes et approbationes, ac oratoriorum et cappellarum, imaginum et hospitalium, sub invocatione dicti sancti Antonii, erectiones, etiam in Urbe et Curia huiusmodi, absque abbatis et conventus ac capituli praedictorum consensu, per Leonem praedecessorem et eius successores praefatos, seu eorum et dictae Sedis legatos aut locorum ordinarios huiusmodi, fieri non posse neque debere; et si quae fierent, illas concessas [1], irritas et inanes existere etiam decrevit.

Ordinemque S. Antonii super praedictis molestari interdixit,

§ 22. Districtius inhibens omnibus et singulis commissariis, etiam fabricae dictae basilicae, ac quibusvis aliis nunciis apostolicis et aliis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae existentibus et quacumque auctoritate, etiam apostolica vel mundana, etiam contra exemptos et eorum privilegia, tunc fungentibus et functuris; necnon quibusvis saecularibus et quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, etiam de Observantia nuncupatorum, regularibus personis, etiam in Urbe et Curia huiusmodi tunc et pro tempore existentibus, ne abbatem et conventum monasterii ac praeceptores et personas Religionis huiusmodi, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, sub dicta excommunicationis latae sententiae et aliis, etiam pecuniariis, censuris et poenis, arbitrio pro tempore existentis dicti monasterii abbatis moderandis, et Camerae Apostolicae ac Religioni praedictis applicandis, ratione cuiusvis decimae aut impositionis, in dictis quaestuis et bonis, etiam praetextu quarumcumque suspensionum, molestarent, turbarent, inquietarent, seu molestari, turbari, inquietari facerent aut permitterent; necnon omnibus locorum ordinariis et eorum officiariis et aliis quibusvis ubilibet, etiam in Urbe et Curia huiusmodi, constitutis personis, quacumque, etiam apostolica, auctoritate fungentibus ne literas quaestuandi cum campanellis quorumvis Ordinum personis de cetero concederent; ac decernens ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus;

§ 23. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac monasterii et Ordinis praedicti, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, nec non privilegiis, indultis et literis apostolicis, per praedictos et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, tunc suos, ac etiam ipsum Leonem praedecessorem et Sedem eamdem, etiam consistorialiter, etiam per viam legis et statuti perpetui ac stipulati contractus, etiam iuramento vallati, etiam in favorem cruciatae et basilicae praedictarum et fidei catholicae, ac motu simili et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac cum quibusvis efficacissimis et insolitis, etiam irritativis et cassativis, revocativis, praeservativis, mentis attestativis ac derogatoriarum derogatoriis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in contrarium quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda foret, et in eis caveretur expresse quod illis nullatenus derogari posset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum et forma in illis tradita observata inserti fuissent, eidem Leoni praedecessori pro sufficienter expressis habentes [1], illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat, specialiter et expresse derogavit, contrariis quibuscumque; aut si locorum ordi-

1 Cherubinius hic legit *cassas* loco *concessas* (R. T.).

1 Legendum forsan: *fuissent, idem Leo praedecessor pro sufficienter expressis habens, illis* etc. (R. T.).

nariis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a dicta esset Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possent per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Sontrumque literarum transumptis idem Leo X credi iussit;

§ 24. Ceterum, quia difficile erat super supra et infrascripta conficiendas literas huiusmodi ad singula quaeque loca, in quibus de illis fides facienda esset, deferri, voluit idem Leo praedecessor et apostolica auctoritate praedicta decrevit, earum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel Curiae Ecclesiasticae munitis, eamdem prorsus fidem, in iudicio et extra, adhiberi debere, quae eisdem originalibus literis adhiberetur, si praesentialiter essent exhibitae vel ostensae.

Sed quia dictae literae, eius superveniente obitu, expeditae non fuerant, idem hic Pontifex Clemens VII, a die datae earum validas esse decernit,

§ 25. Ne autem de absolutione, approbatione, innovatione, concessione, decretis, declaratione, statuto, ordinatione, revocatione, cassatione, annullatione, restitutione, reintegratione, inhibitione, derogatione et voluntate Leonis praedecessoris huiusmodi, pro eo quod super illis ipsius Leonis praedecessoris, eius superveniente obitu, literae non confectae fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, ipseque Theodorus et pro tempore existens dicti monasterii abbas illorum frustrentur effectu, volumus et dicta apostolica auctoritate decernimus quod absolutio, approbatio, innovatio, concessio, decreta, declaratio, ordinatio, revocatio, cassatio, irritatio, annullatio, restitutio, repositio, reintegratio, inhibitio, derogatio et voluntas Leonis praedecessoris huiusmodi, perinde a dicta die quarto nonas octobris suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Leonis praedecessoris [1], sub eiusdem diei datis, confectae fuissent, prout superius enarratur.

Et hanc bull. supradicta omnia sufficienter probare.

§ 26. Quodque praesentes literae ad probandum plene absolutionem, approbationem, innovationem, concessionem, decreta, declarationem, statutum, ordinationem, revocationem, cassationem, irritationem, annullationem, restitutionem, repositionem, reintegrationem, inhibitionem, derogationem et voluntatem Leonis praedecessoris huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Executores praedictorum omnium deputavit.

§ 27. Quocirca universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac personis in dignitate ecclesiastica ubilibet constitutis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel plures aut eorum unus, per se vel alium seu alios, omnes et singulas praedictas et praesentes literas ac in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Theodori et pro tempore existentis abbatis et conventus ac praeceptorum praefatorum desuper requisiti fuerint, publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, literas ipsas ac privilegia, praeeminentias, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, facultates, concessiones, gratias et indulta ac alia in eis contenta huiusmodi firmiter observari; ipsosque abbatem et conventum ac praeceptores, quaestores et alios, quos literae ipsae concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes illos aut eorum aliquem desuper modo aliquo indebite molestari [1], impeditores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et poenas ac alia in eos remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas praedictas, quoties opus fuerit, aggravando et reaggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus omnibus supradictis. Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimo tertio, sexto kalendas decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 novembris 1523, pontif. anno I.

1 Cherubinius hic addit *literae* (R. T.).

1 Idem Cherubinius hic addit *impediri aut inquietari, contradictores, molestatores*, (R. T.).

III.

Institutio collegii LX *virorum, ad curandam perfectionem fabricae basilicae S. Petri principis apostolorum de Urbe, cum facultate deputandi iudicem ad cognitionem causarum interesse dictae fabricae concernentium* [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ss. Petrus et Paulus apostoli Romae fidem catholicam firmarunt.

Admonet nos suscepti cura regiminis, et auctoritas pontificalis inducit ut ad ea potissimum intendamus, per quae gloriosi principes terrae Petrus et Paulus, qui primi Evangelium Christi in alma Urbe praedicarunt, in eaque, postquam christianam religionem fundarunt et erexerunt, ac universum orbem sacrae doctrinae splendore et miraculorum fama repleverunt, sancti martyrii coronam, sub eodem persecutore, ac eadem die eodemque loco, susceperunt, eo maiori veneratione a christifidelibus colantur, quo maioribus meritis inter alios apostolos excelluerunt. Quorum licet Salvator noster peculiarem curam semper habuerit, quippe qui, ut alia innumera omittantur, Petrum in fluctibus ambulantem, ne mergeretur, dextera sua erexit, Paulum vero tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit; ipsum tamen Petrum, cui claves regni coelorum dedit, plenitudinem potestatis habere, aliorumque apostolorum principem esse voluit. Et propterea non convenit ecclesiam seu basilicam, sub eius nomine dedicatam, apud quam Palatium Apostolicum existit, et in qua super ipsius B. Petri altari Romani Pontifices quolibet anno missas pontificales solemniter celebrare consueverunt, necessaria instauratione ac reparatione carere; et ab illis, qui, devotionis causa, ad eorumdem apostolorum limina visitanda confluunt, quasi desertam atque relictam conspici.

Constantinus imperator eorum ecclesias Romae itidem aedificavit.

§ 1. Sane, considerantes quod in ipsa urbe Roma, in qua Omnipotens primatum Ecclesiae suae sanctae statuit atque firmavit, clarae memoriae Constantinus, qui monarchiam tenebat imperii, postquam a B. Silvestro, per sancti baptismi sacramentum, veritatem fidei et spem salutis aeternae suscipere meruit, in proprio Lateranensi palatio, ecclesiam in honorem Salvatoris mundi erexit, eorumdemque apostolorum basilicam, pari prope forma et magnitudine, a fundamentis aedificavit, ac propriis humeris duodecim cophinos terrae ex earum fundamentis exportavit, ac eas ipsas eadem die ab ipso beato Silvestro consecrari obtinuit; aliaque multa mente revolventes, ad officium nostrum pertinere arbitramur ut, postquam felicis recordationis Iulius Papa II, praedecessor noster, existimans quemadmodum ipse Petrus apostolorum princeps habetur, ita eius basilicam, aedificii pulchritudine et magnificentia, inter alias principatum obtinere debere, ipsam propterea demoliendam mandavit, ut longe ampliore ac magis admirabili aedificio reficeretur ac instauraretur.

Hic modo Pontifex, ut ecclesia Sancti Petri apostol. principis sit ceteris praestantior, erigit istud collegium, ad illius fabricae perfectionem curandam,

§ 2. Nos, qui eiusdem B. Petri successores sumus, ipsumque peculiari devotione prosequi tenemur, quod ipse Iulius praedecessor, morte praeventus, successiveque Leo X, Hadrianus VI, Romani Pontifices etiam praedecessores nostri, variis causantibus impedimentis, perficere non potuerunt, id omni conatu ac totis viribus nostris aggredimur. Attendentes autem hoc sacrum et sublime B. Petri templum non nostri, neque cuiusque esse proprium, sed omnium christianarum nationum commune, quando a Domino Deo Deique Filio ipsi Petro super omnes gentes potestas est data, ipseque et successores eius Romani

[1] Ante hanc bullam, Iulius II in sua constitutione XXVIII, *Liquet*, tom. V, pag. 481, et Leo X amplas facultates fabricae collegio dederunt in exigendis legatis piis et incertis.

Pontifices, pro salute omnium, mediatores apud Dominum nostrum Iesum Christum esse debent, cogitavimus propterea collegium unum LX virorum curialium quarumcumque nationum instituere et ordinare, qui dictae basilicae, favente Deo, reficiendae diligentem curam habere debeant. Et cum singularum nationum in nostra Romana Curia degentium curiales digniores ex eis, numerum LX non excedentes, ad hoc de mandato nostro elegerint; nos, ut exinde optatus subsequatur effectus, et fabrica ipsius basilicae, cuius absolutionem sincero cordis affectu desideramus, prosperiores complectatur successus, ac suffragia pro eadem fabrica, pia christifidelium devotione eroganda, fideliter exigantur et conserventur, necnon proventus illi in fabricam ipsam et non aliam causam debite convertantur opportune providere volentes; ac quoscumque praefectos et officiales ad opus dictae fabricæ, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis fuerint, etiam si pontificali dignitate aut cardinalatus honore praefulgeant, per dictos praedecessores et nos ac Sedem Apostolicam hactenus deputatos, ac omnes commissiones et facultates eis desuper sub quacumque verborum forma factas et concessas revocantes; ipsosque praefectos et officiales ab huiusmodi praefectione et aliis officiis et commissionibus alias eisdem specialiter vel generaliter factis absolventes, motu proprio, non ad aliquorum nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et ex certa scientia, unum collegium, fabricæ basilicæ Beati Petri nuncupandum, omnium oratorum christianorum regum et principum rerumque publicarum, ac ex singulis nationibus huiusmodi, ut praefertur, electorum, loco quorum pro tempore decedentium vel se diutius absentantium, alii earumdem nationum similiter eligi possint, sic tamen quod dictum numerum LX non excedant, auctoritate apostolica, tenore praesentium erigimus et instituimus.

Illudque sibi soli subiicit;

§ 3. Ac collegium huiusmodi et pro tempore existentes singulares personas eiusdem ab omni superioritate, dominio, potestate, iurisdictione et auctoritate quarumvis personarum, quacumque dignitate et excellentia, etiam si cardinalatus honore et legationis de latere officio ac quavis facultate pro tempore fungentium, etiam ratione archipresbyteratus dictae basilicae, quoad omnia et singula, quae fabricam huiusmodi concernunt, auctoritate et tenore praedictis eximimus et totaliter liberamus, ac sub nostra et Sedis praedictae suscipimus protectione, nobisque et eidem Sedi, ita ut nullum alium quam nos et successores nostros Romanos Pontifices in superiores recognoscere debeant, nullique alii in eos aliquam superioritatem, dominium, potestatem, iurisdictionem aut auctoritatem quoquomodo exercere valeant, immediate subiicimus.

Collegio facultatem deputandi iudicem causarum dictae fabricae et alios officiales concedit:

§ 4. Ipsisque collegio omnimodam administrationem, curam et directionem ac omne regimen dictae fabricae plenarie committimus; ac eisdem collegio, ut de eorum gremio officiales ad tempus per eos statuendum, tam ad specialem curam ipsius fabricae ac quaecumque alia inferiora illam concernentia, quam etiam (dummodo ex dignioribus doctoribus et clericis eligantur) ad iustitiam ministrandum, qui, iuxta facultatem eis per eosdem collegium tribuendam, contra debitores dictae fabricae, prout iustitia exegerit, procedere possint, eligere; et ipsis officialibus electis salaria decentia constituere, ac omnia et singula, quae cetera collegia quaecumque tam in dicta Urbe et Curia Romana, quam alibi, de iure vel consuetudine statuere, ordinare et disponere possunt et debent, tam prosperum regimen et debitum ordinem ipsius collegii, quam multas committentium fraudes in dispensatione proven-

tuum fabricae huiusmodi et alia fabricam ipsam concernentia, quae, postquam per eos statuta, ordinata et disposita fuerint, eo ipso dicta auctoritate apostolica approbata et confirmata sint et esse censeantur, prout illa exnunc, prout ex tunc et e contra, approbamus et confirmamus, statuere, ordinare et disponere libere et licite valeant, plenam et liberam facultatem, auctoritatem et potestatem, auctoritate apostolica et tenore supradictis, concedimus.

Qui officiales iurament. praestare debeant recte administrandi;

§ 5. Et insuper, ut omnia per ipsos collegium gerenda, omni odio, amore et sinistra machinatione postpositis, secundum Deum et rectam conscientiam dirigantur, eisdem auctoritate et tenore statuimus et ordinamus quod omnes et singuli de dicto collegio ac per eos pro tempore eligendi officiales, sub attestatione damnationis aeternae, quod ipsi in huiusmodi fabricae administratione, cura et directione ac regimine et officialium electione, secundum Deum, absque dolo, fraude, odio vel rancore, prout cuilibet eorum conscientia dictaverit, procedent, et votum dabunt, ac officium exercebunt, iuramentum, quod per praefatos collegium aut ab eis deputandos, quoties qualitas negotii id exegerit, et officialibus deputandis pro tempore expedire visum fuerit, repeti possit, praestare teneantur.

Eleemosynaeque et oblationes omnes in opus fabricae exponant;

§ 6. Ac quod omnia et singula pecunias, res et bona debita et debenda, etiam piae oblationes, tam in dicta Urbe quam extra eam, operi dictae fabricae erogandae, penes collegium seu officiales eligendos praedictos aut depositarium per collegium deputandum permanere, et per eos claves arcarum et truncorum, ubi pecuniae et eleemosynae in ipsa urbe reponantur, custodiri; ipsaeque pecuniae omnes per eosdem collegium et officiales, ad hoc ab eis deputandos seu eligendos, ad opus dictae fabricae et non ad alium usum omnino distribui, exponi et converti debeant, etiam si nos et successores nostri Romani Pontifices aliter disponeremus et ordinaremus, etiam per quaecumque mandata, tam in scriptis quam etiam vivae vocis oraculo, sub quibusvis poenis et censuris facienda: quibus oratores regum, principum necnon rerumpublicarum in dicta Curia residentes, pro eisdem collegio firmiter resistere, et, in huiusmodi eventum, praefati collegium pecunias, res et bona omnia praedicta, nomine oratorum, deponere; nec dicti oratores aut collegium, ratione residentiae huiusmodi, aliquas censuras sive poenas incurrere, neque collegium praefati ad aliud quam ad deponendum, ut praefertur, adstringi possint; ipsique oratores eo casu pecunias, res et bona huiusmodi ad aliud opus, quam dictae fabricae, exponere nequeant, et qui contrarium fecerint, ad restitutionem de proprio damni eidem fabricae eorum culpa vel facto illati teneantur.

Cum debitoribus fabricae transigere possint,

§ 7. Quodque omnia et singula per inferiores officiales praedictos pro tempore acta et gesta, cum subscriptione officialium deputandorum et sigillo collegii praedictorum munita, valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, ac in iudicio et extra fidem faciant, ac si per camerarium nostrum et praesidentes Apostolicae Camerae gesta et facta. Et similiter dilationes, pacta, transactiones, relaxationes seu remissiones, per collegium praefatos pro quiete mentis debitorum ipsius fabricae faciendae, illas vim et auctoritatem habeant, quas haberent, si nobiscum et cum successoribus nostris praelatis ac camerario et praesidentibus Camerae huiusmodi confecta et celebrata forent, nec in aliquo alio, per camerarium et praesidentes praefatos seu quoscumque alios officiales, molestari aut inquietari possint.

Collectoresque deputare ad exigenda legata.

§ 8. Ac quod collectores, pro exigendis haereditatibus, legatis et aliis bonis ex donationibus causa mortis, seu irrevocabiliter

inter vivos dictae fabricae factis seu faciendis, ac piis eleemosynis tam in Curia et basilica praedictis, quam extra eamdem Curiam et in quibuscumque civitatibus, dioecesibus et locis erogandis, deputari, eligi et transmitti non possint per alios, quam per collegium praefatos; ac per ipsos collegium pro tempore deputati et electi, ut sine impedimento aliquo et cum mentis quiete officium eis commissum exercere valeant, eorumque familiares, clerici dumtaxat, ad opus fabricae huiusmodi deservientes, durante eorum officio et illius exercitio dumtaxat, ab omni superioritate et iurisdictione quorumcumque ordinariorum ecclesiasticorum liberi et exempti, ac sub nostra et dictae Sedis protectione constituti sint et esse censeantur. Quodque communitas, civitas vel universitas loci, in qua seu quo collector deputatus fuerit, adiungere debeant unum civem laicum bonae famae et facultatibus idoneum, qui simul cum collectore exactionibus interveniat, et computum teneat, ac de actis fidem collegio praefatis faciat, ac gratiis spiritualibus [1], quibus gaudebit collector, gaudeat.

Et pecunias inde redigendas in opus fabricae exponant.

§ 9. Quodque omnia et singula bona seu haereditates et legata dictae fabricae, donationes ex causa mortis seu inter vivos seu alias quomodolibet relicta et facta, ultimo emptori et plus offerenti, sive dicta bona in mobilibus sive immobilibus rebus seu nominibus debitorum consistant, publice subhastari et vendi debeant; ac ex redditibus et bonis praedictis pecuniae proventurae penes collegium seu depositarium per collegium deputandum, ad effectum ut opus dictae basilicae continuari et finiri possit, deponi debeant.

Iudicis causarum fabricae facultas summarie etc., et etiam, Sede vacante, causas fabricae cognoscendi,

§ 10. Et ne ipsi collegium et ab eis pro tempore eligendi officiales, pro exigendis oblationibus, bonis et rebus dictae fabricae, tam ratione contractuum quam quarumcumque dispositionum inter vivos et ultimarum voluntatum pro tempore debitis, in diversis tribunalibus litigare cogantur, et per varias cavillationes et subterfugia solutiones differantur, sicque prosecutio fabricae huiusmodi impediatur vel retardetur, quod collegium praefati ordinariam iurisdictionem exercere, et de quibusvis causis quorumcumque dictae fabricae debitorum, etiam quarumcumque maximarum summarum et ex quavis causa contractorum, cum peritorum consilio, cognoscere et iudicare; ac, ad instantiam oeconomi seu procuratoris ipsius fabricae, per collegium praefatos deputandi, contra quoscumque dictae fabricae ex quibusvis causis debitores, cuiuscumque dignitatis, gradus vel conditionis fuerint, praesentes videlicet in dicta Curia, manu regia, constito de debitis per instrumenta quaecumque seu per testes idoneos parte citata examinandos, clare et concludenter debitum probantes, aut alias legitimas probationes, etiam si debitum mediate ex quovis titulo, etiam cessionis libere et sine fraude neo ad commodum aliquod cedentis factae, seu applicationis, ad ipsam fabricam pertineat, solemnitate a iure naturali introducta, vel si expedierit, unica citatione dumtaxat, personaliter vel ad domum eorum solitae habitationis, si videbitur, facienda, praecedente, absque alia tela iudiciaria, etiam singulis diebus et tempore quarumcumque feriarum, non tamen ad Dei honorem pro tempore indictarum, etiam nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus a Romana Curia absentibus, ac etiam Sede vacante, usque ad effectualem executionem; necnon contra capitula, collegia, communitates et universitates ac personas res et bona ad dictam fabricam spectantia habentes et detinentes, etiam vigore monitorii poenalis, per ipsos collegium, sub censuris et poenis eidem fabricae, si res et bona huiusmodi non restituerint, ap-

1 Cherubinus hic addit *et temporalibus* (R. T.).

plicandis, decernendi; ac contra contumaces, unica vel pluribus citationibus, si videbitur, praecedentibus, etiam per affixionem in valvis seu ianuis ipsius basilicae Principis apostolorum, etiam per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia procedere, et mandatum executivum, loco sententiae ferendae seu literarum, decernere; necnon singulos praedictos, etiam per edicta publica, in locis publicis circumvicinis affigenda, quae ipsos perinde arctent ac si eis personaliter intimata forent, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto ad eos accessu, more auditorum causarum Palatii Apostolici, absque alia speciali nostra vel successorum nostrorum commissione, citare et monere.

Censuras poenasque infligendi.

§ 11. Et tam praesentes quam absentes debitores, etiam si absentes personaliter vel alias comparuerint, nisi solverint, seu de solutione legitime docuerint; necnon singulares personas capitulorum, collegiorum, communitatum et universitatum detinentium res et bona fabricae huiusmodi, absque alia iuris solemnitate, excommunicationis sententia innodare, a divinis suspendere, ac excommunicatos et suspensos declarare, ac excommunicationis et alias censuras et poenas praedictas, quotiens opus fuerit, etiam iteratis vicibus, aggravare, ac contra eos auxilium brachii saecularis invocare, et interdictum generale vel speciale, tam in ecclesiis quam civitatibus et locis, in quibus debitores et detinentes praefati moram traxerint, et ad quae eos declinare contigerit, apponere, illudque suspendere, tollere seu revocare, ac quaecumque alia remedia per praesidentes Camerae Apostolicae exerceri solita, donec de debito ipsi fabricae fuerit integre satisfactum, exercere libere et licite valeant.

§ 12. Et si contingat dictos debitores, animo differendi solutiones, prout verisimiliter praesumi potest, ante vel postquam ad solvendum totum illud, in quo reperti erunt veri debitores, condemnati fuerint, per varia subterfugia et remedia confirmare gravamina eis allata seu inferenda, etiam nullitatis et telae iudiciariae non servatae, et propterea causas appellationis seu appellationum, ac nullitatis et nullitatum, aliquibus iudicibus, in dicta Curia vel extra eam, committi procuraverint, quod omnes et singulae causae dictam fabricam concernentes, tam negotii principalis in praeiudicium iurisdictionis concessae collegio huiusmodi, quam appellationis et nullitatis, seu appellationum et nullitatum, per ipsos collegium seu officiales deputandos decidi debeant, nec cuiquam iudici committi, neque commissiones per quemcumque a nobis et Sede Apostolica ad commissiones iustitiae signandas deputatum, etiam si dictae Romanae Ecclesiae cardinalis fuerit, nec per eiusdem S. R. E. vice-cancellarium aut illius locumtenentem pro tempore existentes, nisi per nos et successores praefatos, manu nostra, vocatis dictis officialibus prius, signari possint, ac de nullitate processus non possit in dubium deduci, neque cognosci; sed perinde, reiectis nullitatibus, etiam censurarum, ac si de nullitate declaratum fuisset propter periculum animarum, etiam si ex actis de illis constaret, de novo in negotio principali procedi possit, nisi de iustitia negocii principalis ex actis constiterit, seu alias infra breve tempus apparere possit.

A sententia dicti iudicis appellatio datur solummodo ad collegiummet.

Iudicis praedicti mandata a quocumque exequi debent, et nullatenus impediri possunt.

§ 13. Et quod decreta et mandata de solvendo, per officiales collegii huiusmodi, exigente iustitia, contra debitores praefatos facta, per quoscumque officiales ipsius urbis, etiam barisellum et marescallos, exequi debeant. Nec talia mandata et executiones per quoscumque officiales, etiam praefatos cardinales, etiam Sede vacante, etiam collegialiter, quovis quaesito colore,

aut etiam per camerarium nostrum et praesidentes Camerae huiusmodi, seu etiam per literas salvi conductus ac dilationes datas ad persolvendum, etiam cum idonea cautione, impediri seu retardari valeant; omnesque literae salvi conductus et dilationes, per camerarium et dictae Camerae praesidentes praefatos seu per collegium S. R. E. cardinalium, etiam dicta Sede vacante vel Romano Pontifice a Romana Curia absente, concedendae, nullius roboris vel momenti existant; ac, illis non obstantibus, mandata et decreta huiusmodi per officiales, quibus illa fuerint praesentata, exequi debeant.

Dispositiones ad favorem fabricae non impediantur, neque occultentur.

§ 14. Ac quod omnes, qui executiones seu perceptiones pecuniarum et bonorum quorumcumque, tam mobilium quam immobilium, ex quavis causa et dispositione ultimae voluntatis seu inter vivos, ad dictam fabricam spectantium, impediverint, et eadem bona vel instrumenta seu testamenta, codicillos, ultimas voluntates, donationes, tam ex causa mortis quam inter vivos, occultaverint, seu quominus ad notitiam collegii et collectorum, tam in dictis urbe et Curia quam extra eas deputandorum, pervenire valeant, impediverint, eo ipso excommunicationis sententiam incurrant; et tam per collegium et illius officiales pro tempore deputatos, quam etiam per eosdem collectores, in partibus et locis ubi deputati fuerint, pro excommunicatis declarari et publicari possint; nec per alios, quam dictos officiales seu collectores, etiam in vim quarumcumque literarum et facultatum, etiam cruciatae quibusvis principibus concedendae, nisi prius satisfecerint, vel, si in mortis articulo constituti fuerint, praestita cautione de satisfaciendo per se, si convaluerint, alias haeredibus et executoribus satisfactionem iniungendo, absolvi; huiusmodique absolutionem officiales et collectores ipsi parentibus talium impedientium et occultantium, qui de iure, pro impedimentis et occultationibus per eos praestitis et factis, obligati fuerint, impendere possint.

Notarii eas notificent fabricae.

§ 15. Quodque notarii, rectores parochialium ecclesiarum seu vicarii vel quicumque alii, de donationibus praedictis rogati seu de illis notitiam habentes, illas, infra mensem, collegio seu collectoribus; et, si collectores praesentes non fuerint, in curia episcopali loci intimare teneantur et debeant.

Clausula praeservativa.

§ 16. Decernentes et declarantes, pro potiori praemissorum robore, quod, si adversus illa vel eorum aliqua, quaevis literae apostolicae, tam quascumque declarationes, concessiones et clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, fortiores, efficaciores et insolitas, ac irritantia decreta, necnon mandata, etiam poenalia, sub quacumque forma et verborum expressione, in se continentes, etiam praesentibus expresse derogantes, etiam motu proprio et scientia similibus ac de apostolicae potestatis plenitudine, a nobis seu successoribus nostris praefatis, aut nostra vel eorumdem successorum nostrorum auctoritate, seu aliis quibusvis modis emanaverint, aut aliquo umquam tempore apparuerint, per quae effectus earumdem praesentium retardari vel impediri, aut illis quomodolibet derogari, vel praeiudicium aliquod in aliqua sui parte quovis modo afferri posset, quod illa, cum omnibus et singulis inde secutis executionibus et processibus, pro infectis habeantur, nulliusque roboris vel momenti existant; ipsaeque praesentes literae vim validi et efficacis pacti et contractus, inter nos et collegium praefatos initi, etiam iuramento vallati, ad effectum ut non liceat nobis nec successoribus nostris praedictis praemissa revocare, habere censeantur. Et sic, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam

dictae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus, super praemissis vel eorum aliquo, per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio executorum huius bullae

§ 17. Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, necnon patriarchalium et metropolitanarum ac aliarum cathedralium ecclesiarum canonicis, ac eorumdem patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum officialibus et vicariis in spiritualibus et temporalibus ubilibet constitutis, motu simili, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte collegii et ab eis pro tempore deputandorum officialium et collectorum praedictorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes literas et in eis contenta huiusmodi, sub censuris et poenis ecclesiasticis, firmiter observari, non permittentes collegium et ab eis pro tempore deputatos officiales et collectores praefatos desuper per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, quomodolibet molestari, impediri seu perturbari; contradictores, molestatores quoscumque et rebelles, per easdem censuras et poenas, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, quoties opus fuerit, aggravando; necnon loca, in quibus eos morari, et ad quae declinare contigerit, ecclesiastico interdicto subiiciendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 18. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quibusvis privilegiis, indultis et literis apostolicis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, civitatibus et locis ac capitulis, collegiis, communitatibus, universitatibus, indicibus et personis, cuiuscumque dignitatis et conditionis existentibus, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus et insolitis clausulis concessis, approbatis et innovatis, quibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio fieri deberet, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, quoad praemissa specialiter et expresse derogamus, et sufficienter derogatum esse, et adversus praesentes nemini suffragari posse decernimus; ac quorumvis tribunalium consuetudinibus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, a dicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 19. Ceterum, quia difficile foret *etc.* Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimo tertio, pridie idus decembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 12 decembris 1523, pontif. anno I.

IV.

Iurisdictio iudicis curiae Ripettae almae Urbis, cognoscendi causas civiles occasione mercium per Ripettam vehendarum et nonnullas causas criminales.

Clemens episcopus servus servorum Dei, motu proprio etc.

Iurisdictio antiqua consulum artis nautarum,

Nuper felicis recordationis Hadrianus PP. VI, praedecessor noster, ad supplicationem dilectorum filiorum consulum et universitatis nautarum sive barcarolorum Tyberonis et Anienis seu Tyberonis Ripettae [1] almae Urbis, nonnulla statuta, et in Camera Apostolica discussa et concessa, apostolica auctoritate approbaverat, quibus, inter alia, cavebatur expresse quod praefati consules deputati pro tempore in aliquibus controversiis et causis super quibusdam rebus et bonis per fluvium Tyberis et Anienis devectis, in certis pecuniarum summis haberent iurisdictionem cognoscendi et terminandi, sola facti veritate inspecta, etiam manu regia.

Quam hic Pontifex, ex causis hic expressis,

§ 1. Cum autem, sicut accepimus, multas quaestiones et controversias quotidie in facto oriri, non solum inter ipsos barcarolos, sed etiam inter cives Romanos aliosque mercatores se exercentes in dicto flumine, ventilandas, quae in apicibus iuris involutae, deberent decidi et cognosci consilio iurisperitorum, et propterea praefatos consules penitus ignaros indigere summopere viro iurisperitia insignito.

Transfert in iudicem deputandum a praeside Riparum,

§ 2. Nos, qui ipsius Urbis praecipuam curam gerere tenemus, prospero statui ac felici regimini ac tam Romanorum civium et curialium ac forensium mercatorum in fluminibus se exercitantium et ad ipsam Urbem victualia multa et alias merces deferentium ac deferri facientium, quam praefatorum consulum et universitatis barcarolorum commodo et utilitati providere volentes, ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et quaelibet statuta, privilegia ac facultates, per Hadrianum praedecessorem praefatum consulibus et universitati barcarolorum quomodolibet concessa, approbamus, confirmamus et ampliamus. Eisdem etiam omnibus ac singulis privilegiis, facultatibus, nautis et mercatoribus Ripae Urbis concessis ac concedendis, in rebus et bonis per dicta flumina conducendis pariter, in omnibus et per omnia uti, potiri et gaudere libere ac licite possint et valeant auctoritate praedicta indulgemus. Volumus autem quod per praesidentem Camerae nostrae Apostolicae seu eius decanum pro tempore existentem deputetur aliquis iurisperitus, qui in eorum tribunali iustitiam cuique administrare possit et valeat.

Qui causas civiles ripales omnes, criminales autem hic expressas privative, quoad alios, cognoscit.

§ 3. Et eidem sic, ut praemittitur, deputato quascumque causas, controversias, quaestiones seu contentiones ac differentias, super et pro quibusvis rebus et bonis ac mercibus per dicta flumina ad Urbem devectis et quomodocumque ad eam devehendis concernentes, tangentibus ac quibusvis pecuniarum summis propterea debitarum ac exigendarum; necnon criminales et praesertim a rixis ac blasphemiis in Deum et eius Matrem Virginem ac sanctos, etiam per dictos barcarolos et huiusmodi mercatores inibi exercentes prolatis, provenientes, in quibus tamen poena pecuniaria, et non sanguinis, venit imponenda, cum omnibus et singulis suis emergentibus, incidentibus, dependentibus, annexis et connexis, summarie, simpliciter et de plano, sola facti veritate inspecta, etiam manu regia, audiendi, cognoscendi, decidendi fineque debito terminandi; ac dictos criminosos et blasphematores et cultus divini contemptores, qui poena pecuniaria, pro tertia parte Camerae Apostolicae, pro alia

[1] Typographi vitio forsitan *Tyberonis Ripettae* pro *Tyberis Ripettae* positum est. *Anio* enim (nunc *Teverone*) in Tyberim influit tertio ab Urbe lapide (*Strab.*, v, pag. 238; *Plin.* III, 5, 5-9; *Nibby*, *Dintorni*, v. I, pag. 159-160) (R. T.).

tertia dictae universitati, et reliqua tertia parte exequenti applicanda, mulctandi venient, debite puniendi; ac omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, plenam et liberam auctoritatem et licentiam auctoritate apostolica concedimus et impartimur. Eidemque deputato et pro tempore deputando eiusque iurisdictioni omnes et singulas causas, cum praefatis incidentibus et annexis, illarumque actores et reos subiicimus et submittimus, ita et taliter ut ne quis eorum quolibet alio tribunali, simili occasione praemissarum rerum et allegata iurisdictione huiusmodi fori, non nisi nulliter, procedi possit. Item, quaecumque quae per ipsum, ut praemittitur, deputatum alias rite ordinari, statui, pronunciari et decerni contigerit, valida et efficacia fore et firmiter observari. Sicque per quoscumque iudices *etc.*, sublata *etc.*, iudicari debere; irritum quoque *etc.* decernimus.

Executorum deputatio.

§ 4. Mandantes dilectis filiis praesidentibus et clericis Camerae Apostolicae ac eisdem consulibus et universitati barcarolorum ac eorum iudici, ut dicitur, deputando, ad nutum eorumdem clericorum amovibili, in praemissis pacifice gaudere faciant; nec eos desuper quomodolibet impediri, perturbari vel molestari permittant; ac quascumque literas necessarias desuper, quatenus opus fuerit, tradant et concedant.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac Urbis Ripae et Ripettae praedictae, iuramento *etc.* roboratis, statutis, consuetudinibus, reformationibus et decretis, nec non quibusvis privilegiis, indultis et concessionibus, illis aut aliis quomodolibet in contrarium forsan concessis et confirmatis, quibus derogamus, ac eis adversus praemissa nullatenus suffragari posse volumus, etiam si talia forent, quae de verbo ad verbum inseri deberent, quorum tenores et compendia pro expressis habemus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fiat ut petitur. I.

(Papae subscriptio).

Et motu proprio et ad beneplacitum Camerae. Fiat. I.

Datum Romae apud S. Petrum, idibus ianuarii, anno I.

Dat. die 13 ianuarii 1524, pontif. anno I.

V.

Privilegia pro abundantia rei frumentariae et agricultura in districtu almae Urbis.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Ad sacram beati Petri Sedem, meritis licet imparibus, divina dispositione vocati, continua meditatione urgemur ut, iuxta commissi nobis pastoralis officii debitum, circa ea, per quae almae Urbis nostrae, in qua Sedes ipsa dignoscitur collocata, prosperitati illiusque incolarum et ad eam convenientium personarum commodo et necessitati opportuno consuli possit, sollicitis studiis intendamus, ac incolarum et personarum earumdem dispendiis congruentibus remediis occurramus, prout, temporum qualitate mature pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Sixtus IV licentiam omnibus concessit arandi et colendi tertiam partem tenutarum et agrorum territorii Urbis et Patrimonii etc., et quaecumque etiam loca ipsa spectant, habita licentia ab aliquo ex iudicibus deputatis etc.

§ 1. Sane, licet dudum felicis recordationis Sixtus Papa IV, praedecessor noster, attendens quod a pluribus tunc retroactis annis omnis regio dictae almae Urbi finitima frequenter habuerat steriles frumenti et bladorum proventus, cum gravi populorum in ea degentium iactura et afflictione; et considerans id, praeter et ultra coeli naturalem cursum et dispositionem, potissime etiam provenire ex ra-

ritate culturae agrorum, qui, propter aliquam forte maiorem utilitatem inde provenientem eorum dominis, potius servabantur inculti, ut essent in pascua animalibus brutis, quam colerentur, aut coli sinerentur in alimentum et sustentationem hominum, per suas literas statuerat et ordinaverat quod ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus liceret omnibus et singulis agros arare et colere volentibus in praedictae Urbis nostrae territorio et Patrimonii B. Petri in Tuscia ac Campaniae et Maritimae rumpere et arare ac colere; alias, debitis et consuetis temporibus, tertiam partem uniuscuiusque tenimenti seu tenutae, quam eligendam duceret, tam ad quaevis monasteria, capitula seu alias ecclesias et pia loca, quam ad quasvis privatas et particulares personas, cuiusvis status vel conditionis, spectantes et pertinentes, petita tamen, licet non obtenta, eorum ad quos spectaret licentia, dummodo iudicum tunc desuper deputatorum seu alicuius eorum auctoritas interveniret. Et mandaverit propterea omnibus et singulis tenimentorum seu tenutarum huiusmodi dominis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, cuiusvis status vel conditionis existerent, et quavis dignitate praefulgerent, ut, absque ulla prorsus resistentia, sinerent omnes et singulos colere volentes tenutas ipsas, pro eorum arbitrio et voluntate, iuxta statuti huiusmodi tenorem et formam, rumpere et arare, nullum omnino eis aut alicui eorum vel ipsorum famulis et ministris, per se aut alios, impedimentum aut molestiam inferentes.

Differentias, praemissor. occasione oriendas, praecipit per iudices deputatos cognosci.

§ 2. Volueritque, tam super tempore rumpendi quam super electione tertiae partis huiusmodi tenutarum, quae arari deberet, ac responsione pro arata et culta parte dominis facienda et super aliis quibuscumque differentiis et controversiis, si forte aliquas differentias seu controversias super iis quovis modo oriri contingeret inter eos, qui arare et colere vellent, et quorum tenutae ararentur, praecipue super damnis et interesse, si quae forsan illo primo anno praetendere possent praedicti domini tenutarum seu eorum conductores, se ex insperato earum cultu pati, utraque pars praefatorum iudicum aut duorum ex eis iudicio et determinationi stare et acquiescere tenerentur, neque possent aut deberent se mutuo super huiusmodi et quibusvis aliis differentiis, ex huiusmodi statuti tenore quovismodo provenientibus, coram quibusvis aliis iudicibus convenire; aut iudices ipsi, quacumque etiam potestate et auctoritate fungerentur, eos audire, vel se de ipsis controversiis impediri; et si secus forsan actum foret, id totum irritum et inane ac nullius roboris vel momenti esse decreverit.

Iulius II innovavit dictam constitutionem Sixti IV;

§ 3. Et deinde piae memoriae Iulius Papa II, etiam praedecessor noster, literas praedictas per quasdam innovaverit, et quamvis ex provisione sua huiusmodi plurimi agriculturae se dedissent, et in territorio dictae Urbis et aliis locis circumvicinis magna frumenti et aliorum bladorum quantitas colligeretur, et ex illa dictae Urbis necessitatibus abundanter subveniri posset.

Baronibusque et aliis mandavit ne interdicerent eorum subditis delationem frumentorum ad Urbem, neque illos cogerent ad vendendum eis, ut carius ipsi revenderent.

§ 4. Quia tamen barones et domicelli dictae Urbis, domini temporales oppidorum circumvicinorum eorum subditis, ne frumentum et alia blada ad dictam Urbem deferre praesumerent, interdicebant, et ab eisdem subditis, qui non sine magnis sudoribus illud recolligerent, vili pretio habere, illudque eis, cum frumentum aliis carius vendidissent, persolvere nolebant, ab agriculturae huiusmodi laudabili et pernecessario exercitio, in animarum suarum periculum et incolarum Urbis et curialium huiusmodi non modicum praeiudicium et gravamen, desistere compelle-

bantur, idem Iulius praedecessor, motu proprio et ex certa scientia, per alias suas literas, omnes et singulos barones et domicellos Romanos ac quascumque alias personas, tam ecclesiasticas quam saeculares, oppida, terras et villas infra quinquaginta milliaria a dicta Urbe possidentes, ab eorum subditis frumenta et blada, praeterquam pro usu et necessitate victus domus eorum, emere, et ad dictam Urbem deferri interdicere et prohibere, aut illa ad alia loca quam ad eamdem Urbem, absque speciali sua seu Camerae Apostolicae sibi nota licentia, deferre praesumentes, ac in praemissis auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, praestantes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis, etiam si cardinalatus honore fulgentes, forent, requisiverit et monuerit, eisque districte praecipiendo mandaverit quatenus, infra quindecim dierum spatium, postquam posteriorum literarum praedictarum notitiam haberent, videlicet communitates et universitates ac barones et alii in praemissis auxilium et favorem praestantes, ab emptionibus et prohibitionibus ac iurisdictionibus [1] huiusmodi ex tunc deinceps penitus et omnino desisterent; alioquin, lapsis dictis quindecim diebus, barones ac communitatum et universitatum singulares personas et alios auxilium, consilium vel favorem praestantes, ex tunc, prout ex ea die et e contra, excommunicationis sententiam, a qua, ab alio quam Romano Pontifice, et facta de eo speciali et expressa mentione, praeterquam in mortis articulo constituti et praevia satisfactione, absolvi nequirent, innodaverit; archiepiscopos vero, episcopos et alios praelatos suspenderit a divinis; et nihilominus, si aliqui ex praedictis baronibus et alii civitates, oppida et terras in feudum seu vicariatum aut alias quovis titulo obtinentes, lapsis aliis ex tunc sequentibus quindecim diebus, a praemissis non desisterent, dominio dictorum feudorum omnino et penitus privaverit, fiscoque Apostolicae Camerae applicaverit, et eorum civitates, terras, oppida et villas ecclesiastico subiecerit interdicto ipso facto, quod, nisi praevia satisfactione, relaxari per alium quam per ipsum Iulium praedecessorem interdixit et prohibuit. Si vero, ultra semestre, dictos ultimos quindecim dies immediate sequentes, in eorum pravo proposito et duritia obstinate perseverando, mandatis suis huiusmodi non parerent, seu parere contemnerent, ex tunc ipso iure omnibus et singulis civitatibus, oppidis, terris, villis, feudis et iuribus, quae a Romana et aliis ecclesiis, aut alias obtinebant vel recognoscebant, eadem auctoritate privaverit, et ad illa et alia obtinenda perpetuo inhabilitaverit, privatosque et inhabiles esse; ac civitates, oppida, terras, villas et iura huiusmodi Camerae Apostolicae pleno iure incorporata decreverit et declaraverit, prout in eisdem literis plenius continetur.

Hic modo Pontifex dictas Sixti IV et Iulii II bullas confirmat et extendit;

§ 3. Et cum in ipsa Urbe, in praesentiarum, propter multiplicationem et augmentum illius incolarum habitatorum, maior copia frumenti quam antea notorie sit necessaria, nihilominus exercitium artis agriculturae et colendorum agrorum huiusmodi in regione dictae Urbi finitima et illius territorio praedictis, ultra medietatem ab eo quod ante viginti annos existebat, diminutum fuerit; et cultus exercendae agriculturae huiusmodi, etiam docente experientia, rerum magistra, propter multitudinem vaccarum rubearum in eodem territorio existentium, in dies praetermittatur, et ars ipsa quodammodo pereat, quo fit ut in dicta Urbe frumenti penuria invalescat; nos, considerantes terram praefatae Urbi finitimam, qua illius domini ad pascua multorum animalium utuntur, sub

[1] Cherubinus legit *interdictionibus* loco *iurisdictionibus* (R. T.).

isto coelo foecundam existere, et convenientius fore ut terra ipsa vomere et aratro scindatur et aretur, ac potius semen ex ea, ad usum hominum, quam foenum, quod sua sponte ad usum animalium producit, recolligatur; et quod ex cultu agriculturae huiusmodi homines, ad laborem nati, in exercitio honesto se poterunt exercere, et aer salubrior reddetur, et non solum dictae Urbi et illius incolis et curialibus ac ceteris hominibus in terris sanctae Romanae Ecclesiae subiectis de frumento necessario provideri, verum etiam illud per mare ad alias nationes grano indigentes deferri poterit. Ac propterea volentes artem agriculturae et colendorum agrorum huiusmodi in pristinum statum restituere, ac rei frumentariae in dicta Urbe opulentiae providere, et futurae illius penuriae obviare, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, literas Sixti et Iulii praedecessorum huiusmodi ac in eis contenta quaecumque, ita ut tertia pars omnium tenutarum et possessionum et casalium, tam in territorio et Patrimonio ac Campania et Maritima praedictis, quam citra Urbem infra viginti milliaria consistentium, tam ad ecclesias, monasteria et hospitalia quaecumque ac Cameram Apostolicam, quam barones, domicellos et cives Romanos ac forenses, cuiuscumque dignitatis et conditionis, etiam si praelati, commendatarii vel etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales fuerint, aut eorum domini, quacumque alia dignitate tam ecclesiastica quam mundana et temporali fulgeant, quomodolibet pertinentium, absque ulla exceptione vel prohibitione, singulis annis, pro frumentis ferendis et recolligendis, scindi, arari et coli possit et debeat; a die publicationis praesentium liceat unicuique tenutas, possessiones et casalia praedicta, ad tenutas et possessiones ipsas pro futuro anno rumpendum et colendum, ingredi, sic tamen quod, si domini earumdem tenutarum et possessionum illas pro dicta tertia parte colere vel per alios coli facere voluerint, dummodo frumenta in illis recolligenda ad dictam Urbem deferantur, non liceat aliis in eorum casalibus aliquid innovare, aut illorum possessiones ingredi; sed eisdem dominis tenutas et possessiones ipsas colere nolentibus, liceat aliis civibus vel mercatoribus Urbis, habitatoribus vel quibusvis aliis personis tertiam partem tenutarum et possessionum huiusmodi, in quolibet casali, pro eorum arbitrio et ubi eis melius videbitur, absque aliqua prohibitione et impedimento, sub poena quingentorum ducatorum auri Camerae Apostolicae applicandorum, pro qualibet vice per prohibentes vel impedientes eo ipso incurrenda, rumpi, arari et coli facere: ita ut cultores ipsi, cum dictis possessionibus, pascuale pro pascendis bobus laborantibus necessarium habeant; et laboratores illo indigentes, easdem possessiones pro pascualibus reservatas quolibet anno a principio mensis augusti custodiri, et culturas eligendas in principio mensis ianuarii vel post, prout eisdem commodius et opportunius videbitur, rumpi et arari facere possint; nec pro intratura pro rubro terrae aliquid, vel tantum pro quolibet rubro terrae laboratae, in pecunia, sed solum et dumtaxat de tenutis, possessionibus et casalibus infra octo milliaria ab ipsa Urbe consistentibus, quintam partem frumenti vel bladorum recollectorum in dicto territorio, fideliter et more boni coloni, in frumento bono et recipienti [1] ac mercantili, arbitrio consulum artis, solvere teneantur. Et pro tenutis, possessionibus et casalibus in eodem territorio ab octo milliaribus ultra distantibus ab Urbe usque ad quindecim vel sexdecim milliaria, similiter de septima parte frumenti recol-

1 Cherubinius habet *recenti* loco *recipienti* (R. T.).

lecti pro quolibet rubro[1], modo et forma praemissis, respondere debeant, sic tamen quod sub tenutis et possessionibus praedictis non comprehendantur nec comprehensa censeantur, quoad responsionem septimae partis fructuum, tenutae et possessiones in Latio et Campania ac Maritima consistentes, pro quibus, propter faciliorem earum culturam et multitudinem laboratorum, de quinta parte fructuum respondetur, et in quibus consuetudo hactenus servari solita servetur. Et si contingat illas per aliquos, praesentium vigore, laborari, responderi debeat modo praemisso; ac pro tenutis et possessionibus ultra dicta XVI milliaria citra et ubicumque consistentibus (dummodo non sint loca vicina fluminum Tyberis, in quibus consuetudo loci, quoad responsiones, servetur), cultores illarum dominis earum decimam partem frumenti et bladorum, quae in illis sic cultivatis et laboratis excreverint, respondere teneantur, exceptis dominis illarum eas colere volentibus, qui aliis praeferantur, dummodo blada ipsa, etiam illa de quibus daretur tracta, ad Urbem praedictam deferantur, ac per flumen et fauces Ostiae extrahantur, auctoritate apostolica, tenore praesentium innovamus, ac vim et vigorem perpetuo habere, viribusque subsistere et observari debere decernimus.

Agricultores eximit a represaliis et molestationibus pro debitis, et tractas concedit.

§ 6. Et nihilominus, pro potiori cautela, praemissa omnia de novo, modo supradicto declaramus, ac quod cultores praefati cum animalibus, bobus et equabus necessariis ab omni represalici receptione et retentione, tam in Urbe quam extra, liberi et exempti existant, nec occasione alicuius debiti vel obligationis, etiam in forma dictae Camerae et Ripae et Ripettae, molestari, capi, pignorari, nec eorum animalia vel frumenta tolli, pignorari seu auferri possint. Et quotiescumque precium frumenti in praefata Urbe non excedet decem et octo iulios pro quolibet rubro ad mensuram maiorem, *pala batuta* nuncupatam, debeat dari cuilibet mercatori tracta quinquaginta rubrorum pro quolibet aratro, cum solutione tractae duorum iuliorum pro rubro, et non ultra; de quibus unus iulius cum dimidio dictae Camerae, medius vero iulius pro quolibet rubro militibus S. Petri cedat; quae quidem tracta dari debeat pro una, tempore recollectionis frumentorum, et pro alia medietatibus in festo Nativitatis Domini nostri Iesu Christi; et interim tractae dari non debeant aliis, donec ipsi eorum frumenta vendiderint, vel navigio ad alia loca deferri fecerint. Possint tamen dari tractae per ad id deputatos pro maiori summa, quando esset maior abundantia, eorum arbitrio: ita quod in Urbe ipsa propterea penuria non proveniat, iuxta voluntatem nostram et successorum nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium, et discretionem executorum infrascriptorum.

Locationibus ad longum tempus renunciari potest.

§ 7. Ac quod liceat habentibus locationes casalium, etiam ad longum tempus, ab ecclesiis et monasteriis Urbis vel hospitalibus huiusmodi, renunciare in perpetuum dictis locationibus, quas in huiusmodi eventum cassamus, irritamus et annullamus, ad effectum praemissum; nec teneantur ad solutionem alicuius summae ultra tempus quo tenutas, possessiones et casalia huiusmodi tenuerunt, et illorum fructus perceperunt. Nec liceat alicui habere armentum vaccarum rubearum in dicto Urbis territorio infra decem milliaria, excedens centum et vigintiquinque vaccas ad plus.

Romanique et incolae forensibus praeferuntur.

§ 8. Quodque in tenutis, possessionibus et casalibus civium Romanorum laicorum, illas colere et agriculturam exercere volentium, non possint alii forenses laborare, sed solum et dumtaxat alii cives Romani, de quibus domini illorum contentantur, et alii habitantes in dicta urbe, artem praedictam exercere volentes, dummodo tenutae

1 Legendum videtur *rubio* vel *rubbio*; mensura agraria et etiam frumentaria in pontificia ditione (R. T.).

et possessiones ipsae pro dicta tertia parte cultiventur et laborentur, auctoritate et tenore praedictis statuimus et ordinamus.

Inhibitio contra molestan eos.

§ 9. Districtius inhibentes omnibus et singulis tenutarum seu possessionum et casalium praedictorum dominis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existentibus, quavis dignitate praefulgentibus, ne tenutas et possessiones ipsas colere volentibus, seu eorum ministris et famulis praefatis, per se vel alium, directe vel indirecte, impedimentum vel molestiam aliquam inferre quoquomodo praesumerent; sed eos, absque ulla prorsus resistentia, tenutas et possessiones praedictas pro eorum arbitrio et voluntate, iuxta praedictarum et praesentium literarum tenorem, rumpere et arare permitterent.

Prohibitiones Iulii II contra domicos et barones emeutes frumenta a subditis ultra usum familiae, aut blada ad Urbem deferri interdicentes, illorumque fautores innovat.

§ 10. Et nihilominus praefatos barones et domicellos Romanos ac quascumque alias personas, tam ecclesiasticas quam saeculares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existentes, etiam cardinalatus honore fulgentes, oppida, terras et villas in dicto territorio possidentes, requirimus et monemus, eisque districte praecipiendo mandamus quatenus ab eorum subditis frumenta et blada, praeterquam pro usu et necessitate victus et domus eorum, ut praefertur, emere, et ad dictam Urbem deferri interdicere et prohibere, aut illa ad alia loca, quam ad eamdem, absque speciali nostra seu Camerae praedictae nobis nota licentia, deferre, aut in praemissis auxilium vel consilium aut favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore praestare ulterius praesumant. Alioquin, si contrafecerint, ex nunc, prout ex tunc et e contra, ipsos omnes et singulos excommunicationis, suspensionis, interdicti, privationis, inhabilitatis, applicationis et incorporationis ac alias censuras et poenas in posterioribus literis Iulii praedecessoris huiusmodi contentas, post terminos in eisdem posterioribus literis contentos, incurrisse declaramus, ac quicquid secus attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Executores huius constitutionis.

§ 11. Quo circa venerabili fratri Antonio episcopo Praenestinensi, et dilecto filio nostro Andreae, tituli Sanctae Priscae presbytero cardinali, per apostolica scripta, motu simili, mandamus quatenus ipsi ac venerabilis frater noster Bernardus, episcopus Gervisin.[1] modernus, et pro tempore existens in dicta Urbe gubernator, necnon dilecti filii magister Philippus de Senis, notarius noster, dictae Camerae clericus, et Iacobus de Freiapanibus ac Iulius Petri de Matthaeis, Romanus, et Iacobus de Rucellariis, Florentinus civis, et illis deficientibus, per eumdem gubernatorem eorum loco subrogandi, seu tres aut plures ex eis, per se vel per alium, praedictas et praesentes literas ac in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quotiens pro parte dictorum colere volentium desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra singulas literas et in eis contenta huiusmodi, iuxta illarum tenorem, quacumque recusatione vel praeterquam ad nos interposita reclamatione non obstante, firmiter observari, non permittentes eosdem colere volentes, desuper, per dominos praefatos seu quoscumque alios quomodolibet molestari, impediri vel perturbari; necnon communitates, universitates, barones et alias personas praefatas, auxilium, consilium, favorem praestantes, quotiens opus fuerit, excommunicatos et a divinis suspensos publicent, et ab aliis, etiam nominatim, nunciari et publicari, et ab omnibus christifidelibus, donec meruerint absolutionis beneficium obtinere, arctius evitari; et demum etiam civitatibus, oppidis, terris, feudis et iuribus praedictis

[1] Bernardus de Rubeis, episcopus *Tarvisinus* (R. T.).

privatos, et illa eidem Camerae incorporata fore, etiam omissis solemnitatibus positivi iuris, instante etiam fisci nostri procuratore, declarent; et ad declarationem huiusmodi, etiam brachio militari et gentium armorum, ad nostra et eiusdem Romanae Ecclesiae stipendia militantium, exequantur, contradictores, molestatores, impedientes, perturbatores quoslibet et rebelles, per censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias, eorum arbitrio imponendas et realiter exigendas, ac alia opportuna iuris remedia compescendo.

Clausulae derogatoriae.

§ 12. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac literis institutionis militum praedictorum, necnon Urbis, terrarum, oppidorum et villarum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, reformationibus et decretis, privilegiis quoque et indultis apostolicis, communitatibus, universitatibus, baronibus ac aliis praefatis a dicta Sede forsan concessis, quae eis, quoad praemissa, nolumus suffragari; necnon pactis et conditionibus in dictis locationibus forsan appositis, ac omnibus illis, quae dicti praedecessores in praefatis literis voluerunt non obstare, contrariis quibuscumque; aut si communitatibus, universitatibus, baronibus et aliis praefatis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma publicandi istam constitutionem.

§ 13. Ceterum, ne quemquam de praemissis haesitare, aut ignorantiam allegare forsan in posterum contingat, volumus pariter et decernimus quod praesentium literarum tenor per omnia loca publica dictae Urbis solemniter publicari ac praeconizari debeat; et sic publicatus et praeconizatus a die, qua publicatus fuerit, perinde arctet omnes, quos concernit, ac si singulis eorum personaliter intimatus fuisset.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimoquarto, x kalendas martii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 februarii 1524, pontif. anno I.

VI.

Iurisdictio et facultates conservatorum Ordinis fratrum Minimorum S. Francisci de Paula in litibus, causis et controversiis [1].

Clemens Papa VII universis et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus et prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, ac metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum canonicis, necnon eorumdem archiepiscoporum et episcoporum officialibus seu vicariis in spiritualibus generalibus ubilibet constitutis.

Ordo exposuit PP. multa gravamina, quae patiebatur circa quartam canonicam, decimas et funeralia et apostatas seu extra claustra vagantes [2],

Conquestionibus dilectorum filiorum generalis et provincialium ac aliorum correctorum et universorum fratrum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula percepimus quod nonnulli archiepiscopi et episcopi aliique ecclesiarum praelati et rectores eorumque vicarii et officiales ac clerici et aliae ecclesiasticae personae, tam religiosae quam saeculares, necnon laici, communia civitatum et dioecesum ac aliarum diversarum partium, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, a praedictis correctoribus et fatribus quartam canonicam seu alias portiones ex rebus

1 Hic Franciscus in sanctorum numerum relatus fuit a Leone X, praedecessore, in constitutione XXXIV, *Excelsus*, tom. V, pag. 717. (2) Tu de quarta funeralium habes Concil. Trid., sess. XXV, *De Reform.*, cap. 13.

et bonis eis, ratione funeralium et christifidelium piorum legatorum, ad certos et determinatos usus, praesertim ad fabricam ecclesiarum, domorum et locorum suorum, seu in eleemosynam aut alias sibi pio relictis vel erogatis, ac decimas fructuum ex possessionibus et petiis terrarum ad eos legitime spectantibus et pertinentibus provenientium, contra privilegia et indulta apostolica eis et Ordini ac domibus praedictis concessa, exigunt, et in dies exigere conantur; ac relicta et erogata huiusmodi indebite occupata detinent, seu ea detinentibus aut decimas et portiones huiusmodi exigentibus praestant auxilium, consilium vel favorem; et alias ipsis super his ac aliis libertatibus, privilegiis et indultis, domibus et Ordini praedictis illorumque personis, tam a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, quam alias rite a regibus et aliis principibus saecularibus concessis, nec non bonis, rebus et aliis iuribus ad dictas domos illarumque sacristias spectantibus, multiplices molestias, iniurias et iacturas inferunt; eosque coram diversis, tam ecclesiasticis quam saecularibus iudicibus, ad iudicium trahunt. Nonnulli etiam dictum Ordinem professi, post emissam ab eis regularem professionem apostatantes, ad aliorum Ordinum loca se transferunt, et saepius per saecularium habitationes, secundum vana sui cordis desideria, vagando, insolenterque et scandalose vivendo, se ab obedientia et subiectione suorum praelatorum, etiam praetextu indultorum seu licentiarum a Sede Apostolica surreptitie impetratarum, subtrahunt, in contemptum religionis et animarum suarum periculum et scandalum plurimorum.

Et supplicavit pro opportuna provisione.

§ 1. Quare generalis et provinciales ac alii correctores et fratres praedicti nobis humiliter supplicare fecerunt ut, cum eis valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Sedem praedictam habere recursum, providere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus.

Hic idem Pontif. iudices conservatores Ordinis cum amplis facultatibus deputat 1;

§ 2. Nos igitur, qui, pro debito pastoralis officii, religiosarum personarum quarumlibet dispendiis occurrimus, et profectibus libenter intendimus, adversus exactores, occupatores, detentores, praesumptores, molestatores et iniuriatores ac subtrahentes se ab obedientia huiusmodi, illis volentes eisdem correctoribus et fratribus subvenire, per quod illorum compescatur temeritas, et aliis aditus committendi similia praecludatur, discretioni vestrae per haec scripta mandamus quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis conservatores et iudices, praedictis generali, provincialibus et aliis correctoribus et fratribus efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittatis eosdem, super libertatibus, privilegiis, indultis, rebus et bonis praedictis, ab eisdem et quibuslibet aliis indebite molestari; vel eis gravamina vel damna seu iniurias irrogari; aut coram quibuscumque iudicibus ordinariis vel delegatis, etiam apostolicis, quavis occasione vel causa, etiam criminali, eosdem fratres trahi, facturi generali, provincialibus et aliis correctoribus ac fratribus praedictis, cum ab eis vel procuratoribus suis aut eorum aliquo fueritis requisiti, de praedictis et aliis personis quibuslibet, super restitutione bonorum ac rerum et iurium praedictorum, necnon libertatum, privilegiorum et indultorum praedictorum et aliorum eis pro tempore concessorum observatione; necnon professorum et se ab obedientia subtrahentium huiusmodi ad regularia loca dicti Ordinis revocatione et reductione, de quibuslibet molestiis, iniuriis atque damnis, praesentibus et futuris, in illis videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et fi-

1 V. Concil. Trid. sess. VII, *De Reform.*, c. 14.

gura iudicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, iustitiae complementum ministrare. Inhibendo etiam quibuscumque iudicibus praedictis, tam in principio quam in medio vel in fine causae, ne in causis dictorum fratrum, etiam criminalibus, eisdem invitis, se quomodolibet intromittant; ac occupatores seu detentores, exactores, praesumptores, molestatores ac iniuriatores huiusmodi, necnon inobedientes et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, quandocumque et quotiescumque expedierit, auctoritate nostra, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Et nihilominus legitimis super his habendis servatis processibus, illos, quos censuras et poenas per vos pro tempore latas incurrisse constiterit, eas incurrisse declarare, et, quoties opus fuerit, etiam iteratis vicibus aggravare curetis. Ceterum, si per summariam informationem, super his per vos habendam, etiam vobis constiterit quod ad loca, in quibus occupatores, detentores, exactores, praescriptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi ac alios, quos praesentes literae concernunt, pro tempore morari contigerit, pro monitionibus ipsis et citationibus de eis faciendis tutus non pateat accessus, nos vobis citationes et monitiones quaslibet, per edicta publica locis affigenda publicis et partibus illis vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura quod ad notitiam citandorum et monendorum huiusmodi pervenire valeant, plenam et liberam concedimus, tenore praesentium, facultatem; ac volumus et dicta auctoritate decernimus quod monitiones sic factae, perinde eosdem citatos et monitos arctent, ac si eis personaliter intimatae extitissent.

§ 3. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo non ultra tres diaetas aliquis, auctoritate praesentium, non trahatur [1], quam aliis quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, tam de iudicibus delegatis et conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis; necnon quibusvis privilegiis et indultis apostolicis, quibusvis personis, saecularibus vel regularibus, militiis, communitatibus, universitatibus, capitulis, castris, villis, terris et locis praedictis, ac quibusvis cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis aut aliis ecclesiis, capitulis, conventibus, monasteriis, hospitalibus et aliis piis locis, etiam motu proprio et ex certa scientia, etiam de non trahendis eorum subditis vel personis ipsarum ecclesiarum, civitatum, universitatum, castrorum, villarum et locorum respective extra eas, aut coram aliis iudicibus et personis, quam eis, etiam vigore quarumcumque literarum apostolicarum, aut alias quibusvis modis et qualitercumque et sub quibusvis verborum formis et clausulis, etiamsi plena, expressa, specialis, specifica et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus. Quodque vos filii canonici, officiales et vicarii de personis, quae deputari possint conservatores non sitis; seu si aliquibus, communiter vel divisim, a praedicta sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per literas apostolica non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto et earum Contrariis nominibus derogat;

1 Cherubinus legit *extrahatur* loco *non trahatur* (R. T.).

personis, locis et ordinibus et nominibus propriis mentionem, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ampliat conservatorum facultates;

§ 4. Ceterum, volumus et apostolica auctoritate decernimus quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium incoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus.

Ampliatque magis;

§ 5. Quodque a datis praesentium sit vobis et unicuique vestrum, in praemissis omnibus et eorum singulis, coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, perpetua potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in praemissis omnibus, coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, et pro praedictis procedere ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent, et iurisdictio vestra et cuilibet vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem et modum alium perpetua legitimum extitisset, constitutione praedicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstantibus.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Volumus etiam et apostolica auctoritate decernimus quod ipsarum transumptis, manu notarii publici subscriptis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima nona martii, millesimo quingentesimo vigesimo quarto, pont. nostri anno I.

Dat. die 19 martii 1524, pontif. anno I.

VII.

Facultas fratrum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum quaerendi eleemosynas pro opere dictae redemptionis, non obstante quacumque prohibitione contra quaestores [1].

[1] Huius Ordinis institutionem et alia vide in const. XVII Innocentii III, *Operante*, tom. III, pag. 133.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabilibus in Christo fratribus archiepiscopis [1] dilectisque filiis ac filiabus nostris abbatissis, prioribus, priorissis, exemptis, decanis, presbyteris ac aliis ecclesiarum rectoribus ac cappellanis, curatis et non curatis (ad quos praesentes literae pervenerint), salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Gratum Deo credimus impendere famulatum, cum christifideles ad ea opera misericordiae nunc exhortamur, per quae salus mundi, animae utilia procurantur.

Causa huius Indulti.

§ 1. Cum itaque ministri ac fratres Ordinis Sanctae Trinitatis, Redemptionis captivorum fratrum nostrorum christianorum, totis viribus elaborent, transeundo ad partes ultramarinas, pro afflictis ac captivis christianis redimendis, in manibus inimicorum fidei christianae captivis ac detentis. Et cum dicti fratres, pro dictis captivis redimendis, corpora sua mortis periculo subiicere non vereantur, videntes dictos captivos duris ac diversis tormentis assuetos ac cruciatos; et cum pro dictis pauperibus captivis redimendis, qui a paganis captivantur (Altissimo permittente), ipsisque ab huiusmodi captivitate liberandis, Domino coadiuvante, auxilio, totis viribus, attendentes quod ad ea exercenda (propter diversarum onera expensarum) eisque propriae non suppetant facultates, ac, ad id opus tam pium ac laudabile peragendum, eleemosynae fidelium sint quamplurimum opportunae.

Ordinarii faveant fratribus Ordinis in quaerendis eleemosynis.

§ 2. Hinc est quod vobis omnibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis mandamus ac praecipimus, firmiter iniungentes quatenus, cum fratres dicti Ordinis Sanctae Trinitatis ac Redemptionis captivorum praedictorum seu procuratores aut eorum nuncii ad vos accesserint, cum fueritis requisiti, vestras bonas, fortissimas ac gratiosas, pro petendis eleemosynis ad sustentationem

[1] Deest forte *episcopis* (R. T.).

praedictorum, literas dioecesanas eisdem liberaliter concedatis.

Abbates et ceteri benigne recipiant et adiuvent.

§ 3. Et vos abbates, priores, exempti et non exempti, similiter presbyteri, curati ac non curati, ac omnes alii praedictos fratres, procuratores vel eorum nuncios in ecclesiis vestris benigne, gratiose ac favorabiliter et honeste recipiatis; ac eisdem, ob reverentiam Sedis Apostolicae, transeundo ecclesiam [1] ministretis ac sine tristitia; vosque decani, presbyteri, curati et non curati, ac ecclesiarum rectores, dictos fratres, procuratores aut eorum nuncios praedicare verbum Dei, quia sic eis indultum est per sanctam Sedem Apostolicam, ipsosque permittentes in praedictis ecclesiis, populum (prout a latore praesentium, fratribus vel eorum nunciis fueritis requisiti) diligenter, ostiatim ac nominatim convocando de domo in domum, omnes parochianos vestros utriusque sexus, aetatem habentes, in ecclesiis vestris in unum congregari faciatis ad idem locum ac horam, quos lator praesentium vobis assignaverit, ipsosque spontanea spectatione pacifica, intra missarum solemnia. Caveatis etiam ne ad divina officia accedere praesumatis, quousque verbum Dei ac necessitates dicti Ordinis fuerint diligenter declaratae.

Fratres non sunt quaestores, sed religiosi quaerentes eleemosynas ad opus redemptionis.

§ 4. Non obstante aliqua inhibitione facta per praedecessores nostros in capitulo *De quaestoribus*, in concilio Lugdunensi sive in aliis capitulis. Quia isti non sunt quaestores, sed sunt viri religiosi et approbati.

Denique ab aliis religiosis impediri non debent.

§ 5. Item, districte vobis praecipimus ac mandamus quod nullum verbum exhortationis seu praedicationis per aliquem religiosum seu per aliquos religiosos, Mendicantes, quaestores vel non quaestores, ad populum exponere permittatis illa die, qua ad vos accesserint fratres praedicti, procuratores vel eorum nuncii.

Etiam tempore interdicti [1],

§ 6. Volumus insuper ac praecipimus quod cum dicti fratres, procuratores vel eorum nuncii ad aliquas ecclesias advenerint interdictas, in eorum iucundo adventu ecclesiae aperiantur, ac campanae pulsentur, ac quod ibidem, campanis pulsatis et ianuis apertis, divina officia celebrentur, ac corpora mortuorum ibidem ecclesiasticae tradantur sepulturae: nisi excommunicati nominatim fuerint aut eorum publici usurarii.

Nec ab aliquo molestiam pati.

§ 7. Inhibemus insuper, ac sub poena canonica, ne quis dictis fratribus, procuratoribus vel eorum nunciis, mandatum nostrum apostolicum secum deferentibus, in aliquo iniuriare praesumat in aliquibus civitatibus, castris, villis seu ecclesiis, in quibus fractio seu iniuriatio facta fuerit, vel mandatum impeditum seu etiam perturbatum, aut dictorum fratrum, procuratorum vel nunciorum ipsorum bona detenta, fuerint destituta, ecclesiastico supponentes interdicto, nulla ibidem celebrentur divina officia, praeter baptismum parvulorum ac poenitentiam morientium, quousque fratribus, procuratoribus vel nunciis supradictis de illatis iniuriis fuerit plenarie satisfactum.

Perturbatores eorum coerceantur.

§ 8. Quicumque autem mandatorum nostrorum extiterint contemptores, rebelles ac inobedientes seu perturbatores in aliquo, eosdem denuncietis, campanis pulsatis, candelis extinctis, excommunicatos, auctoritate nostra apostolica, ac anathematizatos, ac numquam a praedicta denunciatione cessantes, donec de eorum absolutione, a Sede Apostolica impetrata, vobis appareat competenter. Plebes vobis subditas piis exhortationibus ac salutaribus monitis inducentes ut, de bonis a Deo super terram collatis, ad sustentationem praemissorum pias elargiantur eleemosynas, ac grata subsidia caritatis ministretis, ut illa penuria valeat consumare vos, ab incipientibus pariter verbo ac exemplo,

[1] Cherubinius omittit *ecclesiam* (R. T.).

[1] Vide Concil. Trid., sess. XXIII, cap. 12.

ut per haec et alia bona, quae vos ac ipsi, Domino inspiciente, feceritis, ad aeterna mereamini felicitatis gaudia pervenire.

Benefactores indulgentias hic enunciatas consequuntur.

§ 9. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, ac beato u i Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus benefactoribus dicti Ordinis Sanctae Trinitatis ac Redemptionis captivorum praedictorum, vere poenitentibus et confessis, vel infra annum confiteri volentibus, post declarationem nostrarum indulgentiarum, si vere poenitentes ac confessi fuerint, pro nostris indulgentiis acquirendis in festivitatibus D. N. I. C., videlicet: Nativitatis, Circumcisionis, Apparitionis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes ac Sanctae Trinitatis, Eucharistiae, ac in quatuor festivitatibus S. Mariae Virginis, per singulos dies dictarum festivitatum, septem annos et totidem quadragenas, eisdem benefactoribus, de iniunctis sibi poenitentiis, duximus indulgendos; et per omnes octavas dictarum festivitatum, tres annos ac tres quadragenas. Item ac per totam quadragesimam, singulis diebus, unum annum ac quadraginta dies. Si quis vero clericus vel laicus dictis fratribus, secundum quantitatem substantiae suae ac qualitatem criminis, de bonis suis dederit vel transmiserit ad substentationem praemissorum, pro praedictis indulgentiis acquirendis, ac si in capite eiusdem anni vere poenitens ac confessus moriatur, volumus, ac de gratia speciali concedimus quod ab omnibus peccatis suis in Domino permaneat absolutus.

Redemptionem impediens excommunicatur;

§ 10. Si quis vero clericus vel laicus hoc impedierit actu, verbo vel opere, diabolo instigante, quod non credimus, sciat se excommunicatum esse ac anathematizatum; ac beneficium suae absolutionis nullatenus obtinebit, quousque de damnis dicti Ordinis Sanctae Trinitatis et contemptu Romanae Ecclesiae satisfecerit competenter.

Adiuvans premium consequitur.

§ 11. Sacerdotibus vero, clericis ac viris religiosis, tam viris quam mulieribus, dictum negotium diligenter tractantibus, ac de bonis suis misericorditer erogantibus, quidquid in divinis officiis ac horis canonicis dicere omiserint per negligentiam aut per defectum librorum seu per infirmitatem corporis misericorditer in Domino absolvimus.

Indulgentiae Ordinis confirmantur.

§ 12. Ac omnes indulgentias a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris dicto Ordini Sanctae Trinitatis ac Redemptionis concessas, ex certa scientia confirmamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo *etc.*

Dat. Perusii, decimoquinto kalendas maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 17 aprilis 1524, pontif. anno I.

VIII.

Confirmatio et extensio constitutionum a praedecessoribus Pontificibus editarum circa ea, quae observanda sunt quoad impetrationes beneficiorum ecclesiasticorum consistorialium [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, motu proprio, etc.

Sixtus IV, Iulius II et alii constitutiones ediderunt, quoad impetrationes, de quibus in rubrica.

Cum dudum felicis recordationis Sixtus PP. IV et Iulius II ac nonnulli praedecessores nostri, providendo ne illis, de quorum personis ecclesiis cathedralibus et metropolitanis ac monasteriis consistorialibus providetur, seu ipsa monasteria commendantur, prorogatio consistorii praeiudicium sive occasionem litigandi inferret, constituerint et ordinaverint quod supplicationes desuper signarentur et datarentur, ad quarum datas cedulae consistoriales retrotraherentur, alias nullius essent roboris vel momenti; necnon ut Ca-

[1] Habes in hoc Leonis X constitut. XXXIX, tom. V, pag. 734.

mera Apostolica et sacrum dilectorum filiorum cardinalium collegium, cum periculo promotorum animarum, in eorum iuribus et annatis non defraudarentur, similiter constituerint et ordinaverint quod literae provisionis seu commendae ecclesiarum cathedralium et metropolitanarum ac monasteriorum consistorialium sine literis dispensationum retentionum monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum saecularium et regularium ac pensionum quarumcumque non expedirentur.

Leo X et Hadrianus VI constitutiones ediderunt, sicut et alii Rom. Pont., quoad impetrationem beneficiorum 1.

§ 1. Ac deinde piae memoriae Leo Papa X et Hadrianus VI, etiam praedecessores nostri, intellecto per eos quod supplicationes dispensationum huiusmodi retentionum monasteriorum et beneficiorum ac pensionum praedictarum ad partem signabantur, et de illis in cedulis consistorialibus nulla mentio fiebat, ad effectum ut literae ecclesiarum et monasteriorum praedictorum contra ordinationes praedictas libere, ad personarum provisarum libitum, expediri possent, motu proprio et ex certa scientia, mandata et ordinationes praedictas extendentes, de novo statuerint, decreverint et ordinaverint, quascumque supplicationes, et motu simili, sub quibusvis datis in posterum signandas, dispensationum retentionum quorumcumque monasteriorum et beneficiorum regularium et saecularium, ac quarumcumque pensionum et similium beneficiorum vacantium et provisionum, per huiusmodi provisiones et commendas consistoriales nullius esse roboris vel momenti, nec in aliquo eisdem personis provisis suffragari, sed monasteria et beneficia praedicta per huiusmodi provisiones impetrari posse; ac pensiones cassatas et extinctas intelligi debere, nisi in cedulis praedictis super illis dispensarentur, et de beneficiis sic vacantibus provisum esset; ac supplicationes praedictas sub quibusvis datis desuper signatas, nisi ad hoc quod ad illarum datas cedulae praedictae retrotraherentur, eis nequaquam suffragari possint.

Hic Pontifex eas approbat et extendit.

§ 2. Nos, praedecessorum praedictorum vestigiis inhaerentes, ac fraudibus occurrere cupientes, constitutiones, mandata, ordinationes, statuta et decreta praedecessorum huiusmodi innovamus, illaque, iuxta eorum continentiam et tenorem, observari debere decernimus, ac ad commendas beneficiorum quorumcumque per supplicationes, etiam sub data cedula *etc.* consistorialium ad partem signatas et signandas extendimus et innovamus.

Et ab omnibus officialibus servari praecipit.

§ 3. Mandantes dilecto filio nostro Pompeo, basilicae XII Apostolorum de Urbe presbytero cardinali, sanctae Romanae Ecclesiae vice-cancellario et eiusdem Cancellariae regenti, necnon dilectis filiis de maiori praesidentia abbreviatoribus et aliis officialibus, ad quos expeditio dictarum literarum etiam per Cameram pertinet, praesentibus et pro tempore existentibus, ut mandata, ordinationes, statuta et decreta praedecessorum praedictorum ac nostrum huiusmodi inviolabiliter observent, et observari faciant et mandent. Necnon ordinantes datario nostro et agentibus pro eo quod supplicationes dispensationum, retentionum et capacitatis beneficiorum quorumcumque promotis et translatis, ac commendatariis ecclesiarum cathedralium et metropolitanarum ac monasteriorum consistorialium, extra cedulas consistoriales et extra supplicationes commendae huiusmodi monasteriorum ad partem signatas non dent, nec transire permittant.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Volumus autem quod huiusmodi mandato et constitutioni per nullas clausulas in supplicationibus sive cedulis appositas, etiam cum illius derogatione et

1 Ego tamen posui solummodo bullam Leonis, praetermissis aliis, uti similibus.

sub quibusvis attestationibus praeservativis, nisi per mandatum speciale, manu nostra signatum, tantum derogari possit.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Placet, et ita motu proprio mandamus. I.

(Papae subscriptio).

Lectum et publicatum fuit suprascriptum mandatum Romae in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimo quarto, die vero decimanona mensis aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Clementis, divina providentia Papae septimi, anno I.

Publ. die 19 aprilis 1524, pontif. anno I.

IX.

Approbatio et extensio constitutionum Pii II, Pauli II, Sixti IV, Iulii II et Leonis X contra homicidas, bannitos sumentesque vindictam de propinquis offendentis, nec non brigosos, etc. ac barones et communitates eorum territoria a praedictis non custodientes in Statu Ecclesiastico.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In sancta B. Petri Sede, divina disponente clementia, meritis licet imparibus, constituti, considerantes quod, licet Deus, qui ex praecipui amoris sui dulcedine hominem ad imaginem suam creavit, in lege veteri populo illi rudi et infirmo mandaverit proximum diligi, inimicum vero in odium haberi permiserit: tamen, secundum evangelicam doctrinam, quae lege veteri excellentior atque perfectior est, praecipit etiam inimicum diligi, et transgressorem huius legis ultionem expectare debere innuit, cum dixit: *Qui gladio ferit, gladio peribit.* Ut igitur lex ab omnibus servetur, nec gladiorum impunitas a quoquam sperari possit, et qui virtutis amore nolunt, saltem formidine poenae a vetitis abstineant, ad officium nostrum spectare duximus, illa quae pro pace et quiete civitatum et terrarum, temporali dominio nobis et S. R. E. mediate vel immediate subiectarum, ac civium et incolarum in eis degentium, a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus statuta et ordinata fuisse comperimus, ut eo maiorem obtineant firmitatem, quo saepius fuerint apostolico praesidio communita, nostri praesidii munimine corroborare, ac etiam de novo statuere et ampliare, prout rationabiles causae persuadent, et in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Dudum siquidem, postquam per felicis recordationis Pium Papam II *etc.* [1]. Pius II edidit bullam hic cit.

§ 2. Et deinde cum in alma *etc.* piae memoriae Paulus Papa II *etc.* [2]. Paulus II aliam edidit hic cit.

§ 3. Ac successive recolendae memoriae Sixtus Papa IV, similiter praedecessor noster, accepto per eum quod contenta in litteris Pii praedecessoris huiusmodi, a certis annis tunc elapsis citra, non fuerant observata, et ex illorum non observantia subditi praefatae Ecclesiae procliviores fuerant ad homicidia committenda, ac fere passim quotidie homicidia perpetrabantur; et homicidae praefati ideo ad illa committenda promptiores existebant, quia sperabant latere, et suorum excessuum remissionem consequi facile posse; ac detestabilem et horrendam talium sicariorum nequitiam, ad aliorum cautelam, iuris remediis prosequi studio cupiens indefesso, habita super iis cum fratribus suis praefatae Ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, de illorum consilio, per suas li-

Sixtus IV approbavit bullam Pii II.

1 Omittitur residuum narrativae, quia ipsam bullam habes tom. v, pag. 156, *Ad retinendas.*

2 Omittitur narrativa huius bullae, quoniam ipsam bullam habes ibidem, pag. 186, *Viros.*

teras, decretaque Pii praedecessoris huiusmodi ac, prout illa concernebant, omnia et singula in dictis literis Pii praedecessoris praefati contenta approbaverat, et robur perpetuae firmitatis obtinere debere decreverat ac voluerat; et, de eorumdem fratrum consilio, statuerat et ordinaverat quod condemnati eatenus, et quos in posterum condemnari contingeret ubilibet, in civitatibus, terris et locis praedictis pro homicidio, sive ut principales sive ut auxilium, consilium vel favorem praestantes, suarum condemnationum remissionem aut contra illas salvumconductum et licentiam secure in loco patrati criminis vel infra quinquaginta milliaria, ut praefertur, propinquo [1] nullatenus obtinere possent ab alio quam a Romano Pontifice, qui pro tempore esset; et alienius alterius, etiam legati de latere, remissio nemini suffragaretur. Et si forsan cotingeret eumdem Romanum Pontificem ad remissiones sive salvumconductum huiusmodi procedere, talis remissio per praeoccupationem processisse censeretur, et nemini prodesse posset, nisi in illa verus literarum Sixti praedecessoris huiusmodi tenor de verbo ad verbum, non autem per clausulas idem importantes, insertus foret, ac specifica et determinata causa exprimeretur, quae eumdem Romanum Pontificem induceret ad derogandum eisdem literis Sixti praedecessoris, quae cum tam matura deliberatione ab eodem praedecessore emanarunt.

Iulius II edidit aliam constitutionem hic citatam.

§ 4. Et demum sanctae memoriae Iulius Papa II, etiam praedecessor noster, *etc.* [2].

Leo X alteram hic indicatam.

§ 5. Cum similis memoriae Leo Papa X, etiam praedecessor noster, *etc.* [3].

§ 6. Cum autem, sicuti facti notorietas attestatur, plures Urbis, civitatum, terrarum, castrorum, locorum et tenimentorum ac regni et partium praedictorum contra literas praedecessorum huiusmodi elata cervice devenire, et se adversus iustitiae clypeum et tutelam rebelles constituere praesumant; ac censuras et poenas praedictas in eisdem literis contentas sensu reprobo parvipendere non vereantur, in animarum suarum perniciem, divinae Maiestatis offensam et reipublicae laesionem; nos, quorum est sceleratorum insolentiis, quibus adversus Deum et proximum ac praedictae Sedis auctoritatem veluti catholicae professionis inimici saeviunt, salubriter reprimendis, ne ipsorum invalescat praesumptio, et perversitas extollatur, intendere, sed criminosorum temeritatem (ultrice iustitia) cohibere; ne literae praedictae, quae provida deliberatione ab ipsis praedecessoribus emanarunt, contemptibiles reddantur, sed excessuum perpetratores debita animadversione puniantur, opportunis remediis providere volentes, motu proprio, non ad aliquorum nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et ex certa scientia, singulas Pii, Pauli, Sixti, Iulii et Leonis, praedecessorum, literas huiusmodi, cum statuti, ordinationis, extensionis, additionis, inhibitionis, decreti, declarationis, confiscationis, incorporationis, applicationis, voluntatis et mandati ac omnibus et singulis aliis in eis respective contentis clausulis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et innovamus, ac perpetua roboris firmitate subsistere, et per singulos, quos literae ipsae concernunt, sub excommunicationis, anathematis, maledictionis, infamiae, suspensionis, diffidationis, criminis laesae maiestatis, seditionis, rebellionis, confiscationis, depositionis, privationis, inhabilitatis et interdicti ac aliis censuris et poenis ecclesiasticis et temporalibus in eisdem literis contentis, quas contrave-

Hic modo Pontifex confirmat praedictas bullas Pii II, Pauli II, Sixti IV, Iulii II et Leonis X;

1 Deest aliquid, fortasse *morandi* (R. T.).

2 Omittitur narrativa huius bullae, quia eam habes tom. v, pag. 415, *Cum homines*.

3. Omittitur itidem haec narrativa bullae, siquidem eam habes ibidem, pag. 737. *Omnes*.

nientes eo ipso incurrant, perpetuo inviolabiliter observari debere decernimus.

Et declarat homicidas non solum a loco delicti per 50 milliaria, ut constituerat Pius II, sed a quibuscumque terris et locis S. R. E. exules esse debere;

§ 7. Illasque etiam ad hoc, ut homicidae, sicarii, exititii, criminosi, rebelles aliique infames, propter homicidia aut alia nefanda per eos perpetrata excessus, crimina et delicta in civitatibus, terris, castris vel locis eorum seu in quibus tunc morabantur banniti et condemnati, etiam habita pace ab haeredibus, filiis seu consanguineis occisorum aut partium laesarum, non solum a locis circumvicinis usque ad quinquaginta milliaria, sed etiam ab omnibus et singulis civitatibus, terris, castris et locis, etiam regni et partium praedictorum, nobis et dictae Romanae Ecclesiae quomodolibet, mediate vel immediate, subiectis, banniti et exules sint et esse censeantur; nec in illis seu eorum aliquo, etiam praetextu cuiusvis licentiae, salviconductus, remissionis, reductionis, revocationis vel alterius gratiae per eos desuper quomodolibet pro tempore obtentae, moram trahere possint; et si in eis resederint vel reperti fuerint, capi, detineri et incarcerari, ac, iuxta criminum et excessuum per eos perpetratorum qualitatem et literarum Pii praedecessoris huiusmodi tenorem, sub poenis in eisdem literis contentis, per officiales civitatis, terrae, castri vel loci in qua vel in quo deprehensi fuerint, debitis poenis plecti, seu inde educi, et ad forum seu officiales, ad quos criminum et excessuum eorumdem punitio de iure vel consuetudine pertinet, remitti debeant, extendimus et ampliamus. Et nihilominus praemissa omnia et singula, prout per Pium, Paulum, Sixtum, Iulium et Leonem, praedecessores praefatos, statuta et ordinata, inhibita, decreta et declarata fuerunt, ita ut duces, barones, marchiones, comites, domini temporales, vicarii, feudatarii, capitanei, magnates, principes, communitates, cives, officiales et personae ac alii, ad quos praedictae et praesentes literae concernunt, ac ipsorum singuli, literas et in eis contenta huiusmodi non observantes et illis quomodolibet, directe vel indirecte, contravenientes ac eis adhaerentes, eorumque fautores et complices, singulas censuras et poenas praedictas eo ipso, absque alia declaratione, incurrant et incurrisse censeantur de novo.

Receptantibus bannitos imponit poenas hic expressas.

§ 8. Quodque duces, barones, marchiones, comites, domini in temporalibus, vicarii et feudatarii civitatum, terrarum, castrorum et locorum, etiam regni et partium praedictorum, nobis et eidem Ecclesiae immediate subiectorum, aliquos nostros et dictae Ecclesiae hostes et inimicos aut subditos exules, bannitos et facinorosos, cuiuscumque status vel conditionis fuerint, publice vel occulte, ullo umquam tempore, recipere et acceptare nullatenus praesumant. Et si aliquos ad eorum dominia et territoria confugere contigerit, illos ex eorum dominiis vel territoriis huiusmodi expellere, seu ad simplicem iussionem vel requisitionem nostram vel successorum nostrorum, quo voluerimus, seu successores ipsi voluerint, tute conduci facere; ac quod praemissa a suis subditis inviolabiliter observentur, omni excusatione cessante, cum effectu curare, sub similibus privationis et rebellionis ac crimine laesae maiestatis poenis, si contrafecerint, eo ipso incurrendis.

Communitates et alii sub poenis, de quibus hic, tenentur capere homicidas complices et fautores.

§ 9. Necnon, ut homicidae, fautores et complices praefati facilius capi et puniri possint, quod communitates civitatum et universitates terrarum, castrorum et locorum, in quibus seu quorum territorio, districtu et ditione dicta homicidia perpetrabuntur, sub interdicti ecclesiastici et duorum millium per communitates ac mille ducatorum per universitates: necnon civitatum, terrarum et locorum eorumdem domicelli, barones, vicarii aut alii in temporalibus domini, sub maioris ex-

communicationis latae sententiae et quinque millium ducatorum auri, Camerae Apostolicae irremissibiliter applicandorum, eo ipso, absque alia declaratione, incurrendis poenis, eosdem homicidas, complices et fautores statim capere, ac omni exactissima diligentia, de qua per publica documenta fidem etiam facere teneantur, capi facere. Et si eos capere nequiverint, statim commissum homicidium universitatibus seu incolis et habitatoribus oppidorum circumvicinorum, ad quae declinabunt aut declinare poterunt, notificari. Communitates vero et domini in temporalibus praedicti, ad quorum ditionem tales declinabunt, cum primum id ad eorum notitiam devenerit, eos apprehendere seu apprehendi. Quod si non potuerint, similiter id universitatibus seu incolis et habitatoribus vicinorum oppidorum et locorum, ad quae declinabunt aut verisimiliter declinare poterunt, insinuare, et captos ad eorum iudices ordinarios traducere et tradere, sub similibus poenis, teneantur et debeant, statuimus, ordinamus, inhibemus et declaramus.

Facultates quibuscumque concessas absolvendi homicidas revocat.

§ 10. Et ne facilitas veniae incentivum praebeat delinquendi, quibusvis dictae Sedis legatis, etiam de latere, ac nunciis et provinciarum rectoribus, necnon nostris et dictae Romanae Ecclesiae vicariis in temporalibus pro tempore existentibus et praefatis communitatibus, omnem super absolutionibus homicidiorum huiusmodi per nos et praedecessores nostros Romanos Pontifices ac Sedem eamdem, sub quavis forma et verborum expressione, concessam, approbatam et innovatam auctoritatem et facultatem revocamus, cassamus, irritamus et annullamus. Et si quando similes absolutiones per nos et successores nostros Romanos Pontifices ac Sedem praefatam concedi contigerit, illas per iudices et officiales, ad quos pertinet, nisi trinae literae apostolicae, sub intervallo unius mensis pro singulis literis huiusmodi, expressa derogatione praesentium, desuper emanaverint, nullatenus admitti vel observari volumus.

Executores istius constitutionis deputat.

§ 11. Quocirca dilectis filiis Francisco, tituli Sanctae Mariae in Transtyberim presbytero cardinali, nostro et pro tempore existenti camerario, Camerae Apostolicae clericis et praesidentibus ac universis et singulis legatis provinciarum nostrarum et aliis rectoribus et gubernatoribus ac officialibus civitatum, terrarum et partium praedictarum, nobis et dictae Ecclesiae mediate vel immediate subiectarum, motu simili mandamus quatenus praesentes literas solemniter in singulis provinciis, civitatibus, terris et locis praedictis publicari, necnon omnia et singula in eis contenta inviolabiliter observari faciant et mandent. Contrafacientes quosvis, cuiusvis status, gradus, ordinis vel praeeminentiae sint, sententias, censuras et poenas ante dictas damnabiliter incurrisse declarent, et declarationem huiusmodi per eos faciendam in libris maleficiorum conscribi et adnotari mandent et faciant. Necnon capitales praedictas sententias a ministris iustitiae, absque alicuius incursu irregularitatis, exequi procurent; reales autem irremissibiliter exigant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; necnon, pro exactione poenarum pecuniarium huiusmodi contra communitates et universitates ac eorumdem inobedientium in temporalibus dominorum vassallos, propter eorum huiusmodi inobedientiam, represalias concedant, nec realiter et cum effectu exequi faciant.

Domicelli et barones remittant homicidas et eorum complices ad officiales Sedis Apostolicae.

§ 12. Attentius hortantes et requirentes in Domino barones et domicellos ac in temporalibus dominos dicti regni, necnon illius provinciarum, civitatum, terrarum et locorum gubernatores et officiales, pro tempore existentes, ut praefatos homicidas,

fautores et complices capiant, et capi procurent, captosque ad praesides nostrarum provinciarum, unde ipsi homicidae, fautores et complices originem traxerint, conduci et eis realiter consignari similiter cum effectu faciant.

Clausulae derogatoriae.

§ 13. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus illis, quae dicti praedecessores in praefatis eorum literis voluerunt non obstare, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici *etc.*

Nulli ergo *etc.*

Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimoquarto, pridie idus iunii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 12 iunii 1524, pontif. anno I.

X.

Approbatio congregationis Clericorum Regularium (qui deinde Theatini nuncupati sunt) cum elargitione omnium gratiarum et privilegiorum congregationis Canonicorum Regular. Lateranensium.

Clemens Papa VII venerabili fratri Ioanni Petro, episcopo Theatino, et dilecto filio Caietano, presbytero Vicentino, ac eorum sociis et successoribus.

Quidam, quietius Deo servire volentes, sub habitu clericali, in communi et de communi vivere coeperunt, et vota substantialia emittere volentes, assensum Papae petierunt;

Exponi nobis nuper fecistis quod vos et nonnulli alii eiusdem propositi socii vestri, divina, ut creditur, inspiratione ducti, cupientes cum maiori animi quiete Deo servire, et illi magis pio desiderio adhaerere posse, tria substantialia religiosae vitae, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae vota emittere, et sub solito ac communi habitu clericali in unum habitantes et in communi viventes, ac Deo humiliter et devote, quantum Ipse dederit, servientes, sub nostra et Apostolicae Sedis humili et immediata subiectione et speciali protectione, clericalem vitam ducere decrevistis; supplicarique nobis fecistis ut, de nostrae atque huius sanctae Sedis Apostolicae plenitudine potestatis solitaque clementia, in praemissis benigne annuentes, de eis, quae ad huius vitae propositum conducere aut quomodolibet expedire videntur, vobis, sociis successoribusque vestris providere dignaremur.

Qui eis illum impartitur, eosdemque sub Sedis Apostolicae protectione recipit;

§ 1. Nos, qui omnium christifidelium piis et honestis desideriis libenter annuimus, vestrum in hac parte laudabile desiderium plurimum in Domino commendantes, vestrisque huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis et cuilibet vestrum ut, quandocumque visum fuerit, possitis tria substantialia religiosae vitae, ut petitis, paupertatis, castitatis et obedientiae vota publice emittere, et in manibus cuiuscumque presbyteri saecularis vel cuiusvis Ordinis regularis solemniter profiteri, ac sub solito et communi habitu clericali, subque nomine et nuncupatione clericorum regularium in communi ac de communi viventes, in locis religiosis aut saecularibus, prout vobis ab illis, quorum loca ipsa fuerint, concessum fuerit, seu expedire videbitur, sub nostra et sanctae huius Sedis Apostolicae immediata subiectione et speciali protectione, in unum habitare.

Praepositumque eligendi;

§ 2. Atque ex vobis inter vos singulis annis superiorem eligere, praepositum nuncupandum, qui usque ad triennium, et non ultra, confirmari possit.

Alios ad Religionem recipiendi;

§ 3. Aliosque quoscumque saeculares clericos, quavis dignitate fulgentes, seu laicos, qui, Deo inspirante, ad huiusmodi vitae propositum et communem vivendi modum sese conferre voluerint, recipere; et, post annuam probationem, ad talem trium votorum professionem, in manibus superioris seu praepositi emittendam, ad huiusmodi communem vivendi modum admittere.

Constitutiones que opportunas edendi facultatem concedit:

§ 4. Necnon statuta quaecumque, ordinationes et constitutiones de omnibus et singulis, quae ad huiusmodi vitae propositum conducere, moresque et institutum honeste et devote clericaliter vivendi concernere videbuntur, de missis praecipue et aliis divinis officiis seu horis canonicis, prout vobis melius videbitur, celebrandis et recitandis, licita tamen et honesta, rationabilia et bonis moribus et sacris canonibus non contraria, facere, edere et pro tempore facta et edita corrigere, reformare, et in parte vel in totum immutare; ac de novo alia, prout vobis expedire videbitur, instituere et ordinare, ac iuxta illa vivere, quae, postquam a vobis condita, edita, reformata, instituta aut immutata et ordinata, ac nobis seu successoribus nostris exhibita fuerint, apostolica auctoritate approbata et confirmata sint et esse censeantur.

Privilegia et gratias congregationis canonicorum Lateranensium elargitur;

§ 5. Et ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, favoribus, concessionibus et gratiis spiritualibus et temporalibus, quibus potiuntur et gaudent, aut in futurum potientur et gaudebunt canonici regulares Lateranensis congregationis, personae et loca eorum, vos, personae et loca vestra uti, potiri et gaudere possitis. Quorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis haberi volumus, ita ut literae apostolicae super eisdem privilegiis, exemptionibus [1], concessionibus et gratiis eisdem concessis vel pro tempore concedendis, mutatis dumtaxat nominibus, cognominibus [2] et diebus, ad libitum vestrum, expediri possint, perinde ac si illa omnia et singula non solum per clausulas generales, sed per eorum tenorum de verbo ad verbum expressionem et insertionem fuissent vobis per has nostras literas, sub hac ipsa die, expresse et specialiter concessa, tenore praesentium, ex certa nostra scientia et ex apostolicae plenitudine potestatis, vobis ac sociis et successoribus vestris in perpetuum concedimus pariter et indulgemus, et ad praemissa omnia et singula, quibuscumque impedimentis et contradictionibus amotis, liberam plenamque auctoritatem et facultatem elargimur.

[1] Cherubinus addit *immunitatibus* (R. T.) [2] Hic quoque addit *et innovationibus* (R. T.).

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus nomine, dignitate et officio episcopali, quae Ioanni Petro supradicto per alias nostras literas reservavimus, apostolicisque aut aliis generalibus aut specialibus constitutionibus, ordinationibus, etiam iuramento aut alia quavis firmitate roboratis, etiam si quae specialiter seu de verbo ad verbum exprimenda essent, quae pro expressis haberi, et quibus, quoad effectum praesentium dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, aliisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub ann. Piscatoris, die XXIV iunii MDXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 iunii 1524, pontif. anno I.

XI.

Declaratio circa expensas fieri permissas militiae de Calatrava, Ordinis Cisterciensis, de communi thesauro dictae militiae [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium

Romanus Pontifex, ex iuniuncto sibi desuper apostolicae servitutis officio, ad ea libenter intendit, per quae singuli christifideles, sub regularibus praesertim militiis, pro fidei catholicae defensione institutis, militantes, expensas necessarias et alia onera eis pro tempore incumbentia, abs-

[1] De hac militia atque thesauro vide in constitutione XX Iulii II, tom. V, pag. 466, *Romani*; et alia in constitutione IV Adriani VI, tom. VI, pag. 13, *Dum intra*.

que aliquo conscientiae scrupulo subire valeant, eorumque et catholicorum regum desuper sibi supplicantium votis libenter annuit, prout id conspicit in Domino salubriter expedire.

Iulius II edidit constitutionem circa thesaurum huius militiae.

§ 1. Sane, carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum rex illustris, in imperatorem electus, qui etiam Castellae, Legionis, Aragonum et utriusque Siciliae rex, per Sedem Apostolicam deputatus, militiae de Calatrava, Cistereiensis Ordinis, perpetuus administrator existit, suo et dilectorum filiorum universorum, priorum, praeceptorum, fratrum et militum dictae militiae huiusmodi [1] per dilectum filium Ramirum Nuñez de Aguilera, praeceptorem domus de Mestanca, militiae et Ordinis praedictorum, Toletanae dioecesis, nuntium suum super hoc ad nos destinatum, nuper nobis exponi fecit quod, postquam olim pro parte clarae memoriae Ferdinandi, Aragonum et Siciliae praedictorum tunc regis, ac eiusdem militiae perpetui administratoris per Sedem eamdem etiam deputati, felicis recordationis Iulio Papae II, praedeces. nostro, expositum fuerat *etc.* [2].

Postea ex thesauro, militia de Calatrava, in casibus hic relatos expenere consuevit, sed, pro conscientiae securitate, huius Pontificis permissio petitur.

§ 2. Dicta militia ex tunc thesaurum ipsum, iuxta formam statutorum, ordinationum et literarum praedictarum habere. Et licet exinde omnes et singulas expensas pro necessitatibus, negotiis, rebus, honore et utilitate eiusdem militiae ac illius monasteriorum et locorum, illorumque onerum eis pro tempore incumbentium necessarias supportare et facere potuisse credunt [3]; tamen ipsi vel eorum aliqui, qui timoratae et scrupulosae conscientiae existunt, pro eorum conscientiarum tutiori cautela, illas, quas hactenus facere consueverunt, et alias similes vel dissimiles necessarias expensas, sive sint pro defensione et protectione praedictis, sive etiam pro monasteriis et aliis locis dictae militiae, eorumque fabricis, aut etiam pro expeditione quarumcumque literarum, etiam apostolicarum, in favorem militiae et monasteriorum, locorum ac personarum praedictorum expediendarum, ac satisfactione seu remuneratione illorum, qui, pro earum expeditione ac aliis eorum et singulorum rebus, negotiis, utilitate vel honore, auxilium, consilium vel favorem praestiterint, et aliorum onerum eis pro tempore incumbentium supportatione; et ex thesauro praedicto, iuxta providam ordinationem, deliberationem et consilium Caroli regis in imperatorem electi et pro tempore dictae militiae administratoris seu magistri et capituli generalis vel seniorum, priorum, praeceptorum, fratrum et militum dictae militiae, libere facere nequeunt. Quare, pro parte Caroli regis in imperatorem electi seu administratoris ac priorum, praeceptorum, fratrum et militum modernorum praedictorum, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic ideo Pontifex de thesauro expensas, de quibus hic, certo modo fieri indulget.

§ 3. Nos igitur eorum laudabili desiderio in praemissis annuentes, ac priores, praeceptores, fratres et milites modernos praedictos eorumque singulos, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, tenore praesentium, Carolo regi in imperatorem electo et administratori, ac pro tempore existenti magistro seu administratori, necnon maiori et aliis praeceptoribus, prioribus, fratribus et militibus modernis et pro tempore

1 Deest hic forsan *nominibus* (R. T.). 2 Omittitur residuum narrativae, quia ipsa bulla Iulii est in tom. v, pag. 466, *Romani.* 3 Cherubinus ita hunc locum supplet: *facere consueverunt, prout facere potuisse credunt* (R. T.).

existentibus militiae huiusmodi, quod ipsi de cetero, perpetuis futuris temporibus, omnes et singulas expensas, tam pro militia quam monasteriis et aliis locis, eorumque fabricis, rebus et personis praedictis, quam etiam pro expeditione quarumcumque literarum, etiam apostolicarum, pro eis et aliorum singulis, ac aliorum onerum eis incumbentium, necnon satisfactione, remuneratione et recompensatione illorum, qui in illis et aliis eorum negotiis, rebus, commodo, utilitate, favore, honore vel oneribus suis, aliqnid fecerint, aut ad id faciendum consilium, consensum et favorem praestiterint, ex thesauro praedicto, de consilio capituli generalis vel saltem diffinitorum aut seniorum illius, facere libere et licite valeant, indulgemus; ac ipsae expensae sic pro tempore factae, quando videlicet per Carolum regem in imperatorem electum modernum ac pro tempore existentem administratorem vel magistrnm, de diffinitorum et seniorum in eius curia pro tempore residentium; quando vero per diffinitores et seniores aut capitulum praedictos, etiam modernos et pro tempore existentes, de Caroli regis in imperatorem electi, administratoris moderni, et magistri pro tempore etiam existentium praedictorum eiusdem militiae factae fuerint, bene factae sint et esse censeantur, ac pro bene factis habeantur et reputentur statuimus et ordinamus, ac literas praedecessoris huiusmodi etiam ad praemissa extendimus et ampliamus.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 4. Non obstantibus praemissis et apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac militiae et Ordinis eorumque monasteriorum et locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus omnibus, quae idem praedecessor noster in dictis literis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimoquinto, idibus ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 13 ianuarii 1525, pontif. anno II.

XII.

Facultas collegii deputatorum fabricae basilicae S. Petri de Urbe componendi, pro subventione dictae fabricae, super legatis loco pio vel personae incertae aut ignotae, et pro male ablatis malere ablatorum restitutione relictis, ac bonis ecclesiarum et beneficiorum occupatis etc. [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Dudum admonente nos cura regiminis, et auctoritate pontificali inducente ut ad ea potissimum intenderemus, per quae gloriosi principes terrae, Petrus videlicet et Paulus apostoli, qui primum Evangelium Dei in alma Urbe praedicarunt, in eaque, postquam christianam religionem ibidem plantaverant, ac universum orbem sacrae doctrinae splendore et plurimis miraculis repleverant, gloriosi martyrii coronam sub eodem persecutore ac eadem die susceperunt, eo maiori veneratione a christifidelibus colerentur, quo maioribus meritis inter alios apostolos excelluerunt.

Iulius II iussit basilicam S. Petri destrui et magnificentius reaedificari [2];

§ 1. Quia tamen Salvator noster Iesus Christus Petrum aliorum apostolorum principem, et eum eiusque successores

1 Istud collegium erexit hic Pontifex in sua constitutione III, *Admonet*, pag. 48 huius tomi.

2 Ut in eius constitutione XXVIII, tom. V, pag. 81.

plenitudinem[1] habere voluit, mente revolvimus ad nostrum officium pertinere ut, postquam felicis recordationis Iulius Papa II, praedecessor noster, existimans quemadmodum ipse Petrus apostolorum princeps haberetur, ita etiam basilicam sub eius invocatione, in dicta Urbe dedicatam, aedificii pulchritudine et magnificentia inter alias principatum obtinere debere, ipsam propterea demoliendam duxerat ut eam aedificio longe ampliori et magis admirabili reficeret et instauraret.

At ipse et successores Pontifices hoc opus perficere non potuerunt.

§ 2. Quod ipse Iulius, morte praeventus, successive Leo X et Hadrianus VI, Romani Pontifices etiam praedecessores nostri, variis causantibus impedimentis, perficere non potuerunt, id, ut omni conatu ac totis viribus aggrederemur, dignum, quin potius debitum duximus, quod illius fabrica etiam communi favore et diligentia prosequenda esset.

Et ideo hic Pontifex, ad eamdem perfectionem dictae fabricae, collegium deputatorum instituit[2],

§ 3. Et ut fabrica ipsa prosperiores successus amplecteretur, ac pia christifidelium suffragia, pro eadem fabrica eroganda, fideliter exigerentur, conservarentur, et in fabricam ipsam et non alium usum converterentur, providere volentes, revocatis per nos primitus quibuscumque officialibus praefectis ad opus dictae fabricae, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis forent, etiamsi pontificali dignitate aut cardinalatus honore praefulgerent, per dictos praedecessores et nos ac Sedem Apostolicam eatenus deputatis, ac omnibus commissionibus et facultatibus eis concessis et factis, eisque ab huiusmodi praefectione et aliis officiis ac commissionibus absolutis, unum collegium, *Fabricae beati Petri de Urbe* nuncupandum, omnium oratorum christianorum regum et principum rerumque publicarum ac singularum nationum, in nostra Romana Curia degentium curialium digniorum ex eis, numerum sexaginta non excedentium, ad hoc de mandato nostro tunc electorum, loco quorum pro tempore decedentium, vel se diutius absentantium, alii earumdem nationum similiter eligi possent, sic tamen quod dictum numerum sexaginta non excederent, auctoritate apostolica, motu proprio ereximus et constituimus; ipsique collegio administrationem, curam et directionem ac omne regimen dictae fabricae plenarie commisimus, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur.

Et modo, pro subventione eiusdem fabricae, dat collegio auctoritatem componendi super

§ 4. Cognoscentes autem ad tanti operis absolutionem, facultates Camerae Apostolicae, quam pluribus debitis et aliis oneribus gravatae, non sufficere; et opus ipsum, tam sublime et excelsum, ad finem optatum, absque piis et largis christifidelium erogationibus et aliis subsidiis, perduci non posse; ac considerantes indulgentias et alias gratias, tam spirituales quam temporales, per praefatos praedecessores in favorem dictae fabricae concessas, iamdudum expirasse, motu simili et ex certa scientia ac apostolicae potestatis plenitudine, praefatis collegio et ab eis ad infrascripta in genere vel in specie deputandis aut subdelegandis, ut ad biennium a publicatione praesentium literarum in valvis dictae basilicae, tribus diebus continuis facienda, computandum, et deinde ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, cum quibuscumque utriusque sexus christifidelibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae existant, tam ecclesiasticis, etiam religiosis, quam saecularibus per totum orbem constitutis:

Male ablatis incertis,

§ 5. Super quibuscumque male ablatis, incertis vel per usurariam pravitatem quaesitis; etiam certis quae foenerator ab alio foeneratore extorsisset, et quae ipse requisitus usuras restituere paratus non esset:

[1] Dicit forte *potestatis* (R. T.). [2] Ut in eius constitutione III, pag. 48 huius tomi.

Debitis ecclesiarum, cui Romana succederet,

§ 6. Vel alicui privatae ecclesiae deberentur, in quibus tamen Romana Ecclesia de iure communi succedere posset:

Restituendis personae incertae,

§ 7. Ac etiam bonis, quae ad alicuius manus pervenissent, et illa habentes quibus restitui deberent ignoraverint vel dubitaverint, quamquam male ablata per eos non existant, seu alias illa ad eos pervenerint:

Legatis piis incertis,

§ 8. Et similiter de eis, quae Deo, eius sanctis et, eorum intuitu, pauperibus et aliis piis locis, in genere et absque ulla speciali determinatione, et propriis nominibus personarum non expressi, pure in diem, vel sub conditione, etiam per viam substitutionis vel translationis aut alias quomodolibet relicta fuerunt, ac biennio et beneplacito huiusmodi durantibus relinquentur, tam pro praeterito quam futuro temporibus, etiam ante illorum purificationem vel diei adventum aut cessionem, componere, ita ut, soluta aliqua quantitate pro dicta fabrica eisdem collegio seu deputandis vel subdelegandis, ab eis dumtaxat a reliquorum sic relictorum, male ablatorum ac per usurariam pravitatem extortorum, seu ad eos alias pervenerint, et cui ea restituere debeant, dubitanter ignorant, ut praefertur, restitutione absoluti existant, et ultra restituere minime teneantur, eis concedere:

Inexactis etiam ordinario donatis vel relictis pro incertis, etc.,

§ 9. Ac illa quae, tempore publicationis literarum indulgentiarum Iulii et Leonis ac Hadriani, praedecessorum huiusmodi, inexacta remanserunt, etiam si illa ordinariis, pro ipsis tamen incertis quomodolibet relicta, donata, et quae eis quovis modo obvenerint; necnon quae ab ipsis ordinariis vel eorum nomine, post ipsam publicationem, exacta et eis quoquomodo soluta; ac etiam quae ante ipsam publicationem pro ipsis certis aut incertis personis et locis non debebantur, sed post publicationem praedictam postea deberi coeperunt, etiam si ea ordinariis, ut praemittitur, relicta, donata aut obventa, tamquam eis indebita, per ipsos collegium et deputandos seu subdelegandos ab ipsis, nomine dictae fabricae, libere exigi ac repeti et assequi posse et debere decernimus, etiam censuris ecclesiasticis ac pecuniariis poenis, aliisque iuris remediis opportunis, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis:

Bonis ecclesiarum et beneficiorum restituendis, etc.,

§ 10. Ac enim quibuscumque, qui bona ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet haberent, et iudicialiter, deficientibus probationibus, ad illorum restitutionem compelli non possent, etiam si per eos probari posset:

Relictis pro male ablatis,

§ 11. Quae bona omnia ac quaecumque legata et alias quomodolibet, etiam haereditatis titulo, pro male ablatorum restitutione, relicta haetenus, et quae relinqui ac largiri contigerit in futurum, biennio et beneplacito huiusmodi durantibus, in quibuscumque testamentis, donationibus causa mortis, codicillis aut aliis ultimis voluntatibus per quoscumque et ubicumque factis:

Legatis piis locis et personis incertis vel absentibus et ignoratis,

§ 12. Et quae durante biennio et beneplacito huiusmodi fient quibuscumque incertis ecclesiis et piis locis, aut personis similiter incertis vel absentibus, taliter quod propter ipsorum absentiam merito ab eis notitia haberi non posset:

Restituendis ei, cui receptio non competit,

§ 13. Ac etiam quae restitutioni subiacerent, sed in eis vel ad ea personis, quibus illa fieri deberet, receptio non competeret:

Exponendis in prandiis, conviviis et spectaculis, in diebus festivitatum.

§ 14. Necnon omnes et singulas pecunias et res alias, quae in prandiis ac conviviis et publicis spectaculis, in aliquibus celebritatibus ex voto, statuto seu consuetudine in aliquibus locis exponi consueverunt, et, biennio ac beneplacito huiusmodi durantibus, exponi debent:

§ 15. Etiam si super illis et aliis qui-

Declaratio quod praedicta procedant etiam si super his et aliis lis ubivis pendeat.

buscumque rebus et bonis, ad dictam fabricam quomodolibet spectantibus et pertinentibus, inter ipsam fabricam et quosvis alios, coram olim praefectis et officialibus eiusdem fabricae aut dilectis filiis supradictae Camerae clericis seu Curiae causarum Camerae eiusdem generali auditore, vel quibuscumque aliis iudicibus et commissariis, quavis auctoritate fungentibus, etiam si cardinalatus honore praefulgeant, in Romana Curia vel extra eam, lis etiam in secunda vel ulteriori instantia indecisa pendeat, ad ipsam fabricam applicamus.

Commissio omnium causarum concernentium fabricam ipsam, iuxta bullae praecedent. continentiam.

§ 16. Ac omnes et singulas causas, eamdem fabricam concernentes, in quavis instantia, ut praemittitur, pendentes, earum omnium statum et merita praesentibus pro expressis habentes, a dictis iudicibus et commissariis harum serie avocamus; illasque in eo statu, in quo reperiuntur, praefatis collegio, iuxta facultates eis in dictis prioribus literis nostris per nos concessas, ulterius ad audiendas, cognoscendas, decidendas et fine debito terminandas, committimus.

Auctoritas dicti collegii ad componendum, cum bona ecclesiarum et beneficiorum occupantibus,

§ 17. Super restitutione bonorum ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, competenti recepta portione vel quantitate, pro eis in fabricam huiusmodi convertenda similiter componere; et ipsos, sic ea tenentes, ab ulteriori eorum restitutione libere absolvere, et quod illa retinere libere et licite possint in posterum eis concedere.

Electionemque confessorum dandi eleemosynam fabricae praestantibus.

§ 18. Ac eisdem christifidelibus, qui cum praefatis collegio seu deputandis vel subdelegandis ab eis de aliqua eleemosyna pro dicta fabrica convenerint, ut idoneum possint eligere confessorem saecularem vel cuiusvis Ordinis, etiam Mendicantium, regularem, qui, eorum confessione diligenter audita, pro commissis per eligentem delictis et excessibus ac peccatis quibuslibet, quantumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis casibus ac censuris ecclesiasticis, etiam ab homine ad alicuius instantiam latis, de consensu partium, etiam ratione interdicti, incursis, et quorum absolutio dictae Sedi esset reservata (praeterquam machinationis in personam Summi Pontificis, occisionis episcoporum aut aliorum praelatorum, et iniectionis manuum violentarum in illos et alios praelatos, falsificationis bullarum et literarum apostolicarum, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac sententiarum et censurarum, occasione aluminum Tulphae nostrae, ac de partibus infidelium ad fideles, contra prohibitionem nostram, delatorum, incursarum), semel in vita et in mortis articulo; et in non reservatis casibus, totiens quotiens id petierint, eos absolvere; ac eis, in mortis articulo, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem impendere, ac poenitentiam salutarem iniungere; nec non emissa per eos vota quaecumque, ultramarino, ingressus Religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis, in utilitatem dictae fabricae, si confitentis ad id accesserint facultates, sin autem in alia pietatis opera commutare; ac iuramenta quaecumque, sine alicuius praeiudicio, relaxare; ac simoniae, in ordinibus vel beneficiis ecclesiasticis commissae, labe pollutos, ad ipsum opus contribuentes, similiter absolvere, et cum eis super irregularitate, si quam, censuris huiusmodi ligati, missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, aut alias in divinis se immiscendo, seu alias quomodolibet, etiam beneficia ecclesiastica, praemissorum occasione vel alias, indebite occupando, praeterquam ratione homicidii voluntarii et bigamiae, contraxerint; et ut in susceptis ordinibus ministrare, ac sic quaesita beneficia ecclesiastica, quae ex tunc eis de novo collata censeantur, reti-

nere libere et licite valeant, dispensare; omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam ex eis provenientem abolere; ac eis fructus per eos indebite perceptos, etiam ratione omissionis horarum canonicarum et divinorum officiorum, remittere possit; liceatque eisdem christifidelibus Eucharistiam et alia ecclesiastica sacramenta, ab eodem confessore vel alio sacerdote cuiusvis Ordinis, etiam Mendicantium, regulari, per eos eligendo, quocumque tempore, praeterquam in Paschate Resurrectionis, et sine alicuius praeiudicio, recipere; ac ipsorum decedentium corpora, etiam tempore interdicti auctoritate ordinaria appositi, ecclesiasticae tradi possint sepulturae sine pompa; ac quamcumque ecclesiam vel cappellam, per eos eligendam, devote visitando, tot et similes indulgentias ac peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur si, singulis diebus quadragesimalibus, singulas dictae Urbis et extra eam ecclesias, quae a christifidelibus, propter stationes Urbis, visitari solent, personaliter visitassent. Ac ut eisdem quadragesimalibus et aliis temporibus prohibitis, ovis, butyro, caseo et aliis lacticiniis, carnibus vero, de utriusque medici consilio, uti, frui et vesci libere et absque conscientiae scrupulo possint et valeant; ipsique collegium, et quibus vices suas in genere vel in specie duxerint committendas, possint summam pecuniariam, pro praemissis, declarare, taxare et limitare; ac facultatem eligendi confessorem huiusmodi per eorum patentes literas, eorum sigillo sigillatas, etiam absque insertione praesentium literarum, concedere. Necnon nobilibus et presbyteris ac graduatis indulgere ut habeant altare portatile, super quo, cum debitis reverentia et honore, in locis ad hoc congruentibus et honestis, etiam non sacris et ecclesiastico interdicto ordinaria auctoritate interpositis [1], dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, in sua et suorum familiarium domesticorum praesentia, missas et alia divina officia per seipsos, qui presbyteri sunt, aut pro tempore erunt, celebrare, seu per alios sacerdotes celebrari facere, ac tempore interdicti huiusmodi divinis interesse libere possint, auctoritate apostolica praefata, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus.

1 Forsan legendum *suppositis* (R. T.).

Inhibitio adversus contravenientes.

§ 19. Mandantes universis et singulis locorum ordinariis, abbatibus et aliis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et præeminentiæ existant, sub excommunicationis latae sententiae ac quingentorum ducatorum auri, fabricae praedictae applicandorum, poenis ipso facto incurrendis, ne publicationem et praedicationem earumdem praesentium, in eorum civitatibus et dioecesibus, ubi et quando ac quotiens opus fuerit faciendam, impedire; neve aliquid, praetextu publicationis, petere, aut etiam a sponte offerentibus recipere, aut in praemissis et circa ea aliquam fraudem vel dolum committere; nec illos quos absolvi, et cum quibus dispensari, vigore praesentium, ab ipsis collegio vel deputandis aut subdelegandis ab eis contigerit, quovis modo molestare vel impedire, aut poenas aliquas pro casu, in quo, ut praefertur, dispensatum fuerit, ex statuto vel consuetudine seu alias exigere, per se vel alium seu alios, quovis modo audeant vel praesumant; ac decernentes confessionalibus, per praefatos collegium et deputandos vel subdelegandos ab eis pro tempore concessis, et eorum sigillo dumtaxat munitis, plenariam fidem adhiberi debere.

Clausulae derogatoriae.

§ 20. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis aliis applicationibus et concessionibus dictorum legatorum

et incertorum ablatorum; ac privilegiis et indultis apostolicis, quibuscumque Ordinibus, ecclesiis, hospitalibus et aliis piis locis ac miserabilibus personis, in genere vel in specie, sub quibusvis verborum formis et clausulis, etiam motu proprio et scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine similibus forsan factis et concessis, aut in posterum fiendis et concedendis; necnon dictarum et similium facultatum et gratiarum suspensione, per nos, in praesenti anno Iubilei, ad similiter nostrum et dictae Sedis beneplacitum, de fratrum nostrorum consilio, facta, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de ipsis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, de simili nostra scientia et potestatis plenitudine, derogamus, ac cuiquam nolumus ullatenus suffragari, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus vel eorum Ordinibus ab eadem Sede indultum existat quod interdici, *etc.*

§ 21. Verum, quia difficile foret praesentes *etc.*

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam *etc.*

Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimoquinto, kalendis iunii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 iunii 1525, pontif. anno II.

XIII.

Privilegia, indulta et exemptiones auditorum Rotae Romanae.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Convenit aequitati Romani Pontificis, digna pro meritis praemia compensantis, illis potiores gratias et favores impartiri efficaciter, qui non solum pro ipso Romano Pontifice, sed etiam pro universali Ecclesia ac Sedis Apostolicae honore, et, personis ad illam confluentibus institia ministranda graviora sollicitudinis studia, prompta voluntate, iugiter perferre, et facti evidentia designante, maiora eidem Sedi devotionis obsequia studiosius impendere dignoscuntur, ut exinde eorum devotio augeatur, et fides illorum cunctis plenius innotescat, ac alii, eorum exemplo, ad similia propensius excitentur.

Causa huius constitutionis. § 1. Hinc est quod nos, debita consideratione pensantes continuos labores, quos dilecti filii causarum Palatii Apostolici auditores et eorum locatenentes, nunc et pro tempore existentes, circa causas ipsas audiendas et fine debito decidendas ad publicam utilitatem et eiusdem Romani Pontificis honorem permaximum, in dies noscuntur substinere; ac propterea volentes eos, qui etiam nostri et Romani Pontificis pro tempore existentis cappellani existunt, condignis favoribus et praerogativis, prout debitum reputamus, prosequi.

Privilegium circa pluralitatem beneficiorum. § 2. Motu proprio, non ad ipsorum auditorum et locatenentium vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, cum eisdem auditoribus et locatenentibus, nunc et pro tempore existentibus, ac eorum singulis, ut quaecumque quatuor curata, seu alias invicem incompatibilia saecularia, aut uno vel duobus seu tribus ex eis, seu, absque illis,

unum cum cura vel sine cura, cuiusvis, etiam Cluniacensis vel Cisterciensis, Ordinis regulare, necnon quaecumque alia tria similia vel dissimilia, sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium, etiam metropolitanarum vel collegiatarum aut aliarum ecclesiarum, consistentia, alias se invicem et cum dictis incompatibilibus beneficiis compatientia beneficia ecclesiastica, etiam si alterum beneficiorum, sub eisdem tectis consistentium cum cura, aut quomodolibet eorum canonicatus et praebenda, et tam illa, quam incompatibilia saecularia dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis vel collegiatis, et dignitates ipsae in cathedralibus, etiam metropolitanis, post pontificales maiores, seu collegiatis ecclesiis huiusmodi principalis, aut tria ex eis parochiales ecclesiae vel earum perpetuae vicariae, seu talia mixtim, regulare vero beneficia huiusmodi prioratus, praeposituras, praepositatus, dignitates, dignitas etiam conventualis, personatus, administratio vel officium fuerint, et ad prioratum, praepositurам, praepositatum, dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si eisdem auditoribus et locatenentibus alias canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur vel alias assumantur ad illa et instituantur, in eis recipere et insimul saecularia in titulum, ac regulare in commendam, sub eisdem tectis consistentia, videlicet si duo canonicatus et duae praebendae ac totidem dignitates, personatus, administrationes vel officia ad annum, a die habitae pacificae per eos utriusque illorum possessionis computandum, dumtaxat. Si vero alia fuerint, ac incompatibilia saecularia, necnon regulare beneficia huiusmodi, quoad vixerint retinere, illaque simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutationis, quoties eis placuerit, dimittere, et eidem commendae cedere, ac loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia, beneficium seu beneficia, ecclesiasticum vel ecclesiastica, quatuor dumtaxat curata seu alias invicem incompatibilia saecularia, aut cum uno vel duobus seu tribus ex eis, vel, absque illis, unum cum cura vel sine cura, cuiusvis, etiam Cluniacensis vel Cisterciensis, Ordinis regulare, necnon quaecumque tria alia similia vel dissimilia, sub singulis tribus tectis quarumcumque trium ecclesiarum consistentia, alias, ut praefertur, compatientia similiter recipere, et insimul saecularia in titulum, regulare in commendam, sub eisdem tectis consistentia, videlicet, si duo canonicatus et duae praebendae aut totidem dignitates, personatus, administrationes vel officia ad annum, ut praefertur computandum; si vero alia fuerint ac incompatibilia, necnon regulare beneficia huiusmodi, dummodo inter ipsa quatuor incompatibilia saecularia plures quam tres parochiales ecclesiæ vel earum perpetuæ vicariæ, et sub singulis tribus tectis consistentia post dictum annum duo canonicatus et duae praebendae aut totidem dignitates, personatus, administrationes vel officia ac regulare beneficia huiusmodi officium claustrale non existant, quoad vixerint, ut praefer., retinere; necnon, debitis et consuetis ipsius regularis beneficii supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditib. et proventibus, sicuti illud in titulum pro tempore obtinentes, de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt (alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dicti regularis beneficii eis penitus interdicta), disponere et ordinare libere et licite valeant. Ac quod ipsi auditores et locatenentes, ac eorum singuli, naturales in omnibus regnis, dominiis et provinciis existant, ac in ipsis et eorum singulis quae-

cumque, quotcumque et qualiacumque, cum cura et sine cura, beneficia ecclesiast. sæcularia et regularia, etiam, ut præfertur, qualificata, alias eis canonice conferenda perinde ac si ibidem oriundi et nati fuissent, etiam recipere et retinere libere et licite possint, ac de illis aut qualitate locorum in eorum literis mentionem facere minime teneantur. Quodque, ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum curatorum, seu ex statuto, fundatione aut alias, sacros etiam presbyteratus ordines requirentium, per eosdem auditores et locatenentes ac eorum singulos pro tempore obtentorum, usque ad septennium a fine anni a iure concessi computandum, ad aliquem ex sacris ordinibus huiusmodi promoveri minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti coarctari possint, auctoritate apostolica, tenore praesentium, de specialis dono gratiae dispensamus, eisque pariter indulgemus.

Facultas absolvendi sicut ordinarii,

§ 3. Et insuper praefatis auditoribus et locatenentibus et eorum cuilibet, ut omnes et singulas utriusque sexus personas quarumcumque parochialium ecclesiarum ac dignitatum vel aliorum beneficiorum ecclesiasticorum curam animarum habentium, per eos pro tempore obtentorum, per se ipsos vel alios ab eis deputandos, earumdem personarum confessionibus diligenter auditis, in omnibus et singulis casibus, in quibus ordinarii locorum de iure vel consuetudine absolvere possint, quoties ad eos, confessionis causa, confugerint, absolvere, eisque poenitentiam salutarem iniungere.

Testandique etiam de bonis acquisitis ex beneficiis;

§ 4. Necnon de omnibus et singulis bonis mobilibus et immobilibus ubilibet consistentibus, cuiuscumque quantitatis et qualitatis, etiam si in pecunia fuerint, quæ ad eos et eorum quemlibet, etiam archiepiscopos vel episcopos, etiam ratione suarum, quibus nunc præesse dignoscuntur, aut aliarum cathedralium, etiam metropolitanarum, ad quas eos transferri contigerit, ecclesiarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, saecularium et regularium, obtentorum et obtinendorum, quomodolibet pertinent et pertinebunt, acquisitis et acquirendis, tam in vita, quam etiam ultima voluntate eorum, inter consanguineos et alias quascumque personas ac loca, necnon pro expensis funerum ac remuneratione eorum, qui sibi viventibus serviverint, disponere, erogare, testari, codicillari, ac illa alias in pios et quoscumque alios tamen licitos usus, prout eis videbitur expedire, convertere libere et licite valeant.

Transferendi et etiam resignandi beneficia etc.

§ 5. Ac praedicta necnon omnia et singula alia beneficia ecclesiastica cum cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, per ipsos auditores et locatenentes ac eorum singulos in titulum et commendam, ac invicem seu alias ad eorum vitam unita, pro tempore obtenta, necnon in quibus et ad quae ius eisdem auditoribus et locatenentibus competit et competere poterit in futurum, ac de quibus eis provisum, etiam illorum possessione non habita, seu provideri mandatum vel concessum fuerit, simpliciter aut pro alio vel aliis, simili vel dissimili, aut similibus vel dissimilibus, beneficio seu beneficiis, ecclesiastico vel ecclesiasticis, cum quibusvis personis cum eis permutare volentibus, ac causa permutationis huiusmodi, in qua tamen nulla illicita pactio seu simoniaca pravitas interveniat, in quorumcumque ordinariorum locorum aut canonicorum metropolitanorum vel [1] aliarum personarum in dignitate ecclesiastica constitutarum, ad id per eos eligendorum vel eligendarum, manibus, extra Romanam Curiam, praefatae Sedis vel cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, resignandi; et commendis, necnon iuri et concessionibus, etiam literis apostolicis non confectis, cedendi; ac dissolutioni

1 *Aliarum cathedralium ecclesiarum seu* aliarum etc.; haec verba sunt in edit. Cherubinii (R. T.).

unionum huiusmodi consentiendi; ipsisque ordinariis, canonicis et personis in dignitate constitutis resignationes et cessiones huiusmodi ab eisdem auditoribus et locatenentibus simpliciter, vel ex eadem causa etiam permutantibus personis, ex dicta causa dumtaxat, extra eamdem Curiam auctoritate praedicta recipiendi et admittendi; ac uniones, annexiones et incorporationes praedictas dissolvendi. Necnon ea, quae simpliciter resignaverint, et quorum commendis aut iuri et concessionibus cesserint, seu unionum dissolutioni consenserint personae seu personis, idoneae vel idoneis, ad id per ipsos auditores et locatenentes nominandae seu nominandis, et quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, quibus et non aliis, etiam si ante resignationes seu cessiones huiusmodi per eos nominatae fuerint, conferri possint, et quæ ex eadem causa cum eis permutantibus. Quae vero ipsae compermutantes personae resignaverint beneficia huiusmodi, etiam si, ut praefertur, qualificata, et compermutantium huiusmodi similem facultatem non habentium beneficia huiusmodi dispositioni apostolicae generaliter reservata seu affecta fuerint, eisdem auditoribus et locatenentibus conferendi et de illis etiam providendi; ac omnia et singula alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi ac exequendi plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, motu simili, facultatem concedimus.

Privilegium residendi.

§ 6. Ac eisdem auditoribus et locatenentibus et eorum singulis, etiam in dicta Curia aut aliquo beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, per eos pro tempore obtentorum residendo, in aliis beneficiis ecclesiasticis similiter per eos in quibusvis ecclesiis sive locis pro tempore obtentis residere minime teneantur, nec ad id inviti compelli possint. Et nihilominus omnes et singulos fructus, redditus et proventus beneficiorum praedictorum, etiam, ut praefertur, qualificatorum, cum ea integritate (quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis) libere percipere valeant, cum qua illos perciperent, si in eisdem beneficiis personaliter residerent; dictisque beneficiis per cappellanos seu vicarios idoneos, ad eorum nutum amovibiles, in divinis deservire, et animarum curam illis imminentem exercere, ac quaecumque ecclesiastica sacramenta ministrari facere, quotiens opus fuerit, dioecesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, libere et licite valeant, nec ad residendum in illis per quempiam cogi possint.

Facultas recitandi horas canonicas, horis postpositis.

§ 7. Eisque et eorum cuilibet ut, quoad vixerint, quoties eis placuerit, per se ipsos aut cum uno vel duobus sociis, etiam familiaribus suis, per eos pro tempore eligendis, horas canonicas diurnas pariter et nocturnas ac alia divina officia, secundum usum et morem Romanae Ecclesiae, etiam anticipatis vel postpositis horis, dicere et recitare libere et licite valeant. Nec ipsi aut eligendi socii huiusmodi ad alium usum super hoc observandum teneantur, nec ad id a quoquam, etiam ratione beneficiorum ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, inviti possint coarctari.

Facultas eligendi confessores, qui in casibus reservatis (exceptis hic expressis) absolvere possint.

§ 8. Quodque ipsi et eorum singuli aliquem presbyterum saecularem vel cuiusvis Ordinis regularem in eorum possint, et quilibet eorum possit, eligere confessorem, qui, vita eis comite, in casibus dictae Sedi reservatis (praeterquam offensae ecclesiasticæ libertatis, criminum hæresis, rebellionis aut conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis seu Sedem Apostolicam, falsitatis literarum apostolicarum, supplicationum et commissionum, invasionis, depraedationis, occu-

pationis, devastationis terrarum et maris dictae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum, offensae personalis in episcopum vel alium praelatum, prohibitionis devolutionis causarum ad Romanam Curiam, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium), semel singulis annis et quoties de eorum morte timendum extiterit, in aliis vero, quoties fuerit opportunum, confessione eorum diligenter audita, pro commissis eis debitam absolutionem impendat, et iniungat poenitentiam salutarem; necnon vota quaecumque (ultramarino, liminum apostolorum Petri et Pauli, ac S. Iacobi in Compostella, ac castitatis et Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat; quodque confessor, quem duxerit eligendum, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, etiam semel singulis annis et quoties de eorum morte timendum fuerit, ut praefertur, plenariam remissionem a poena et culpa eis, in sinceritate fidei, unitate Romanae Ecclesiae ac obedientia et devotione nostra et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus, dicta auctoritate apostolica concedere possit, sic tamen quod idem confessor de eis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eis per eos, si supervixerint, vel alios, si forsan tunc transierint, faciendam iniungat, quam ipsi vel illi facere teneantur.

Privilegium celebrandi ante diem, et in locis interdictis.

§ 9. Liceatque eis habere altare portatile cum debitis reverentia et honore, super quo, in locis ad hoc congruentibus et honestis, sine iuris alieni praeiudicio, et cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, et antequam elucescat dies, circa tamen diurnam lucem; et si forsan ad loca interdicto ecclesiastico tam ordinaria quam apostolica auctoritatibus supposita ipsos declinare contigerit, in illis, clausis ianuis, non pulsatis campanis et submissa voce, excommunicatis et interdictis exclusis, in eorum et familiarium suorum domesticorum ac sex aliarum personarum utriusque sexus, per eos et eorum quemlibet eligendarum, praesentia, dummodo ipsi vel illi causam non dederint interdicto, nec id eis contigerit, quod specialiter interdici possint, per se ipsos, qui presbyteri fuerint, aut proprium vel alium sacerdotem idoneum saecularem vel regularem, missas et alia divina officia celebrare seu celebrari facere, et ecclesiastica sacramenta recipere, ac eorum tempore interdicti huiusmodi decedentium corpora ecclesiasticae tradi possint sepulturae, etiam cum aliqua funerali pompa.

Facultas consequendi stationes Urbis, propriam cappellam visitando.

§ 10. Et insuper duas ecclesias seu duo vel tria altaria in locis, ubi ipsos auditores et locatenentes ac eorum quemlibet pro tempore morari contigerit, per eos et eorum quemlibet pro tempore eligendas seu eligenda, singulis diebus quadragesimalibus et aliis anni temporibus, et dum in Curia resederint, eorum propriam cappellam, diebus tamen audientiae, visitando, singulas indulgentias et peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur si ipsi, eisdem temporibus et diebus, basilicas et ecclesias stationum Urbis et extra eam ad id deputatas personaliter visitarent.

Facultas circa esum carnium.

§ 11. Eisque et eorum cuilibet ac eorum familiaribus praedictis, vel diebus et temporibus, quibus esus carnium, ovorum, casei, butyri et aliorum lacticiniorum est prohibitus, eisdem ovis, caseo, butyro et aliis lacticiniis, ac, de utriusque medici consilio, carnibus, absque conscientiae scrupulo, uti et vesci.

Privilegium circa expectativas.

§ 12. Ipsique auditores et locatenentes nunc et pro tempore existentes ac eorum singuli literas gratiarum expectativarum, quoties eas generaliter concedi contigerit,

absque aliqua signatura desuper expedienda, in prima earum expeditione ad tres collationes per eorum quemlibet eligendas, et tria beneficia, cuiuscumque taxae seu annui valoris illorum fructus, redditus et proventus fuerit, etiam si unus ex dictis beneficiis, alias sub eorumdem auditorum eorumve locatenentium gratiis expectativis, eorumve collationum mutationibus, revalidationibus et extensionibus pro tempore comprehensis, eidem dispositioni apostolicae, ex quavis causa, praeterquam ratione vacationis illius apud Sedem praedictam aut familiaritatis, continuae commensalitatis nostrae et tunc viventis Romani Pontificis aut cuius, tempore vacationis, ad id consensus requirendus foret alicuius dictae Ecclesiae cardinalis, generaliter reservatum, vel ex generali apostolica reservatione ac alias quomodolibet affectum fuerit, expedire, et ipsum beneficium, sic generaliter reservatum seu affectum, acceptare, consequi et obtinere; necnon beneficia, sub huiusmodi gratiis expectativis et illarum collationum mutationibus, revalidationibus et extensionibus comprehensa, etiam in eorum a dicta Curia absentia, per procuratorem, tam in dicta Curia quam extra eam, etiam in genere, acceptare, et de illis etiam provideri facere, ac alias diligentias requisitas per se vel alios facere, ac instrumenta in specie ex suis notis generalibus acceptationum et aliarum diligentiarum praedictarum extrahi facere et obtinere; ac notarii, sic in genere rogati, instrumenta in specie ex suis notis generalibus desuper facta, ad instantiam auditorum et locatenentium praedictorum, ad quos id concernet, extrahere dumtaxat et publicare possint respective et debeant.

Indultum circa formam publicandi provisiones beneficiorum

§ 13. Et ad satisfaciendum regulae sive constitutioni de publicandis acceptationibus et provisionibus, ac illis intimandis possessoribus, seu eis ad iudicium evocandis pro tempore editae, etiam ratione praedictarum expectativarum aut aliarum gratiarum et reservationum quarumcumque, minime teneantur. Ac eorum fratres et nepotes, tam descendentes quam collaterales, ac amicos seu benevolos et familiares ipsorum, in toto vel in parte, aut simpliciter, vel quoad unam vel plures seu singulas gratiarum expectativarum eis pro tempore concessarum, et illarum mutationum, revalidationum et extensionum collationis prosequendis antelationibus, praerogativis, privilegiis et indultis eisdem auditoribus et locatenentibus, in assecutione beneficiorum vigore gratiarum huiusmodi acceptandorum, pro tempore concessis, loco sui nominare; et quod sic nominati praerogativis auditoribus et locatenentibus concessis et concedendis huiusmodi in assecutionibus beneficiorum ecclesiasticorum sub collationibus, ad quae nominati fuerint, comprehensorum, quae, vigore literarum desuper conficiendarum, duxerint acceptanda, uti, potiri et gaudere, ac in omnibus et singulis, quibus ipsi auditores et locatenentes immediate praeferuntur (dilectis filiis literarum apostolicarum de maiori praesidentia abbreviatoribus et earumdem literarum scriptoribus dumtaxat exceptis), immediate praeferri et anteferri valeant, ac si eiusdem Palatii auditores vere et non ficte, aut aggregati per privilegium existerent, ita tamen quod auditores ipsi suas gratias expectativas ac illarum extensiones et collationum mutationes seu revalidationes prosequentes, praefatis nominatis, etiam qualitercumque qualificatis, omnino praeferantur et praeferri debeant.

Indultum pro bullis gratis pro eis expediendis.

§ 14. Quodque singuli auditores et locatenentes praefati quascumque provisionum, commendarum, dispensationum, unionum ad vitam, praefectionum, reservationum fructuum, pensionum et aliorum quorumcumque, ac facultatum, man-

datorum, gratiarum et indultorum ac alias literas gratiam vel iustitiam seu mixtim concernentes, etiam ratione quarumcumque dignitatum, etiam episcopalium, archiepiscopalium et monasteriorum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque pro tempore per eos a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus ac Sede praedicta qualitercumque impetrandas, ac sibi, etiam motu simili et ex certa scientia, concedendas, et de personis eorum consistorialiter faciendas in favorem dilectorum filiorum abbreviatorum, scriptorum bullarum ac registri, necnon, qui etiam de nostris apostolicis gratiis expectativis taxam recipiunt, sollicitatorum literarum apostolicarum, necnon secretariorum et procuratorum audientiae nostrae literarum contradictarum, ab aliis quibusvis dictae Curiae officiis gratis, cum subscriptione videlicet *Gratis pro auditore seu locumtenente Rotae,* per rescribendarium literarum earumdem facienda, expedire possint ac debeant, dicta auctoritate apostolica, earumdem tenore praesentium, motu simili pariter indulgemus; mandamus nunc et pro tempore existentibus literarum praedictarum rescribendario et aliis scriptoribus et abbreviatoribus, sollicitatoribus, secretariis, dictae audientiae procuratoribus et quibusvis aliis dictae Romanae Curiae officialibus, expeditioni literarum huiusmodi pro tempore praesidentibus et ministris, sub excommunicationis latae sententiae, privationis et suspensionis suorum officiorum et perceptionis emolumentorum eorumdem poenis, per eos, ad quos pertinuerit, et qui eas gratis subscribere vel concedere noluerint, eo ipso incurrendis, absque alio nostro aut successorum nostrorum et Sedis praedictae ulteriori mandato, eas gratis subscribant, et per omnia usque ad plumbum et alia necessaria inclusive, omni contradictione et dilatione cessante, expediant.

§ 15. Propterea auditores et locatenentes praedictos nunc et pro tempore existentes ac eorum quemlibet, ipsorumque beneficia et officia ecclesiastica ac bona quaecumque, quae obtinent et possident et in futurum obtinebunt et possidebunt, sub beati Petri et Sedis praedictae ac nostra protectione, auctoritate apostolica et tenore supradictis, pari motu suscipimus, et ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate quorumcumque legatorum, etiam de latere, ac archiepiscoporum, episcoporum, praelatorum et ordinariorum, illorumque vicariorum, officialium, locatenentium et iudicum, etiam a dicta Sede deputatorum, nunc et pro tempore existentium. Indultum exemptionis ab ordinariis.

§ 16. Ipsosque ac eorum res et bona propria, tam in Urbe quam extra eam, a solutione et exactione quarumcumque decimarum, etiam apostolica auctoritate praedicta pro tempore impositarum, pedagiorum, gabellarum, bullettarum et quorumcumque aliorum onerum, tam ordinariorum quam extraordinariorum, ubicumque locorum existentium, liberamus, liberosque, immunes et exemptos omnino facimus, constituimus et deputamus et declaramus. Ita quod legati, archiepiscopi, episcopi, praelati, ordinarii, vicarii, officiales, locatenentes et iudices praedicti, etiam ratione delicti seu contractus aut rei de qua ageretur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus aut res ipsa consistat, nullam in eos aut eorum aliquem seu illorum beneficia, officia et bona huiusmodi, iurisdictionem, correctionem, visitationem, dominium, superioritatem et potestatem exercere, aut excommunicationis aliasve sententias, censuras et poenas proferre; nec exactores decimarum, gabellarum, pedagiorum et Privilegium exemptionis a decimis, gabellis, etc.

onerum huiusmodi, eos ad aliquam solutionem cogere, compellere et coarctare; aut quicumque alii, cuiuscumque dignitatis, status, conditionis et praeeminentiae ecclesiasticae vel mundanae existant, eos super praemissis aut illorum usu, etiam praetextu cuiuscumque criminis vel delicti facti vel perpetrati, ex eorum officio vel ad instantiam quorumcumque, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare aut alias quomodolibet impedire quoquomodo praesumant.

Clausula praeservativae huius constitutionis.

§ 17. Decernentes et declarantes praesentibus literis, necnon praemissis et aliis privilegiis et indultis quibuscumque, eisdem auditoribus et locatenentibus pro tempore concessis, ex quavis, etiam necessario exprimenda, causa vel occasione, per nos et Sedem eamdem, in genere vel in specie, etiam per constitutiones apostolicas seu Cancellariae Apostolicae regulas, etiam consistorialiter pro tempore editas, aut quascumque alias literas apostolicas, etiam quod tenores et formae illorum habeantur pro expressis, seu alias clausulas et decreta quaecumque in se continentes, etiam quibusvis dictae Curiae officialibus, etiam praefatis scriptoribus pro tempore concessas, seu etiam vigore implicitae derogationis latissime extendendae, in supplicationibus desuper pro tempore signatis appositae, derogari, seu illa revocari, cassari, suspendi aut in aliquo alterari, seu revocata, suspensa vel alterata censeri; aut ipsos auditores et locatenentes sub eisdem clausulis comprehensos, vel eos, illarum praetextu, nisi in eisdem desuper pro tempore signatis supplicationibus illorum omnium nomina propria et cognomina specifice expressa fuerint, exprimi non posse; sed semper eosdem auditores et locatenentes, ac in eis concessa privilegia, indulta et literas huiusmodi ab illis exceptos et excepta; ac privilegia, indulta et literis eis concessa praedicta valida et efficacia existere, et ipsis auditoribus et locatenentibus suffragari; et quidquid in contrarium pro tempore factum fuerit, pro non facto haberi debere, necnon ex tunc de novo eo ipso concessa et innovata ac in pristinum statum restituta, reposita et plenarie reintegrata esse et censeri.

Decretum irritans.

§ 18. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, etiam S. R. E. cardinales et Palatii huiusmodi causarum auditores, in qualibet causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, etiam per nos et Sedem praedictam, scienter vel ignoranter attentari contigerit.

Executores huius constitutionis.

§ 19. Quo circa Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori et dictae Urbis gubernatori, ac in eadem Urbe et eius districtu nostro in spiritualibus vicario generali pro tempore existentibus per apostolica scripta, motu simili, mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum auditorum et locatenentium seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi firmiter observari; ipsosque auditores et locatenentes nunc et pro tempore existentes illas pacifice gaudere, necnon fructus praedictos eis, iuxta dicti indulti de illis percipiendis in absentia huiusmodi tenorem, integre ministrari, non permittentes eos per locorum ordinarios et dilectos filios ecclesiarum praedictarum capitula, seu quoscumque alios ad residendum in eisdem ecclesiis sive locis com-

pelli, aut alias super praemissis contra praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari, contradictores, molestatores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 20. Non obstantibus si dicti auditores et locatenentes in eisdem ecclesiis sive locis primam non fecerint residentiam personalem. Ac super idiomate, quoad parochialem ecclesiam, et de non concedendo alicui gratiam expectativam extra nationem suam; ac non acceptando, vigore cuiusvis gratiae expectativae, aliquod beneficium generaliter reservatum seu affectum; necnon de insinuandis et publicandis acceptationibus beneficiorum, vigore gratiarum expectativarum acceptatorum, et aliis diligentiis faciendis pro tempore editis, dictae Cancellariae regulis; ac felicis recordationis Bonifacii VIII contra exemptos edita, quae incipit *Volentes*; ac etiam per quam concessiones de fructibus in absentia percipiendis sine praefinitione temporis fieri prohibentur; necnon quae incipiunt *Sicut bonus pastor*, et quibus disponitur quod nullus, vigore facultatum per Sedem praedictam pro tempore concessarum, aliqua beneficia ecclesiastica resignare possit, nisi illorum possessionem pacificam per quatuor menses habuerit, et nihilominus beneficia ipsa in odium resignantium vacare censeantur eo ipso, Sixti IV et Innoc VIII; ac per quas tertia pars omnium bonorum, de quibus per quoscumque praelatos, vigore quarumcumque facultatum eis per Sedem praedictam concessarum, testari seu alias disponi contigerit, Camerae praedictae Apostolicae pro illius necessitatibus applicata dicitur, Alexandri, Sixti et aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac Lateranensis, etiam novissime celebrati et generalis concilii; et quibusvis aliis apostolicis, necnon provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; ac quibusvis per nos de nostrorum et dictae Romanae Ecclesiae cardinalium, familiarium, continuorum commensalium et aliis beneficiis ecclesiasticis, per nos et Sedem eamdem factis et pro tempore faciendis specialibus vel generalibus reservationibus, affectionibus; necnon legibus imperialibus et municipalibus ac regnorum, provinciarum, ecclesiarum, monasteriorum et locorum, in quibus incompatibilia et alia saecularia ac regularia beneficia huiusmodi forsan fuerint, seu a quibus ipsa regularia beneficia dependere contigerit, et Ordinum quorum illa extiterint, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem regnis, provinciis, ecclesiis, monasteriis et locis, ac etiam Cluniacensi et Cisterciensi Ordinibus, necnon quibusvis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, etiam dictae Curiae officialibus et eorum collegiis, etiam literarum earumdem scriptoribus praefatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam ex quibusvis et quantumcumque maximis et urgentissimis, etiam necessario exprimendis, causis, ac cum quibusvis antelationibus, suspensionibus, restitutionibus, declarationibus, attestationibus, modificationibus et aliis efficacissimis et insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam generalibus expresse derogantibus, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque, et quod huiusmodi privilegia, indulta et literae, cum concessionibus, declarationibus et decretis ac aliis in eis contentis clausulis, sub quibuscumque derogationibus, revocatio-

bus, suspensionibus vel alterationibus, per quascumque alias similes vel dissimiles literas, gratias, privilegia, facultates, concessiones, antelationes et indulta, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine praedictis, pro tempore factis, etiam in quibus de illis specialis mentio fieret, nullatenus includantur; nec eis quomodolibet derogatum, seu illa revocata, suspensa vel alterata censeantur, sed semper ab illis omnibus excepta existant; et si illis demum quovis modo derogaretur aut derogatum esse videretur, quoties eis derogatum foret, toties illa, cum omnibus in eis contentis clausulis, de novo concessa et in pristinum statum restituta fore et esse, ac vim stipulati contractus inter Romanum Pontificem pro tempore existentem et Sedem huiusmodi, necnon scriptores et alios officiales pro tempore existentes ac personas praefatas habuisse, et etiam in futurum habere debeant. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, executores et delegatos, tam in dicta Curia quam extra eam pro tempore deputatos, iudicari debeat, sublata aliter iudicandi et interpretandi facultate; aliisque, etiam efficacioribus, decretis, etiam imperatoris, regum, ducum et aliorum dominorum temporalium contemplatione et alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac etiam per nos et Sedem praefatam concessis et approbatis ac innovatis, etiam quod regnorum et provinciarum, nisi per oriundos et naturales, acceptari vel obtineri, ac Cluniacensis, Cisterciensis et aliorum Ordinum beneficia huiusmodi, nisi eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus aut ipsos Ordines respective expresse professis, ac de consensu abbatum pro tempore existentium et dilectorum filiorum conventuum, monasteriorum Cluniaciensis et Cisterciensis, Matisconensis et Cabillonensis dioecesum, aut aliorum superiorum aliorum Ordinum praedictorum commendari non possint; et alias de illis, etiam per Sedem praedictam pro tempore factae commendae, seu de illis in huiusmodi commendam obtinendis dispensationes concessae nullae sint, disponentibus. Quibus omnibus et eorum singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac formas et datas illorum, necnon decreta in eis apposita, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, tamquam de eis plene informati, quoad praemissa motu simili specialiter et expresse derogamus, et sufficienter derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque; aut si eisdem locorum ordinariis a dicta sit Sede concessum vel in posterum concedi contingat quod canonicos, rectores et personas ecclesiasticas suarum civitatum et dioecesum, etiam in dignitatibus, personatibus, administratione vel officiis constitutas, per subtractionem proventuum beneficiorum suorum ecclesiasticorum aut alias compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem; seu si ordinariis et capitulis vel quibusvis aliter, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat quod canonicis, rectoribus et personis suarum civitatum et dioecesum, etiam in dignitatibus, personatibus, administratione et officiis constitutis, et in illis non residentibus, aut qui in eis primam non fecerint residentiam personalem consuetam, fructus, redditus et proventus suorum beneficiorum ecclesiasticorum, in absentia sua, ministrare minime teneantur, et ad id compelli non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi

mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Declaratio circa indultam residentiae etc.

§ 21. Volumus autem quod incompatibilia ac sub singulis tectis consistentia et alia saecularia necnon regularia beneficia huiusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa immineat, nullatenus negligatur, sed in eis, quorum fructus, in absentia huiusmodi, eosdem auditores et locatenentes percipere contigerit, per bonos et sufficientes vicarios, quibus, de eorumdem beneficiorum proventibus necessaria congrue ministrentur, diligenter exerceatur, et deserviatur inibi laudabiliter in divinis, ac regularis antedicta[1] et sub singulis tectis consistentium beneficiorum huiusmodi consueta onera congrue supportentur. Ac quod ipsi auditores et locatenentes, infra dictum annum, alterum ex duobus canonicatibus et duabus praebendis aut totidem dignitatibus, personatibus, administrationibus vel officiis, sub eisdem tectis consistentibus huiusmodi, quos maluerint, pro alio, cum retentis canonicatu et praebenda seu dignitate, personatu, administratione vel officio compatibili, beneficio permutare, alioquin illos ex duabus praebendis ac totidem dignitatibus, personatibus, administrationibus vel officiis, sub eisdem tectis consistentibus huiusmodi, quos primo assecuti fuerint, et quos ex tunc, dicto anno elapso, vacare decernimus, dimittere omnino teneantur.

Declaratio quod peccata commissa ob confidentiam

§ 22. Et ne, quod absit, dicti auditores et locatenentes, propter huiusmodi gratiam vel concessionem eligendi confessorem, reddantur procliviores ad illicita in posterum committenda, etiam volumus quod, si a sinceritate fidei, unitate dictae Romanae Ecclesiae ac obedientia et devotione nostra et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium destiterint, aut ex confidentia eiusdem remissionis vel concessionis aliqua forsan commiserint, concessio et remissio et, quoad illas, praesentes literae eis nullatenus suffragentur.

remissionis obtinendae a confessoribus eligendis.

Declaratio indulti celebrandi ante diem.

§ 23. Ac quod indulto celebrandi, seu celebrari faciendi ante diem parce utantur, quia, cum in altaris ministerio immoletur Dominus noster Iesus Christus Dei filius, qui candor est lucis aeternae, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce.

Declaratio circa dispositionem bonorum ecclesiarum,

§ 24. Necnon ut in eorumdem ecclesiasticorum dispositione bonorum, iuxta qualitatem residui, erga ecclesias, a quibus eadem perceperint, se liberales exhibeant, prout conscientia eorum dictaverit, et animae eorum saluti viderint expedire.

Et interessentiae divinis officiis

§ 25. Ac quod, dum divinis officiis in aliquibus ecclesiis contigerit eos interesse, illum morem, qui in eisdem ecclesiis observabitur circa huiusmodi horas canonicas dicendas, studeant observare.

Declaratio circa resignationes beneficiorum etc.

§ 26. Quodque si singulorum beneficiorum praedictorum per eos simpliciter resignandorum, seu quorum commendis aut iuri vel concessioni cesserint, aut unionum dissolutioni consenserint, fructus, redditus et proventus vigintiquatuor ducatorum auri de Camera, secundum communem extimationem, valorem annuum non excedant conferentes; et illi, quibus conferentur, et si ex dicta causa resignationes huiusmodi fiant, ac suorum et eis ex eadem causa collatorum beneficiorum huiusmodi fructus, redditus et proventus inaequales et maioris valoris, etiam si ipsa inaequalitas vigintiquatuor florenos similes, secundum extimationem praedictam, non transcendat, similiter con-

1 Deest forte *cura* (R. T.).

ferentes, praedicti et illi, quibus beneficia maioris valoris huiusmodi collata fuerint, de nominibus et cognominibus personarum et beneficiorum eorumdem ac diebus factarum collationum huiusmodi praesidentes dictae Camerae Apostolicae aut collectores vel subcollectores fructuum et proventuum eidem Camerae debitorum, in partibus illis pro tempore deputatos, infra unum, si citra; et tres menses, si ultra montes collationes ipsae factae fuerint, iuxta Sixti et Innocentii praedecessorum praedictorum super hoc editas literas, certificare procurent, alioquin beneficia ipsa sic collata vacare censeantur eo ipso.

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimoquinto, nonis augusti, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 augusti 1525, pontif. anno II.

XIV.

Confirmatio institutionis monasterii B. Mariae Magdalenae pro impudicis mulieribus ad honestam vitam se convertentibus in Urbe, cum declaratione circa spolia impudicarum mulierum ei applicata [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Cum ex corpore et anima constet homo, et nobilitate subiecti actionis nobilitas mensuretur, quod Christus Salvator noster testatus fuerit gaudium esse in coelo maius super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis qui non indigent poenitentia, manifeste apparet monasterium monialium B. Mariae Magdalenae, in quo mulieres, carnis libidini et licentiosae vitae antea assuetæ, caritative recipiuntur, ac in viam Domini diriguntur, earumque et illas sequentium animabus aeterna salus paratur, tanto pauperum hospitalia, in quibus Christi pauperes hospitantur, infirmi curantur, esurientes cibantur, nudi cooperiuntur, et alia vitae subsidia ministrantur, necnon etiam aliarum sanctimonialium loca excellere, quanto anima corpus, et perpetua transitoria, ac coelestia terrena, et spiritualia corporalia, quantoque millenarius numerus denarium numerum antecellunt.

Pontifex dum cardinalis erat fundavit monasterium Conversarum. § 1. Unde nos, qui, in minoribus constituti et cardinalatus honore fulgentes, Deo, a quo cuncta bona procedunt, auctore, monasterium ipsum fundavimus, circa illius conservationem, augmentum et propagationem eo diligentius vigilamus, quo opera nostra sumpsit exordium, et maiori nunc, divina favente clementia, fungimur potestate, uberrimamque inde acceptabilem messem Deo in dies conspicimus provenire.

Leo X confirmavit et restituit. § 2. Dudum siquidem felicis recordationis Leo Papa X, praedecessor noster, per eum accepto quod *etc.* [1].

Huius Pontificis approbatio. § 3. Et deinde, dicto praedecessore, sicut Domino placuit, de medio sublato, nos, divina favente clementia, ad summum apostolatus apicem assumpti *etc.*, ut literarum praedictarum votivus succedat effectus provide volentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, auctoritate apostolica, tenore praesentium, literas praedictas ac omnia et singula in eis contenta, ab earumdem literarum data et in illorum favorem inde secuta quaecumque, approbamus et innovamus, et valere, plenamque roboris firmitatem obtinere, ac omnibus et singulis, quorum interest, suffragari debere *etc.*

1 De institutione ac eiusdem monasterii iudicis iurisdictione et aliis vide Leonem X, constit. XLIII, *Salvator*, tom. v, pag. 742.

1 Omittitur insertio huius bullae, siquidem ea habetur in loco cit.

Gubernatorum munera.

§ 4. Et quod gubernatores dicti monasterii saltem quolibet mense ad monasterium ipsum accedere, et ex illius abbatissa seu priorissa et cappellano aliisque personis ad haec opportuuis investigare occurrentia, et facere sicut bonos decet pastores; ac solicite vigilare ne monialis aliqua dicti monasterii de his quae exterius, nec aliqua persona non monialis dicti monasterii quicquam, nisi de expresso consensu et licentia dictorum gubernatorum, scire possit, ordinare; necnon quaecumque statuta et ordinationes licita et honesta, monasterium et ecclesiam huiusmodi illorumque abbatissam seu priorissam, moniales, cappellanos, confessores et personas ac bona quaecumque quomodolibet concernentia, quotiens voluerint, condere, alterare et mutare, quascumque poenas, de quibus eis placuerit, in contravenientes apponere.

Alienandi facultas.

§ 5. Et quaecumque stabilia bona, cuiuscumque valoris existant, ad monasterium et ecclesiam praedicta quomodolibet tunc et pro tempore pertinentia, pro evidenti utilitate aut necessitate monasterii huiusmodi vendere et permutare, ac in emphyteusim perpetuam vel ad tempus locare, et quocumque alio titulo alienare, dictae Sedis vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita.

Eligendique protectores [1]

§ 6. Et loco decedentis ex venerabilibus fratribus nostris Theatino et Casertano episcopis, quibus curam dicti monasterii in spiritualibus commisimus, alium; ac decedente etiam reliquo, etiam alium, et sic duos praelatos, si fieri possit, ita provectae aetatis, sicuti ipsi Theatinus et Casertanus episcopi, et illis in exemplari vita, modestia, sana doctrina, diligenti prudentia et efficacia sermonis ac aliis virtutibus, quibus ipsi episcupi a Deo decorati existunt, similes, diligenti discussione maturaque deliberatione, eligere, et tunc Romano Pontifici praesentare; et si ipse Romanus Pontifex ipsos praesentatos vel eorum aliquem recusaverit, alium vel alios similiter eligere et praesentare, et sic successive, quotiens aliquis ex praelatis huiusmodi defecerit; et tam praelati quam deputati et gubernatores praedicti omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna facere et exequi.

Gratiae et indulgentiae pro monialibus et benefactoribus.

§ 7. Quodque monasterium et illius ecclesia, abbatissa seu priorissa, moniales, cappellani, confessores, personae, res et bona quaecumque, ac ipsam ecclesiam visitantes et eidem monasterio bene facientes omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, indulgentiis, etiam plenariis, peccatorum remissionibus, indultis, exemptionibus, praerogativis, facultatibus et gratiis, quibus alia quaecumque monasteria quorumcumque monialium Ordinum et quorumcumque etiam Mendicantium et huiusmodi societatis Caritatis illiusque confratres, ecclesia, personae, res, bona quaecumque ac ecclesiam societatis huiusmodi visitantes et eidem societati benefacientes quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt in futurum, non solum ad instar, sed aeque principaliter uti, potiri et gaudere.

Spolia meretricum applicantur monasterio.

§ 8. Quodque tam cortesanae nuncupatae, quam quae palam in prostibulis quaestum faciunt, et alias ex quocumque turpi quaestu viventes, et quomodolibet, etiam in domibus propriis vel alibi, ad instantiam certarum personarum saecularium vel ecclesiasticarum, tentae, vitam impudicam agentes mulieres, quae quartam vel quintam partem bonorum suorum eidem monasterio reliquerint vel donaverint aut perpetuo concesserint, testamentum condere, et de reliquis earum bonis, prout eis placuerit, disponere libere

1 Hodie Cardinalis unus eligitur.

et licite valeant, earumque testamenta, ad dispositionem huiusmodi, plenum consequantur et consequi debeant, quoad omnia, effectum. Quae vero ex eis quartam vel quintam partem huiusmodi eidem monasterio vere et cum effectu non reliquerint, testamenti factione (praeterquam quoad earum prolem de legitimo matrimonio habitam) careant; et sive testamentum sive donationem, causa mortis vel inter vivos, aut aliam dispositionem fecerint, sive non (nisi dispositio huiusmodi in favorem suae prolis de legitimo matrimon. procreatae facta fuerit), earum bona mobilia ac alia, aedificia per eas aut ex earum bonis pro tempore constructa, immobilia, semoventia, necnon actiones et iura quaecumque, etiam extra Urbem ubilibet existentia, etiam si ipsae mulieres recreationis seu visitandi consanguineos vel affines aut vitandi malum aerem sive alias quacumque causa extra dictam Urbem, nisi animo amplius non redeundi ad eam, recesserint, et ibi decesserint, etiam si bona emphyteutica et feudalia, etiam ecclesiastica, perpetuo vel ad tempus existant, eidem monasterio perpetuo applicata et appropriata, ac eiusdem monasterii existere; ipsumque monasterium ad eadem opera, ad quae ipsae mulieres, occasione bonorum feudalium vel emphyteuticorum huiusmodi, tenebantur, omnino teneri; et si ad certum numerum generationum aut nominationum eadem bona emphyteutica concessa fuerant, monasterium ipsum non perpetuo, sed per viginti annos pro qualibet generatione seu nominatione huiusmodi bona eadem, absque consensu illorum domini directi, tenere posse; si vero emphyteusis perpetuae fuerint, illa monasterium ipsum in perpetuum tenere valere.

Detinentes earum bona consignare debent.

§ 9. Et contingente obitu alicuius praedictarum mulierum, omnes et singulos, cuiuscumque status, conditionis ac dignitatis ecclesiasticae vel mundanae existentes, infra decem dies a die obitus huiusmodi computandos, bona mobilia et immobilia, ac debita et nomina debitorum, necnon iura, instrumenta ac scripturas publica vel privata haereditatis huiusmodi habentes illa tradere, et scientes revelare camerario et uni ex gubernatoribus dicti monasterii teneri; et statim post obitum huiusmodi de tunc repertis facta vero traditione huiusmodi, etiam de traditis bonis huiusmodi duo inventaria per gubernatores monasterii huiusmodi fideliter confici, et unum illorum penes ipsum camerarium, reliquum vero penes deputatos societatis huiusmodi conservare.

Earum bona quando deponi debeant.

§ 10. Et si infra mensem aliquis, praetendens in haereditate huiusmodi ius habere, comparuerit, ipsa bona haereditaria, donec controversia huiusmodi terminetur, apud aliquam aedem sacram aut virum idoneum consignanda, postmodum, prout iustum et determinatum fuerit, deponi debere. Et deficientes in traditione aut revelatione huiusmodi, necnon quicumque, qui impedimentum aliquod indirecte, quovis quaesito colore, praestiterit, seu per quem steterit quominus depositum huiusmodi integre, et libere amotis omni dolo et fraude, fiat, omni iure, sibi ad ipsa bona quomodolibet competente privatum ipso facto, absque aliqua declaratione, existere.

Filii earum ex bonis applicatis monasterio ali et erudiri debent.

§ 11. Necnon gubernatores monasterii huiusmodi pro tempore existentes ex bonis applicatis huiusmodi filios et filias, si qui fuerint, curialium mulierum huiusmodi, ali et moribus imbui, et masculos aliqua arte, qua honeste vivere possint, erudire facere; foeminas vero nuptui tradere, vel in aliquo monasterio monialium collocare; curamque filiorum et filiarum huiusmodi pie ac diligenter suscipere et gerere, in quantum vires haereditatis et annorum matrum suarum suppetant, et non ultra, debere.

Curati haec publicent.

§ 12. Et quicumque curatus cuiuscumque parochialis ecclesiae dictae urbis, quotiens desuper fuerit requisitus, praemissa in eius ecclesia, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, publicare.

Notarii dispositiones mulierum impeditarum revelare monasterio teneantur.

§ 13. Et quemcumque notarium ac tabellionem praemissa, postquam de illis notitiam habuerit, curialibus mulieribus huiusmodi, ad quarum testamenta seu donationes aut dispositiones rogatus fuerit, antequam notam desuper scribere incipiat, notificare, et sive ipsae mulieres quartam vel quintam partem huiusmodi reliquerint aut concesserint, sive non, de illarum testamentis seu donationibus vel dispositionibus quibuscumque saltem camerario et uni ex gubernatoribus dicti monasterii plenam ac distinctam notitiam dare et facere, infra decem dies a die rogitus huiusmodi computandos, omnino teneri, ac efficaciter obligatum esse; et notarium quemcumque, in danda notitia huiusmodi deficientem, poenam mille ducatorum eidem monasterio eo ipso applicatorum, et si illam solvere recusaverit, seu desuper cum gubernatoribus monasterii huiusmodi non concordaverit, et in recusatione aut non concordia huiusmodi per octo dies perseveraverit, poenam falsi et perpetuae inhabilitatis ad notariatus et quaecumque alia officia in posterum exercenda incurrere ipso facto, nec sibi poena huiusmodi, nisi dumtaxat per confratres dictae societatis Caritatis, aut maiorem partem illorum ex eis, qui in congregatione ordinaria per eos fieri solita tunc affuerint, aliquatenus remitti aut relaxari posse.

Dubia super praemissis emergendo per deputatos monasterii decidi, et eorum decisiones tamquam leges observari iubetur.

§ 14. Denique quodcumque dubium, quod circa praemissa vel eorum aliquod quodcumque quomodolibet emerserit, per deputatos et gubernatores societatis Caritatis ac monasterii huiusmodi vel eorum maiorem partem declarari, decidi ac determinari libere et licite posse, ac declarationi huiusmodi, tamquam generali legi a Romano Pontifice editae, ubique in omnibus stari debere, nec illi quemquam ullatenus contravenire posse.

Contractus quicumque faciendi per deputatos approbantur.

§ 15. Ac venditiones, permutationes, locationes et alienationes faciendas praedictas, ac inde secutura quaecumque, quae ex nunc, prout postquam factae fuerint et e contra, approbamus et confirmamus, supplemusque omnes et singulos, tam iuris quam facti defectus in eisdem ac praedictis literis forsan intervenientes, perpetuaeque firmitatis robur obtinere, ac inviolabiliter observari debere.

Fides exemplorum.

§ 16. Necnon praesentium literarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem prorsus fidem ubique adhiberi posse ac debere, quae adhiberi posset atque deberet eisdem praesentibus literis, si forent exhibitae vel ostensae.

Praesentes literae statim post publicationem obligant.

§ 17. Ac praesentes literas, postquam in acie Campi Florae ac valvis Cancellariae Apostolicae ac scalis Palatii Capitolii more solito affixae et publicatae fuerint, etiam notarios praedictos ac alios quoscumque, quos quomodolibet concernunt, ad observationem omnium et singulorum praemissorum arctare, in omnibus et per omnia, perinde ac si eis personaliter intimatae fuissent.

Decretum irritans.

§ 18. Et sic per quoscumque, tam ordinaria quam delegata ac mixta auctoritate fungentes, iudices et personas ubique iudicari, cognosci ac decidi debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, cognoscendi ac decidendi facultate; necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Executores praesentis constitutionis.

§ 19. Et nihilominus dilectis filiis gubernatori et vicario dictae urbis ac generali auditori causarum Camerae Apostolicae nunc et pro tempore existentibus, nec-

non universis ac singulis in dignitate ecclesiastica constitutis personis per apostolica scripta, motu simili, mandamus quatenus eorum quilibet, per se vel alium seu alios, auctoritate nostra faciat praesentes literas ac in eis contenta quaecumque plenum effectum sortiri, ac ab omnibus inviolabiliter observari, nec permittat quemquam contra tenorem praesentium modo aliquo molestari, impediri aut inquietari, contradictores quoslibet ac rebelles, etiam per quascumque, de quibus eis placuerit, censuras et poenas ac alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo. Nos enim gubernatori, vicario et auditori praedictis, ac eorum cuilibet in praemissis, summarie, simpliciter et de plano, sine confectione registri et sine quavis tela iudiciaria, sed de manu regia, ad requisitionem cuiusvis ex deputatis et gubernatoribus praedictis, iustitiam unica sententia, etiam per viam mandati executivi, administrandi, et quod decreverint, executioni debitae demandandi, perinde ac si essent tres conformes sententiae, plenam et liberam licentiam et facultatem concedimus, sublata cuilibet appellandi ac de nullitate dicendi desuper qualibet facultate.

Clausulae derogatoriae. § 20. Non obstantibus nostris de unionibus et unionum confirmationibus, ac de valore beneficiorum in illorum dispositionibus exprimendo, necnon bonae memoriae Bonifacii Papae octavi, similiter praedecessoris nostri, et novissimi Lateranensis concilii ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus ac fundationibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis ac literis apostolicis praedictis et aliis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, necnon collegio cardinalium huiusmodi ac populo Romano et illius civibus ac in Urbe et in eius districtu aedificantibus et aliis quibuscumque personis, collegiis, etiam consistorialiter, ac per viam generalis legis et statuti perpetui ac initi et stipulati contractus, ac motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, modificativis, praeservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis ac derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut exquisita forma servanda foret, et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos et formas ad id servandos pro individuo servatis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, harum serie, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimoquinto, idibus augusti, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 augusti 1525, pontif. anno II.

XV.

Quod fratres Minores de Observantia, Ordinis S. Francisci, possint componere cum haeredibus testatorum super legatis Ordini relictis [1].

Clemens Papa VII dilectis filiis ministris provincialibus Ordinis fratrum Minorum regularis Observantiae.

Nuper pro parte vestra nobis expositum fuit quod forsan hactenus contigit, et in Causa constitutionis.

[1] Alia de hoc Ordine vide in constit. XXVII, *Ite,* Leonis X, tom. V, pag. 692.

futurum etiam contingere posset quod aliqui christifideles, devotionem ad vestrum Ordinem, fratres et loca ipsius Ordinis gerentes, in eorum testamentis, institutiones seu legata fecerunt aut facient, quorum, ex vestrae Religionis Regula et professionis puritate, quam servatis, capaces non estis. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum ut, cum haeredes instituti sive executores per huiusmodi testatores deputati in conscientia se gravatos sentiant ad pias defunctorum voluntates exequendas, desuper opportuna vobis ac ipsis haeredibus et executoribus consulere et providere de apostolica benignitate dignaremur.

Concessio facultatis componendi circa legata testatorum.

§ 1. Nos, cupientes pias ipsorum defunctorum intentiones et voluntates, quantum fieri potest, executioni mandari, et attendentes quod in huiusmodi legatis et institutionibus mens illorum fuerit et sit vestram relevare penuriam, ac proinde vestrorum suffragiorum spiritualium participes fieri, pro exoneratione quoque conscientiarum dictorum haeredum et executorum huiusmodi vestris supplicationibus inclinati, tenore praesentium, auctoritate apostolica decernimus, declaramus, disponimus ac firmiter statuimus et ordinamus ac vobis concedimus quod vos singuli ministri provinciales in provinciis vestris vel guardiani, cum aliquibus discretis fratribus domorum vel locorum, quibus huiusmodi legata et institutiones factae fuerunt vel in posterum fient, quorum non estis (ut praefertur) capaces, mediantibus procuratoribus et syndicis eorumdem locorum, cum dictis haeredibus et executoribus super praemissis institutionibus et legatis componere possitis et valeatis, prout vobis secundum aequitatem et bonam conscientiam visum fuerit, ad certam summam et quantitatem pecuniarum aut rerum praedictos haeredes [1] et executores semel tantum solvendam et tradendam fratribus et locis praedictis ad ipsorum relevandas necessitates, seu ipsa loca fabricanda, facta desuper ipsis haeredibus et executoribus plena et libera ac perpetua absolutione et quietatione, quae apostolica auctoritate sit approbata et roborata. Ita quod deinceps praetextu talium testamentorum, institutionum et largitorum [1] amplius molestari non possint in iudicio vel extra.

Contrariorum derogatio.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius praelati aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra, adhibeatur, quae praesentibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimatertia novembris millesimo quingentesimo vigesimoquinto, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 novembris 1525, pontif. anno III.

XVI

Quod in Statu Ecclesiastico causae cessionis et discussionis bonorum aut dilationis quinquennalis sive beneficii cap. Pervenit *et cap.* Odoardus, *spatio trium mensium terminentur.*

Clemens Papa VII.

Causa huius constitutionis.

Cum ex multorum relatione, non sine animi nostri displicentia, acceperimus quod nonnulli, Dei timore postposito, et suarum animarum ac honoris proprii immemores, post magnum aes alienum contractum, etsi bona sufficientia pro satisfaciendis creditoribus habeant, tamen ad eos illudendos ac laboribus et expensis defatigandos, alii beneficium alternativum,

[1] *Per dictos haeredes* legit Waddingus (n. T.).

[1] *Legatorum*, Wadd. (n. T.).

cessionis videlicet bonorum aut dilationis quinquennalis, alii discussionem bonorum aut haereditatum etiam a Sede Apostolica impetrant, quibus impetratis, ad expeditionem earumdem minime incumbunt, et dictis gratiis se tutos cognoscentes, et difficile reputantes quod vel creditores conveniant in eligendo, vel bonorum et haereditatis discussio fiat, pauperes creditores eorum credito vel deluduntur vel adeo protrahuntur, ut ipsi fame pereant, vel, ut saepius evenire solet, moriantur, et haeredes eorum, non ita de materia informati, a credito eorum penitus excludantur.

Instantia trium mensium praefinitur.

§ 1. Nos, talibus inconvenientiis obviare volentes, motu proprio et ex nostra certa scientia, tenore praesentium decernimus et declaramus quod quicumque beneficium alternativae praedictum aut discussionum bonorum seu haereditatis hactenus impetrarunt a die publicationis praesentium, et qui in futurum impetrabunt a die eorum impetrationis computandis, nisi intra tres menses usque ad sententiam exclusive causam expediverint seu expediri fecerint, dictis gratiis seu beneficiis ipso iure privati existant; et iudices eorum, quibus tales causas ventilare contigerit, sive ordinarii sive delegati, etiam si sint causarum Palatii Apostolici auditores aut sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ad totalem executionem contra ipsos debitores, ad instantiam cuiuslibet creditoris, procedere possint et debeant perinde ac si talia beneficia ipsis talibus debitoribus minime concessa fuissent, partibus alias iustitiam ministrando.

Quem iudex ad mensem prorogare potest.

§ 2. Et nihilominus si ex aliqua rationabili causa iudicibus praedictis visum fuerit dictum terminum trium mensium prorogari debere, dictum terminum sibi bene visum, non tamen ultra alium mensem et non amplius, prorogandi licentiam per praesentes concedimus pariter et facultatem.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, iuribus, etiam municipalibus, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Placet domino nostro Papae, et ita motu proprio mandat.

(*Papae subscriptio*).

A. Portuensis.

Publicatio.

Die vigesima decembris millesimo quingentesimo vigesimo nono, intimata, affixa, et publicata fuit Romae in locis consuetis per me Ioannem Jervier SS. D. N. Papae cursorem.

Ita est. Ioannes Valtrini, magister cursorum.

Pub. die 20 decembris 1529, pont. an. VII.

Sequitur extensio dictae constitutionis ad causas cap. Pervenit (De fideiussione) *et cap.* Odoardus (De solutione).

Clemens Papa VII, motu proprio etc.

Causa huius extensionis.

Cum nuper, ad amputandum cavillationes eorum qui, ad fraudandum creditores, et diutius prorogandum debita, alternativas et discussiones bonorum a Sede Apostolica impetraverint, ut exinde ea, longissimo tempore durante, nullatenus solvere teneantur, nos, per motum proprium manu venerabilis fratris nostri Antonii de Monte episcopi Portuensis, mandaverimus ut ii, qui talia impetraverant, ex tunc; qui vero talia in futurum impetrarent, a die impetrationis huiusmodi infra tres menses causam expedire tenerentur, cum potestate dictis iudicibus attributa trimestre praedictum, si eis videretur, ad unum mensem prorogandi, quibus elapsis et causa minime finita, ex tunc index, coram quo causa penderet, ad executionem contra debitores, perinde ac si tales concessiones minime impetrassent, procedere debeant, aliaque faciant, prout in dicto

motu proprio, cuius tenorem haberi volumus pro inserto, plenius continetur.

Extensio dictae constitutionis.

Verum quia quod una via prohibuimus, alia cavillosi debitores praefati consequentes, alii capitulum *Odoardus*, alii beneficium capituli *Perveuit* a praedicta Sede Apostolica impetrantes, quae beneficia nullatenus expedire curant, in maximum pauperum creditorum damnum, animae suae periculum ac scandalum plurimorum. Talibus igitur inconvenientiis providere volentes, dictumque mandatum etiam ad praedicta beneficia ampliantes et extendentes, decernimus et mandamus quod quicumque aliquod dictorum beneficiorum, scilicet capitulum *Odoardus* et capitulum *Pervenit*, a nobis seu Sede Apostolica hactenus impetraverint, aut in posterum impetrabunt ex tunc, aut a die impetrationis respective infra tres menses, cum potestate prorogandi ad alium mensem, iuxta et secundum formam dicti prioris mandati, causam ipsi omnino expediri facere teneantur. Quibus elapsis et causa minime expedita, iudex ad executionem contra debitores et bona eorum procedere teneatur, concessionibus obstantibus ac aliis, quae in dicto mandato voluimus non obstare, minime obstantibus.

Placet, et ita motu proprio mandamus. I.

(*Papae subscriptio*).

Publicatio

Anno millesimo quingentesimo trigesimo, indictione tertia, die vero vigesimasecunda iunii, pontificatus sanctissimi in Christo patris Clementis, divina providentia PP. VII, anno septimo, retroscriptae literae publicatae fuerunt et affixae in acie Campi Florae ac Cancellariae Apostolicae, Capitolii, reverendissimorum PP. DD. gubernatoris, auditoris Camerae ac vicarii Urbis, dimissis copiis affixis per me Petrum Trastolli cursorem.

Vivianus de Bella-Villa, magister cursorum.

Pub. die 20 iunii 1530, pontif. an. VII.

XVII.

Ordinationes observandae per notarios Reverendae Camerae Apostolicae circa adnotationem et extensionem consensuum de cessionibus iurium et resignationibus beneficiorum ecclesiasticorum; necnon circa literas apostolicas desuper expediendas, ac mandata per iudices, eorum consensuum vigore, concedenda.

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster, dominus Clemens, divina providentia Papa VII.

Iulius II mandavit notariis Camerae Apostolicae ut resignationes atque tunc factas adnotarent in authenticis libris ipsius Camerae infra octo dies, et resignationes fiendas adnotarent infra tres dies a die praestiti consensus.

Provide attendens infrascriptas constitutiones felicis recordationis Iulii II et Leonis X, Romanorum Pontificum praedecessorum suorum, fore rationabiles ac canonicas et iustas, per quas primo Iulius accepto per eum quod tunc Camerae Apostolicae notarii, per quamdam corruptelam seu abusionem, resignationes beneficiorum, quae in Romana Curia in dicta Camera fiebant, ac in ordinariis authenticis libris adnotari et scribi consueverant, ne fraus aliqua fieri aut excogitari, sed, quando opus esset, semper de veritate doceri posset, ut plurimum in dictis libris, prout consuetum erat, non scribebant, sed a tergo supplicationum adnotabant, et postea supplicationes ipsas, cum adnotatione resignationum huiusmodi a tergo, earum partibus restituebant, nulla retenta copia seu nota, absque eo quod in protocollis vel libris eiusdem Camerae scriptae forent, talesque resignationes per intervallum plurium mensium, parte instante, absconsae et secretae existebant, quo fiebat ut, cum in dictis libris, dum de resignationum admissionibus huiusmodi tractaretur, veritas reperiri non posset, essetque in potestate partium, in fraudem et deceptionem impetrantium ad eorum propositum resignationibus sic a tergo adnotatis uti, vel eas celare, ut eis magis expedire videretur, huiusmodi fraudibus occurrere vo-

lens, eisdem notariis et eorum cuilibet, sub excommunicationis latae sententiae poena, mandaverat ut resignationes dictorum beneficiorum tunc factas et admissas, in margine seu a tergo supplicationum aut alias aliter quam in dictis libris adnotatas, etiam si partibus restitutae essent, infra terminum octo dierum ex tunc proximae futurorum, in libris authenticis eiusdem Camerae scripsisse deberent; resignationes vero quas ex tunc in posterum admitti et fieri contingeret, sub simili poena, infra tres dies computandos a die praestiti consensus, super supplicationibus singulis adnotari deberent, nec ex tunc de cetero liceret eis in margine supplicationum dictas resignationes scribere vel adnotare, nisi prius in literis authenticis adnotatæ fuissent, ac ex tunc resignationes aliter factae nullius momenti forent, nec alicui suffragari debere, beneficiaque aliter resignata, quamvis resignantes tunc mortui essent, non per resignationem, sed per obitum, vacare decreverat.

Leo X confirmavit constitutionem Iulii II, addens diem datae supplicationis per eosdem notarios in libris adnotationibus poni debere;

§ 1. Et deinde Leo, praedecessor praefatus, etiam per eum accepto quod praefati dictae Camerae ac etiam Cancellariae Apostolicae notarii, plura loca seu folia in libris talium resignantium in albo dimittebant, ut postmodum diem, qua resignationes a tergo supplicationum adnotatæ fuerant, scribere possent; et per hoc occasio praebebatur ut alias fraus committeretur, quoniam litigantes vel eorum procuratores, qui consensum resignationis seu concessionis post signaturam supplicationis, vigore cuius facienda erat resignatio vel cessio, praestare debebant, consensum per eos huiusmodi cessione praestandum, ad eorum beneplacitum et iuxta eventum litis, in fraude collitigantium praestare, aut in dictis libris adnotari facere differebant, cum consensus super huiusmodi resignationibus seu cessionibus retrotraheretur ad diem datae supplicationis, et ex die datae supplicationis cessiones ipsae factae censerentur, quo fiebat ut lites ipsae fierent immortales, ac collitigantes et alii impetrantes supplantarentur, cum esset in potestate illorum, in quorum favorem huiusmodi resignationes seu cessiones fiebant, sententias latas retractari et annullari facere, detegendo supplicationes et cessiones ac resignationes praecedentes illarum vigore factas; praemissas omnesque alias fraudes, quantum potuit, extirpare volens, ac resignationes et cessiones sic dolose catenus factas et ex tunc in antea faciendas irritans ac irritas et inanes decernens, mandatum Iulii praedecessoris huiusmodi motu proprio approbaverat, et nihilominus dictis notariis, sub dicta latae sententiae poena, mandaverat quod ex tunc de cetero omnes resignationes et cessiones, quas per eos admitti seu coram eis fieri contingeret, infra tres dies a die praefati consensus computandos, super supplicatione cessionis seu resignationis signata, in libris praefatis authentice et legaliter adnotare, ac solemniter apponere tenerentur, omni prorsus exceptione cessante, ita quod ex tunc de cetero nulli ex eis liceret in margine vel a tergo supplicationum sive procurationum dictas resignationes aut cessiones scribere vel adnotare, nisi prius in dictis libris authenticis adnotatae forent. Et in adnotationibus huiusmodi fiendis, voluerat diem datae supplicationis, cuius vigore talis resignatio vel cessio facienda erat, poni et adnotari, et tempus trium dierum praedictorum praefixum a die praestiti consensus computari debere, ac ex tunc resignationes et cessiones aliter factas nullius roboris vel momenti fore, nec alicui suffragari debere, beneficiaque aliter resignata, non per resignationem, sed per obitum, ut praefertur, vacare, sicque iudicari debere, ac irritum si secus contingeret fieri decreverat.

Et postea declaravit, ut hic. § 2. Itemque Leo praedecessor, cum postmodum accepisset quod nonnulli dictorum mandatorum contemptores nixi fuerant et nitebantur per vias varias illorum dispositionem cavillari, illa de consensibus dumtaxat a tergo supplicationum seu mandatorum procurationum, non autem in aliis locis descriptis vel mente retentis et gestis, intelligi debere; aliis vero aliter et aliter interpretantibus, volens suum et Iulii praedecessoris mandatum huiusmodi, semotis quibusvis cavillationibus, effectum sortiri, motu simili declaraverat illam ex tunc in antea intelligi debere de omnibus et singulis consensibus, in quacumque cessione et resignatione ac unionum dissolutione ac alia actione pro expeditione literarum apostolicarum necessariis, sive a tergo supplicationum et mandatorum procurationum, sive alibi scriptis aut etiam aliter, vigore supplicationum pro tempore signatarum, quomodolibet, etiam tacite, praestitis vel mente retentis, qui in libris praedictis, infra tempora praedicta, respective imposterum non adnotarentur; ac voluerat et decreverat verbum *Hodie*, quod in literis resignationum et concessionum ac dissolutionum, unionum ac alias, in quibus consensus requiritur, apponi solitum, nullum effectum de cetero operari nec attendi debere, ubi non esset servata solemnitas praedicta adnotandi consensum infra triduum, modo et forma praedictis; ac quod consensus in dictis libris, ultra tres dies adnotati ante illos, de quibus ageretur, faecerent sufficientem probationem de et super eo quod dicti consensus, de quibus ageretur, post tres dies praedictos in dictis libris pro tempore positi fuissent et essent, nec ad id alterius probationis adminiculum requireretur, nisi contrarium ex adverso probaretur. Et sic per Palatii Apostolici causarum auditores ac dictae Camerae praesidentes et clericos ac alios quoscumque iudices, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, iudicari debere; ac irritum et inane, si secus super iis contingeret attentari.

Pontifex iste dictas constitutiones Iulii II et Leonis X innovat et declarat; § 3. Constitutiones et mandatum Iulii et Leonis, praedecessorum huiusmodi, ad quorum probationem illorum narrativam praedictam, in iudicio et extra illud, sufficere voluit, per praesentem suam constitutionem approbavit et innovavit, ac perpetuo, inconcusse et inviolabiliter pro lege observari, et secundum illa de cetero iudicari mandavit, salvo quod ne quis in futurum de brevitate termini ad adnotandum dictos consensus, in dictis constitutionibus et mandatis Iulii et Leonis praedecessorum appositi, conqueri possit. Voluit quod in materiis Franciae, pro absentibus a Romana Curia, ad consulendum commoditati sollicitatorum, qui nonnumquam in illarum expeditione coguntur partibus rescribere, et responsum ab eis expectare, habeant notarii ad adnotandos consensus de cetero praestandos tres menses; in aliis vero, quindecim dies a die praestationis eorumdem consensuum computandos; consensus autem hactenus praestitos in materiis Franciae, pro absentibus infra duos menses, aliis vero infra decem dies, post publicationem praesentis constitutionis nostrae praemissae, adnotare teneantur; ipsique notarii, qui praesentem constitutionem in aliquo observare contempserint, ultra dictam excommunicationis sententiam, pro prima vice, suspensionis a perceptione emolumentorum officiorum suorum, ad tres menses per datarium pro tempore existentem irremissibiliter exigendorum et fabricae basilicae Sancti Petri de Urbe applicandorum; et si secundario deliquerint, ipsorum officiorum privationis poenas incurrant eo ipso.

Publicari iubet. § 4. Insuper mandavit eamdem constitutionem in Cancellaria Apostolica publi-

cari, et in illius quinterno, ad perpetuam rei memoriam, describi, et eodem quinterno cuicumque petenti dari, ut in aliis constitutionibus extravagantibus in ipso quinterno descriptis solitum est observari.

Decretum irritans.

§ 5. Decernens irritum et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Placet, publicetur et describatur. I.

(Papae subscriptio).

Publicatio.

Lecta et publicata fuit suprascripta constitutio Romae in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimosexto, die vero trigesima mensis ianuarii, pontificatus praefati sanctissimi domini nostri Papae anno III.

Pub. die 30 ianuarii 1526, pont. an. III.

Sequitur alia constitutio praecedenti connexa.

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster, dominus Clemens divina providentia Papa VII.

Qui dudum, postquam felicis recordationis Iulius Papa II, eius praedecessor, accepto per eum quod tunc Camerae Apostolicae notarii per quamdam corruptelam seu abusionem resignationis beneficiorum, quae in Romana Curia in dicta Camera fiebant *etc.* [1].

Hic idem Pontif. 0, ex causis hic expressis, praecipit

§ 1. Et cui postmodum innotuit quod dicti notarii consensus praedictos, iuxta praedecessorum et Sanctitatis Suae constitutiones et mandata huiusmodi, adnotare praetermittentes seu ex aliqua causa nequeuntes, instrumenta resignationum et cessionum, de quibus rogati fuerunt, tamquam coram eis et testibus factarum, partibus indifferenter dant; quorum vigore illis exhibitae literae apostolicae, super resignationibus seu cessionibus ipsis illas admitti mandando aut etiam admittendo, absque eo quod notarii praedicti manum a tergo ipsarum literarum apponant, tam per Cancellariam quam Cameram Apostolicam, iuxta illarum stylum, expediuntur; ac quod nonnulli iudices dictae Curiae transumpta supplicationum, provisionum, beneficiorum et aliarum gratiarum per Sanctitatem Suam et in eius praesentia signatarum et registratarum, ac etiam earumdem supplicationum praetextu, literas et mandata de adipiscenda possessione beneficiorum in illis expressorum, antequam literae apostolicae desuper expeditae fuerint, expediant et concedant, ex quo plura inconvenientia subsequuntur, et diversae querelae ad aures Sanctitatis Suae perferuntur.

Notariis ne dent instrumenta resignation. etc.;

§ 2. Volens etiam huiusmodi abusibus et inconvenientibus congruis remediis obviare, tam Cancellariae et Camerae praedictarum quam aliis quibuscumque notariis publicis, sub poenis supradictis, mandavit ne de cetero instrumenta resignationum seu cessionum beneficiorum in dicta Curia, etiam sine supplicatione, pro tempore factarum, seu praestitorum in illis consensuum tradere.

Praesidentibus Cancellariae et Camerae ne vigore illorum instrumentor. literas apostolicas expediant;

§ 3. Necnon, tam per Cancellariam quam per Cameram praedictas expediendarum, praesidentibus, ne, praetextu dictorum instrumentorum, literas apostolicas super resignationibus et cessionibus praedictis, cum mandato eas admittendi, constito quod illae coram notario et testibus in dicta Curia factae fuerunt, vel etiam cum earum admissione dicendo quod de illis per publica documenta extitit legitime facta fides, expedire.

Et iudicibus ne dent mandata capiendi possessionem beneficiorum.

§ 4. Necnon quibusvis iudicibus dictae Curiae, quavis ordinaria vel delegata auctoritate fungentibus et quocumque nomine nuncupatis, sub eisdem poenis, ne transumpta supplicationum apostolicarum et literas seu mandata illarum vigore possessionem beneficiorum ecclesiasticorum

[1] Omittitur constitutionis tenor, quia habetur in praecedenti constitutione.

apprehendendi dare et concedere quomodolibet praesumant; decernens irritum *etc.*

Placet, publicetur et describatur in Cancellaria. I.

(Papae subscriptio).

Publicatio. Lecta et publicata fuit suprascripta regula Romae in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo, die vigesimasecunda mensis septembris, pontificatus sanctissimi domini nostri Clementis, divina providentia Papae VII, anno VII.

Pub. die 22 septembris 1530, pontif. an. VII.

Sequitur alia declaratio praecedentis constitutionis.

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster, dominus Clemens, divina providentia Papa VII.

Summa const. praeinsertae. Constitutionem suam de consensibus in Cancellaria vel Camera Apostolica ex tunc de cetero praestandis, quoad materias Franciae, infra tres menses, in aliis vero infra quindecim dies a die extensionis eorumdem consensuum computandos, in libris solitis et authenticis adnotandos, ad obviandum fraudibus, quae in retardatione adnotationis consensuum huiusmodi committebantur, nuper editam declarando.

Declaratio temporis praefixi notariis adnotandi consensus. § 1. Voluit quod dicta tempora non a die extensionis consensuum in dictis libris, cum ipsa constitutio sic nihil operaretur, nec per eam dictis fraudibus in aliquo obviaretur, sed a die praestationis eorumdem consensuum intelligi debeant. Et quoniam nonnumquam praestantur consensus super supplicationibus nondum ad registrum missis, sed adhuc penes datarium suum existentibus; et notarii non possunt tales consensus in dictis libris adnotare, nisi videant huiusmodi supplicationes registratas seu expeditas; et saepe labuntur dicta tempora antequam ipsae supplicationes ad registrum mittantur seu expediantur, voluit et declaravit quod tunc et eo casu dicta tempora a die, quo datarius huiusmodi supplicationes ad registrum vel summistam miserit, computari debeant. Diem autem missionis huiusmodi de cetero adnotabit datarius pro tempore in calce supplicationum consensum aliquem requirentium, per hæc verba, videlicet, *Missa die tali. N. Datarius*, quae verba voluit ad plenam probationem missionis praedictae sufficere.

Declaratio quod notarii notent etiam datam missionis et datam supplicationis. § 2. Praeterea voluit quod notarii, de talibus consensibus rogati, in adnotatione illarum in dictis libris facienda, teneantur de die missionis huiusmodi, sicut de data supplicationum, expressam mentionem facere, ut die praestationis consensuum et die missionis supplicationum huiusmodi simul iunctis, ex illorum inspectione evidenter appareant ipsi consensus, infra tempora praedicta, in dictis libris adnotati, et notarii requisiti de cetero ad ponendum aliquos consensus in libris praedictis, si ex inspectione dierum praestationis consensuum ac missionis supplicationum viderint dicta tempora, ad adnotandum consensus, ut praefertur, præfixa, esse lapsa, consensus tales in dictis libris adnotare nullatenus praesumant, sub poenis in dicta priori constitutione contentis. Et nihilominus adnotatio de illis, sic extra tempora praedicta pro tempore facta, ipsique consensus sic adnotati viribus omnino careant, nulliusque sint roboris vel momenti. Narrativa quoque per verbum *Hodie* vel *Nuper*, in literis apostolicis super materiis, ad quarum expeditionem consensus aliquis requiritur, pro tempore expeditis posita, contra praemissa minime attendi debeat, nec aliquem effectum operetur.

Declaratio consensuum non adnotatorum propter impedimenta discessus ipsius Pontificis ab Urbe. § 3. Insuper intelligens Sanctitas Sua, in profectione sua versus Massiliam et durante Sanctitatis Suae ab Urbe absentia, ac per aliquos dies ante et postquam plures consensus fuisse praestitos, [1] qui, pro-

1 Forte legendum . . . *ante et post, quamplures consensus* (R. T.).

pter varia impedimenta, infra dicta tempora, iuxta dictam constitutionem, in libris praedictis adnotari non potuerunt, ad consulendum indemnitati partium, dat et concedit notariis Cancellariae et Camerae praedictis licentiam et facultatem quod omnes consensus, a die recessus Sanctitatis Suae ab Urbe versus Massiliam usque ad eius in Urbe felicem reditum, videlicet a die nona septembris usque ad diem decimam decemb. an. millesimo quingentesimo trigesimotertio, ac per quindecim dies ante recessum et alios quindecim dies post reditum huiusmodi, praestiti in libris praedictis, pro absentibus, infra tres menses; et pro praesentibus, infra quindecim dies a die publicationis praesentis constitutionis computando adnotari possint et valeant. Necnon consensus huiusmodi sic adnotandos, ac etiam de mandato Sanctitatis Suae vel datarii sui iam adnotatos, in omnibus valere et validos esse, perinde ac si infra tempora dictae prioris constitutionis in eisdem libris adnotati fuissent.

Decretum irritans. § 4. Decernentes sic per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, in quibusvis causis, motis et movendis, et etiam per appellationem adhuc pendentibus, interpretari ac iudicari debere. Ac irritum *etc.* si secus fiat. Constitutione praedicta cum poenis in ea indictis alias in suo robore permanentibus.

Placet, publicetur et describatur.

(Papae subscriptio).

Publicatio. Lecta et publicata fuit die martis, XIV aprilis MDXXXIV, pontificatus SS. D. N. anno XI.

Pub. die 14 aprilis 1534, pont. an. XI.

XVIII.

De dispensatione fratrum militiae de Calatrava, Ordinis Cisterciensis, circa ordinationes quibus cavetur quod ipsi non nudi et cincti dormiant, et tam diurnis quam nocturnis horis divina officia recitent [1].

[1] De hac militia alias posui constitutiones indicatas supra in constit. IV Adriani VI, *Dum intra*, pag. 13.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Apostolicae Sedis consueta clementia lapsis ad eam post excessum cum humilitate recurrentibus personis, sub suavi praesertim sacrae Religionis militiae de Calatrava, Cisterciensis Ordinis, pro fidei catholicae exaltatione institutae, militantibus, libenter se propitiam et benignam exhibere, et dum id humiliter petierint, suae pietatis gremium aperire, illosque gratioso favore prosequi consuevit, quos ad id alias propria virtutum merita multipliciter recommendant.

Fratres et milites de Calatrava ex ordinationibus militiae non nudi sed cincti dormire, et nedum de die, sed etiam de nocte officia divina recitare tenentur; § 1. Sane carissimus in Christo filius noster Carolus, Romanorum rex illustris in imperatorem electus, qui etiam Castellae, Legionis, Aragonum et utriusque Siciliae rex, ac dictae militiae, per Sedem Apostolicam deputatus, perpetuus administrator existit, suo et dictorum filiorum, capituli et universorum diffinitorum nuncupatorum, ac aliorum priorum, praeceptorum, fratrum et militum, eiusdem militiae nominibus, per dilectum filium Ramirum Nuñez de Aguilera, praeceptorem domus de Mestanca, militiae et Ordinis praedictorum, Toletanae dioecesis, nuncium suum super hoc ad nos destinatum, nobis nuper exponi fecit quod, licet in modo vivendi, institutionibus regularibus, statutis et consuetudinibus dictae militiae ac eis traditis, etiam forsan iuramento, confirmatione apostolica aut alia firmitate roboratis, inter alia caveri dicatur expresse quod priores, praeceptores, fratres, milites et personae militiae huiusmodi pro tempore existentes, vestiti et cincti dormire, ac nonnulla psalteria, psalmos, orationes et alia officia divina annuatim et dietim ac nocturnis temporibus et horis diversis dicere et recitare, et alia tunc expressa facere teneantur, et illa negligentes excommunicationis, suspensionis et interdicti aut alias sententias, censuras et poenas incurrant.

Sed dictae constitutiones observatae non fuerunt.

§ 2. Tamen a multis annis citra, illa in eadem militia, quoad dormiendum vestitos et cinctos, ac quoad debitum modum dicendi officium negligenter fecerunt, ac multi illa non in totum vel modo aut temporibus debitis dixerunt et recitarunt, ac nudi et sine cingulo dormierunt, et in omnibus aliis observandis negligentes fuerunt.

Carolus rex, administrator militiae, de eiusmodi illorum culpis absolutionem petit.

§ 3. Quare pro parte eiusdem Caroli regis, in imperatorem electi et administratoris, asserentis nonnullos ex eisdem prioribus, praeceptoribus, militibus et fratribus ac personis, ob securitatem earum et aliorum suorum confratrum et personarum conscientiarum, a praemissis negligentiis et culpis absolvi desiderare, eorumdem nominibus nobis fuit humiliter supplicatum quatenus eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Et hic Pontifex petitam absolutionem concedit;

§ 4. Nos igitur attendentes quòd praefatae Sedis exuberans clementia, cum humilitate petentibus, suae pietatis gremium aperire non denegat, quique hodie et alias per diversas nostras literas, horas et officium ac psalmos huiusmodi in alias orationes et versus tunc expressos eisdem prioribus, praeceptoribus, militibus, fratribus et personis commutavimus; et circa modum vivendi, ac quod nudi et sine cingulo dormirent, et aliqua alia tunc expressa eis concessimus et indulsimus, prout in eisdem literis plenius continetur, capitulum, diffinitores et alios priores, praeceptores, fratres, milites et personas praedictas ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, apostolica auctoritate, tenore praesentium, omnes et singulos priores, praeceptores, fratres, milites et personas militiae huiusmodi a negligentiis et culpis praedictis absolvimus, ac illis, ut aliquam eleemosynam, ad arbitrium dilecti filii prioris conventus militiae huiusmodi seu eius vicesgerentis, pro poenitentia salutari, quam pro praemissis facere deberent, omnino erogare procurent, mandamus.

Priorique dictae militiae in quolibet capitulo similem absolutionem dandi facultatem tribuit.

§ 5. Ac quod deinceps perpetuis futuris temporibus, quoties capitulum generale dictae militiae celebrabitur, in principio ipsius capituli, pro tempore existens prior conventus militiae huiusmodi seu eius vicemgerens omnes et singulos priores, praeceptores, milites, fratres et personas dictae militiae in eodem capitulo pro tempore interessentes a quibusvis similibus culpis, transgressionibus, omissionibus vel negligentiis ac quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti ac reliquis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa in eos latis, inflictis et promulgatis, aliisque eorum peccatis, delictis, criminibus et excessibus quibuscumque, quantumcumque gravibus et enormibus, dummodo talia non fuerint propter quae dicta Sedes foret merito consulenda, absolvere, ac eis pro praemissis poenitentiam salutarem iniungere, ac cum eis et eorum singulis super irregularitate per eos quovis modo et qualitercumque contracta et contrahenda dispensare libere et licite valeat, statuimus et ordinamus, plenamque et liberam ad id eidem pro tempore existenti priori et eius vicemgerenti licentiam et facultatem concedimus.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 6. Non obstantibus praemissis et apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus ac aliis militiae et Ordinis praedictorum, etiam similiter roboratis, statutis, consuetudini-

bus privilegiisque, indultis et literis apostolicis illis concessis, confirmatis, approbatis et etiam pluries innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimosexto, XVII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 16 martii 1526, pontif. anno III.

XIX.

Quod syndici et procuratores fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia et monialium S. Clarae, cum eorum coniugibus atque filiis, domibus et monasteriis eorum servientes, gaudeant omnibus gratiis et favoribus ac privilegio fori, quibus ipsi fratres potiuntur et gaudent.

Clemens Papa VII. — Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa constitutionis.

Dum consideramus assiduos labores et vigilias, quos dilecti filii syndici et procuratores domorum et monasteriorum fratrum Minorum S. Francisci regularis Observantiae et monialium Sanctae Clarae, Conceptionis et Annunciationis, Ordinum [1] et sororum Tertiae Regulae sancti Francisci, sustinere non cessant, merito nos obligant ut animarum suarum saluti consulamus, ipsosque a quibusvis molestiis et iniuriis sibi pro tempore illatis, quantum cum Deo possumus, relevemus.

Syndici et procuratores fratrum Minorum de Observantia potiantur, cum eorum filiis et uxoribus, privilegiis ipsorum fratrum,

§ 1. Idcirco uni syndico et procuratori huiusmodi, cum illius uxore et liberis, praesenti et futuro, singulae domui et monasterio praedictis pro tempore servientibus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, ipsi et eorum quilibet omnibus et singulis indulgentiis et peccatorum remissionibus, favoribus et gratiis, quibus fratres Ordinis Observantiae praedictorum utuntur, potiuntur et gaudent, seu uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere possint et valeant.

Et signanter privilegio fori.

§ 2. Et insuper in quibusvis causis et rebus ipsos syndicum et procuratorem concernentibus, civilibus, criminalibus et mixtis, nonnisi coram iudicibus [2] conservatoribus domorum illarum, quarum ipse syndicus et procurator fuerit, de iustitia respondere teneatur auctoritate apostolica concedimus et indulgemus.

Inhibitio qua prohibetur ceteris aliis iudicibus, quam Ordinis conservatoribus, cognitio huiusmodi causarum.

§ 3. Inhibendo, sub excommunicationis latae sententiae poena, universis et singulis iudicibus, commissariis ecclesiasticis et saecularibus, quacumque auctoritate fungentibus, ne de causis contra dictos syndicos et procuratores motis et movendis, directe vel indirecte, quovis quaesito colore seu praetextu, se intromittere quomodolibet de cetero audeant vel praesumant. Decernentes quoscumque processus contra dictos syndicos et procuratores per alios quam dictos conservatores, in causis dumtaxat contra eos motis et movendis, habendos et sententias ferendas nullos et invalidos nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse, ac irritum et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum huius bullae.

§ 5. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu publici notarii subscriptis et sigillo alicuius episcopi *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI aprilis, millesimo quingentesimo vigesimosexto, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 16 aprilis 1526, pontif. anno III.

[1] Loco Ordinum forsitan leg. *fratrum* (R. T.)

[2] Waddingus hic addit *commissariis* (R. T.)

XX.

Erectio cathedralis ecclesiae Theatinae in metropolitanam cum iurisdictione, superioritate ac praefinitione suffraganeorum [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

Super universas orbis ecclesias, Eo disponente, qui cunctis imperat, et cui universa deserviunt, meritis licet imparibus, constituti, levamus in circuitu agri dominici oculos nostrae mentis, more vigilis pastoris inspecturi quid ecclesiarum ipsarum statui congruat, quid operis circa illas earumque statum prosperum et felicem impendi debeat; et, divino fulti praesidio, quo cuncta ex sui benignitate pro populorum suorum christifidelium salute disponit, ad ea, quae statui ecclesiarum huiusmodi congruunt, nostri ministerii partes utiliter intendere curamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Civitatis Theatinae decora et ecclesiae cathedralis dignitatem, beneficiaque in eam collata a Felice episcopo enunciat;

§ 1. Sane attendentes civitatem Theatinam, in centro provinciae Aprutinensis regni Siciliae, citra Farum, quae, amplitudine celebris, foris et infra se novem civitates et quamplura oppida et castra ac, ob eius excellentiam, proprium viceregem habere dignoscitur, constitutam, ac totius provinciae praedictae caput, necnon a clarae memoriae regibus Siciliae, qui pro tempore fuerunt, pluribus privilegiis munitam esse, et in ea regios auditores residere, baronesque ipsius provinciae pro illius tractandis negociis congregari consuevisse; ac ecclesiam Theatinam, cui venerabilis frater Felix, episcopus Theatinus, praelatus noster domesticus, praeest, inter alias ipsius provinciae cathedrales ecclesias insignem et notabilem ac metropolitica praelatione dignam merito existere; necnon dilectos filios communitatem ipsius civitatis Theatinae propterea, pro augumento dotis mensae episcopalis, eiusdem ecclesiae Theatinae redditus annuos trecentos ducatos monetae dicti regni, seu certam pecuniarum summam pro dictorum redditum annuorum emptione assignare paratos existere.

Eam in metropolim erigit, assignatis ecclesiis suffraganeis;

§ 2. Ex his et nonnullis aliis rationabilibus causis moti, habita super his cum fratribus nostris [1] deliberatione matura, ad omnipotentis Dei laudem et honorem, necnon fidei catholicae exaltationem, praefatam ecclesiam Theatinam in metropolitanam, cum archiepiscopalis dignitatis iurisdictione et superioritate ac crucis delatione et aliis metropoliticis insigniis, de fratrum eorumdem consilio, apostolica auctoritate, tenore praesentium erigimus et instituimus; ac illi Lancianensem, Pennensem et Adriensem civitates et dioeceses, pro eius provincia, et ipsarum Lancianensis, Pennensis et Adriensis ecclesiarum praesules pro tempore existentes pro suis suffraganeis episcopis, necnon dilectos filios capitula ecclesiarum ac clerum et populum civitatum et dioecesum earumdem, pro suis provincialibus clero et populo: ita quod ipsi, quoad omnia metropolitica et archiepiscopalia iura, superioritatem et iurisdictionem, pro tempore existenti archiepiscopo Theatino subiecti sint, et, tamquam membra capiti obsequentes, eidem [2] archiepiscopalibus iuribus respondere debeant, de simili consilio, auctoritate et tenore praedictis concedimus et assignamus.

Novos redditus ei tribuendos statuit.

§ 3. Necnon mensae praedictae redditus annuos, pro illius dotis augumento huiusmodi, per eamdem communitatem, ut praefertur, assignandos, seu pro illo-

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

1 Ugh. hic addit: *S. R. E. cardinalibus*. 2 Et hic legit: *et de loco eidem* (R. T.).

rum emptione, ex pecuniarum summa per ipsos communitatem assignanda emendos, cum assignati seu empti fuerint, ex nunc, prout ex tunc et e contra, perpetuo applicamus et appropriamus.

Clausulae pro perpetua huiusmodi erectionis firmitate.

§ 4. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimosexto, kalendis iunii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 iunii 1526, pontif. anno III.

XXI.

Procuratori Reverendae Camerae Apostolicae assignatur vigesima portio omnium poenarum, quae, ex causis criminalibus aut ab eis procedentibus, ad eamdem Cameram, ipso vel eius substitutis procurantibus, perveniunt [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilecto filio salutem et apostolicam benedictionem.

Causa concessionis.

Quoniam nulli debet officium suum esse damnosum; nec labor, fides et industria alicui damno esse: idcirco nos, qui de fide, diligentia, labore et solertia dilecti filii Benedicti de Valentibus, nostri et Camerae Apostolicae procuratoris fiscalis, circa huiusmodi procurationis officium et quae officium ipsum concernunt, et alia, quae quotidie eidem peragenda committimus, tam plurimorum fide digna relatione, quam ex facti evidentia et experientia, plenam et veram notitiam habemus, ut valeat in praedictis et aliis eius virtutibus perseverare, et de bono in melius procedere, et officium procurationis huiusmodi, iuxta ipsius concedentiam et dignitatem, gerere et exercere.

Assignatio (de qua in rubrica).

§ 1. Motu proprio et ex nostra certa scientia per praesentem statuimus, decernimus, ordinamus et volumus atque mandamus quod de omnibus et singulis pecuniariis poenis ex causis criminalibus et provenientibus ab eis, quas cum effectu, Benedicto procuratore praedicto vel ab eo deputatis et deputandis substitutis procurantibus, ad Cameram nostram praedictam pervenire contigerit, et quae hactenus a die suae electionis pervenerint, idem Benedictus procurator, ad rationem quinque pro centenario, realiter et cum effectu consequi debeat et consequatur.

Iussio earum portionem persolvendi.

§ 2. Mandantes dilectis filiis A., tituli Sancti Cyriaci in Thermis presbytero cardinali, sanctae Romanae Ecclesiae camerario, ac praesidentibus et clericis Camerae nostrae Apostolicae, ut praedictam poenarum partem eidem Benedicto procuratori praedicto, absque exceptione vel mora, realiter et cum effectu persolvant, ac per illos, ad quos spectat, persolvi faciant et procurent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Fiat ut petitur. I.

(Papae subscriptio).

Sola signatura sufficit.

Et quod praesentium sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, et quod literae in forma brevis vel aliter, prout eidem Benedicto procuratori videbitur et placebit, expediri possint et valeant.

Fiat. I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, V kalendas decembris, anno IV.

Dat. die 27 novembris 1526, pontif. anno IV.

1 De munere procuratoris fiscalis ceterisque causas fiscales concernentibus, vide constitutionem VI Innocentii VIII, *Cum sicut*, tom. V, pag. 315.

XXII.

Animadversio contra illos, qui sal Camerae Apostolicae rapiunt, distrahunt vel alias quomodolibet illius asportationem impediunt ac perturbant [1].

Clemens Papa VII, universis et singulis praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Pro iniuncta nobis pastoralis officii cura, nostros, Sedis Cameraeque Apostolicae redditus conservare, et si quoquam sinistriore successu labefactari contigerit, quoad fieri potest, eos restituere tenemur.

Nonnulli salinas fabricabant in praeiudicium Camerae Apostolicae. § 1. Sane nuper accepimus quod nonnulli domini temporales, feudatarii nostri, hominesque illis in temporalibus subiecti, etiam nonnullae communitates, universitates et particulares personae, nobis Sedique praedictae etiam in temporalibus subditae, libertatem negocii salis nostri, quod inter praecipua regalia nostra merito censetur, illiusque dohanerios et ministros impedire et damnificare; ac sal ipsum, dum per eorum territoria ad loca deputata transfertur, aut ex magazenis, in quibus conservatur, rapere, intercipere, occupare, et ad alia non deputata loca transferre, ibique vendere, emere, contractare, et alias diversimode, etiam salveam fabricando, fraudes committere, non sunt veriti neque verentur; sal vero, quod pro eorum rerumque suarum usu praesertim a salaria almae Urbis nostrae, certo persoluto pretio, recipere consueverant, non acceperunt, pretiumque, ut tenebantur, non persolverunt; quinimo, quod pessimum est, aliarum salariarum, etiam extra nostrum et Romanae Ecclesiae temporale dominium existentium, sal pro dicto usu sibi comparaverunt, in grave nostrum Cameraeque et Sedis Apostolicae ac dohaneriorum praefatorum damnum et praeiudicium, animarum suarum, propter censurarum contra tales promulgatarum incursus, damnationem, nostrum et dictae Sedis contemptum, malumque exemplum et scandalum plurimorum.

Poenas temporales et spirituales in eos infligit, qui salis R. C. venditionem, asportationem etc. quoquo modo impediunt, si subditi sint Sedis Apostolicae; § 2. Quare nos volentes pro nostra et Camerae Sedisque Apostolicae ac dohaneriorum indemnitati, et animarum praefatorum saluti desuper opportune providere, motu proprio et ex certa nostra scientia, tenore praesentium, quas perpetuo valituras decernimus, vobis et vestrum cuilibet nobis et dictae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, etiamsi vestrum aliquis archiepiscopali, episcopali, abbatiali vel alia quacumque ecclesiastica, ac etiam marchionali, principatus, ducali vel alia mundana dignitate praefulgeat, sub suspensionis a divinis, excommunicationis et interdicti censuris ecclesiasticis, ac etiam privationis feudorum, privilegiorum, indultorum, officiorum, beneficiorum, iurium et actionum quorumcumque a Sede Apostolica, quacumque de causa, etiam onerosa, etiam dispositive exprimenda, sub quibusvis verborum formis concessorum, necnon confiscationis et amissionis quorumcumque bonorum mobilium et immobilium quomodolibet obtentorum et possessorum, ac etiam quinque millium ducatorum auri per quamlibet communitatem aut universitatem seu in temporalibus dominum, et mille ducatorum similium per quamlibet particularem personam contrafacientem, ac aliis per diversas nostras et praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutiones et literas, quas in suo robore permanere decernimus, et, quatenus opus sit, innovamus, expressis et promulgatis, eo ipso incurrendis et irremissibiliter exigendis respective poenis, districte praecipiendo mandamus.

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Non subditos, per quorum terras sal R. C. exportari contingat, hortatur ut opem ferant ad transportationem et pretium exigendum;

§ 3. Nobis vero non subditos paterne requirimus quod sal nostrum per loca nobis aut vobis subiecta, sine aliqua datii, gabellae vel alterius oneris solutione, ut consuetum est, et sine aliquo impedimento, conduci et transportari, illiusque dohanerios, ministros et portatores libere negotiari, conversari ac morari sinatis et permittatis. Et si a dohaneriis vel eorum ministris et portatoribus praefatis vel eorum aliquo requisiti fueritis, eis statim de fidis comitibus et fideli scorta per totum territorium vestrum provideatis, et nihilominus territoria vestra, sub dictis damnorumque et interesse poenis, assecuretis: et si quam huiusmodi salis quantitatem aut pecuniarum summas a negotio salis dependentes intercepistis, aut in territoriis vestris intercipi seu occupari contigit vel continget, de propriis vestris facultatibus, quoties id contigerit, reservatis tamen vobis contra interceptores et occupatores huiusmodi iure et actione, eisdem dohaneriis vel eorum ministris eas, una cum expensis factis, poenis pecuniariis propterea incursis et interesse forsan passo, eisdem, sine aliqua mora vel tergiversatione, integre restituatis et satisfaciatis, aut restitui et satisfieri faciatis cum effectu; et sal, quod a salariis nostris accipere consuevistis et debetis, ab eisdem nostris salariis, tam pro tempore decurso quam in futurum, et non ab aliis omnino capiatis; ac pretium et pecuniarum summas, quod pro sale vobis respective deputato, etiam non accepto, tam de praeterito statim quam de futuro, suis temporibus solvere debetis, dohaneriis seu eorum ministris praefatis cum effectu persolvatis.

Executores huiusmodi bullae deputat;

§ 4. Mandantes commissario pro tempore existenti et dilectis filiis Camerae nostrae Apostolicae praesidentibus clericis, necnon provinciarum nostrarum ac civitatum, terrarum et locorum praefatorum legatis, vice-legatis, gubernatoribus, locatenentibus, commissariis, praetoribus, communitatibus, universitatibus, officialibus et executoribus quibuscumque nunc et pro tempore existentibus, quacumque potestate et auctoritate fungentibus, et cuilibet eorum, quod, quoties a dictis dohaneriis vel eorum ministris fuerint requisiti, eis et cuilibet ipsorum, per se vel alium seu alios, in praemissis, et circa ea faveant et assistant: praesentesque et alias a nobis ac praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus super negotio salis huiusmodi emanatas literas et constitutiones, quarum tenores, praesentibus pro sufficienter expressis, ac si de verbo ad verbum inserti forent, haberi volumus, in omnibus et per omnia effectum suum sortiri, et debitae executioni demandari, sub dictis poenis, mandent et faciant, contradictores ac in venditione, emptione, transportatione, salvearum fabricatione aut alias in negotio salis huiusmodi contra praesentium et aliarum praedictarum constitutionum et literarum dispositionem aut hactenus observatam consuetudinem fraudantes, per censuras et poenas in praesentibus et illis contentas aliaque iuris et facti opportuna remedia summarie, sola facti veritate inspecta, prout in cameralibus decet procedere, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Hanc legem per eccles. praelatos publicari mandat;

§ 5. Venerabilibus vero fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis etiam filiis eorum in spiritualibus vicariis generalibus, metropolitanarumque et cathedralium et collegiatarum capitulis, parochialium ecclesiarum rectoribus, quod, toties quoties pro alicuius dohaneriorum, ministrorum aut aliorum praefatorum parte fuerint requisiti, in metropolitanis, cathedralibus, collegiatis vel parochialibus ecclesiis praedictis, per affixionem in valvis earum vel alias voce, aliquibus dominicis vel aliis festivis diebus, dum inibi

divina celebrantur, praesentes vel earum transumptum, etiam in vulgari sermone redactum, ut ab omnibus intelligi possit, publicent.

Sic publicata, omnes arctare declarat;

§ 6. Quas, postquam sic fuerint publicatae, omnes et singulas utriusque sexus personas, civitatibus, dioecesibus et parochialibus, in quibus, ut praefertur, fuerint publicatae, subiectas, ac si illis personaliter intimatae fuissent, afficere et ligare decernimus.

Derogat contrariis;

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, seu si archiepiscopis, episcopis, abbatibus, capitulis, dominis et aliis praefatis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, gratiis, concessionibus, indulgentiis et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus praesentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis; necnon felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, ac de certo numero personarum ad iudicium evocandarum, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 8. Et quia difficile foret *etc.*

Datum in civitate nostra Urbis Veteris, die septima martii, millesimo quingentesimo vigesimo octavo, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 7 martii 1528, pontif. anno v.

XXIII.

Statuta, constitutiones, privilegia, indulta, exemptiones, libertates, concessiones, immunitates et gratias senatus populique Romani innovat, aliaque circa conservatorum salaria et lectorum stipendia decernit [1].

Clemens Papa VII, ad futuram rei memoriam.

Amorem suum in populum Romanum explicat Clemens,

§ 1. Cum nos affectione dilectioneque non minori quam aliqui alii ex Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris dilectos peculiaresque nostros et S. R. E. filios, senatum populumque Romanum, prosequamur, pro aliqua parte damnorum in almae urbis nostrae Romae novissima direptione per milites exercitus imperialis illatorum eos recompensare, specialibusque favoribus et gratiis prosequi volentes, omnia et singula statuta, constitutiones, et etiam novas nuncupatas eiusdem Urbis reformationes, ac omnia et singula privilegia, indulta, exemptiones, libertates, gratias, concessiones et immunitates, per omnes et singulos Pontifices Romanos praefatos et nos quomodolibet concessa, approbata, confirmata et innovata, approbamus, confirmamus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, illasque et illa innovamus et de novo eis concedimus.

Romanorum Pontificum concessiones omnes populo Romano confirmat.

Vectigal vini pro salario lectorum Universitatis Urbis.

§ 2. Et insuper cum, sicut accepimus, gabella sive dohana vinorum, Urbis Terrae nuncupata, ab ipsis senatu populoque Romano, pro salario tam ordinarias quam extraordinarias lectiones in ipsius Urbis Studio legentibus, imposita et instituta fuerit, et specialiter primo decretum quod fructus ac emolumenta quaecumque ex illa provenientia in salariis praefatis; postea vero per felicis recordationis Leonem Papam X, etiam praedecessorem nostrum,

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic,

Leo X decernit totum, quod superest ex dictis salariis, applicari in reparatione moenium.

quod etiam, in augumento salarii conservatorum eiusdem almae Urbis et aliorum illius officialium pro certa summa aucti, et si quid ultra ex supradictis salariis superesset, illud plus in refectione sive reparatione moenium sive murorum Urbis exponeretur, et in praesenti anno millesimo quingentesimo vigesimo octavo non fuerint aut futuri, ob qualitatem temporum, sint aliqui legentes, quibus salaria persolvi debeant.

Quando non adsunt lectores, proventus dicti vectigalis expendi debet in idem opus.

§ 3. Propterea eiusdem praesentis anni et aliorum, quibus, futuris temporibus, forte non legetur, omnes et singulos fructus ex dicta gabella provenientes, etiam legentium salariis destinatos, augumento tamen salariorum conservatorum et aliorum officialium praedictorum et, quando in gymnasio dictae Urbis legetur, etiam dictis actualiter legentium salariis dumtaxat exceptis, in reaedificationem et reparationem murorum praedictorum, et non alios usus, exponi et converti debere, statuimus et ordinamus.

Actu tantum legentibus solvenda salaria.

§ 4. Quodque, dum et quoties in gymnasio dictae Urbis legi contigerit, actu tantum legentibus et non aliis salaria huiusmodi assignari et solvi debeant; et si alias assignari contingat, vel hactenus per Romanos Pontifices praedecessores nostros et etiam per nos assignata reperiantur, tales assignationes ac mandata de dictis salariis solvendis et inde secuta quaecumque irritamus et annullamus, et solvere habentibus, ne solvant, inhibemus.

Concessiones in contrarium factae, irritae declarantur.

§ 5. Et ulterius omnes et singulas concessiones singulorum officiorum ad ipsum senatum populumque Romanum spectantium et pertinentium, seu partem vel partes illorum fructuum, etiam ex causa affictus vel alias quomodolibet, tam ab eodem quam aliis praedecessoribus nostris praefatis et nobis quomodolibet et cuicumque factas et emanatas, cassamus, revocamus, irritamus et annullamus; ipsosque senatum et populum adversus illa, perinde ac si minime emanassent, restituimus, et in eum, in quo ante illas erant, statum plenarie reponimus et reintegramus.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis, concessionibus, assignationibus, etiam ex quavis causa, occasione vel colore, cuicumque, etiam civi Romano, factis, literisque praedecessorum nostrorum et nostris sub plumbo vel in forma brevis quibusvis personis, etiam civibus Romanis, in contrarium forsan concessis, quibus, illarum tenores et datas pro expressis habentes, derogamus, easque specialiter et expresse revocamus, statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Camerario, gubernatori et senatori Urbis committitur exequutio praesentium literarum.

§ 7. Quocirca nostro et S. R. E. camerario ac gubernatori et senatori eiusdem almae Urbis, nunc et pro tempore existentibus, per haec scripta mandamus quatenus, eisdem senatui populoque Romano et agentibus pro eis efficacis defensionis praesidio in praemissis assistentes, non permittant eosdem senatum populumque Romanum eorumque agentes praefatos, ullo unquam tempore aut quovis quaesito colore, contra praesentium tenorem, quomodolibet molestari vel perturbari, contradictores et inobedientes per censuras ecclesiasticas, etiam iteratis vicibus aggravandas, ac poenas pecuniarias, suo arbitrio imponendas et moderandas, et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc et per eos adhibito, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Praemissis ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non

possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Reparatio murorum facienda praevio consensu personae a Sanctitate Sua deputandae;

§ 8. Volumus autem quod senatus et populus praedicti, antequam pecunias praefatas in refectionem seu reparationem murorum exponant, personae per nos ad hoc deputandae, quo in loco muros ipsos reparare velint, specificare, ipsamque reparationem cum interventu seu licentia dictae personae facere teneantur.

Quae computa de recepto et exposito tenere debet.

§ 9. Quodque eadem persona de pecuniis, tam in huiusmodi reparatione expositis quam per eosdem senatum populumque Romanum e gabella huiusmodi pro tempore exactis, et de omnibus dictae gabellae introitibus computum tenere debeat, ut omnia, ad omnem requisitionem, nobis ostendere possit.

Datum Orvieti, vigesimaquinta aprilis, millesimo quingentesimo vigesimoctavo, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 25 aprilis 1528, pontif. anno v.

XXIV.

Approbatio congregationis fratrum Eremitarum, nunc Cappucinorum, Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci, cum habitus praefinitione gratiarumque et privilegiorum concessione.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Ludovico et Raphaeli de Forosemproniense, Ordinis fratrum Minorum professorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Religionis zelus, vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis ac virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendamini testimonio, nos inducunt ut votis vestris, praesertim quae animarum salutem et Religionis propagationem respiciunt, quantum cum Deo possumus, favorabilem[1] annuamus.

[1] *Favorabiliter* legunt Waddingus et Cherubinius (R. T.).

Quidam de fratribus Conventualibus, de licentia provincialis Marchiae, eremiticam vitam sub Regula S. Francisci ducere coeperunt, et licentiam ad eamdem Sedem Apostolicam accedendi habuerunt;

§ 1. Sane, pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat quod vos olim, fervore serviendi Altissimo ducti, Ordinem fratrum Minorum, de Observantia nuncupatorum, ingressi, in ea professionem emissi[1], per certum tempus permansistis, et deinde de licentia vestri tunc superioris, iuxta formam literarum apostolicarum, super unione et concordia inter praedictos et Conventuales nuncupatos fratres dicti Ordinis edita confectarum, ad ipsorum fratrum Conventualium consortium vos transtulistis, et a tunc magistro provinciali provinciae Marchiae dictorum fratrum Conventualium benigne recepti ac aliorum fratrum Conventualium eiusdem provinciae numero et consortio aggregati fuistis; et deinde vobis desiderantibus, pro animarum vestrarum salute ac Dei gloria, eremiticam vitam ducere, et, quantum humana patitur fragilitas, Regulam beati Francisci observare, dictus magister provincialis licentiam ad Romanam Curiam accedendi, et a nobis ac Sede Apostolica quaecumque ad animarum vestrarum salutem ac Dei gloriam opportuna vobis viderentur, petendi et impetrandi concessit.

Ac a cardinale Ordinis protectore idem, certis additis conditionibus, impetrarunt.

§ 2. Ac etiam dilectus filius noster Andreas, tituli Sanctae Priscae presbyter cardinalis, dicti Ordinis protector, vobis, ut similem impetrationem facere, ita tamen quod unus ex consortio vestro, omnium vestrorum nomine, magistro provinciali seu capitulo provinciae dictorum fratrum Conventualium, in qua habitaretis, singulis annis se praesentare in signum subiectionis teneretur, et ipse magister (si sibi videretur) semel in anno et non ultra vos visitare, et si invenerit vos Regulam praedictam non observare, ad eam plenius observandam vos admonere, ac debitis modis compellere posset; praeter haec autem, nec vos de loco ad locum transferre, nec aliquid aliud vobis iniun-

[1] Praefati legunt *in ea professione emissa* (R. T.).

gere, aut a vobis exigere valeret, sed potius vos tueri et defendere teneretur ut in pace possetis Altissimo in divinis famulari, prout in literis patentibus eorumdem cardinalis protectoris et magistri provincialis desuper confectis plenius dicitur contineri.

Iidem postea a Papa licentiam opportunamque provisionem postularunt.

§ 3. Quare, pro parte vestra, nobis fuit humiliter supplicatum ut vobis vitam eremiticam huiusmodi ducendi facultatem concedere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic modo Pontifex dictam licentiam impertitur;

§ 4. Nos igitur, qui salutem cupimus animarum, vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac literas praedictas et in eis contenta quaecumqua praesentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, tenore praesentium, vobis ut, secundum Regulam praedictam, vitam eremiticam ducere.

Habitum cum caputio concedit;

§ 5. Et habitum cum caputio quadrato gestare.

Aliosque recipere,

§ 6. Necnon omnes, tam clericos saeculares et presbyteros quam laicos ad vestrum consortium recipere.

Barbam deferre,

§ 7. Ac, tam illi quam vos, barbam deferre.

Eremitoriaque habere indulget,

§ 8. Et ad eremitoria seu loca quaecumque, cum consensu dominorum eorumdem locorum, vos conferre, et in his habitare, vitamque austeram et eremiticam inibi agere, et in quibuscumque locis mendicare.

Privilegia et gratias fratrum Minorum et monachorum seu Eremitarum Camaldulen. elargitur;

§ 9. Necnon omnibus et singulis privilegiis, indultis et gratiis Ordini fratrum Minorum huiusmodi ac eremo Camaldulensi Beati Romualdi illiusque eremitis in genere vel in specie hacteuus concessis et in posterum concedendis, et quibus ipsi quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt in futurum, vos quoque aeque principaliter, sicut ipsi, uti, potiri et gaudere libere et licite valeatis, plenam et liberam licentiam et facultatem concedimus.

Executoresque deputat;

§ 10. Et nihilominus universis et singulis archiepiscopis, episcopis et abbatibus aliisque in dignitate ecclesiastica constitutis personis, necnon canonicis metropolitanarum vel aliarum cathedralium ecclesiarum, ipsorumqua archiepiscoporum, episcoporum et abbatum vicariis in spiritualibus generalibus, discretioni vestrae [1] per apostolica scripta mandamus quatenus eorum quilibet, per se vel alios seu alium, vobis et vestrum cuilibet, in praemissis, efficacis defensionis praesidio assistat, et faciat vos et vestrum quemlibet praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere, nec permittat vestrum quemlibet contra tenorem praesentium modo aliquo molestari, impediri aut inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles, etiam per quascumque, de quibus sibi placuerit, censuras et poenas et alia in eis [2] remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantia tollit;

§ 11. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, etiam de una, et in consilio generali de duabus diaetis edita, ac aliis constitutionibus at ordinationibus apostolicis; necnon dicti Ordinis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis ac literis apostolicis par quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, etiam per vim generalis legis ac statuti perpetui, ac motu

1 Verba *discretioni vestrae* desunt in Wadd. ed. (R. T.). 2 Wadd. legit *alia iuris* loco *alia in eis* (R. T.).

proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, praeservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et consistorialiter quomodolibet, etiam pluries, concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut certa exquisita forma servanda foret, et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit, illorum etiam tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos et formas ad id servandas, pro in individuo servatis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Viterbii, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimoctavo, quinto nonas iulii, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 3 iulii 1528, pontif. anno v.

XXV.

Communitas civitatis Brixiensis de exacta pro Lutheranae haeresis extirpatione protinus adhibita diligentia laudatur; amplaque iurisdictio episcopo et inquisitoribus datur contra perfidum eiusmodi haereticorum eorumque complicum genus procedendi.

Clemens PP. VII, venerabili fratri Paulo Zane, episcopo Brixiensi, et dilecto filio inquisitori haereticae pravitatis in civitate Brixiensi et eorum alteri, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Placuit intelligere quod non solum fraternitas tua sed eius dilecti filii communitas istius civitatis Brixiensis, nolentes negligentia aut desidia eorum amittere illud optimum nomen eis a parentibus et antecessoribus suis relictum, omni diligentia curarint ne haereses his temporibus de novo pullulare possint, sed omnibus remedia adhibuerint ut, si quae sint in ipsa civitate, extirpentur; et propterea, cum ad ipsorum communitatis notitiam pervenisset, nonnullos in ipsa civitate, suae famae et honoris prodigos, ita nefarios Dei sanctaeque matris Ecclesiae rebelles existere, ut non erubescerent Lutheranam doctrinam publice declarare, et quae palam non auderent, seorsum secreto docerent, plerosque inducentes a recta semita declinare; ne, ob id, forte contra eos ira Dei magis provocaretur, in publico eorum consilio statuerunt tres eiusdem civitatis cives eligi debere, quorum cura, diligentia et vigilantia Lutheranae diabolicae haereses a civitate ipsa eiusque territorio prorsus extirparentur, et earum auctores et seminatores condigna poena plecterentur, cum potestate etiam comparendi per procuratorem coram Sede Apostolica et quibuscumque aliis iudicibus ecclesiasticis et saecularibus, et pro praemissorum executione exponendi ex publico quascumque pecunias necessarias, quod, ut merito ex hoc illi laudari et plurimum commendari debent, ita etiam vos, prout vestro incumbit officio, circa haereses huiusmodi, in civitate et dioecesi Brixiensi idem facere, prout speramus et desideramus, omni diligentia curabitis.

Commendat hic Pontifex commune Brixiae de exacta diligentia pro depulsione et extirpatione Lutheranae haeresis adhibita.

§ 2. Cupientes igitur errores et perversa dogmata in civitate et dioecesi tuis

Inquisitoribus iubet hoc idem praestare;

huiusmodi penitus extirpari, et illorum sectatores debita correctione reprimi, ac debitis poenis puniri, vobis et alteri vestrum, etiam cum a praefatis electis requisiti fueritis et alter vestrum requisitus fuerit, omnes et singulas causas huiusmodi haeresim sapientes, etiam criminales, tam dicta Lutherana quam alia et erronea ac perversa doctrina in civitate et dioecesi praedictis exortas, et quas, etiam contra quemdam Ioannem Baptistam Palavicinum, Ordinis fratrum Carmelitarum, qui, verbum Dei in proxima quadragesima in ecclesia Brixiensi praedicando, publice nonnulla erronea et a fide catholica deviantia praedicavit, adeo quod pias hominum aures plurimum scandalizavit, si in civitate seu dioecesi praedictis extiterit, movere seu exoriri contigerit, cum omnibus et singulis illis annexis, dependentibus et emergentibus ab eis, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, prout in similibus procedi consuevit, audiatis.

Et procedere, appellatione remota, perinde ac si tres sententiae conformes latae fuissent.

§ 3. Nos enim vobis ut, auditis hinc inde propositis, etiam usque ad definitivam sententiam inclusive, sublato quovis diffugii obstaculo, et prout sacri canones volunt, etiam appellatione qualibet remota, decidendi et fine debito terminandi; ac sententias desuper per vos et alterum vestrum latas et quibusvis appellationibus, etiam ad nos et Sedem praedictam interpositis, penitus reiectis, perinde ac si tres sententiae conformes in nostrae Rotae auditorio latae essent, debitae executioni demandandi.

Cogant testes recusantes dicere veritatem;

§ 4. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuras ecclesiasticas, appellatione cessante, compellendi veritatis testimonium perhibere.

Citent quoscumque;

§ 5. Ac monitiones et citationes quaslibet, constito de non tuto accessu, seu quod pro monitionibus et citationibus huiusmodi faciendis ipsorum monendorum et citandorum praesentia commode haberi nequiret, per edicta publica locis publicis affigenda, quae perinde ipsos arctent, ac si eis personaliter intimata fuissent, faciendi.

Inquirant contra quoscumque Lutheranae haeresis reos, eorumque complices, cuiuscumque sint conditionis et praeeminentiae;

§ 6. Ac contra quosque, cuiusque status, gradus, ordinis, religionis vel conditionis seu praeeminentiae fuerint, et quacumque ecclesiastica seu mundana dignitate praefulgeant vel exemptione, ipsius Martini et aliorum erroneorum dogmatum sectatores, sequaces, fautores defensoresque, ac illis auxilium, consilium vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte praestantes, inquirendi et procedendi; ac huiusmodi labe et aliis haeresibus infectos capiendi et carceribus mancipandi, ac iuxta canonicas sanctiones et sanctorum patrum instituta, prout qualitas excessuum exegerit, vel conscientiae vestrae expedire visum fuerit, puniendi et poenis debitis plectendi.

Impoenitentes debitis poenis coerceant;

§ 7. Et ad cor redire nolentes a dictae Ecclesiae communione, velut putrida membra, separatos et divisos, ac damnationi aeternae cum Satana et angelis eius addictos, ac perpetuo infames ac intestabiles esse; necnon bona eorum quaelibet, mobilia et immobilia, cuicumque fidelium libere et licite invadere, occupare et sibi acquirere licere, personas eorum captivare et in perpetuam servitutem adducere, corpora eorum, postquam defuncta fuerint, sepultura ecclesiastica carere debere decernendi, denunciandi et declarandi.

Redeuntes autem ad fidem et haeresim abiurantes (non tamen relapsos), servatis sic expressis, absolvant, et super irregularitate incursa dispensent;

§ 8. Et qui ad veritatis lumen redire, et huiusmodi haereses abiurare voluerint, postquam errorem suum deposuerint, idque humiliter petierint, si alias relapsi non fuerint, recepta ab eis prius abiuratione haeresis et errorum huiusmodi, legitime et publice facienda, praestandoque per eos iuramento quod talia deinceps non committent, nec talia vel alia his similia com-

mittentibus seu adhaerentibus consilium, auxilium vel favorem, per se vel alium seu alios, praestabunt, ab omnibus et singulis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, etiam in literis felicis recordationis Leonis Papae decimi, praedecessoris nostri, contra dictum Martinum editis, contentis, quas, praemissorum occasione, quomodolibet incurrissent; ac ab huiusmodi delictis, excessibus et criminibus, necnon aliasin forma Ecclesiae consueta absolvendi, et super irregularitate, propterea quomodolibet contracta, dispensandi, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam penitus abolendi, eosque rehabilitandi et ad nostrum et eiusdem Sedis gremium necnon gratiam et benedictionem restituendi et reponendi.

Ceteraque alia necessaria ad huius haeresis extirpationem faciant et exequantur.

§ 9. Omniaque et singula alia, quae ad huiusmodi pestem reprimendam et radicitus extirpandam necessaria seu quomodolibet opportuna [1], faciendi, gerendi, ordinandi, coercendi et exequendi, ac auxilium brachii saecularis, si opus fuerit, invocandi.

Et ad praemissa alios idoneos viros, si opportunum fuerit, deputent.

§ 10. Et ad praemissa omnia et singula, si et quando expedire vobis et alteri vestrum visum fuerit, viros aptos et idoneos, cum simili vel limitata potestate, subdelegandi et deputandi; ipsosque, quoties opportunum vobis et alteri vestrum videbitur, revocandi, ac loco ipsorum alios similiter deputandi, auctoritate apostolica plenam et liberam potestatem, auctoritatem facultatemque concedimus per praesentes.

Non obstantibus quibuscumque.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae idem Leo praedecessor in suis literis voluit non obstare, et quae pro expressis haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque, etiamsi in eis essent clausulae aliquae derogatoriae derogatoriarum et de quibus oporteret fieri specialis et individua mentio et de verbo ad verbum, quas pro expressis haberi volumus, et eis derogatum esse censemus et intendimus.

Datum Viterbii, sub annulo Piscatoris, die decimatertia iulii, millesimo quingentesimo vigesimo octavo, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 13 iulii 1528, pontif. anno v.

1 Ripoll hic addit *fuerint* (a. t.).

XXVI.

Exemptio monachorum Eremitarum Sancti Romualdi Montis Coronae, Ordinis Camaldulensis, sub Regula Sancti Benedicti, et auctoritas eorum Maioris [1].

Clemens Papa VII, dilectis filiis maiori et universis Eremitis S. Romualdi, Ordinis Camaldulensis, praesentibus et futuris.

Eremitarum S. Romualdi commendatio.

Vestrum Ordinem in agro dominico speciosum ad salutem animarum in dies utiliter fructificantem, privilegiis et gratiarum donis libenter ornamus, ut quietius et decentius valeatis Altissimo famulari.

Maior istius congregationis utitur privilegiis abbatum S. Benedicti, praeterquam hic exceptis.

§ 1. Itaque maiori vestro, ut quibus abbates generales universorum Ordinum, sub Regula Sancti Benedicti militantium, privilegiis, immunitatibus et gratiis uti possunt vel consueverunt, uti in perpetuum (citra tamen facultatem utendi mitra et baculo ac aliis pontificalibus, et benedictionem populo solemniter impendendi) possitis et valeatis; privilegiaque ipsa illis concessa, quorum tenores hic habemus pro sufficienter expressis, vobis concessa esse censeantur.

Congregatio eximitur a solutione pedagiorum etc.

§ 2. Quodque quemadmodum alii Ordines ab Ecclesia approbati, ita etiam vos et vester Ordo in perpetuum a quibusvis gabellis, datiis, taliis, collectis, exactionibus, dativis, decimis et quibusvis impositionibus,

1 De Ordine tam monachorum quam eremitarum congregationis Camaldulensis plene notavi in constitutione XXVIII Alexandri II, *Nulli*, tom. II, pag. 48; ab ea tamen seiuncta est haec congregatio Eremitarum S. Romualdi.

ex quavis causa et consideratione, etiam auctoritate apostolica, impositis et imponendis, exempti censeamini; salemque pro usu vestro necessarium ex quovis loco, Sedi Apostolicae immediate subiecto, ad vestra eremitoria transferre libere et licite possitis, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Praelati omnes hanc constitutionem executioni mandent.

§ 3. Quocirca universis et singulis archiepiscopis et episcopis ac quorumvis Ordinum abbatibus per haec scripta mandamus ut, per se vel alium seu alios, vobis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittant vos contra praesentium tenorem a quovis indebite molestari, contradictores per censuras ecclesiasticas et alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria non obstent.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictorumque Ordinum statutis et privilegiis, quibus, illor. tenores pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, specialiter et expresse, ad effectum praesentium, derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis fides detur.

§ 5. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Datum Viterbii, sub annulo Piscatoris, die vigesimaseptima iulii, millesimo quingentesimo vigesimo octavo, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 27 iulii 1528, pontif. anno v.

XXVII.

Approbatio constitutionum Eremitarum societatis Sancti Romualdi nuncupatae[1].

Clemens Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Ab eremitis S. Romualdi editae constitutiones.

§ 1. Cum alias dilecti filii maior et eremitae societatis Sancti Romualdi, prout nobis nuper exponi fecerunt, postquam societas ipsa per nos approbata fuerat, pro ipsius societatis directione et illius conservatione nonnullas constitutiones, tam super observantia divinorum praeceptorum et votorum, et professionis emissione, ac paupertatis observatione, et vestimentorum delatione, ac castitatis et obedientiae observatione, ac divini officii et missae celebratione et privatae psalmodiae, ac fratrum conversorum et commissorum divini officii recitatione, et confessione ac sacra communione, et in communi habenda ratione ac disciplina........ cilitio, solitudine et silentio, necnon ad tempus et ad vitam reclusione, ac ieiunio et infirmorum habenda curatione, necnon exercitio corporali et eremitarum dormitione, ac prioris regimine et auctoritate, necnon receptione et dimissione locorum et eremitarum, nomine et ordine locorum ac etiam eremitarum, necnon capituli annualis et generalis ordine et auctoritate, ac maioris et visitatorum etiam auctoritate, necnon super huiusmodi societatis institutae observantia[2], prout in quodam libro, in quo constitutiones supradictae extensae, annotatae et scriptae existunt, plenius continetur.

Eas confirmari petunt.

§ 2. Quare maior, visitatores et eremitae praefati cupiunt constitutiones praefatas, pro illarum maiori robore, apostolico munimine roborari; et propterea nobis humiliter supplicari fecerunt ut eorum pio et honesto desiderio annuere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 3. Nos igitur, qui eosdem eremitas,

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic. 2 Deest forsan *ediderint* aut quid simile (R. T.).

Concedit Clemens, praevio examine facto a cardinale Ss. Quatuor.

tamquam peculiares filios in visceribus gerimus charitatis, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutiones praefatas, quas per venerabilem fratrem nostrum Laurentium episcopum Praenestinum, cardinalem Sanctorum Quatuor nuncupatum, dicti Ordinis protectorem, diligenter examinari fecimus, et, iuxta fidelem relationem per eum nobis factam, rationabiles et Religioni congruentes esse cognoverimus, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus inserti forent, pro expressis haberi volentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illasque inviolabiliter observari debere decernimus.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus dicti Ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque et indultis illi forsan concessis; quibus, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus.

Dat. Viterbii, die vigesimanona septembris, millesimo quingentesimo vigesimo octavo, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 29 septembris 1528, pontif. anno v.

XXVIII.

Cursores Papae et mandatarii aliarum curiarum Urbis in quibus causis citare, intimare etc. valeant.

Clemens Papa VII, ad perpetuam rei memoriam.

Alexander VI statuit cursores tantum citare posse etc., in causis ordinariis coram iudicibus Palatii Apostolici et in causis omnium iudicum commissariorum.

Accepimus nuper quod, licet dudum, cum a certo tempore praesentationes commissionum causarum in Romana Curia pro tempore vertentium, manu Romani Pontificis aut de illius mandato signatarum, quae ex stylo et consuetudine dictae Curiae, eatenus inviolabiliter observatis, qui pro lege habentur, auditoribus causarum Palatii Apostolici aliisque iudicibus, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, episcopis et praelatis, quibus dirigebantur, solum per cursores Romani Pontificis pro tempore existentis praesentari, et citationes in causis ipsis fieri consueverant, ac citationes ipsae per alios, quam suos et Sedis Apostolicae cursores fierent, in grave praeiudicium nedum ipsorum cursorum, sed etiam litigantium in Romana Curia, abusumque et perversionem antiquorum styli et consuetudinum dictae Curiae, felicis recordationis Alexander Papa sextus, praedecessor noster, volens fraudibus, quae in similibus quandoque fiebant, ac indemnitati ipsorum cursorum et litigantium, observationique styli et consuetudinum ipsius Curiae providere, motu proprio et ex certa scientia, auctoritate apostolica decrevit omnes et singulas commissiones, manu sua aut de mandato suo pro tempore signatas, ac omnes et singulas citationes, coram quibusvis dicti Palatii Apostolici auditoribus, iudicibus, commissariis vel ordinariis, in causis eis commissis, ac etiam Romanae Ecclesiae cardinalibus pro tempore pendentes, ac etiam intimationes, publicationes et affixiones quarumcumque literarum in dicta Romana Curia, quas per alios quam per ipsos cursores ex tunc de cetero praesentari seu fieri contingeret, et processus illarum vigore habendos nullius existere roboris vel momenti, mandans, inter alia, dictae Curiae et causarum Camerae Apostolicae auditori pro tempore existenti ut si, in praesentandis commissionibus, citationibus, executorialibus, intimationibus, affixionibus et publicationibus, aliter fieri reperiret, citationes, publicationes, intimationes et affixiones vel alia ad officium cursorum praedictorum spectantia praesentari seu fieri reperiret, excommunicationis ac pecuniarias, arbitrio ipsius auditoris declarandas, poenas incurrisse declararet, et ad exactiones poenarum pecuniariarum et decla-

rationem censurarum contra inobedientes procederet, ac pro talibus publice denunciari mandaret et faceret.

Iulius II confirmavit bullam Alexandri sexti inhibendo iudicibus mandatariisque etc.;

§ 1. Ac successive piae memoriae Iulius Papa II, similiter praedecessor noster, intelligens quod causae, propter quas decretum et mandatum praedicta ab eodem praedecessore emanaverant, adhuc tunc subsistebant, et similes abusus et fraudes, ac etiam citationes per alios quam ipsos cursores in diversis causis fiebant, stylum et consuetudinem antiquos Curiae huiusmodi pervertendo, motu simili, non ad ipsorum cursorum vel alicuius alterius pro eis instantiam, sed de sua mera liberalitate et ex certa scientia, decretum et mandatum huiusmodi, auctoritate apostolica innovaverit, ac perpetuae firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari debere decreverit et mandaverit; ac districtius inhibuerit omnibus et singulis causarum dicti Palatii auditoribus aliisque iudicibus et commissariis, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ac senatori, gubernatori et vicario generali almae Urbis et Curiae, de Sabellis, iudicibus, eorumque auditoribus, collateralibus seu locatenentibus et capitaneis omnibus ordinariis, ne in causis eis commissis et in quibus eis commissiones fierent, citationes commissionum, praesentationes executorialium et alias intimationes ac affixiones et publicationes per alios, quam per ipsos cursores, quovis quaesito colore, fieri facerent sive permitterent, aut praesentatas et factas reciperent et admitterent; ac omnibus et singulis nunciis et quibusvis aliis personis, quovis alio nomine nuncupatis, ne commissionum praesentationes, citationes, publicationes, intimationes et affixiones huiusmodi vel alia ad officium cursorum praedictorum spectantia praesentare seu facere, sub excommunicationis latae sententiae poena eo ipso incurrenda, quoquo modo praesumerent.

Declaravitque et ampliavit.

§ 2. Ac decrevit et declaravit omnes et singulas commissiones, per eum seu de eius mandato signatas[1], ac etiam omnes et singulas citationes coram quibusvis auditoribus, iudicibus, commissariis, etiam cardinalibus vel ordinariis, in causis eis commissis pro tempore pendentibus, ac etiam intimationes, publicationes et affixiones quarumcumque literarum in dicta Curia, quas per alios quam per ipsos cursores de cetero praesentari seu fieri contigerit, aut processus illarum vigore habendos et inde secuta quaecumque, ac quicquid in contrarium, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contingeret, nullius roboris vel momenti, ipso iure, etiam absque eo quod aliter eius dispositionem receptam esse constaret, existeret; et per commissarios, etiam S. R. E. cardinales praefatos, iudicandum sententiandumque fore, sublata eis aliter quavis iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate. Necnon mandaverit praefato auditori ac pro tempore existenti almae Urbis gubernatori, ut eisdem cursoribus super his efficacis defensionis praesidio assistentes, facerent mandatum, inhibitionem et decretum huiusmodi inviolabiliter observari, contradictores et inobedientes censuris et poenis, etiam pecuniariis, compescendo, prout in literis eorumdem Alexandri et Iulii, praedecessorum nostrorum, desuper confectis plenius continetur.

Hic modo Pontifex praedictas constitutiones approbat, cum clausula Quatenus in usu, l.

§ 3. Nihilominus nonnulli, a quorum oculis Dei timor abscessit, et quae non sua sunt quaerentes, in diversis causis citationes, commissionum praesentationes, publicationes, intimationes et affixiones ac subhastationes et alia ad officium dilectorum filiorum cursorum nostrorum, tam ex institutione eorum officii, quam iuxta antiquos stylum et consuetudinem Romanae Curiae, spectantia, contra decretum et mandatum Alexandri VI ac inhibitionem et

[1] Quam successive abstulit mox inferius.

declarationem Iulii II, ac etiam contra alia in praedictis literis contenta facere praesumunt, in ipsorum grave praeiudicium et officiorum suorum laesionem, ac illorum exercitii usurpationem non modicam, excommunicationis latae sententiae poenam, iuxta inhibitionem Iulii praedecessoris huiusmodi, damnabiliter incurrendo. Quare nos, huiusmodi errores submovere, ac ipsorum cursorum indemnitati, prout convenit, providere volentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium, decretum et mandatum Alexandri ac inhibitionem et declarationem Iulii, praedecessorum, ac eorum literas huiusmodi, necnon in eis contenta quaecumque, ex certa nostra scientia (quatenus tamen sint in usu) approbamus et innovamus, ac illa et eis prorsus similia de novo decernimus, mandamus, inhibemus et declaramus, eaque perpetua roboris firmitate subsistere.

Inhibetque officialibus ne cursores desuper impediant.

§ 4. Et per auditores, commissarios, etiam cardinales, vicarium, gubernatorem, senatorem et alios iudices ac eorum collaterales, locatenentes, capitaneos praefatos, necnon omnes et singulos nuncios et quasvis alias personas, quocumque nomine nuncupatas, prout singulos eorum concernit, sub dictae excommunicationis latae sententiae et quingentorum ducatorum, fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe irremissibiliter applicandorum, poenis, per nuncios et alios praemissa, ad officium cursorum, eis et non aliis quibuscumque nunciis spectantia, exercentes, eo ipso, absque alia declaratione incurrendis, firmiter observari debere, iuxta tamen continentiam dictarum literarum Alexandri et Iulii, praedecessorum nostrorum, in quarum possessione dicti cursores (ut etiam accepimus) existunt.

Deputatio auditoris Camerae in executorem.

§ 5. Necnon Curiae causarum Camerae Apostolicae generalem auditorem pro tempore existentem contra eos ad nedum publicationem incursus poenarum huiusmodi ac illarum exactionem, sed etiam tamquam falsarios, vigore praesentium, absque alia commissione sibi desuper facienda, procedere posse.

Decretum irritans.

§ 6. Et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et quicquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimasexta octobris millesimo quingentesimo vigesimo octavo, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 16 octobris 1528, pontif. anno v.

Sequitur declaratio constitutionis praecedentis.

Clemens Papa VII, motu proprio etc.

Exordium.

Cum de viribus literarum nostrarum praeinsertarum, pro eo quod illae, nobis tunc plene non informatis, eisdem cursoribus concedebantur (quatenus essent in usu, aut in dictarum literarum Alexandri et Iulii praedecessorum possessione), ab aliquibus in futurum dubitari posset.

Clausulam praedictam, *Quatenus in usu*, aufert, praedictaque simpliciter confirmat;

§ 1. Nos igitur, ad quos spectat litium anfractus et controversias succidere, dubiaque tollere, do possessione dictorum cursorum in praemissis usu et consuetudine roborata, ex fide et relatione personarum fide dignarum plene informati, ac de ipsorum cursorum iure in praemissis omnibus et singulis veram notitiam habentes, motu simili, ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine decernimus et declaramus literas nostras praefatas, cum omnibus et singulis decretis,

declarationibus, inhibitionibus, mandatis, concessionibus et aliis in eis contentis clausulis, perinde valere et perpetuae firmitatis robur obtinere, et collegio dictorum cursorum suffragari debere in omnibus et per omnia, perinde ac si dicta verba, *quatenus in usu, aut literarum Alexandri et Iulii possessione ipsi cursores essent*, non apposita vel expressa fuissent, et ita intentionis nostrae et voluntatis incommutabilis fuisse et esse attestamur. Et nihilominus, pro potiori cautela, decretum et mandatum Alexandri, ac inhibitionem et declarationem Iulii, praedecessorum nostrorum, ac eorum literas huiusmodi, necnon in eis contenta quaecumque, apostolica auctoritate et ex nostra certa scientia, approbamus et innovamus, ac alia et eis prorsus similia de novo concedimus, decernimus, mandamus, inhibemus, et declaramus perpetua roboris firmitate subsistere.

Omnes monet ad observantiam huius constitutionis;

§ 2. Et auditores, commissarios, etiam cardinales, vicarium, gubernatorem, camerarium et Camerae Apostolicae clericos pro tempore existentes, senatorem et alios iudices et eorum collaterales, locatenentes et capitaneos praefatos, etiam Turris Nonae, Ripae et Ripettae, necnon omnes et singulos nuncios et quasvis alias personas, quocumque nomine nuncupentur, prout singulos eorum concernit, sub excommunicationis, suspensionis et interdicti latae sententiae et quingentorum ducatorum, fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe irremissibiliter applicandorum, poenis, per nuncios, mandatarios et alios, praemissa ad officium cursorum, eis et non aliis quibuscumque nunciis spectantia exercentes, eo ipso, absque alia declaratione, incurrendis, firmiter observari debere. Mandantes, tam dictis nunciis, mandatariis et officialibus, officia sua in quibuscumque curiis et coram quibuscumque personis, nullis exceptis, exercentibus, ne in literarum apostolicarum facienda executione, sive affixione aut citationibus, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, se intromittant et intromittere tentent vel procurent.

Gesta in contrarium damnat;

§ 3. Decernentes commissionis praesentationem ac citationis executionem, intimationem, publicationem et affixionem per alios quam dictae Curiae cursores pro tempore faciendas, ac processus illarum vigore habendos et faciendos nullam prorsus fidem facere in iudicio et extra illud, sed fuisse et esse nullos et invalidos, nulliusque roboris vel momenti, ac pro nullis et invalidis ac infectis et viribus omnino vacuis haberi.

Auditorem Camerae executorem deputat;

§ 4. Mandantes insuper et committentes Curiae causarum Camerae Apostolicae nunc et pro tempore existenti generali auditori, quatenus collegio dictorum cursorum, in praemissis, per se et eius locumtenentem efficacis defensionis praesidio assistat; eaque omnia et singula, sub praedictis et aliis censuris et poenis, observari faciat, et contra rebelles ac inobedientes quoscumque, etiam summarie, simpliciter et de plano, sola facti veritate inspecta, quacumque appellatione remota, debitae executioni demandet et demandari faciat et exequatur.

Clausulas praeservativas apponit;

§ 5. Decernentes quod confirmatio, approbatio, innovatio, decretum, inhibitio et gratia nostra huiusmodi, ex quacumque causa, etiam urgentissima et de necessitate exprimenda, de subreptionis aut obreptionis vitio seu intentionis defectu notari seu impugnari minime possint et debeant; et in praemissis omnibus et singulis sic per quoscumque iudices, etiam praefatos, in quacumque instantia pronunciari *etc.*, sublata eis *etc.*; ac irritum *etc.* decernentes et declarantes.

Clausulas derogatorias addit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, eisdem

mandatariis, etiam per nos et Sedem praedictam, sub quacumque verborum forma et expressione, etiam motu proprio et ex certa scientia, et cum quibuscumque clausulis, etiam urgentissimis et de necessitate exprimendis, pro tempore concessis, confirmatis et innovatis, quibus, illarum tenores pro expressis habentes, latissime derogamus et derogatum fuisse et esse decernimus et declaramus, ceterisque contrariis quibuscumque, sub clausulis opportunis et consuetis, ad ipsorum libitum.

Fiat motu proprio. I.

Clausularum repetitio. § 7. Et cum absolutione a censuris, ad effectum *etc.*, ac decreto et declaratione praedictis, perinde ac si dicta verba in nostris literis non fuissent expressa, latissime extendentes, et de nobis, si opus fuerit, decretis, inhibitione, mandatis, approbatione, innovatione, concessione ac aliis clausulis supradictis, quae pro repetitis habeantur, et de deputatione iudicis deputati *etc.*, ut supra. Et quod praemissa de subreptionis vitio aut intentionis defectu notari seu impugnari non possint, latissime extendentes. Et cum derogatione statutorum, privilegiorum et indultorum, ut supra, latissime extendentes. Et quod praemissorum omnium et singulorum et circa praemissa necessariorum sola signatura sufficiat, et ubique, in iudicio et extra illud, fidem faciat, regula contraria non obstante, seu etiam maior et verior specificatio ac expressio fieri possit in literis, quae per breve nostrum ad ipsorum libitum expediri debeant. Et remanente eorumdem mandatariorum, quoad causas ordinarias, exercitio, quoad solitas citationes per eos fieri solitas ac in suis solitis tribunalibus, et quoad eas, quibus non proceditur per commissionem primam seu dependentem.

Fiat. I.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, quarto nonas octobris, anno VI.

Die vigesimaseptima mensis octobris, millesimo quingentesimo vigesimonono, praesentes literae affixae et praesentatae fuere in valvis seu portis Audientiae Palatii Apostolici R. P. D. almae Urbis gubernatoris, auditoris Camerae Apostolicae, vicarii Papae, Audientiae Capitolinae, valvis Cancellariae Apostolicae et acie Campi Florae, per me Ioannem Jervier, sanctissimi domini nostri Papae cursorem.

Petrus Crasseti, pro-magister cursorum.

Dat. die 4 octobris 1529, pontif. anno VI.

XXIX.

De syndicatu iudicum et officialium Status Ecclesiastici [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Proemium. Onus pastoralis officii nobis, supernae Maiestatis providentia, meritis licet imparibus, commissi, nos inducit ut etiam temporalia Romanae Ecclesiae, ac illi subiecta provincias, civitates, terras et loca, solicita ac vigilanti cura intendamus; et ut civitates, terrae et loca ipsa prospere et feliciter regantur, illorumque populi, ab indebitis oppressionibus sublevati, in semitis iustitiae dirigantur, remediis opportunis provideamus; ac his, quae propterea a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris provide gesta sunt, ut firmius observentur, nostrae approbationis robur impartiamur et aliis desuper disponamus, prout ad felicem eiusdem Ecclesiae statum et eorumdem populorum indemnitatem et utilitatem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Iulius II, et causa hic expressis. § 1. Dudum siquidem per felicis recordationis Iulium Papam II, praedecessorem nostrum, tam ex diversis querelis ac clamoribus populorum, communitatum, uni-

[1] Alia quae huiusmodi officiales respiciunt, vide in Pauli II constitutione III, *Munera*, tom. V, pag. 184.

versitatum ac singularum personarum civitatum, terrarum et locorum sibi et dictae Romanae Ecclesiae immediate subiectorum, quam aliorum fide dignis relationibus, intellecto quod nonnulli gubernatores et locatenentes, eis regendis et gubernandis per ipsum praedecessorem ac Apostolicae Sedis legatos de latere deputati, precibus, pretio, odio aut amore ducti, eo praetextu confisi quod administrationum suorum officiorum rationem alicui reddere non erant soliti, diversa et varia eis gravamina et damna, etiam intolerabilia, inferre, iustitiam non administrare unicuique, ut tenebantur, atrociorum quandoque delictorum impunitatem pro particulari lucro praestare, executiones indebitas facere, carceratorumque innocentium relaxationes prorogare, poenas pecuniarias fisco suo debitas sibi appropriare et in proprios usus convertere, statutorumque rationabilium et constitutionum provincialium et cameralium literarumque apostolicarum formam et tenorem non servare; ac, propriis commoditatibus intenti, subditorum quieti ac paci et iustitiae administrationi modicum studere consuevisse, in eorum animarum periculum, dictorumque subditorum gravamen et praeiudicium, perniciosum exemplum et scandalum plurimorum.

Decrevit omnes officiales, finito officio, coram Pontifice syndicatui subiacere, et pro eis et eorum auditoribus, deputatis et familia rationem reddere debere:

§ 2. Dictus praedecessor, motu proprio et ex certa eius deliberatione, sua in perpetuum valitura constitutione statuit et ordinavit ut omnes et singuli gubernatores ac eorum seu legatorum praefatorum locatenentes, etiam patriarchali, archiepiscopali, episcopali, abbatiali aut quavis alia ecclesiastica seu saeculari dignitate fungentes, qui nunc et pro tempore, perpetuis futuris temporibus, provincias, civitates, terras et loca, quaecumque et qualiacumque essent, nulla penitus exceptione habita, praefatae Romanae Ecclesiae immediate subiecta, ex deputatione ipsius praedecessoris vel legatorum aut gubernatorum huiusmodi, pro eo et Romana Ecclesia praefata regebant, gubernabant et administrabant, seu regerent, gubernarent et administrarent, quavis grandi et latissima potestate, arbitrio et auctoritate muniti, etiam si eorum literis caveretur expresse quod ad aliquam redditionem rationis administrationum suarum non tenerentur, nec cogi possent, post finem cuiuslibet officii et administrationis eorum, infra mensem, conspectui ipsius praedecessoris aut Romani Pontificis successoris sui pro tempore existentis; seu, si ab ipsis legatis deputati, et pro tempore finiti eorum officii, legati praefati in locis ipsarum legationum praesentes forent, coram ipsis legatis se personaliter praesentare, ac gestorum, administratorum et omissorum, tam per eos quam eorum auditores et alios officiales, deputatos et familiam, rationem reddere; querelisque et accusationibus contra eos propositis, coram eo vel successoribus suis, vel per eos aut ab eis deputandis seu legatis praedictis respective, de gestis seu omissis in eorum officiis respondere; ibique per dies duodecim continuos, postquam per ipsum Iulium praedecessorem vel successores praefatos seu dictos legatos, etiam respective, examen redditionis rationis huiusmodi incoeptum seu commissum fuerit, permanere; nec etiam post inde, sine sua aut successorum praedictorum vel ab eodem praedecessore et successoribus huiusmodi deputatorum aut legatorum praefatorum, similiter respective, expressa licentia, recedere.

Officialibusque in syndicatu condemnatis appellare prohibuit;

§ 3. Necnon de eo, in quo per praedecessorem et successores suos aut ab eodem praedecessore vel eis deputatos seu legatos huiusmodi condemnati forent, statim, omni dilatione, pro relatione [1] et malitia ac excusatione appellationibusque quibuscumque cessantibus, satisfacere,

1 In ed. Cherub. legitur *protelatione* (R. T.).

sub excommunicationis latae sententiae ac perditionis emolumentorum, eis ratione dictorum officiorum debitorum, et inhabilitatis ad quaecumque alia officia in posterum exercenda, poenis, tenerentur.

Illique, antequam incipiant exercere officia, iussit iurare et cavere debere de servandis praemissis 1;

§ 4. Et nihilominus suis et successorum praedictorum secretariis, ut literas apostolicas sub plumbo aut in forma brevis, cancellariis vero et aliis ab ipsis legatis deputatis, tunc et pro tempore existentibus, ne literas patentes officiorum gubernatorum seu locatenentium respective traderent; ipsique gubernatores, locatenentes officia huiusmodi exercere auderent, nisi prius in Camera Apostolica aut, si ab ipsis legatis deputarentur, in eorum Cancellaria de praemissa omnia et singula observando iurassent, et idoneam cautionem dedissent.

Salariorumque officialibus debitorum in fine officii mandavit retinere tertiam partem, usque ad finem syndicatus 2;

§ 5. Necnon omnibus et singulis thesaurariis, camerariis, communitatibus et universitatibus et aliis, ad quos spectabat et spectaret, provinciarum, civitatum, terrarum et locorum dictae Ecclesiae immediate subiectorum, tunc et pro tempore existentibus, ne eisdem gubernatoribus seu locatenentibus de tertia parte eorum salarii seu provisionis in fine officii eis debita responderent, sed illam retinerent, donec eis quod absoluti forent legitime constaret, sub eadem excommunicationis poena, mandavit.

Proclama etiam tempore syndicatus fieri praecepit, ut gravati querelas proponere possent.

§ 6. Ac voluit quod magistratus digniores, quocumque nomine nuncuparentur, civitatum, terrarum et locorum praedictorum, statim functo officio gubernatorum seu locatenentium huiusmodi, per publicum proclama omnibus et singulis, querelas seu accusationes contra gubernatores aut locatenentes exponere volentibus, ut ad ipsum praedecessorem vel ad ipsos legatos, si gubernatores seu locatenentes ab eis deputati forent, ipsique legati in locis suarum legationum praesentes essent, infra mensem praedictum, cum eorum probationibus et iuribus, accederent, recepturi infra duodecim dies iustitiae complementum, per publicum proclama notum facerent; deputandi vero ab eodem Iulio et successoribus praefatis, de eorum deputationibus ac iustitiae administratione, omnes et singulas querelas et accusationes exponere volentes, per affixionem cedularum in valvis basilicae Principis apostolorum de Urbe et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae certiores redderent.

Syndicatoribus facultatem summarie etc. procedendi concessit.

§ 7. Atque in examinatione redditionis rationis et administrationis huiusmodi et aliis praemissis faciendis, ne partes ad Romanam Curiam vel legatos ipsos, pro exponendis querelis, aut accusationibus accedentes, nimium gravarentur, summarie, simpliciter et de plano ac extraiudicialiter, absque aliquibus sumptibus, sola facti veritate inspecta, etiam sine scripturae alicuius confectione procederetur, prout in literis ipsius praedecessoris desuper confectis plenius continetur.

Multi tamen cessabant querelas proponere, ut evitarent expensas ad Urbem veniendi etc.

§ 8. Cum autem, sicut, non sine animi nostri displicentia, ad nostrum pervenit auditum, licet causae, propter quas literae praedictae ab eodem praedecessore emanarunt, adhuc subsint, tamen formidandum est, ne oppressi pro tempore impensas, quae [1] pro querelis aut accusationibus contra gubernatores et locatenentes eorumque auditores et alios officiales praefatos exponendis, ad nos aut successores nostros Romanos Pontifices seu legatos praedictos, iuxta ordinationem Iulii praedecessoris huiusmodi, veniendo, subire cogerentur, potius a querelarum seu accusationum huiusmodi expositione abstinere habeant, quam expensas huiusmodi facere velint, sicque effectus literarum earumdem impediri debeat.

1 De quo vide etiam mox infra. 2 Hoc non servatur.

1 In Cherub. editione legitur *propter impensas, quas* (a. T.)

Idem Pontifex iste constit. dicti Iulii II confirmat et modificat his modis, videlicet:

§ 9. Nos cupientes, prout ex debito ipsius pastoralis officii tenemur, felici et tranquillo regimini et successui ac indemnitati populorum praedictorum, quos in visceribus gerimus caritatis, paterno affectu providere, ac eos a laboribus et expensis, quantum possumus, relevare, habita super his, cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, matura deliberatione, et de eorum unanimi consilio et assensu, statutum et ordinationem ac mandatum et desuper confectas literas Iulii praedecessoris huiusmodi, necnon omnia et singula in eisdem literis contenta, sub modificatione infrascripta, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et innovamus, et perpetua roboris firmitate subsistere, ac plenum effectum sortiri, et firmiter perpetuo, tam per gubernatores et locatenentes ac auditores, iudices et alios officiales, quam per praefatos et alios, quos literae ipsae concernunt, sub excommunicationis latae sententiae et perditionis emolumentorum ac inhabilitatis poenis praedictis, respective observari debere decernimus.

Officiales syndicentur in locis officii, coram commissario a Pontifice deputando 1 et aliis hic indicatis.

§ 10. Et nihilominus praemissa per dictum Iulium praedecessorem, ut praefertur, statuta et ordinata, de novo sic, quod tam gubernatores ac eorum seu dictorum legatorum locatenentes aut vicelegati aliique praesidentes provinciarum, civitatum, terrarum et locorum, nobis et dictae Romanae Ecclesiae subiectorum praedictorum, presentes et futuri, etiam patriarchali, archiepiscopali, episcopali, abbatiali aut quavis alia ecclesiastica vel saeculari dignitate, ut praefertur, fungentes, et quavis facultate muniti, quam ab eisdem legatis et gubernatoribus seu eorum locatenentibus aut vicelegatis et praesidentibus in provinciis, civitatibus, terris et locis praedictis pro tempore deputati locatenentes, ipsorumque auditores, iudices et alii quicumque officiales pro tempore existentes, si annales fuerint, functo cuiuslibet officii et administrationis eorum anno: et si ultra annum eorum officia in aliqua provincia, civitate vel terra duraverint, in fine cuiuslibet anni; si vero breviori tempore eorum officia durent, in fine eorum officii, in civitatibus, terris et locis, in quibus officia exercuerint, coram personis dignioribus civitatum, terrarum et locorum eorumdem, videlicet coram uno commissario, per nos aut successores nostros praefatos ex dicta Romana Curia, moderatis ipsorum officialium ac provinciarum vel civitatum seu terrarum, vel si nobis aut successoribus praedictis videbitur, pro parte Camerae, praedictarum expensis, mittendo, adiunctis secum episcopo loci, vel, eo absente, eius vicario in spiritualibus generali et procuratore fiscali ipsius loci vel civitatis, per praesidentes dictae Camerae pro tempore deputato, et capite officii seu magistratus ipsius civitatis vel terrae, videlicet confalonerio vel praeposito, qui pro tempore fuerit, aut uno doctore per ipsas digniores personas, ultra commissarium ac episcopum vel vicarium et procuratorem fiscalem praefatos, eligendo, gestorum et administratorum per eos, alias iuxta tenorem literarum Iulii praedecessoris huiusmodi, rationem reddere, et querelis ac accusationibus contra eos propositis de gestis seu omissis in eorum officiis, sublato quovis diffugio, respondere teneantur.

Syndicatores summarie procedant etc.

§ 11. Ac commissarius mittendus, episcopus vel vicarius et procurator fiscalis, confalonerius seu praepositus et doctor eligendus praefati rationem administrationis huiusmodi, cum omni summarietate, integritate et severitate audiant, et

1 Hoc non servatur, sed successor in officio, est loco commissarii.

procedant; ac querelas et probationes contra gubernatores, vicelegatos et praesidentes praefatos praepositas et factas recipiant; processusque desuper forment, et clausos ad nos vel successores nostros praedictos, ut nos vel dicti successores de ipsorum gubernatorum, vicelegatorum et praesidentium, iuxta ipsorum demerita, amotione vel ad ulterius tempus confirmatione mature deliberare possimus, fideliter mittant; ipsorum vero gubernatorum, vicelegatorum et praesidentium locatenentes ac auditores et alios officiales praefatos condemnando vel absolvendo iudicare, et ad restitutionem, omnibus subterfugiis, cavillationibus et exceptionibus remotis, nisi, propter casuum gravitatem, eis concordent, alias concorditer vel commissario praefato id nobis vel eisdem successoribus referendum esse videretur, quo casu contra eos, servato tenore literarum Iulii praedecessoris huiusmodi, procedendum sit, cogere debeant.

Condemnati ad Papam possint habere recursum infra mensem expediendum;

§ 12. Et si ab eorum decisionibus et sententiis aliqui eorum se gravatos praetendant, ad nos vel a nobis deputatos, per viam recursus provocare et appellare possint, sic tamen quod, nisi infra mensem immediate sequentem, revocationem vel correctionem eorum, quae contra eos decisa vel determinata fuerint, non reportaverint, ex tunc, absque aliqua facienda intimatione, decisiones et sententiae ipsae firmae remaneant et executioni demandentur, perinde ac si ab eis reclamatum vel appellatum non fuisset.

Et culpabiles non retineantur in officio.

§ 13. Et si legatorum, gubernatorum, vicelegatorum et praesidentium praefatorum locatenentes, auditores et alii officiales praedicti culpabiles reperti fuerint, in eorum officiis perseverare non permittant; sed legatus illius provinciae pro tempore existens de novis locatenentibus, auditoribus, iudicibus et officialibus debite provideat; et nisi infra mensem providerit, tunc per nos aut successores antedictos locatenentibus, auditoribus et officialibus, cum convenienti salario eis per ipsum legatum praestando, provideri debeat.

Cautiones praestandae per officiales scribantur in libris Camerae Apostolicae 1.

§ 14. Ac quod cautiones idoneae per deputandos ab ipsis legatis ac eorum officiales de praemissis observandis dandae ad dictam Cameram Apostolicam, in libro particulari, pro huiusmodi cautionibus annotandis ordinato, in quo cautiones, per gubernatores et vicelegatos praedictos praestandae, annotandae erunt, annotari debeant; ipsorumque legatorum secretarii seu notarii deputandi a legatis ipsis literas patentes officiorum suorum, nisi prius eis per fidem manu notarii ipsius Camerae factam constiterit quod cautiones praedictae annotatae fuerint, consignare non debeant, auctoritate et tenore praedictis perpetuo statuimus et ordinamus.

Exemplorum fides.

§ 15. Decernentes praesentium transumptis, etiam impressis, manu tamen notarii publici subscriptis et sigillo alicuius curiae ecclesiasticae aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem prorsus fidem, in iudicio et extra, ubilibet adhibendam fore, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Haec constitutio a die publicationis ligat 2.

§ 16. Declarantes praesentes nostras literas a data praesentium locum habere et servari debere, etiam quoad officiales supradictos, quoad syndicatum praemissum in fine officiorum suorum, etiam quod in principio eorum officii cautiones non dederint, et tempore publicationis praesentium in officiorum suorum exercitio et possessione existant.

Clausulae derogatoriae.

§ 17. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac legibus

1 Hoc non servatur. 2 Vidi pluries disputari an ligaret haec constitutio, cum non appareret fuisse publicatam, ideo posui eius publicationem.

municipalibus, et aliis provinciarum, civitatum, terrarum et locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica roboratis, statutis et consuetudinibus, ac omnibus illis, quae praefatus praedecessor in dictis literis voluit non obstare, quae omnia praesentibus pro expressis et repetitis haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimo octavo, kalendis decembris, pontificatus nostri anno VI.

Publicatio. Anno a nativitate Domini 1528, indictione prima, die vero 8 mensis decembris, pontificatu sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Clementis divina providentia Papae VII, anno eius sexto, praesentes retroscriptae literae publicatae fuere in valvis seu portis basilicae Principis apostolorum de Urbe, Audientiae Palatii Apostolici, Cancellariae Apostolicae et acie Campi Florae, per me Ioannem Cerrurier praelaudati SS. D. N. Papae cursorem.

Vianus de Bellavilla, magister cursorum.

Dat. die 1 decembris 1528, pontif. anno VI.

XXX.

Sanctimoniales monasterii Sanctae Mariae Campi Martii, Ordinis Sancti Benedicti, sub cura fratrum Ordinis eiusdem Servorum Beatae Mariae, perpetuam sibi abbatissam eligere posse decernit [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Apostolicae nobis iniunctae desuper servitutis officium mentem nostram excitat et inducit ut circa ea, quae pro salubri et tranquillo statu monasteriorum quorumlibet ac personarum in illis, sub regulari castimonia, piae vitae studio assidue vacantium profutura conspicimus, operosis studiis favorabiliter intendamus.

Hadrianus VI abbatissam monasterii huiusmodi triennalem fore statuit. § 1. Dudum siquidem postquam felicis recordationis Hadriano Papae VI, praedecessori nostro, pro parte dilectarum in Christo filiarum conventus monasterii monialium Sanctae Mariae Campi Martii de Urbe, Ordinis Sancti Benedicti, exposito quod si monasterium ipsum, quod antea per abbatissam perpetuam regebatur et gubernabatur, post obitum quondam Luciae, tunc in humanis agentis et eiusdem monasterii abbatissae, per abbatissam triennalem regeretur, in eodem monasterio regularis observantia firmius perseveraret et salubrius augeretur, dictus praedecessor earumdem monialium in ea parte supplicationibus inclinatus, per suas sub plumbo literas, inter alia, statuerat et ordinaverat quod, post cessum vel decessum dictae Luciae abbatissae, monasterium praedictum per abbatissam, de triennio in triennium per dictas conventum eligendam, perpetuo regeretur et gubernaretur; ipsaque abbatissa triennalis, quae bene se gessisset, ad aliud triennium eligi, illique praeesse valeret, per quasdam, ac praemissa, utpote ob evidentem utilitatem dicti monasterii et augmentum divini cultus emanata, revocari, cassari et annullari aut in aliquo illis derogari nullatenus posse, et quoties illa revocari, cassari, annullari, suspendi aut in illis derogari contingeret, toties de novo, et sub quacumque data per conventum seu monialem quamcumque monasterii huiusmodi eligendam, restituta esse et censeri, et sic per quoscumque ubique iudicari et cognosci debere, sublata aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate; ac quidquid secus attentari contingeret, irritum et inane decreverat.

[1] Ex Regest. in Archiv. Vat.

Postea Clemens VII confirmat per breve electionem novae abbatissae; eam perpetuam esse concessit, prout etiam successores in futurum.

§ 2. Nos, dicto praedecessore, sicut Domino placuit, de medio sublato, divina favente clementia, ad summi apostolatus apicem assumpti, earumdem conventus in ea parte supplicationibus inclinati, per alias nostras literas electionem de dilecta in Christo filia Clarina de Columna, moderna dicti monasterii abbatissa, in abbatissam ipsius monasterii per conventum praefatas factam, ad ipsius Clarinae vitam approbavimus et confirmavimus; ac statuimus et ordinavimus quod ex tunc de cetero, occurrente eiusdem monasterii vacatione, moniales ipsius monasterii pro tempore existentes abbatissam perpetuam et non temporalem, sicut antea, eligere deberent, prout in singulis literis praedictis plenius continetur.

Moniales hoc idem bulla sub plumbo declarari petunt cum expressa declaratione constitutionis Hadriani VI.

§ 3. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictae Clarinae abbatissae petitio continebat, pro eo quod literae nostrae huiusmodi non sub plumbo, sed in forma brevis expeditae extiterint, et in eisdem de decreto Hadriani praedecessoris huiusmodi alias quam per clausulam *Pro sufficienter expressis habentes*, plena seu sufficiens mentio facta non extitit, ac forsan de consensu ipsarum conventus ad praesens doceri non possit, a nonnullis de viribus nostrorum statuti et ordinationis eligendi abbatissam perpetuam ac desuper confectarum literarum huiusmodi haesitatur.

Clemens suis literis plenam et perpetuam addit firmitatem;

§ 4. Nos, dicti monasterii profectum paterno zelantes affectu, ne propterea, triennio praedicto elapso, careant effectu providere volentes; ipsamque Clarinam abbatissam a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodata existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutam fore censentes, eiusdem Clarinae abbatissae in hac parte supplicationibus inclinati, si ad hoc maioris partis praefatarum conventus accedet assensus, volumus et apostolica auctoritate decernimus quod literae praedictae et in eis contenta quaecumque valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, et sibi suffragentur in omnibus et per omnia, perinde ac si in illis de statuto, ordinatione et decreto ac literis Hadriani praedecessoris huiusmodi modo praemisso plena et individua ac de verbo ad verbum mentio facta, ac per illas eisdem statuto, ordinationi, decreto ac literis Hadriani praedecessoris huiusmodi specialiter et expresse derogatum fuisset.

§ 5. Et nihilominus, pro potiori cautela, electionem Clarinae ad eius vitam de novo, ac literas nostras et in eis contenta huiusmodi ex certa nostra scientia approbantes et confirmantes; omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplentes; ipsasque literas nostras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis defectu notari non posse decernentes, auctoritate et tenore praedictis statuimus et ordinamus quod de cetero, occurrente dicti monasterii vacatione, conventus seu moniales praefatae, sub cura fratrum Servorum Beatae Mariae Ordinis Sancti Augustini degentes, perpetuam et non triennalem seu alias temporalem abbatissam, sicut, antequam literae Hadriani praedecessoris emanarent, fieri consueverant, eligere possint et debeant; ipsaque sic electa eo ipso apostolica auctoritate confirmata sit et esse censeatur, et ad eius vitam monasterio huiusmodi praeesse possit et teneatur.

Abbatissam perpetuam eligendam firmat;

§ 6. Decernentes sic per quoscumque iudices, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, sententiari, iudicari, decidi et diffiniri debere, necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari,

Sic a quibuscumque praecipit observari.

Dati exsequutores praesentium literarum. § 7. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Caeseuatensi et Aleriensi ac Castellimaris episcopis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta huiusmodi, ac quoties pro parte Clarinae et pro tempore existentis abbatissae et conventus monasterii huiusmodi seu alicuius earum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes literas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos ipsae praesentes concernunt, illis pacifice gaudere: non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio. § 8. Non obstantibus literis Hadriani praedecessoris huiusmodi, quas, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, et processus habitos per easdem et inde secuta quaecumque harum serie revocamus, cassamus et annullamus, ac nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti esse decernimus; ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasterii et Ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et literis apostolicis, illis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, quomodolibet concessis et approbatis; quibus omnibus, illorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et individue ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, a dicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, voluntatis, decreti, approbationis, confirmationis, suppletionis, statuti, ordinationis, mandati, revocationis, cassationis, annullationis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Sanctio poenalis.

Si quis autem *etc.*

Datum Bononiae, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimonono, quarto nonas martii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 4 martii 1529, pontif. anno VI.

XXXI.

Declaratio quod electio successoris huius Papae, Bononiam, Viennam vel alibi profecturi, fiat in ipsa Urbe, si, ante ad eam reditum, ipse decesserit; et innovatio constitutionum Alexandri III, Gregorii X et Clementis V, circa electionem Papae.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Cum carissimus in Christo filius noster Carolus, Romanorum et Hispaniarum rex catholicus, in imperatorem electus, intellexisset Turcarum tyrannum potentissimo exercitu ad denuo regnum Ungariae invadendum et occupandum venire; cognoscensque propterea non solum regnum, sed etiam totam rempublicam christianam in maximo versari discrimine; et desiderans Carolus V imperator, pacem Italiae afferens, Pontificem requirit ut secum Bononiam conveniat.

Ferdinando regi Ungariae, fratri suo dulcissimo, ipsique reipublicae christianae opem ferre, prout ad eius officium, cum advocatus Ecclesiae existat, pertinere cognoscebat, omnibus suis regnis dimissis, quamprimum ad Italiam venit, offerens pacem illam, quam Iesus Christus in coelum ascendens suis reliquit discipulis, regibus et principibus christianis ac Italiae potentatibus, sine qua eidem Turcarum tyranno resisti non posse cognoscebat; et prohuiusmodi universali pace facilius componenda nuper nobis suis literis significavit plurimum expedire ut in civitate nostra Bononiae, quam celerius fieri posset, insimul conveniremus ut totam Italiam tandem a tot calamitatibus liberaremus, illique pacem daremus, ut, illa placata, illius potentatus ac barones, unitis animis et viribus, non solum dicto Turcarum tyranno resisti, sed ipse cum toto eius exercitu profligari possit.

Ipse propterea Bononiam proficiscitur.

§ 1. Nos, eius pium et honestum desiderium plurimum in Domino commendantes, etsi ex gravi infirmitate, qua tot mensibus detenti fuimus, convaluerimus, tamen pristinas corporis vires adhuc non recuperavimus, occasionem tamen rei bene gerendae et tam necessarii boni omittere nolentes; cognoscentes ad officium nostrum pertinere, pro salute gregis dominici nobis commissi, periculo vitae nos exponere, et ad civitatem ipsam Bononiae, omni celeritate et mora cessante, nos conferre, in alma tamen Urbe nostra causarum et literarum apostolicarum audientiam relinquentes ac relinquere declarantes, ad effectum ut si, ante reditum nostrum ad Urbem ipsam, nos ab hac luce migrare contingeret, in ipsa Urbe, in qua audientiam memoratam relinquimus, et non in civitate Bononiae seu in alio loco, in quo tempore obitus nostri cum nostra Curia resideremus, electio Romani Pontificis fieri debeat, nisi ipsa Urbs tunc interdicta vel contra Ecclesiam Romanam in manifesta rebellione persisteret, seu de impressione dubitaretur, sicut alias, ex causis tunc expressis, proximis annis, circa electionem Pontificis, in eventum obitus nostri, ita et nunc etiam providere desideramus et intendimus.

In Urbe causarum audientiam etc., reliquit, ibique futuri Papae electionem fieri iubet;

§ 2. Habita igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. Ecclesiae cardinalibus matura deliberatione et diligenti examine, et de eorumdem consilio et unanimi consensu, causarum et literarum apostolicarum audientiam in ipsa Urbe, post nostrum ab ea discessum, remanere, ad effectum ut si, ante reditum nostrum ad ipsam Urbem, nos ab hac luce migrare contingeret, ibi et non alibi, ubi nos mori contingat, electionem Romani Pontificis celebrari debere, nisi Urbs ipsa tunc interdicto subiaceret vel esset aperte rebellis, aut inibi de impressione dubitaretur, ut praefertur; super quo maioris partis cardinalium tunc ibidem existentium decisioni stari, et tunc in civitate Castellana seu Urbevetana seu Perusina, servato scripturae huiusmodi ordine, fieri debere, dummodo illae ecclesiastico interdicto subiectae seu rebelles non fuerint, ut praefertur.

Constitutiones Alexandri III, Gregorii X et Clementis V innovat;

§ 3. Ac per felicis recordationis Alexandrum III, *Licet de excitanda* [1], et Gregorium X in Lugdenensi, *Ubi periculum*, et *Ne Romani* incipientes, per Clementem V, Romanos Pontifices praedecessores nostros, in Viennensi conciliis, circa electionem eamdem, hactenus editas constitutiones et alias extravagantes in omnibus in eis contentis servari et in suo robore permanere debere volumus atque decernimus.

Electionem aliter factam irritat.

§ 4. Nos enim electionem alibi contra praesentium tenorem per eosdem cardinales factam nullam et irritam fore; ipsosque cardinales ad aliam electionem Romani Pontificis, servata earumdem praesentium literarum forma, procedere debere, et per eos contra praemissa nullatenus dispensari posse etiam decernimus.

[1] Raynaldus et Cherubinius leg. *evitanda* (R. T.).

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimonono, pridie nonas octobris, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 6 octobris 1529, pontif. anno VI.

Sequitur innovatio dictae constitutionis.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius innovationis. Licet variae constitutiones pro evitanda discordia in electione Romani Pontificis, etiam circa locum celebrandae ipsius electionis, a nostris praedecessoribus salubriter sint editae; tamen, sicut accepimus, si nos ab alma Urbe aliquandiu absentaremur, et ante reditum nostrum ad ipsam Urbem nos per divinam voluntatem decedere contingeret, a nonnullis asseritur quod per constitutiones hactenus editas circa locum celebrandae electionis huiusmodi non sit pro conditione huius temporis ex omni parte satis provisum.

Relatio praec. constitutionis. § 1. Et id dudum cum versus Bononiam *etc.* [1].

Enunciatio alterius innovationis. § 2. Et deinde cum nos iterum, pro simili necessitate, ad dictam civitatem Bononiae conferre et inibi cum praefato Carolo imperatore ex Germania redeunte ad similem effectum convenire necesse fuisset, nos, de simili eorumdem fratrum consilio, literas praedictas per alias nostras literas innovavimus, prout in eisdem literis plenius continetur.

Causa alia huius innovationis. § 3. Cum autem nos de proximo, pro nonnullis nostris et sanctae Romanae Ecclesiae ac orthodoxae et catholicae fidei totiusque reipublicae christianae arduis negotiis, et ex urgentissimis causis ad civitatem Viennam vel alium locum magis opportunum, minoris vel maioris ab Urbe distantiae, prout nobis convenire videbitur, non sine gravi nostrae ac totius Curiae nostrae incommodo, nos conferre, ac inibi cum carissimo in Christo filio nostro Francisco Francorum rege christianissimo convenire, et ad certum tempus a dicta Urbe nos abesse necesse esset.

Constitutionis praec. innovatio. § 4. Nos propterea circa electionem Romani Pontificis, in eventum decessus nostri, Domino ita volente, ante reditum nostrum ad eamdem Urbem, pari modo, ut debemus, providere volentes, habita etiam super hoc cum ipsis fratribus matura deliberatione et de simili eorumdem consilio et assensu, priores literas nostras praedictas, auctoritate apostolica, tenore praesentium innovamus ac plenum firmitatis robur obtinere, illasque, necnon omnia et singula in eis contenta, in eventum ipsius decessus nostri ante reditum nostrum ad eamdem Urbem, circa electionem futuri Romani Pontificis in omnibus et per omnia inviolabiliter observari debere, ac per dictos cardinales contra praemissa nullatenus dispensari posse; necnon totum id et quidquid ab eisdem cardinalibus, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimotertio, tertio nonas septembris, pontificatus nostri anno decimo.

Publicatio. Lecta et publicata fuit suprascripta innovatio Romae in Cancellaria Apostolica, die martis, nona septembris, anno et pontificatu quibus supra.

Dat. die 3 septembris 1533, pont. an. X.

XXXII.

Approbatio electionis et coronationis Caroli V, in Romanorum regem et imperatorem electi [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Romanus Pontifex, qui vices Illius in terris gerit, unde imperium omne et

[1] Praetermittitur, quia tota ipsa bulla praecedit.

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic.

principatus emanant, electiones de regum imperatorumque personis celebratas, cum ad eius iudicium et examen perferuntur, si illas rite legitimeque factas compererit, perlibenter approbare, suumque super his decretum et auctoritatem interponere consuevit, quo scilicet regnorum imperiique insignia merito adipisci et eorum capita sublimi corona redimi possint.

Carolus quietus cum Pontifice Bononiam convenit, ut Italiae tranquillitati et bono catholicae rei consuleret.

§ 1. Quapropter, cum charissimus in Christo filius noster Carolus, Romanorum et Hispaniarum rex catholicus in imperatorem electus, superioribus mensibus ad Italiam appulisset, tum ut regiis imperatoriisque insignibus, ferrea scilicet atque aurea corona, nostris de manibus ornaretur, tum ut ea fierent quae ad pacem, tranquillitatem, tutelam ac propagationem christianae religionis pertinerent, nosquoque ad civitatem nostram Bononiensem profecti, illi obviam facti fuimus ut, ex nostro mutuo congressu, quae uterque animo conceperat optatum exitum haberent, et sic Italiae, per tot annorum decursum bello, fame pesteque afflictae, consuli possit, illiusque potentatibus, ducibus ac baronibus pacem dari, rebusque ita constitutis, christianae reipublicae, ex tam ingenti et pene infinito Turcarum apparatu extremo in discrimine constitutae, unitis et animis et viribus, defensio susciperetur.

Cardinali Sabinensi commissum examen electionis Caroli in imperatorem.

§ 2. Rex autem ipse, pace in universa fere Italia conciliata et stabilita, cupiens a nobis utraque, ferrea videlicet atque aurea, corona insigniri, quo celerius ad res Germanicas parandas accedere possit; et cum documenta secum non attulerit, quibus de eius in regem Romanorum electione legitime edoceri possemus, venerabili fratri nostro Petro, episcopo Sabinensi, cardinali Anconitano nuncupato, demandavimus ut negocium super huiusmodi electionis validitate, illius confirmatione, dequo eo ad imperialis celsitudinis apicem assumendo approbatione, solerti examine discuteret et exploraret, et quae super his comperta cognitaque reperisset, ea in nostro secreto consistorio referenda curaret.

Cardinalis eam rite legitimeque factam pronunciat.

§ 3. Ipse vero Petrus episcopus, adhibitis nonnullis testibus fide et virtute probatis et iureiurando intericcto diligenter examinatis, eorumque attestationibus exacte pensatis, coram nobis et venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in consistorio nostro praefato ex fide retulit, quae per venerabiles fratres nostros ac dilectos filios nobiles viros ipsius imperii electores, S. R. imperio, per obitum clarae memoriae Maximiliani, regis Romanorum, qui illius gubernacula regebat, solatio viduato, de ipso Carolo facta fuit, electionem rite recteque processisse, quin potius divini numinis afflatum emanasse, et Deum ipsum, quem caelesti illa et incomprehensibili mente in imperatorem longe ante designarat, electoribus ad hoc constitutis postmodum eligendum declarandumque ostendisse: quod si humana divinis comparare fas est, non absurde dici potest, quemadmodum coeli terraeque sator Deus aeternum Filium illa ex Virgine nasci voluit, quae a clarissimo et pervetusto patriarcharum prophetarumque atque etiam regum sanguine ortum ducebat; itidem et Carolum ipsum ex inclita et perillustri catholicorum christianorumque regum ac duorum imperatorum domus Austriae progenie originem trahere voluit, totque insuper regna, tot provincias et principatus eius ditioni et imperio subiecerit ut, postquam plerique christianorum principum, quibus desuper data est potestas, gladios illos, quos adversus intemeratae fidei hostes acuere et cruentare debebant, in mutuam christifidelium, quos tueri defendique tenentur, cladem perniciemque convertunt, ipse unus Carolus et potentia magnitudi-

neque polleret ut suis propriis peculiaribus regnis ac principatibus religionis causam suscipere ac tueri, etiam irruenti Turcarum tyranno sese opponere, atque pestiferis eius conatibus obviam ire, universamque christianam rempublicam defendere ac propugnare, necnon haereses de novo exortas et in dies latius serpentes funditus extirpare et abolere posset.

Imperiale diadema sibi imponi petit Carolus.

§ 4. Unde Carolus rex praefatus, ad honorem S. R. E. et sacri imperii decus, unctionem et imperiale diadema ab ipsa Ecclesia suscepturus, nostro se conspectui praesentavit, et illa per manus nostras sibi impendi humiliter supplicavit.

Eius [illegible] electionem confirmat Clemens, coronationemq. factam Aquisgrani;

§ 5. Nos igitur, eius votis non immerito benignum conferentes auditum, ipsum internae charitatis et debiti honoris constringentes amplexibus, eumdem Carolum nostrum charissimum, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus diligenti et matura deliberatione praehabita, de eorum consilio et unanimi consensu, ad gloriam omnipotentis Dei et gloriosae semper virginis Mariae ac beatorum apostolorum Petri et Pauli, exaltationem quoque et honorem sanctae Romanae Ecclesiae et sacri imperii, electionem de ipso Carolo per eosdem electores in regem Romanorum et imperatorem rite legitimeque factam, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus; ea insuper coronationis solemnia, quibus in civitate superioris Germaniae, vulgo Aquisgrana nuncupata, argentea corona, illa scilicet qua Carolus, cognomento Magnus, usus perhibetur, ab archiepiscopo Coloniensi insignitus fuit, etiam approbamus, riteque facta fuisse declaramus.

Defectus, si qui incurrerent, sanat.

§ 6. Supplentes omnes et singulos defectus, qui aut ratione formae aut ratione personae suae aut personarum eorumdem electorum seu quavis alia ratione vel causa in huiusmodi electione forsan intervenerint quovis modo, et ex certa scientia et apostolicae potestatis plenitudine.

Cum eo dispensat ad hoc ut una cum imperio Neapolitanum regnum retinere possit.

§ 7. Ipsumque Carolum electum ad suscipiendum imperialis dignitatis culmen dignum et idoneum fore et esse, auctoritate, scientia, potestate et tenore praemissis, declaramus; ac cum eodem Carolo, cum quo alias felicis recordationis Leo Papa X, secundum carnem frater patruelis et praedecessor noster, ut regnum Neapolitanum una cum imperio retinere posset per suas literas dispensavit, pro potiori cautela, ut regnum ipsum Neapolitanum, una cum imperio, quoad vixerit, retinere libere et licite valeat, de eorumdem fratrum consilio, auctoritate, scientia et potestatis plenitudine similibus, dispensamus.

Derogat contrariis.

§ 8. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon legibus imperialibus ac privilegiis illis electoribus et quibusvis concessis, quibus, illorum omnium tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo vigesimonono, kalendis decembris, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 1 decembris 1529, pontif. anno VII.

XXXIII.

Inquisitorum haereticae pravitatis facultas procedendi adversus quoscumque, etiam regulares cuiuscumque Ordinis, in causis haeresis; indulgentiasque concedendi confratribus societati crucesignatorum, pro servitio sanctae inquisitionis.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Paulo Butigellae, totius Ordinis fratrum

Praedicatorum vicario generali, in Ferrariensi et Mutinensi civitatibus et dioecesibus haereticae pravitatis inquisitori.

Martini Lutheri haeresis quantocitius est extinguenda.

Cum, sicut ex relatione pro parte tua nobis facta, cum gravi nostrae mentis molestia innotuit, in diversis Italiae partibus adeo pestifera haeresis Lutheri, non tantum apud saeculares personas, sed etiam ecclesiasticas et regulares, tam Mendicantes quam non Mendicantes, invaluerit, ut aliquando nonnulli ex eis suis sermonibus et verbis et (quod deterius est) publicis praedicationibus tali labe plerosque inficiant, et christifideles sub obedientia S. R. E. viventes, et praecepta eiusdem Ecclesiae servantes non leviter scandalizent, in haeresum augmentum, pusillorum scandalum, atque catholicae fidei non mediocre detrimentum.

Ne serpat nimium, ut haeresis Arii.

§ 1. Nos, attendentes Arium unam modicam scintillam fuisse in Alexandria, sed quoniam non mox oppressus est, grande per totum orbem incendium exsuscitasse; ac cupientes huic veneno haeresique nefariae et labi pestiferae, quam supremis extingui affectibus anhelamus, omni salubri, quo possumus, remedio occurrere; et ne huiusmodi morbus excrescat ulterius, sed, operante Domino, passim evellatur, salubriter providere.

Inquisitores ergo procedant contra omnes, etiam regulares cuiuscumq. Ordinis.

§ 2. Tibi necnon omnibus et singulis aliis dictae haereticae pravitatis inquisitoribus ex Ordine fratrum Praedicatorum, maxime congregationis utriusque Lombardiae per universam Italiam constitutis et deputatis ac constituendis et deputandis, eorumque vicariis, in virtute sanctae obedientiae et in remissionem peccatorum vestrorum, districte praecipiendo, mandamus quatenus omnibus et singulis, etiam Carmelitarum et aliorum Ordinum Mendicantium religiosis, vel non Mendicantibus, de huiusmodi peste diffamatis aut aliter suspectis, praecipueque tales errores in suis sermonibus, verbis seu praedicationibus disseminantibus, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, super huiusmodi ac qualibet alia haeresi silentium imponatis. Et postquam per vos sive vicarios vestros, aut vestrum vel eorumdem vicariorum aliquos sive aliquem, praesidentes monasteriorum, conventuum et aliorum locorum, ubi haereses huiusmodi vel errores seminati forent, aut inibi propinquiorum praemoniti fuerint, nisi tales, infra mensem a die admonitionis computandum, debita provisione, remedia cum effectu adhibuerint, ac digna poenitentia castigaverint, de quibus admonenti fidem facere teneantur, et si praesidentes ipsi talia praedicarent, admonitionem praesidenti vicinioris conventus vel loci respective facere sufficiat, contra huiusmodi exemptos usque ad sententiam definitivam, ad quam ferendam (si fuerit condemnatoria) cum consensu ordinarii procedatis; contra Carmelitas tamen confestim possitis, etiam ad capturam, dum praedicant populo vel publice disputant erroneas conclusiones; adversus non exemptos vero de tali labe diffamatos aut suspectos, veluti contra alios haereticos (prout iura disponunt) libere inquiratis atque procedatis. Decernimus insuper ut vestros vicarios sive commissarios instituere valeatis viros vestra sententia providos, aptos et idoneos, dummodo aetatis trigesimum annum attigerint. Vobis etiam ac vicariis praefatis extraiudicialiter Lutheranos occultos et non inquisitos per ordinarium sive alios iudices, ac alios quoscumque haereticos, fautores, credentes, defensores et receptatores, necnon et a sancta fide apostatas, eosque, qui, contra inhibitionem Sedis Apostolicae, tenuerunt vel legerunt libros Martini Lutheri vel aliorum, aut eidem sive eisdem quomodolibet adhaeserunt (si ad cor reversi poenitentes id humiliter petierint), postquam haeresim,

qua polluti et infecti erant, abiuraverint, et medio iuramento promiserint de cetero ab huiusmodi haeresi penitus abstinere, absolvendi; illisque pro praemissis poenitentiam iniungendi salutarem, eosque ad gremium sanctae matris Ecclesiae restituendi et reducendi. Et cum clericis saecularibus ac personis religiosis, cuiusvis Ordinis, status et conditionis, super quavis irregularitate, quam, tam ex haeresi quam ex apostasia a fide, seu etiam ex eo quod censuris et poenis ecclesiasticis, tam a iure quam ab homine, etiam quavis occasione vel causa latis et promulgatis, quomodolibet incurrerint, aut ligati seu innodati divina celebrando contraxerint, ac etiam super irregularitatibus, quas clerici crucesignati sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, etiam quavis occasione vel causa latis, ligati seu irretiti, ac etiam ex eo quod in locis ecclesiastico interdicto suppositis missas et alia divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebraverint, incurrerint, dispensandi.

Crucesignatis indulgen. conceduntur etc.

§ 3. Et quia inquisitores praefati, in civitatibus seu aliis locis, societates seu confraternitates ad extirpandum haereses et capiendum haereticos (iuxta concessionem a Romanis Pontificibus eis factam) instituunt, et in eis confratres recipiunt, qui in eorum receptione votum in eorumdem inquisitorum seu vicariorum manibus emittunt, ac voto se adstringunt, dum pro parte ipsorum inquisitorum et vicariorum ad capiendos ipsos haereticos requisiti fuerint, auxilium, consilium et favorem praestare, ut eis, tempore cuiusvis localis interdicti, divinis interesse, et, eis decedentibus, eorum corpora ecclesiasticæ sepulturae (sine tamen funerali pompa) tradi possint, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto, nec eis id contigerit specialiter interdici; ipsisque crucesignatis per ipsos inquisitores seu vicarios, dum in eorum manibus votum haereticos ipsos persequendi emiserint, ut semel ex tunc et in mortis articulo a reservatis et in bulla Coenae Domini contentis casibus, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, aut propositum confitendi debito tempore per Ecclesiam statuto habuerint, absolvi, ac indulgentia plenaria et omnium peccatorum remissio huiusmodi concedi; eisque, ut singulis diebus anni quinque altaria ecclesiae (si tot ibi fuerint) aut unum loci, in quo eos esse contigerit, psalmum unum genibus flexis recitando, vel quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam in quolibet altari, indulgentias stationum Urbis consequi valeant, etiam concedendi et elargiendi, auctoritate apostolica, tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus. Et nihilominus concessionem per Romanos Pontifices forsan vivae vocis oraculo seu alias eisdem inquisitoribus et vicariis fratrum [1], seu licentiam concessam huiusmodi approbamus et confirmamus; ac omnia et singula alia privilegia, exemptiones, immunitates, gratias et indulta, quibuscumque inquisitoribus aliis haereticae pravitatis, quorumvis Ordinum et congregationum, et officio inquisitionis huiusmodi, in quibuscumque regnis et provinciis sive locis ac terris hactenus deputatis, concessa et in posterum concedenda, vobis communicamus, atque iam vobis alias concessa approbamus, confirmamus et innovamus; universosque et singulos iuris et facti defectus (si qui forsan in illorum concessione intervenerint) supplemus.

Episcopi et alii in praedictis faveant.

§ 4. Mandantes omnibus et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, necnon dilectis filiis eorumdem archiepiscoporum et episcoporum vicariis in spiritualibus generalibus, quatenus praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra seu vi-

1 *Factam* loco *fratrum* legit Ripoll (a. r).

cariorum vestrorum praedictorum, aut alicuius vestrum sive illorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac vobis, in praemissis, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant praesentes literas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, vosque illis pacifice gaudere, non permittentes vos desuper per quoscumque, quovis modo, indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dictorum Ordinum, etiam iuramento et confirmatione apostolica roboratis, statutis et consuetudinibus, necnon privilegio, quod incipit *Sacer Ordo*, per felicis recordationis Sixtum Papam IV, praedecessorem nostrum, Ordini Carmelitarum concesso, fortassisque post aliis communicato; et quibuscumque aliis privilegiis et indultis apostolicis, illi ac quibuscumque aliis, etiam Mendicantium, Ordinibus, etiam sub quibuscumque[1] et verborum formis, ac cum quibuscumque clausulis et decretis, concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus (tenores illorum, ac si de verbo ad verbum inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes) hac vice specialiter et expresse derogamus; necnon quibuscumque exceptionibus, oppositionibus et appellationibus, forsan desuper faciendis et interponendis, quae adversus praemissa nullatenus suffragari posse volumus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 6. Decernentes praesentium transumptis, manu publici notarii subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, camdem prorsus fidem, in iudicio et extra, adhibendam fore, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Bononiae, sub annulo Piscatoris, die XV ianuarii, millesimo quingentesimo trigesimo, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 15 ianuarii 1530, pontif. anno VII.

XXXIV.

Coronatio Caroli V imperatoris in civitate Bononiae, provinciae Lombardiae.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Carolus V, de mandato huius Papae, ante missarum solemnia solitis cum caeremoniis, ab venerab. Wilhelmo cardinali inunctus fuit.

Cum proximo februarii mense, celebri Cathedrae Petri die, cui, dispari quidem merito, pari tamen potestate, successimus, dilectus filius noster Wilhelmus, tituli Ss. Ioannis et Pauli presbyter cardinalis, in cappella palatii civitatis nostrae Bononiensis, quod in praesentiarum habitamus, missarum sacra nostro iussu esset peracturus, et priusquam ad ipsam cappellam accederemus, carissimum in Christo filium nostrum Carolum V, imperatorem semper augustum, nostra ex auctoritate inunxisset, reliquasque caeremonias vetusto more circa id fieri solitas peregisset.

Pontifex deinde cappellam ingressus, infra missarum solemnia, insignia regia et imperatoria et tradidit, et corona ferrea coronavit.

§ 1. Nos, qui postea, iis caeremoniis et unctione peractis, cappellam ingressi fuimus, infra ipsarum missarum solemnia, regia imperatoriaque insignia eidem Carolo tradidimus, eiusque caput corona ferrea decoravimus.

Successive altera die, festo S. Matthiae apostoli idem Pontifex, praeviis solitis caeremo-

§ 2. Ab hinc deinde triduum, in ipso scilicet die Matthiae apostoli festo, qui primus dies natalis ipsi Carolo illuxit, eum aurea corona insignire volentes, ex palatio per pensile tabulatum, ob hoc ipsum in-

[1] *Sub quibuscis tenoribus* etc. legit Ripoll (R. T.).

nis, eadem insignia ipsi Carolo contulit, et corona aurea eumdem coronavit.

structum, ad ecclesiam S. Petronii accessimus, pontificiam missam celebraturi; et cum ipse Carolus imperator iis omnibus perfunctus esset, quae ad eiusmodi caeremonias exiguntur: primo videlicet ante aram ad hunc usum super tabulato erectam, in canonicum basilicae Principis apostolorum de Urbe per nonnullos eiusdem basilicae canonicos, Bononiae tunc temporis degentes et ibidem praesentes, receptus; deinde oratione una, ad hanc celebritatem accommodata, in ecclesiae huiusmodi foribus per Praenestinum, rursus altera intra ipsas fores per Sabinensem episcopos super caput Caroli alta voce prolatis, idem imperator ad quamdam cappellam divertit, ubi cultu et ornatu diaconorum indutus, et inde ad Sedem pro eo paratam accedens, ibidemque ab episcopo Ostiensi inunctus, ad conspectum nostrum venit. Nos vero missam prosequentes, evangelio latina graecaque lingua nondum enunciato, eadem quae nudius tertius regia imperialiaque insignia imperatori contulimus, annulum in primis eius digito annulari imponentes; deinde ensem, adversus fidei hostes ut brandum [1] ad eius femur accingi fecimus; deinde vero aurea corona eius caput coronavimus, ac postmodum sceptrum, peculiare regibus insigne, ac globum, totius mundi imaginem repraesentans, in eius manus tradidimus, et ad pacis osculum, qua Christus nascens, praedicans, moriens, resurgens ac regnans Ecclesiam suam docuit, admisimus. Quibus rite peractis, ille in solium imperiale dextero lateri nostro pene contiguum sese recepit. Sacrificio deinde absoluto et omnibus, quae veteri ex instituto in huiusmodi coronatione fieri solent, peractis, ad palatium, unde profecti eramus, equo insidentes regressi sumus.

Quae omnia rite et legitime gesta esse Bononiae perinde ac si Romae, Modiciae ac Mediolani respective acta essent, declarat;

§ 3. Et ne animis curiosis ambigi posset, an corona ferrea, quae olim Modicensi vel in ecclesia Mediolanensi, et aurea, quae per Romanum Pontificem Romae in dicta Petri basilica exhiberi fuit solita, iam utraque Bononiae, ad supplices imperatoris preces, et ex causis legitimis id suadentibus, per nos exhibita, tantumdem virium et stabilitatis obtineat, ac si ambae statutis in locis, more veteri, traditae susceptaeque fuissent, ut hic scrupulus ex animis evellatur, auctoritate apostolica, tenore praesentium declaramus, et ad posteritatem transmitti volumus omnia praemissa, hoc tenore hocque in loco gesta, perinde firma, valida et inconcussa esse et suum robur et stabilimentum obtinere, ac si illa ferrea coronatio vel Modicae vel Mediolani, haec aurea vero, Romae, in dicta basilica, servatis omnibus caeremoniis servari solitis, celebrata factaque fuisset.

Et ita non aliter iudicari posse decernit.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices et causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales interpretandum, iudicandum ac sententias promulgandas, adempta eis aliter interpretandi, iudicandi et sententiam promulgandi facultate, auctoritate et tenore praedictis decernimus.

Defectusque omnes supplet.

§ 5. Supplentes ex certa scientia ac apostolicae potestatis plenitudine omnes et singulos defectus, tam iuris quam facti, si qui forsan intervenerint in eisdem.

Ac super retentione imperii et Neapolitani regni, quoad ipse Carolus V vixerit, dispensat;

§ 6. Nos etiam cum eodem Carolo, cum quo alias, felicis recordationis Leo Papa X, secundum carnem frater patruelis et praedecessor noster, ut regnum Neapolitanum una cum imperio retinere posset, per suas literas dispensavit, pro potiori cautela, ut regnum ipsum Neapolitanum una cum imperio, quoad vixerit, retinere libere et licite valeat, quibusvis constitutionibus ac literis nec non statutis et consuetudinibus apostolicis ac legibus imperialibus ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate et tenore praemissis, de speciali dono gratiae dispensamus.

Subditisque obedientiam illi praestari iubet.

§ 7. Quocirca omnibus christifidelibus, vassallis et subditis praefati imperii, cuius-

[1] Cherub. et Rayn. legunt *vibrandum*, loco *ut brandum* (R. T.)

cumque conditionis existant, etiamsi regali aut pontificali dignitate praefulgeant, in virtute sanctae obedientiae et pro quanto gratiamn ostram caram habeant, districte praecipiendo mandamus quatenus praefato Carolo imperatori, ut tenentur, efficaciter pareant et intendant.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno Incarnationis dominicae MDXXX, kalendis martii, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 1 martii 1530, pontif. anno VII.

XXXV.

Institutio Rotae, ad causas et lites cognoscendas et decidendas, in civitate Perusii, provinciae Hetruriae, in Statu Ecclesiastico [1].

Clemens Papa VII, dilectis filiis prioribus et communitati civitatis nostrae Perusii, salutem et apostolicam benedictionem.

Civitatis Perusii preces pro institutione Rotae.

Exponi nobis nuper fecistis, per dilectum filium Gulielm. Pontanum, U. I. D., oratorem vestrum, quod si officia praeturae suorumque collateralium, necnon officium iudicis appellationum, bariselli populi nuncupatum, istius nostrae civitatis, cum eorum iurisdictionibus ac salariis et emolumentis, in nova officia quatuor Rotae nuncupata, assensu et auctoritate nostra in civitate erigenda et constituenda transferrentur seu commutarentur, in non mediocre eiusdem civitatis ac territorii commodum facilioremque institiae, absque labis alicuius suspicione, administrationem cederet, prout in pluribus aliis civitatibus, in quibus huiusmodi Rotae auditoria instituta fuerunt, idem contigisse experientia docuit.

[1] Studium generale ibidem instituit Clemens V in eius constitutione VI, *Super specula*, tom. IV, pag. 192.

Pontificis concessio et Rotae institutio.

§ 1. Nos igitur, qui civitatem ipsam paterna caritate prosequimur, cupientes ut in solida fide et constantia erga nos et Sedem Apostolicam vos perseveretis, et iustitia istic ministretur, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, officia praeturae suorumque collateralium officialium ac indicatus appellationum seu barisellatus, cum eorum iurisdictionibus, auctoritate apostolica, tenore praesentium extinguimus et annullamus, eaque, cum eorum et cuiusque ipsorum iurisdictionibus et salariis ac emolumentis solitis et consuetis, in dictum auditorium Rotae ibidem constituendae et non in alios usus convertenda, auctoritate praedicta transferimus et commutamus, salvis et reservatis secretariorum taxis et aliis retentionibus hactenus fieri solitis.

Facultatis et largitio desuper constitutiones formandi.

§ 2. Dantes vobis facultatem et auctoritatem, circa ipsius novi officii institutionem, capitula quot et quae decentia, opportuna ac utilia videbuntur, cum praesentia tamen et consensu praesentis et pro tempore existentis venerabilis patris vice-legati, formandi et componendi.

Iussio observantiae earum.

§ 3. Mandantes eidem vice-legato et aliis officialibus, quovis nomine nuncupatis, ut ea, quae in praemissis fuerint per vos, ut praefertur, statuta et ordinata, inviolabiliter observent et faciant ab aliis observari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae praeturae et capitaneatus constitutione, necnon statutis et consuetudinibus dictae civitatis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Bononiae, sub annulo Piscatoris, die XXVIII martii MDXXX, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 28 martii 1530, pontif. anno VII.

XXXVI.

Confirmatio infeudationis insularum Tripolis, Melitae et Terrae Gaudisii a Carolo, Romanorum imperatore, hospitali Sancti Ioannis Hierosolymitani concessarum [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Etsi ex sollicitudinis debito pastoralis, sub Religionis habitu Domino famulantibus quibuslibet, in iis praecipue, per quae eorum profectibus consulatur, nos favorabiles esse deceat atque benignos; fratrum tamen hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, qui, crucis mirificae suscepto signaculo, circa fidei orthodoxae tuitionem nullis laboribus nullisque corporum parcendo periculis, contra Christi nominis hostes continue pugnare non formidant, Religionem floridam paternis contemplantes affectibus, pro eorum prospero statu, commodo et quiete tanto curiosius manus operarias salutaris provisionis adhibemus, quanto ex illius adversitate futuris eventibus periculosior christiano coetui inferri possit perplexitas, et circa donationem imperialem, pro maris tuitione eis factam, statuta provide et ordinata circa hoc apostolico munimine roborando, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Carolus V insulas Tripolis, Melitae et terram Gaudisii equitibus Sancti Ioannis Hierosolymitani donat.

§ 1. Sane, sicut nobis plene innotuit nuper, cum charissimus in Christo filius noster Carolus V, Romanorum imperator semper augustus, qui etiam rex Siciliae existit, pro sua munificentia et pietate ac Religionis hospitalis praedicti devotione, ne dilecti filii Philippus de Villers Liesladam [2], magister, et conventus ipsius hospitalis, qui superioribus annis, expugnata per Turcos, sanctissimi nominis Christi nefandissimos hostes, vi et armis insula Rhodi olim eiusdem hospitalis, insulam ipsam relinquere coacti fuerunt, amplius per alienas sedes vagari contingeret, sed, pro vetusto eorum more et laudabili consuetudine, locum, ubi contra ipsos fidei hostes, praesertim classe maritima, arma exercere possent, obtinerent, eisdem hospitali ac Philippo, magistro, et conventui civitates, castra et insulas Tripolis, Melitae et Gaudisii in feudum perpetuum, nobile, liberum et francum, sub conditionibus infrascriptis, quas, pro inviolabili observatione per ipsos et magistrum et conventum in statuta et stabilimenta perpetua redigi voluit et mandavit, per has authenticas literas, manu ipsius Caroli imperatoris subscriptas et illius sigillo, quo in regno suo superioris Siciliae utitur, munitas, sub data videlicet vigesimatertia mensis martii proxime praeteriti, donasset et concessisset.

Magnus magister et fratres in capitulo generali, habito Syracusis, huiusmodi donationem acceptant cum conditionibus expressis in literis Caroli.

§ 2. Philippus, magister, et conventus praedicti ac baiulivi, priores, praeceptores et fratres dicti hospitalis, in unum, loco et more solitis, in civitate Syracusarum, die vigesimaquinta mensis aprilis proxime praeteriti, congregati et inibi completum consilium in vim generalis capituli celebrantes, visis et perlectis concessione et donatione et literis Caroli imperatoris, huiusmodi donationem ipsam invicem inter eos habito maturo et deliberato consilio, de eorum certa scientia acceptantes et approbantes, ac praemissis stare volentes, sanxerunt, statuerunt, stabilierunt et ordinarunt quod magister pro tempore existens dicti hospitalis et praedicti conventus huiusmodi feudum ab ipso Carolo imperatore, tamquam rege Siciliae, et ipsius successoribus in eodem regno pro tempore regnantibus, sub censu dumtaxat unius falconis seu accipitris, quolibet anno in die celebritatis Omnium Sanctorum, per personam seu personas ad id sufficienti mandato suffultas, in manibus vice-regis seu locumtenentis, qui tunc ipsius regni Siciliae administrationem et regimen obtineret, in

Census annuus Carolo eiusque successoribus Siciliae regibus persolvendus.

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic. [2] Accuratius Villiers de l'Isle-Adam (R. T.).

signum verae recognitionis dicti feudi praesentandi, recognoscere deberent et tenerentur; ac, mediante censu praedicto, immunes et exempti remanerent et esse censerentur a quocumque alio militari servitio de iure debito et per vassallos praestari solito. Eiusque feudi investitura in quemlibet novae successionis casum renovari et expediri deberet iuxta dispositionem iuris communis.

Iuramentum a quolibet magno magistro praestandum Imperatori Carolo.

§ 3. Ac pro tempore existens magister hospitalis huiusmodi, pro se et universo Ordine, in huiusmodi recognitione et investitura, iuramentum quod ex huiusmodi civitatibus, castris, locis et insulis non patietur nec permittet fieri damnum aut praeiudicium vel offensam regnis, dominiis et subditis ipsius Caroli imperatoris eiusve in dicto regno successorum, per mare seu per terram, nec auxilium seu favorem praestare iis damnum inferenti seu inferre volenti, sed potius omni conatu id avertere curabunt. Et si quisquam ex subditis dicti regni Siciliae reus criminis capitalis seu de tali crimine inculpatus se absentaverit, et ad huiusmodi insulas et loca infeudata aufugerit, dum pro parte vice-regis dicti regni pro tempore existentis requisiti forent, deberent et tenerentur taliter aufugientes expellere ac penitus eiicere, exceptis tamen illis, qui aut laesae maiestatis aut haeresis rei dicerentur, quos non eiicere, sed ad omnem ipsius vice-regis requisitionem capere, atque captivos eidem vice-regi remittere tenerentur.

Iuspatronatus ecclesiae Melitensis quale Carolo reservatum.

§ 4. Quodque iuspatronatus ecclesiae Melitensis remaneat, prout est, dispositioni et praesentationi ipsius Caroli imperatoris et eorum in regno Siciliae successorum; ita tamen quod, post obitum dilecti filii Balthassaris Malikink [1], ipsius Caroli imperatoris vice-cancellarii ad eamdem ecclesiam novissime praesentati, seu in quemcumque alium vacationis casum deinceps sequuturum, magister et conventus praedicti haberent nominare, pro vice-rege dicti regni Siciliae, tres personas eiusdem hospitalis, quarum una saltem sit et esse deberet ex subditis Caroli imperatoris seu suorum in dicto Siciliae Ulterioris regno successorum praedictorum, idoneas et sufficientes ad ipsam pontificalem dignitatem exercendam, ex quibus tribus sic nominandis, Carolus imperator seu eius in dicto regno successores praesentaret et praesentare deberet ad dictam ecclesiam eum, quem idoniorem iudicaret.

Episcopo magna crux concedenda.

§ 5. Cui quidem promoto tenerentur magister et conventus praedicti magnam crucem concedere, ac eum ad consilium dicti Ordinis cum prioribus et baiulivis admittere.

Nonnulla statuta edita et confirmata in eodem capitulo favore nationis Italicae.

§ 6. Et insuper, cum admiratus ipsius Religionis ex lingua et natione italica esse debeat, congruum censuerunt ut is, qui eius vices geret, dum absentiae seu impedimenti locus occurrerit, si aeque idoneus reperiretur, eiusdem linguae ac nationis existat; stabilieruntque quod haberetur deinceps ratio, ut, data paritate idoneitatis, potius ad id munus eligi deberet, qui eiusdem nationis et linguae idoneus iudicaretur, aut alias talis sit, qui officium suum exerceret, nullique suspectus censeretur; quae quidem tria superius descripta statuta et stabilimenta ac omnia et singula in eisdem ac etiam in dictis literis Caroli imperatoris praedicti contenta, praedicti magister, baiulivi, priores, praeceptores et fratres, ad id legitime et more solito consilium complentum in vim capituli congregati, ex eorum mera, pura et libera voluntate, communi suffragio, nemine discrepante, pro vetusto et consueto eorum more et consuetudine, manibus super crucem habitus impositis, solemniter promiserunt et iurarunt pro se et successoribus suis inviolabiliter obser-

[1] Balthassar Waltkirk, die 13 iulii episcopus Melitensis creatus, eodem anno obiit, antequam sedem visitasset (R. T.).

vare, tenere et custodire, ac ab aliis custodiri perpetuo facere et mandare, sicut ac prout praemissa omnia et singula in dictis tribus capitulis, statutis et literis continentur, praecipientes universis et singulis dicti hospitalis fratribus, quacumque auctoritate, dignitate officioque fungentibus, praesentibus et futuris, in virtute sanctae obedientiae, ne contra decretum, constitutionem, approbationem et sanctionem huiusmodi aliquatenus facere vel venire praesumerent, sed eas inviolabiliter observare studerent, prout in Caroli imperatoris ac magistri et conventus literis huiusmodi dicitur plenius contineri.

Clemens Caroli literas, acceptationem m. magistri statutaque capituli confirmat.

§ 7. Cum autem, sicut nos, qui, in minoribus constituti, Religionem ipsam professi fuimus, et illius protectionem, ad cardinalatus honorem electi, suscepimus, plene novimus, iuxta formam et tenorem statutorum et stabilimentorum dicti hospitalis, similia statuta et stabilimenta perpetua, aliter quam in supremo et completo eiusdem Religionis generali capitulo, fieri nequeant: nos, qui eamdem Religionem specialis dilectionis affectu ex visceribus charitatis prosequimur et prosequuturi sumus, attendentes capitulum generale tunc celebrari non potuisse, et ne propterea per ipsos magistrum et conventum, ut praefertur, statuta et stabilita ullo unquam tempore infringi possint, sed ut veram obtineant roboris firmitatem providere, ac eorumdem magistri et conventus commoditati super his salubriter consulere volentes; ipsosque magistrum et conventum ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et aliis poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum harum dumtaxat consequendum, absolventes et absolutos fore censentes; necnon singularum literarum praedictarum universos tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, motu proprio, non ad ipsorum magistri et conventus vel aliorum super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, per magistrum et conventum praefatos, ut praefertur, statuta, stabilita et ordinata ac desuper confectas literas huiusmodi, necnon omnia et singula in eis contenta ac inde sequuta quaecumque, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus, illisque perpetuae firmitatis robur adiicimus; necnon celebrationis capituli generalis, omnesque et singulos alios iuris et facti ac solemnitatum forsan omissarum defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus; necnon ea vim validi contractus inter Carolum imperatorem ac magistrum et conventum praefatos, statutique perpetui obtinere, et inviolabiliter per modernum et pro tempore existentem magistrum et conventum ac baillivos, priores, praeceptores et fratres hospitalis huiusmodi observari, et sic per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari debere; ac quidquid secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decrevimus.

Dati exequutores harum literarum.

§ 8. Quocirca venerabilibus indicibus nostris Messanensi, Panormitano, archiepiscopis, et Vigorniensi episcopo per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut eorum unus, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quotiens, pro parte pro tempore existentis magistri et conventus, requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio

assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes literas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos ipsae praesentes concernunt, illis pacifice gaudere; non permittentes eos desuper, contra praesentium tenorem, quomodolibet molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti hospitalis, iuramento ac confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, stabilimentis, statutis, usibus et naturis; necnon privilegiis, indultis et literis apostolicis eidem hospitali et magistro pro tempore existenti et conventui praefatis per quoscumque Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, et Sedem Apostolicam, etiam ad instantiam imperatoris, regum et aliorum principum, ac etiam motu et scientia similibus, etiam consistorialiter, sub quibuscumque tenoribus et formis, tam sub plumbo quam in forma brevis, etiam per modum statuti perpetui ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, clausulis, irritantibusque et aliis, etiam vim contractus inducentibus, decretis ac etiam quibusvis iustissimis causis, etiam iteratis vicibus concessis et approbatis et innovatis; quibus, etiamsi quod illis nullatenus aut etiam praetextu clausulae implicitae derogationis latissime extendendae, aliasque in supplicationibus desuper signatis expressa fuerit, ac nonnisi modo et forma in eis expressis derogari possit, et, si derogaretur, derogationes ipsae et inde secuta quaecumque nullius sint roboris vel momenti, nec derogatum esse censeatur, nisi derogatio ipsa eisdem magistro et conventui per trinas literas apostolicas in forma brevis, cum certi temporis intervallo, intimata fuerit; quibus omnibus, etiamsi de illis eorum que totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso ac forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 10. Ceterum, quia difficile foret praesentes literas ad quaeque singula loca, in quibus expediens foret, deferre, volumus et dicta auctoritate decernimus quod transumptis dictarum literarum, manu notarii subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo, kalendis maii, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 1 maii 1530, pontif. anno VII.

XXXVII.

Filii presbyterorum, ex fornicatione nati, beneficia ecclesiastica, per eorum patres obtenta, minime obtinere possint [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius prohibitionis.

Ad canonum conditorem non est dubium pertinere, cum statuta a se vel

[1] Ampliorem dispositionem in hoc habes in Concilio Tridentino, sess. XXV, *De Reform.*, cap. 15.

praedecessoribus suis ad animarum christifidelium salutem edita, propter eorum abusum, qui, successu temporum, malitia hominum succrescente, magis in dies dignoscitur obesse quam prodesse animadvertit, ne ulterius obesse valeat providere. Sane, postquam felicis recordationis Alexander Papa III, praedecessor noster, filios, praesertim sacerdotum, in ecclesiis paternis succedere prohibuerat, easque nihilominus, media intercedente persona, filios ipsos habere disposuerat, cum passim sacerdotes, ut ecclesiis suis eorum filii potirentur satagentes, in Alexandri praedecessoris huiusmodi dispositione confisi, ecclesias suas, quas ad eorum pervenire filios constituebant, in favorem personarum, quae ecclesias ipsas, etiam illarum possessione non habita, in ipsorum resignantium filios, ex fornicatione genitos, illico mox resignare; ipsique filii ecclesias ipsas, dispensatione super defectu natalium, quem, ex dictis sacerdotibus resignantibus geniti, patiebantur, etiam patris nomine expresso, obtenta, consequi hactenus consueverint, profecto perniciosum semper et abominabile ac in gravem divinae Maiestatis offensam tendere, videlicet quod ipsi presbyteri eorum crimen, quod erat occultum, non sine turpitudine, ob inordinatum spuriorum filiorum amorem, detegere non erubescerent.

Prohibitio de qua in rubrica.

§ 1. Iudicavimus propterea quod, ubi tempus, quod omnia palam facit, et praesentium ratio, quid in futurum cavendum sit admonet, merito admonemur; et, ad tollendum huiusmodi abusum, necessarium arbitrati sumus eiusdem Alexandri praedecessoris canonem corrigere, potius quam talia, cum tanto hominum scandalo, tollerare. Habita igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio et unanimi consensu, auctoritate apostolica, tenore praesentium statuimus et ordinamus quod de cetero filii presbyterorum, ex fornicatione nati, ecclesias cathedrales, etiam metropolitanas, ac monasteria, quibus eorum patres praefuerunt, seu illa et illas dignitates, etiam maiores et principales, personatus, administrationes et officia, etiam curata et electiva, et alia quaecumque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, quae presbyteri et clerici ac religiosi eorum patres in titulum vel commendam aut administrationem, ad tempus seu in perpetuum, aliquando obtinuerunt, nullo umquam tempore quoquomodo obtinere possint, nec cum eis super hoc dispensare intendimus. Et si quas dispensationes per nos concedi contigerit, tamquam per praeoccupationem et contra mentem nostram concessas, eis nullatenus suffragari, talesque dispensationes nostris volumus exultare [1] temporibus; et, quod nobis [2] non patimur, nostris successoribus indicamus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus praefati Alexandri praedecessoris et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 3. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo, tertio nonas iunii, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 3 iunii 1530, pontif. anno VII.

XXXVIII.

Approbatio gratiarum et privilegiorum Ordinis fratrum ac monialium Beatae Mariae de Monte Carmelo, et concessio quorumcumque aliorum indultorum omnibus aliis Ordinibus concessorum et concedendorum; et indulgentiarum elargitio pro confratribus utriusque sexus confraternitatum institutarum in loco dicti Ordinis [3].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex clementi Sedis Apostolicae provisione, necnon personarum Deo devota-

1 Legendum forsan *exulare* (R. T.). 2 *Licere* addit Cherub. (R. T.). 3 De hoc Ordine pleno dixi ad constitutionem LXXVIII Honorii III, *Ut vivendi*, tom. III, pag. 415.

rum, sub Religionis iugo et regulari castimonia Domino militantium, pia devotione provenire dignoscitur ut Romanus Pontifex, quandoque per praedecessores suos Romanos Pontifices, pro personarum earumdem ac illorum locorum felici successu et quiete ac christifidelium piis operibus vacantium animarum salute, concessa approbet et innovet, ac innovata communiat, et alia de novo concedat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Exponitur Papae quod Ioannes XXII et Alexander V indulgentias concesserunt intrantib. confraternitates institutas in locis Ordinis;

§ 1. Sane, pro parte dilectorum filiorum Nicolai Audet, generalis, ac provincialium et priorum domorum Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, necnon confratrum utriusque sexus confraternitatum in ecclesiis domorum eiusdem Ordinis institutarum, nobis nuper exhibita petitio continebat quod alias felicis recordationis Ioannes XXII et Alexander V, Romani Pontifices praedecessores nostri, universis et singulis christifidelibus, qui confraternitatem de Monte Carmelo ingredi, seu confratrum confraternitatum huiusmodi numero adscribi, ipsiusque Ordinis statuta observare, ac habitum dicti Ordinis deferre, seque fratres et sorores dicti Ordinis appellare, ita quod si mulier virgo castitatem, vidua vero continentiam, coniugata tamen matrimonii iura, prout sancta Ecclesia praecipit, tempore earum ingressus inviolabiliter servare velle promitterent et observarent, tertiam partem suorum peccatorum in Domino relaxarunt; ac ipsa gloriosissima Dei genitrix semper virgo Maria, ipsorum confratrum seu religiosorum ac sororum animas, post eorum transitum, suis intercessionibus continuis piis suffragiis et speciali protectione adiuvabit. Quodque confratres ipsi gratiarum earumdem praedecessorum participes fieri volentes, horas canonicas, iuxta formam ab Alberto patriarcha dicto Ordini concessam et ordinatam, recitare; ignari vero literarum, diebus, quibus sancta Ecclesia ieiunare praecipit, ieiunare, necnon quarta feria et sabbato toto tempore vitae eorum, praeterquam die qua aliqua ex feriis praedictis Nativitatem Domini nostri Iesu Christi occurrere contigerit, a carnibus abstinere deberent.

Quodque alii etiam Pontifices fratribus et sororibus dicti Ordinis plura privilegia dederunt.

§ 2. Ac etiam nonnulli alii Romani Pontifices, etiam praedecessores nostri, quamplura et diversa privilegia, immunitates, exemptiones, praesertim quartam funeralium presbyteris saecularibus non solvendi, ac indulta, indulgentias et peccatorum remissiones ac gratias dicto Ordini, illiusque fratribus, monialibus, sororibus et utriusque sexus personis ac monasteriis monialium et domibus sororum eorumque ecclesiis et locis quibuscumque, etiam per modum extensionis seu communicationis, ac alias concesserunt, prout in diversis eorumdem praedecessorum literis desuper confectis dicitur plenius contineri.

Supplicavit Ordo pro confirmatione dictorum privilegiorum.

§ 3. Quare, pro parte generalis, provincialium, priorum, utriusque sexus confratrum praedictorum, asserentium, refrigescente in dies fidelium devotione, domus fratrum et sororum et monasteria huiusmodi non modica reparatione indigere, et propterea fideles ipsos ad temporalia bona pro huiusmodi reparatione concedenda spiritualibus donis et gratiis invitare oportere, ac ad id inducere necesse fore, nobis fuit humiliter supplicatum ut privilegia, indulta, immunitates, exemptiones et gratias ac alia praedicta approbare et innovare, et inviolabiliter observari mandare, illaque, pro potiori cautela, denuo concedere, de benignitate apostolica dignaremur.

Hic ideo Pontifex illa innovat, et observari mandat;

§ 4. Nos igitur dicti Ordinis, quem prae ceteris in visceribus gerimus charitatis, prosperum et tranquillum statum ac animarum salutem paterno zelantes affectu,

huiusmodi supplicationibus inclinati, Ioannis et Alexandri ac aliorum praedecessorum literas, ac per eosdem praedecessores, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, etiam non solvendi quartam funeralium presbyteris saecularibus (quoad fratres illorum in possessione quartam ipsam non solvendi existentes dumtaxat) [1], ac indulta, indulgentias, citra plenarias, peccatorum remissiones et gratias Ordini et illius fratribus, monialibus, sororibus et utriusque sexus confratribus et personis, domibus, monasteriis, ecclesiis et locis quibuscumque, etiam per modum extensionis seu communicationis et alias quomodolibet, etiam per nos et Sedem Apostolicam, concessa, quorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis haberi volumus, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et innovamus, ac perpetuae firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari debere.

Privilegiaque quaecumque aliarum Ordinum attribuit.

§ 5. Ipsosque fratres, moniales, sorores, personas, monasteria, domos et ecclesias et alia loca huiusmodi omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, indulgentiis (citra tamen plenarias), peccatorum remissionibus et gratiis, quibusvis congregationibus dicti et aliorum Ordinum, etiam Mendicantium, fratribus et personis ac confraternitatibus suae professioni non contrariis, aliisque Ordinibus quibuscumque, etiam non Mendicantium, quomodolibet concessis et concedendis in genere, uti, frui et gaudere posse atque debere in omnibus et per omnia, perinde ac si eis concessa fuissent, decernimus.

Et de novo concedit.

§ 6. Necnon, potiori pro cautela, ea omnia etiam de novo concedimus.

Fratres eximit a iurisdictione inquisitorum;

§ 7. Ipsinsque Ordinis fratres ab inquisitoribus haereticae pravitatis penitus eximimus, et sub nostra ac dictae Sedis protectione suscipimus, ac eisdem inquisitoribus, sub excommunicationis latae sententiae et officiorum suorum privationis poenis, districte inhibemus ne de dictis fratribus, etiam ratione criminis haeresis, quoquo modo se intromittere praesumant. Decernentes irritum et inane quidquid per eos scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Confratribus autem dat facultatem eligendi confessores, qui eos absolvant etc.;

§ 8. Omnibusque et singulis utriusque sexus confratribus et cuilibet eorum aliquem presbyterum idoneum saecularem vel cuiusvis Ordinis, etiam Mendicantium et de Observantia, regularem, in suum possint eligere confessorem, qui, vita eis comite, eos et eorum quemlibet a quibusvis, etiam maioris excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa pro tempore latis, et quibusvis, etiam pro tempore, irretiti fuerint, etiam si illorum absolutio Sedi praedictae specialiter vel generaliter (praeterquam per literas in Coena Domini legi solitas) reservata foret, ac quorumcumque votorum et iuramentorum necnon Ecclesiae praeceptorum transgressionibus; periuriorum, simoniae et homicidii mentalis vel casualis reatibus; manuum violentarum in quasvis personas ecclesiasticas, non tamen episcopos vel eorum superiores, de praeterito iniectionibus; ieiuniorum, horarum canonicarum, divinorum officiorum ac poenitentiarum iniunctarum in toto vel in parte omissionibus, omnibusque aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus propter quae Sedes praedicta merito consulenda foret, in casibus dictae Sedi qualitercumque reservatis (exceptis contentis in dictis literis Coenae Domini), semel in vita et in mortis articulo; de aliis vero dictae Sedi non reservatis casibus, toties quoties opportunum fuerit, eorum confessionibus dili-

[1] Videsis Conc. Trid., sess. XXV, *De Reform.* cap. XIII (R. T.).

genter auditis, absolvere, illisque pro commissis poenitentiam salutarem iniungere. Vota vero visitationis quaecumque (ultramarino, liminum beatorum Petri et Pauli apostolorum de Urbe ac Sancti Iacobi in Compostella, necnon Religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, et iuramenta quaecumque, sine tertii praeiudicio, relaxare; ac omnium eorum peccatorum, semel in vita et in mortis articulo, ut praefertur, etiam si tunc non subsequatur, plenariam remissionem et absolutionem, auctoritate apostolica impendere possit.

Utendique altari portatili, in quo celebretur etiam tempore interdicti 1;

§ 9. Liceatque omnibus et singulis utriusque sexus confratribus praedictis et cuilibet eorum habere altare portatile cum debitis reverentia et honore, super quo, in locis ad hoc congruentibus et honestis, etiam non sacris, et quavis, etiam apostolica, auctoritate interdictis seu tempore cessationis a divinis, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto seu cessationi, et per eos non stet quominus pareatur apostolico interdicto, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem seu circa meridiem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, in eorum praesentia, clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis et submissa voce, missas et alia divina officia per sacerdotes saeculares vel regulares huiusmodi celebrare, ac quocumque tempore Eucharistiam et alia sacramenta ecclesiastica a quocumque maluerint presbytero idoneo, et ubicumque, sine rectoris parochialis ecclesiae praeiudicio, recipere et administrare libere et licite valeant. Et si contingat eos vel eorum aliquem tempore interdicti huiusmodi ab humanis decedere, corpora eorum ecclesiasticae, cum aliqua honesta tamen funerali pompa, tradi possint sepulturae.

1 Circa observantiam interdicti, attende Concil. Trid., sess. XXV, *De Regular.*, cap. 12.

Stationes etiam ecclesiarum Urbis.

§ 10. Quodque singulis quadragesimalibus et aliis cuiuslibet anni temporibus et diebus stationum basilicarum et ecclesiarum almae urbis Romae, extra illius muros unam vel duas ecclesias, aut unum, duo vel plura altaria in partibus illis, ubi eos seu eorum aliquem residere seu quo declinare contigerit, quas vel quae ipsi vel quilibet eorum duxerint eligendas vel eligenda, devote visitando, tot et singulas ac similes indulgentias et peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, si singulis diebus easdem singulas dictae urbis et extra eam ecclesias pro stationibus huiusmodi deputatas personaliter visitarent.

Indulgentias concedit omnibus eleemosynas dantibus pro reparatione monasterior. etc.;

§ 11. Insuper etiam omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui pro monasteriorum et domorum reparatione ac fratrum huiusmodi sustentatione manus porrexerint adiutrices, ut supradictas indulgentias consequi possint et consequantur; omnibus vero et singulis aliis christifidelibus utriusque sexus, qui dictum Ordinem illiusque domos et monasteria, fratres, sorores, moniales huiusmodi suis eleemosynis et subsidiis pro tempore iuverint et manutenuerint, ut ipsi et quilibet eorum omnium precum, suffragiorum, eleemosynarum, ieiuniorum et orationum, missarum, horarum cononicarum, disciplinarum, peregrinationum et ceterorum spiritualium bonorum, quae pro tempore in universali sacrosanta Ecclesia militante fiant, in perpetuum participes fiant, et omnibus eius meritis gaudeant; ac omnibus aliis, qui gratiis eorumdem confratrum gaudere voluerint, aliquam eleemosynam sive caritatem, prout eis ac praesidentibus confraternitatum huiusmodi visum fuerit, dando et largiendo, gratiarum huiusmodi participes fiant, indulgemus.

Contrariis derogat;

§ 12. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti Ordinis statutis et consuetudinibus, etiam

iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate roboratis, necnon privilegiis et indultis et literis apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem praedictam, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine et cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, modificativis, praeservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis ac derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis quomodolibet, etiam pluries, concessis et confirmatis et innovatis, quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis et individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda aut exquisita forma servanda forent, et in eis caveatur expresso quod illis nullatenus derogari possit, illorumque omnium, necnon quarumcumque, etiam in forma brevis, literarum, occasione praemissorum quomodolibet confectarum, et quorumcumque in eis contentorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos et formas ad id servadans pro individuo servatas habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus, necnon omnibus illis quae praefati praedecessores in eorum literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 13. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius publici notarii subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptis credi iubet.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo, pridie idus augusti, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 12 augusti 1530, pontif. anno VII.

XXXIX.

Approbatio statutorum et ordinationum pro bono regimine collegii artium et medicinae magistrorum almae Urbis, cum praefinitione facultatum protomedici circa aromatariorum examen et medicinalium admissionem [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

In supernae dignitatis culmine, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti, ad ea per quae cunctorum fidelium, praesertim nobis immediate subiectorum, profectui, ac non solum animarum sed etiam corporum saluti valeat salubriter provideri, libenter intendimus; ac iis, quae propterea provide statuta et ordinata comperimus, ut illibata persistant, cum a nobis petitur, apostolici muniminis praesidium propensius impartimur. Prooemium.

§ 1. Dudum siquidem postquam felicis recordationis Sixto Papae IV, praedecessori nostro, pro parte tunc priorum et consiliariorum collegii artium et medicinae magistrorum almae Urbis nostrae, exposito quod, ad obviandum erroribus, qui in arte praedicta committebantur a plerisque, qui sibi nomen medici usurpabant, et periculis quae sequi poterant et sequebantur saepissime mortis, praesertim corporum humanorum, olim fuerat in dicto collegio proinde ordinatum quod curam masculus aut foemina christianus Statutum a collegio medicorum ne quis curam aliquam suscipiat corporis humani, nisi prius sit rite probatus ab eodem collegio, sub poena 25 ducatorum.

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

aut iudaeus, nisi magister vel licentiatus in medicina foret, vel saltem a priore dicti collegii generali protomedico et eius consiliariis examinatus, et pro perito in arte praedicta approbatus existeret, auderet humano corpori mederi in physica et chirurgia, in terris et dominiis sanctae Romanae Ecclesiae: et qui contra huiusmodi statutum et constitutionem faceret, plecteretur, pro qualibet vice, in ducatis vigintiquinque, quorum una accusanti, etiam secreto; alia officiali, qui executionem faceret; reliqua tertia partes collegio praedicto applicarentur.

Confirmatur a Sixto IV.

§ 2. Dictus praedecessor, tunc prioris, consiliariorum et collegii eorumdem supplicationibus inclinatus, ordinationem huiusmodi per quasdam observari mandaverat.

Statuit idem Pontifex ut aromatarii quoque [illegible] probarentur examine ab Urbis protomedico.

§ 3. Per eumdem praedecessorem accepto quod, ad obviandum periculis, non satis erat examinare medicos, nisi etiam aromatarii, qui eis etiam necessaria ministrabant, examinarentur, et eorum simplicia compositaque medicinalia considerarentur; idem praedecessor, motu proprio, per alias suas literas statuit quod nullus aromatarius aut quispiam alius ex tunc de cetero, tam in Urbe quam aliis civitatibus, terris et locis, sibi et sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, siruppos et medicinas, electuaria et alia medicinalia simplicia vel composita humanis corporibus exhibenda parare vel tenere praesumeret, nisi per eumdem priorem et protomedicum vel alium, cui ipse protomedicus in hoc vices suas duceret committendas, examinatus diligenter, idoneus repertus foret et approbatus, ac suis simplicibus et compositis exhibendis ab eodem protomedico desuper licentiam habuisset. Qui vero, absque licentia huiusmodi, aromatariae medicinalis exercitio se ingereret, aut simplicia vel composita, per eumdem protomedicum non approbata, tenere vel in medicinarum compositionibus immiscere praesumeret, toties quoties id faceret, similem poenam vigintiquinque ducatorum, ut praefertur applicandorum, eo ipso incurreret, statuit et perpetuo observari mandavit, prout in eisdem literis plenius continetur.

Deinde conditae leges nonnullae a dicto collegio super facultatib. protomedici etc.

§ 4. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum prioris et consiliariorum petitio continebat, ipsi moderni prior et consiliarii, pro salubriori artis huiusmodi exercitio, matura desuper inter eos deliberatione habita, nonnulla statuta et ordinationes, inter cetera, modum eligendi priorem et protomedicum, consiliarios et syndicos ac numerum magistrorum ipsius collegii, necnon potestatem collegii prioris et protomedici, etiam inter magistros; et quoad aromatarios, cancellarii, notarii et mandatarii eiusdem collegii officia, necnon modum ad magisterii gradum promovendi et magistros approbandi ac insignia dandi et iuramenta per protomedicum, consiliarios et graduandos praestanda, necnon votum doctorum collegii huiusmodi dandi et emolumenta percipiendi, necnon malos aromatarios castigandi, ac quibus humana corpora curare liceret, et alias debitum exercitium artis huiusmodi concernentia et disponentia, et alias salubria et honesta fecerunt et ediderunt, prout in eisdem statutis, quae in Camera Apostolica inspici et diligenter examinari, ac quorum tenores de verbo ad verbum inseri fecimus, plenius continetur.

Ea confirmari petitum a Clemente.

§ 5. Quare, pro parte eorumdem modernorum prioris et consiliariorum nobis fuit humiliter supplicatum ut statutis huiusmodi, pro illorum subsistentia firmiori, robur apostolicae confirmationis adiicere ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Praestat Clemens.

§ 6. Nos igitur, qui cunctorum, praesertim nobis subditorum, animarum salutem sinceris desideramus affectibus, modernos priorem etiam consiliarios praedictos et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tam per Sixtum praedecessorem quam modernos priorem et consiliarios praedictos, ut praefertur, edita statuta et ordinationes praedicta, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae firmitatis robur adiicimus, et ea in omnibus et per omnia firmiter observari debere decernimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Dati executores harum literarum.

§ 7. Et nihilominus praemissa omnia, prout per Sixtum praedecessorem ac modernos priorem et consiliarios praedictos statuta et ordinata fuerunt, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo statuimus et ordinamus, decernentes irritum et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis praesidentibus et clericis dictae Camerae, nunc et pro tempore existentibus, per apostolica scripta mandamus quatenus praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipsorum modernorum et pro tempore existentium priorum et consiliariorum collegii huiusmodi desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant praesentes literas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tolluntur.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolic., ac dictae Urbis, iuramento, confirmatione apostolica aut quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo, sexto idus septembris, pontificatus nostri anno VIII [1].

Dat. die 8 septembris 1530, pontif. anno VII.

XL.

Facultas militum et fratrum militiae Sancti Iacobi de Spatha testandi ac de eorum bonis disponendi [2].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ex apostolicae benignitatis officio, cunctorum fidelium, praesertim sub Religionis habitu militantium, circa dispositionem bonorum, quae viventes possident, honestis desideriis, quantum cum Domino possumus, libenter annuimus.

Praeceptores et fratres militiae S. Iacobi de Spatha de eorum bonis certo modo disponere possunt.

§ 1. Sane, carissimus in Christo filius Carolus, Romanorum imperator semper augustus, qui etiam Castellae et Legionis ac Aragoniae rex et militiae Sancti Iacobi de Spatha, sub Regula S. Augustini canonicorum regularium, perpetuus administrator, in spiritualibus et temporalibus, per Sedem Apostolicam deputatus existit, suo ac dictorum filiorum de Veles, Conchensis dioecesis, et S. Marci Legionis prio-

1 Legendum putamus *anno* VII (R. T.). 2 De hac militia et eius privilegiis notavi supra ad constit. IV, *Dum intra*, Hadrian. VI, pag. 13.

ratuum priorum necnon fratrum eiusdem militiæ nomine, nobis nuper exposuit quod, licet illius statuta et stabilimenta dictae militiae ac illi concessa privilegia et indulta apostolica praeceptores et fratres milites eiusdem militiae, de bonis sibi a Deo collatis ac propria cuiuslibet ipsorum industria, tam ex praeceptoriis quam ex parochialibus ecclesiis, cappellaniis et aliis beneficiis ipsius militiae acquisitis, certis modo et forma in illis expressis, de licentia magistri eiusdem militiae sive suorum superiorum, testari et de illis disponere possint.

Fratres non convent. clerici a Carolo V imperatore, dictae militiae administratore licentiam obtinuerunt auctoritatem disponendi de eorum bonis a Sede Apostolica impetrandi.

§ 2. Tamen cum fratres clerici non conventuales seu pro conventualibus non deservientes dictae militiae forsan in ipsis statutis et stabilimentis ac privilegiis et indultis expresse non nominentur, ipsi fratres clerici non conventuales seu pro conventualibus non deservientes, dubitantes se eisdem statutis et stabilimentis ac privilegiis et indultis gaudere posse, in capitulo generali praefatae militiae in oppido Vallisoleti, Palentinae dioecesis, novissime celebrato, eidem Carolo imperatori et administratori, tunc in imperatorem electo, humiliter supplicarunt ut liceret a Sede Apostolica licentiam et facultatem de bonis sibi a Deo collatis et sua industria acquisitis testandi impetrare; et praefatus Carolus imperator, administrator, habita desuper cum prioribus dictae militiae et aliis eiusdem consiliariis matura deliberatione, eisdem fratribus clericis non conventualibus seu pro conventualibus non deservientibus, sub conditionibus ac modo et forma infrascriptis, a dicta Sede Apostolica facultatem testandi huiusmodi petendi et obtinendi facultatem concessit.

Ideo dictus Carolus pro eis dictam auctoritatem ab isto Pontifice petiit.

§ 3. Quare dictus Carolus imperator, suo ac priorum et fratrum militiae huiusmodi nominibus praedictorum, nobis humiliter supplicavit ut eisdem fratribus clericis non conventualibus seu pro conventualibus non deservientibus, de bonis suis, ut praefertur, testandi licentiam concedere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic modo Pontifex auctoritatem concedit dandi licentiam praedictis clericis testandi et disponendi de bonis suis, iuxta formam hic praescriptam.

§ 4. Nos igitur priores et fratres clericos non conventuales seu pro conventualibus non deservientes præfatos ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis *etc.*, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Veles et Sancti Marci prioratuum praedictorum prioribus nunc et pro tempore existentibus et cuilibet eorum, ut de consilio alicuius ex antianis monasterii in quo dicti fratres clerici non conventuales seu pro conventualibus non deservientes professionem emiserint, eisdem fratribus clericis non conventualibus seu pro conventualibus non deservientibus licentiam et facultatem de quibuscumque bonis per eos, tam ratione prioratuum aliorumque beneficiorum quorumcumque, pariterque saecularium, aut aliorum quam dictae militiae Ordinum, quam alias undecumque sua industria licite acquisitis testandi et de illis disponendi, sic tamen quod quilibet ex eisdem fratribus non conventualibus seu pro conventualibus non deservientibus, universorum bonorum, iurium, actionum et pertinentiarum suarum singulis annis alteri de Veles et Sancti Marci prioribus pro tempore existentibus inventarium dare teneantur. Necnon quod licentia huiusmodi testandi, per eosdem priores concedenda, per triennium et non ultra duret; quo elapso, ipsi fratres clerici non conventuales seu pro conventualibus non deservientes licentiam huiusmodi de novo repetere singulis trienniis teneantur. Et si ex negligentia seu malitia fratres ipsi clerici non conventuales seu pro conventualibus non deservientes, inventarium bonorum suorum, ut praefertur, dictis prioribus dare neglexerint aut recusaverint, licentia huiusmodi per eos obtenta ac inde sequuta nullius sit roboris vel momenti, neque in aliquo

suffragentur; quodque dictis fratribus clericis non conventualibus seu pro conventualib. non deservientibus, obtenta licentia huiusmodi, in omnibus et per omnia succedere debeat, prout hactenus succedere consuevit. Et quod ipsi fratres clerici non conventuales seu pro conventualibus non deservientes (licentia huiusmodi per eos obtenta) in suis testamentis, codicillis seu ultimis voluntatibus, a quibusvis dispositionibus per eos de bonis suis pro tempore factis et conditis ac faciendis et condendis, quintam partem omnium et singulorum bonorum, iurium et actionum suarum, deductis debitis et oneribus, conventui monasterii, in quo professionem fecerint; reliquas vero partes bonorum huiusmodi quibusvis personis sibi gratis et acceptis, non tamen filiis seu nepotibus ex damnato coitu procreatis, neque adulteris sive inhonestis aut quarum conversatio a iure sit eis prohibita mulieribus relinquere possint et valeant, concedendi et elargiendi plenam et liberam auctoritatem, apostolico tenore praesentium, cum ad hoc praefati Caroli imperatoris et administratoris expressus accedat assensus, auctoritatem et facultatem concedimus.

Limitatio dictae facultatis. § 5. Decernentes praefatos priores fratribus pro conventualibus, tam de Veles et Sancti Marci huiusmodi, quam sancti Iacobi de Spatha Hispalensis et B. Mariae de Tudia ac de Villar de Donas et Sancti Monii de Vega ac aliorum conventuum dictae militiae, sive praesentibus et residentibus sive absentibus, licentiam huiusmodi concedere nullo modo posse, et sic per quoscumque iudices *etc.*

Derogatio contrariorum. § 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dictae militiae, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, stabilimentis, usibus et naturis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo primo, decimo octavo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 15 decembris 1531, pontif. anno IX.

XLI.

Annatae de beneficiis vel pensionibus ecclesiasticis annuum valorem XXIV ducatorum non excedentibus, non debentur reverendae Camerae Apostolicae.

Clemens episcopus servus servorum Dei, motu proprio, etc.

Causa huius constitutionis. Cum, sicut nobis innotuit, licet, ratione fructuum beneficiorum ecclesiasticorum, valorem annuum vigintiquatuor ducatorum auri, de communi aestimatione, non excedentium, annatae Camerae Apostolicae non debeantur, nec solvi aut exigi consueverint, et minus ratione pensionum quantitatem vigintiquatuor ducatorum auri similium non excedentium, annatae aliquae retroactis temporibus exactae aut solutae fuerunt; nihilominus a certo tempore citra, praesidentes dictae Camerae et alii officiales Romanae Curiae, ad quos exactio annatarum pertinet, sub praetextu quod in provisionibus et aliis dispositionibus beneficiorum ecclesiasticorum, super quorum fructibus *etc.*, valorem vigintiquatuor ducatorum excedentibus, aliquae pensiones annuae, cuiuscumque, etiam minoris quantitatis vigintiquatuor ducatorum, reservatae existunt, illorum medietas deduci ac defalcari consueverit, annatas ex pensionibus quantitatem octo ducatorum excedentibus, et vigintiquatuor non excedentibus aut attingentibus, de facto exegerint et exigunt.

Declaratio de qua in rubrica. § 1. Nos, qui unicuique in iustitia debitores sumus, super iis congruis remediis providere volentes, ac ratione pensionum, quarum quantitas vigintiquatuor ducatorum auri de Camera valorem non excedit,

nullas annatas Camerae aut officialibus praedictis deberi declarantes, ex certa nostra scientia et deliberatione statuimus quod de cetero, ex quibusvis pensionibus quantitatem vigintiquatuor ducatorum huiusmodi non excedentibus, nulla annata quovis praetextu exigatur, nec per illos, quibus pensiones ipsae resignatae fuerint, solvatur neque solvi debeat, sic tamen quod in pensionibus et aliis dispositionibus beneficiorum, super quorum fructibus similes pensiones annuae minoris quantitatis vigintiquatuor ducatorum et quantitatem vigintiquatuor ducatorum similium non excedentes resignatae fuerint, ex talibus pensionibus nihil deduci debeat.

Poenae contravenientium. § 2. Districtius inhibentes Camerae praesidentibus ac aliis officialibus praedictis, sub excommunicationis et a perceptione emolumentorum officiorum suorum ad nostrum et Apostolicae Sedis beneplacitum suspensionis in eorum singulos latae sententiae poenis, ne de cetero, ratione huiusmodi pensionum quantitatem vigintiquatuor ducatorum non excedentium, aliquas annatas quovis praetextu exigere, seu quominus literae resignationis illarum expediantur impedire vel differre quoquomodo praesumant; alioquin literas ipsas tam per Cancellariam quam per Cameram Apostolicam, per eos ad quos literarum expeditio pertinet, absque manuum illorum appositione libere expediri posse decernimus, ac ad id eis liberam facultatem concedimus.

Clausulae derogatoriae. § 3. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi. § 4. Volumus autem quod praesens mandatum ad hoc quod ad plenam et indubitatam notitiam deveniat, in Cancellaria Apostolica, more solito, publicetur, et in quinterno Cancellariae, ad perpetuam rei memoriam, describi debeat.

Placet, et ita motu proprio mandamus. I.

(Papae subscriptio).

Publicatio. Lectum et publicatum fuit suprascriptum mandatum Romae in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo secundo, die vero martis, trigesima mensis ianuarii, pontificatus DD. Clementis, divina providentia Papae VII, anno IX.

Pub. die 30 ianuarii, pont. an. IX.

XLII.

De officio vice-cancellariatus Papae, cum annexione curae et tituli S. Laurentii in Damaso de Urbe [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Etsi ad singula Romanae Ecclesiae officia et administrationes, pro illorum et eiusdem Ecclesiae ac Romanae Curiae illiusque curialium et officialium felici, tranquillo et prospero successu ac decore, intendere, ex commisso nobis pastorali officio, teneamur, ad vice-cancellariatus tamen officium oculum nostrum et pro tempore existentis Romani Pontificis dexterum nostrae circumspectionis intuitum propensiori cura et studio nos providere debere, convenire arbitramur, ut illius regimini minister idoneus, per cuius solertiam, felicibus, dante Domino, proficiat incrementis, deputetur, et pro tempore deputatus, ecclesiae titulo et honore condigno decoretur; ipsumque officium cum decentia et tranquillitate ac curialium et officialium eorumdem commoditate et utilitate exerceatur, et quae illius perturbationem quoquomodo adducere possent, de medio submoveantur.

Collatio vice-cancellariatus, de qua in rubrica. § 1. Sane ecclesia S. Laurentii in Damaso de Urbe, quae titulus presbyteri cardinalis existit et cui praesidebat, ac officio

[1] Hoc officium antiquissimum est; vide Martini V constitutionem IV, *In Apostolicae*, tom. IV, pag. 679.

vice-cancellariatus praedicto, quod obtinebat bonae memoriae Pompeius, tituli S. Laurentii in Damaso presbyter cardinalis, eiusdem Romanae Ecclesiae vice-cancellarius dum viveret, per obitum eiusdem Pompei cardinalis et vice-cancellarii, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, vacantibus, nos considerantes ipsius officii dignitatem, excellentiam et auctoritatem; et quod illud a memoria hominum citra per vice-cancellarium temporalem rectum et gubernatum non extitit, sed semper vice-cancellarium perpetuum habuit; ac quod, pro tanti officii regimine et exercitio, et ne incommoda, quae ex rerum a suo solito et destinato cursu mutatione evenire solent, proveniant, decens et plurimum commodum fore dignoscitur ut dicta ecclesia S. Laurentii, cum illius palatio seu domo et membris, in eiusdem Romanae Ecclesiae vice-cancellarium pro tempore assumpto, pro eius proprio titulo seu propria denominatione, concedatur et assignetur, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris dictae Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, cum maxime expediat nobis talem in vice-cancellarium nostrum et Apostolicae Sedis assumere, de quo confidere quam maxime possimus, et nullum alium cardinalem de quo magis confidere possimus quam dilectum filium Hippolytum S. Praxedis diaconum cardinalem, de Medicis nuncupatum, secundum carnem nepotem nostrum, habeamus; ac spem in Domino geramus quod idem Hippolytus cardinalis, cuius personam ingenii claritate, singulari providentia, eximia probitate, aliisque multiplicum virtutum donis, ac gratiarum muneribus, illarum largitor decoravit Altissimus, gratia sibi assistente divina, per eius circumspectionem, industriam et studium fructuosum ac innatam benignitatem, tam ecclesiam S. Laurentii quam officium huiusmodi summa cum providentia et fidelitate ac exacta diligentia salubriter regere et fideliter gubernare studebit, de ipsorum fratrum consilio, ad honorem et gloriam dictae Romanae Ecclesiae, necnon ecclesiae Sancti Laurentii et officii huiusmodi prosperum regimen et salubrem directionem, ecclesiam S. Laurentii, cum illius palatio, domibus, membris, iurisdictionibus, collationibus ac aliis dispositionibus beneficiorum ecclesiasticorum ac iuribus et pertinentiis suis universis, necnon vice-cancellariatus officium huiusmodi, sive ut praemittitur sive alias quovis modo, quem praesentibus haberi volumus pro expresso, aut ex alterius cuiuscumque persona vacaret, similiter cum omnibus et singulis ipsius officii honoribus, oneribus, privilegiis, facultatibus, praerogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, iuribus, obventionibus et emolumentis debitis et consuetis, eidem Hippolyto cardinali, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et assignamus; ipsumque Hippolytum cardinalem eidem ecclesiae Sancti Laurentii in diaconum cardinalem praeficimus, ac in dictae Romanae Ecclesiae vice-cancellarium assumimus, creamus, constituimus et deputamus. Sibique curam, regimen et administrationem ecclesiae Sancti Laurentii in spiritualibus et temporalibus, necnon officii huiusmodi, cuius ratione ab ipso Hippolyto cardinali fidelitatis debitae solitum recipiemus iuramentum; et quod etiam per regentem et alios ministros, prout alii praefatae Romanae Ecclesiae vice-cancellarii, qui pro tempore fuerunt, facere consueverunt, etiam facere et exercere posse volumus, liberum exercitium plenarie committimus; ac eisdem auctoritate ac tenore statuimus et ordinamus quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, ecclesia ipsa S. Laurentii dictae Romanae Ecclesiae episcopo aut presbytero seu diacono cardinali, cui officium ipsum vacans concedi contigerit, pro eccle-

siae titulo seu pro eius denominatione, eo ipso, absque alio iuris vel hominis ministerio, dicta auctoritate concessa et assignata, et ipse eidem ecclesiae S. Laurentii praefectus sit et esse censeatur; ita quod liceat eidem Hippolyto et pro tempore ad dictum vice-cancellariatus officium assumpto, per se vel alium seu alios, ecclesiae Sancti Laurentii ac palatii seu domus, membrorum, iurisdictionum, iurium et pertinentiarum praedictarum corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere et retinere, illamque regere et gubernare, et alia facere et exercere, quae presbyteri seu diaconi cardinales, qui illi pro tempore praefuerunt, facere potuerunt et debuerunt.

Cum omnibus privilegiis et facultatibus consuetis.

§ 2. Ipsique Hippolyto cardinali et vicecancellario, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indultis, concessionibus et gratiis, nobis, dum in minoribus constituti illud obtineremus, et cuicumque alteri dictae Romanae Ecclesiae vice-cancellario, ratione officii vicecancellariatus huiusmodi, aut nostrae vel illius personae intuitu, et alias quomodolibet, tam in genere quam in specie, concessis, quorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter ac de verbo ad verbum insertos habemus, et quicumque alius eiusdem Romanae Ecclesiae vice-cancellarius utebatur, potiebatur et gaudebat, ac uti, potiri et gaudere poterat, uti, potiri et gaudere libere et licite valeat, indulgemus.

Hortatio ad fidelem et utilem administrationem.

§ 3. Quocirca eidem Hippolyto cardinali per apostolica scripta mandamus quatenus impositum sibi onus regiminis et administrationis ecclesiae Sancti Laurentii ac officii vice-cancellariatus huiusmodi prompta devotione suscipiens, curam, regimen et administrationem ecclesiae S. Laurentii ac officium huiusmodi, iuxta datam sibi a Domino providentiam, sic exercere studeat solicite, fideliter et prudenter, quod ecclesia et officium praedicta gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeant se commissa, et optati fructus, quos speramus, succedant; ipseque Hippolytus cardinalis, praeter aeternae retributionis praemium, nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi mereatur.

Capitulum S. Laurentii

§ 4. Necnon dilectis filiis capitulo et clericis ipsius ecclesiae Sancti Laurentii, ut eidem Hippolyto cardinali et vice-cancellario in omnibus et per omnia pareant et obediant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observari.

Officialesque Cancellariae ei pareant.

§ 5. Ac omnibus et singulis ipsius Cancellariae officialibus et aliis, ad quos pertinet, ut ipsum cardinalem Hippolytum ad dictum vice-cancellariatus officium recipiant et admittant, eique, tamquam vero dictae Romanae Ecclesiae vice-cancellario, in omnibus ad officium ipsum spectantibus similiter pareant et obediant, ac de iuribus, obventionibus et emolumentis consuetis integre respondeant. Non obstantibus constitutionibus *etc.*

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo secundo, die v iulii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 iulii 1532, pontif. anno IX.

XLIII.

Approbatio congregationis fratrum Minorum S. Francisci strictioris Observantiae nuper institutae, et ordinationes pro eorum bono regimine [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In suprema militantis Ecclesiae specula, licet immeriti, disponente Domino, consti-

1 De totius autem Ordinis S. Francisci materia plene notavi in constitutione LXVII Honorii III, *Solet*, tom. III, pag. 394.

tuti, inter multiplices nobis, ex debito pastoralis officii, incumbentes curas, illa potissimum premimur, ut qui sub voluntariæ paupertatis habitu militantes, in humilitatis spiritu devotum et sedulum Altissimo impendere satagunt famulatum, non solum ad id, sublatis impedimentis, intendant, verum etiam id eo ardentius efficiant, quo maiores sibi viderint exhiberi commoditates. Et ex hoc fit ut quae antea ex rationabilibus causis a praedecessoribus nostris ordinata videbantur, ea interdum reformemus et in melius ordinemus, prout, iuxta temporum et personarum qualitatem, id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Leo X multos fratres univit sub denominatione regularis observantiae.

§ 1. Sane, postquam felicis recordationis Leo Papa X, praedecessor noster, ex certis tunc expressis causis, voluerat et declaraverat sub nomine Reformatorum ac pure et simpliciter Regulam B. Francisci Observantium comprehendi omnes et singulos Observantes, tam de Familia quam Reformatos sub ministris, et fratris Amadei, de Colletanis, Clarenis, de S. Evangelio seu de Caputio ac Discalceatos nuncupatos aut alios similes, quocumque alio nomine nuncuparentur, et Regulam B. Francisci huiusmodi pure et simpliciter observarent, ex quibus omnibus unum corpus insimul efficiens, eosdem ad invicem perpetuo univerat, ita quod deinceps, omissa diversitate nominum praedictorum, fratres Minores Sancti Francisci regularis observantiæ simul vel disiunctive nuncuparentur et nuncupari possent et deberent. Omnesque, ut praefertur, unitos generali et provincialibus ministris et custodibus dicti Ordinis, in quorum provinciis et custodiis respective morabantur, in omnibus et per omnia, secundum Regulam eamdem, subiici deberent.

Postea nonnulli strictius Regulam Sancti Francisci observare coeperunt in maximum animarum profectum.

§ 2. Cum nonnulli ipsius Ordinis professores, sicut fideli relatione percepimus, Spiritu Sancto inflammati[1], beati Francisci pure et plene, iuxta illius literam et declarationes bonae memoriae Nicolai III ac Clementis V, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, firmiter observare; nos, qui in sinceris eorum conscientiis delectamur, quique ab ineunte aetate ad huius Ordinis professores et Ordinem ipsum singularem gessimus devotionis affectum, nunc autem ex communi cura pastoralis regiminis, quam immeriti sustinemus, ad ipsos fovendos dulcius, et gratiosis favoribus attente prosequendos tanto provocamur ardentius quanto intenta mente frequentius cogitamus fructus uberes, quos ex Regulae praefatae arctiori observantia ipsi Religioni et toti universitati Ecclesiae speramus proventuros. Attendentes etiam quod in his, quae animae salutem respiciunt, ad vitandos gravantes remorsus, pars securior est tenenda. Igitur tam pia et ferventi fratrum praedictorum intentione commoti, ad peragendum diligentius quod ab eisdem desideratur, studia nostra duximus convertenda.

His ideo Pontifex loca commoda assegnari mandat.

§ 3. Habita igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus ac aliis de ipso Ordine ad plenum informatis matura deliberatione, de eorumdem cardinalium unanimi consilio, his nostris in perpetuum valituris statuimus et ordinamus ac, in virtute sanctae obedientiae districtius praecipiendo, mandamus quod praedictis fratribus, dictam strictiorem observantiam desiderantibus, per praefatos generalem et provinciales ministros ceterosque dicti Ordinis praelatos et quemlibet ipsorum, cui vel quibus hae nostrae vel earum transumpta praesentata fuerint, assignentur loca, quantum fieri poterit contigua, quatuor vel quinque, iuxta numerum fratrum eorumdem. Et si in futurum plures fratres voluerint se vitae praecedentium conformare, et ab eis acceptati fuerint, nullus eos impedire pos-

1 Post verbum *inflammati*, ita pergit legere Waddingus: *ut beati Francisci alumni et veri filii afficient Regulam ipsam beati Francisci pure et plene, iuxta eius literam et declarationem bonae memoriae* etc. (R. T.).

set, sed magister provinciae cum definitoribus in provinciali capitulo teneantur alia loca, quantum possibile fuerit contigua praedictis, eis assignare et prioribus addere. Quae quidem loca fratres praedicti expropriare possint superfluis et pretiosis, et ea in utilia et necessaria commutare, mediante syndico a Nicolao tertio [1] praedecessore nostro ordinato.

Minister generalis et alii hanc strictiorem observantiam impedire prohibentur.

§ 4. Et generalis ac provinciales ministri et eorum commissarii non possint impedire praedictos a dicta strictiori observantia ipsius Regulae, iuxta praedictas declarationes Nicolai et Clementis, nec a suo bono modo vivendi, quem inter se, pro dicta arctiori observantia, ordinaverint. Nec etiam impediant quin vilioribus et repetiatis induantur, et quin nudis pedibus ambulent, sed qui non potuerint, portent calopodia, ut ceteris conformentur.

Forma habitus sit consimilis.

§ 5. Forma autem habitus et caputii sit in ceteris dictae Observantiae fratribus conformis.

Recipiendi quo modo ac recipiendi.

§ 6. Volumus etiam quod fratres recipiendi seu vestiendi per fratres in dicta strictiori observantia viventes, examinentur iuxta Regulam per ministrum provincialem, et ab ipso, cum consilio ipsorum, acceptentur. Nec possint quicumque dicti Ordinis praelati, sine praefatorum fratrum consensu, ad loca praedicta mittere alios fratres, nec praedictos ab ipsis locis amovere, nisi ipsi petierint. In provincialibus vero capitulis removeantur per ministros provinciales et definitores a locis praedictis illi fratres, quos custos ut infra eligendus, cum consensu maioris partis vocalium dictorum locorum, duxerit amovendos.

Custodem habeant isti reformati in singulis provinciis.

§ 7. Insuper statuimus quod praedicti fratres, in dicta strictiori observantia vivere volentes, habeant in singulis provinciis, ubi fuerint, custodem unum ex ipsis, quem sibi ipsi petierint, a ministro provinciali vel ab eo qui præest capitulo, simul cum definitoribus, confirmandum et assignandum.

Potestas eius designatur.

§ 8. Qui habeat absolutam potestatem plenarie in hoc tantum, ut fratres praedictos visitet, moneat, corrigat ac manuteneat in dicta strictiori observantia Regulae, ordinationum et gratiarum, eis a nobis et successoribus nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus et ministris generalibus concessarum et concedendarum in futurum, et in dicto suo bonomodo vivendi. Nec propter hoc impediatur minister provincialis quin visitare possit eosdem et corrigere delinquentes. Qui etiam custos ire possit ad capitulum generale, cum ministro provinciae, ad intimandum necessitates et opportunitates dictorum fratrum.

Vocales in capitulis qui.

§ 9. Ordinamus etiam quod custos, guardiani et discreti praedictorum locorum vadant ad capitula provincialia, in quibus habeant vocem activam et passivam, sicut ceteri vocales.

In capitulis quae peragenda.

§ 10. In quibus capitulis custos praedictus praesentet ministro provinciali et definitoribus fratres idoneos ad officium guardianatus, ex quibus tantum fiant guardiani supradictorum locorum. Possit etiam idem custos, infra annum, cum consensu maioris partis conventus singuli, removere guardianum ab eius officio, et alium substituere, quem minister provincialis confirmet.

Custodis officium triennio expletur etc.

§ 11. Custos vero possit a fratribus prædictis eligi [1] usque ad triennium. Quo custode infra annum decedente, guardiani dictorum locorum alium, quem sibi viderint expedire, petant a ministro vel eius commissario confirmari et assignari, quem minister ipse sive eius commissarius benigne confirmet et assignet. Possit quoque dictus custos, si fratribus eisdem expediens visum fuerit, esse guardianus unius dictorum locorum.

1 Waddingus legit *quarto* (R. T.).

1 Wadd. legit *reeligi* (R. T.).

Observantiam praecipit Papa huius bullae;

§ 12. Si igitur ministri provinciales vel eorum commissarii his praedictis contravenerint, sive alicui eorum, immediate fratres praedictorum locorum subiiciantur ministro generali; et si, quod absit, minister generalis praedictus eos impedire tentaverit, vel eis in praemissis aut in aliquo praemissorum favere neglexerit, volumus praefatis fratribus ad Apostolicam Sedem et ad totius Ordinis protectorem liberum patere recursum, a quo si quis eos impedire praesumpserit, sententiae excommunicationis, quam ex nunc, prout ex tunc, ferimus in his scriptis, illico subiacere, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus et promulgamus.

Executores deputat;

§ 13. Quocirca moderno et pro tempore existenti Camerae Apostolicae generali auditori, necnon universis patriarchis, archiepiscopis, episcopis et ecclesiarum praelatis ac quibuscumque in dignitate ecclesiastica constitutis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi et eorum singuli praesentes nostras literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum fratrum supradictae strictioris observantiae seu alicuius eorum super hoc requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eosdem omnibus et singulis praedictis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, quomodolibet indebite molestari, vel quovis quaesito colore vel ingenio, directe vel indirecte, perturbari aut aliter quomodolibet inquietari, contradictores quoslibet per censuras ecclesiasticas et alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulas derogatorias apponit;

§ 14. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ipsius Leonis decimi et quorumcumque aliorum praedecessorum nostrorum literis, etiam Bulla Aurea, Mari Magno vel aliis quibuscumque, dictique Ordinis statutis, privilegiis et indultis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, etiam in forma brevis, etiam anno praesenti vel sub quibuscumque verborum formis, solemnitatibus, clausulis, etiam insolitis et quantumcumque fortissimis, dicto Ordini vel quibuscumque praelatis eiusdem concessis vel concedendis in futurum, etiam si tales forent quod, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio habenda foret, quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro plene et sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 15. Ceterum, quia difficile foret *etc.* Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo secundo, sextodecimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 16 novembris 1532, pontif. anno IX.

XLIV.

Extensio ad fratres Iesuatos S. Hieronymi omnium gratiarum et indultorum Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis congregationi S. Hieronymi Iesuatorum nuncupatis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sacrae Religionis sinceritas, in qua sub voluntariae paupertatis habitu militantes,

in humilitatis spiritu, devotum et sedulum impenditis Domino famulatum, necnon piae vitae, sub qua degitis, observantia promerentur ut petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, grato admittentes affectu, vos condignis privilegiis decoremus et gratiis.

Congregatio supplicat pro concessione gratiarum Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini cuius Regulam profitetur

§ 1. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat quod, postquam felicis recordationis Iulius Papa II, praedecessor noster, ex certis tunc expressis causis, fratres tam tunc existentes congregationis S. Hieronymi Iesuatorum nuncupatae, quam illam pro tempore ingredientes, professionem per religiosos Ordinis S. Augustini emitti solitam expresse emittere, et in eorum habitu et statu, in quibus tunc existebant, remanere, ac sub eorum regularibus institutis vivere tenerentur statuerat et ordinaverat, vos professionem per religiosos Sancti Augustini huiusmodi emitti solitam, expresse emittere consuevistis. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum ut vobis propterea omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, praerogativis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis et indultis, Ordini fratrum Eremitarum eiusdem Sancti Augustini concessis, uti, potiri et gaudere possitis et debeatis, concedere, ac alias vobis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic autem Pontifex gratias, immunitates et indulta omnia Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini communicat eidem congregationi;

§ 2. Nos igitur, ut divinis obsequiis eo attentius insistatis, quo ampliori Apostolicae Sedis ubertate noveritis vos foveri, vos et vestrum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati estis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis quod omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, praerogativis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis et indultis Ordini Eremitarum Sancti Augustini huiusmodi ac illius professoribus, tam in spiritualibus quam in temporalibus, in genere, etiam communicative, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, aut pro talibus habitos, ac Sedem praefatam hactenus quomodolibet concessis ac in posterum concedendis, et quibus professores huiusmodi, tam in vita quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissionem et iniunctarum poenitentiarum relaxationem aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, quae omnia, ac si hic nominatim exprimerentur, pro expressis haberi volumus, perpetuis futuris temporibus, utamini, potiamini et gaudeatis, ac uti, potiri et gaudere, necnon illorum omnium participes esse possitis et debeatis, concedimus; ac privilegia, indulgentias, praerogativas, exemptiones, immunitates, gratias et indulta Ordini fratrum Eremitarum et illius professoribus huiusmodi, tam in spiritualibus quam in temporalibus, in genere, quam etiam communicatione [1] concessa, ut praefertur, ad vos et fratres vestros extendimus et ampliamus, ac in vobis locum habere et suum plenarium effectum in omnibus et per omnia, absque ulla prorsus differentia, sortiri debere; necnon privilegiorum, indulgentiarum, praerogativarum, exemptionum, immunitatum, gratiarum et indultorum eidem Ordini Eremitarum ac illius professoribus, ut praefertur, concessorum originalibus literis aut transumptis authenticis, pro parte vestra ac in favorem vestrum adducendis vel exhibendis, indubiam et eamdem fidem, quae eis, si in favorem vestrum a Sede Apostolica emanassent et vobis fuissent imme-

[1] *Communicative* Cherub. (R. T.).

diate concessa, adhiberetur, in iudicio et extra adhiberi debere decernimus, statuimus et declaramus.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus *etc.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Bononiae, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimotertio, pridie kalendas februarii, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 31 ianuarii 1533, pontif. anno x.

XLV.

Approbatio congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati, in communi viventium, triaque vota substantialia emittentium, in dioecesi Mediolanensi, et sub ordinarii obedientia degentium.

Clemens Papa VII, dilectis filiis Bartholomaeo Ferrario et Ant. Mariae Zaccariae, presbyteris Mediolanensi et Cremonensi.

Exordium.

Vota, per quae vos in humilitatis spiritu perennis vitae praemii digniores effici, vestraeque et aliorum animarum saluti consulere possitis, libenter ad exauditionis gratiam admittimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Quidam probi viri, quietius religiose vivere volentes, supplicarunt Papae, pro licentia emittendi tria vota substantialia et insimul permanenti.

§ 1. Exponi siquidem nobis fecistis quod vos cum tribus aliis vestrae voluntatis sociis, ut liberius divinis beneplacitis insistere et quae Dei sunt perquirere possitis, cupitis professionem trium votorum substantialium Religionis in manibus venerabilis fratris archiepiscopi Mediolanensis seu eius in spiritualibus vicarii generalis emittere, et insimul in aliquo loco civitatis seu dioecesis Mediolanensis, per vos eligendo, morari et permanere. Quare nobis fecistis humiliter supplicari ut piae vestrae intentioni huiusmodi paterne annuere de benignitate apostolica dignaremur.

Qui petitam licentiam eis concedit, dummodo vivant in communi et sub obedientia ordinarii;

§ 2. Nos, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis et vestrum singulis, ut professionem ipsam in eiusmodi archiepiscopi seu vicarii; qui vero de cetero ad vos converti voluerint, in alterius vestrum seu praepositi vestrae congregationis pro tempore existentis manibus, professionem trium votorum eorumdem emittere, et insimul, sub obedientia tamen ordinarii, loco per vos eligendo cohabitare ac in communi vivere.

Et etiam condendi statuta pro eorum salubri statu.

§ 3. Necnon, pro vestro et rerum vestrarum salubri statu et directione, quaecumque statuta et ordinationes rationabilia et honesta ac sacris canonibus non contraria condere et facere; illaque, ut vobis pro temporum qualitate expedire videbitur, mutare et in totum tollere, aliaque illorum loco de novo facere libere et licite valeatis.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 4. Apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, apostolica auctoritate, tenore praesentium, de specialis dono gratiae concedimus et indulgemus, eisdem praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Bononiae, sub annulo Piscatoris, die XVIII februarii MDXXXIII, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 18 februarii 1533, pontif. anno x.

XLVI.

Gratiae et privilegia congregationis Regularium, qui Theatini nuncupantur [1].

Clemens Papa VII, venerabili fratri Petro episcopo Theatino ac dilectis filiis presbytero Vicentino et eorum sociis ac successoribus, Clericis Regularibus nuncupatis.

Exordium.

Dudum pro parte vestra nobis exposito *etc.* [2].

1 De institutione huius congregationis aliisque eius privilegiis, vide supra in constitutione x, *Exponi*, pag. 75, ubi notavi. 2 Residuum est supra, pag. 75, ubi notavi.

Cum congregatio studiis, praedicationibus et confessionibus vacare iam decrevisset,

§ 1. Et deinde nobis, etiam pro parte vestra, exposito quod vos, sub trium votorum substantialium emissione, vitam clericalem pie ducere, ac praedicationi verbi Dei, audientiae confessionum et sacrae theologiae ac sacrorum canonum studiis, ad vestrarum et aliorum christifidelium animarum profectum, vacare decreveratis.

Hic Pontifex facultatem eorum praeposito super recitatione officiorum et super lectionibus dispensandi, etc. concedit.

§ 2. Nos vestris, etiam tunc, supplicationibus inclinati, vobis ut superiores vestri, praepositi nuncupati, pro tempore existentes, cum clericis et sociis suis, qui in supradictis pietatis operibus, aut studio literarum sacrarum occuparentur, seu infirmitate aut infirmorum curatione et ministerio pro tempore praepedirentur, super recitatione divinorum officiorum, ad hoc ut ipsi occupati vel impediti, certum psalmorum per ipsos superiores eis assignandorum numerum, non minus septem aut sex, cum divisione, ac Orationem Dominicam septies, Symbolum Apostolorum bis; graviter autem aegrotantes, Orationem Dominicam semel, et Salutationem Angelicam septies in die recitando, septem horis canonicis et toti divino officio satisfecisse censerentur; et cum quibusvis clericis et sociis vestris in praeveniendo vel postponendo, veniendo vel decidendo [1] in communi vel speciali horas canonicas, ac in breviandis et protelandis lectionibus.

Et super ieiuniis

§ 3. Necnon super ieiuniis, etiam de praecepto, etiam quadragesimalibus et cum concessione vespertini ientaculi, collationis nuncupati et comestionis, etiam panis, in eis licite et absque praevaricatione faciendae, dispensare possint per alias.

Et absolutione in confessionibus dandas censuris;

§ 4. Et postremo, ut vos inter vos, mutuas, seu etiam alii sacerdotes saeculares vel regulares, a vobis, de superiorum vestrorum aut Sedis Apostolicae licentia, ad hoc pro tempore eligendi, vestras, ac vos eorum confessiones audientes, absolutionibus hac forma uti possetis et illi possent, videlicet post *Misereatur* etc., et *Indulgentiam* etc. *Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego auctoritate Ipsius et beatorum apostolorum Petri et Pauli, mihi concessa, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis et interdicti, et dispenso tecum in omni irregularitate, quam quomodocumque incurristi, et restituo te sanctis sacramentis Ecclesiae unionique et participationi fidelium. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Iterum, eadem auctoritate, *etc.*, per alias........., nostras in forma brevis literas, ad hoc ut dicta forma in absolutionibus, non solum cum sacerdotibus, sed etiam cum aliis clericis et laicis vestrae congregationis pro tempore existentibus, vobis pro tempore confitentibus, uti possetis, extendimus et ampliavimus, auctoritate apostolica in perpetuum concessimus et indulsimus, prout in illis plenius continetur.

Et modo praedicta confirmat, et ab omni superioritate congregationem eximit.

§ 5. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecistis, pro praemissorum omnium subsistentia firmiori, ea omnia per nos innovari et nonnulla alia, pro felici huiusmodi vestri propositi directione, statui et ordinari cupiatis, et propterea nobis humiliter supplicari feceritis ut vobis super eis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos, qui fidelium omnium, et praesertim sub paupertate, obedientia et castitate Altissimo famulantium, votis, quantum cum Deo possumus, libenter annuimus, vestrum institutum plurimum in Domino commendantes et approbantes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, praemissa omnia ac alia quaecumque per nos vobis hactenus concessa innovamus; vestrisque piis votis et desideriis, quae circa infrascripta omnia et singula habere nobis exponi fecistis, ut sub nostra et huius sanctae Sedis Apostolicae speciali protectione et humili subiectione, ab omni alio superiore penitus liberi et exempti, soli Romano Pontifici canonice

[1] Forte *uniendo* vel *dividendo* (R. T.)

intranti et superiori vestro canonice electo pro tempore existentibus subditi degere debeatis.

Intrantes hanc Religionem implent votum intrandi Religionem.

§ 6. Ac qui ad vestrum communem vivendi modum se contulerint et ad votorum professionem huiusmodi, modo et forma praemissis, admissi fuerint, voto Religionis in genere emisso satisfecisse censeantur, perpetuo concedimus.

Superiores Ordinis ad triennium confirmari possunt.

§ 7. Quodque singuli superiores vestri, pro tempore electi, finito triennio, quo confirmati fuerint, in alio loco in superiores eligi, et ad aliud triennium ex tunc immediate sequens confirmari.

Habitus et caeremoniarum ritus designatur.

§ 8. Ac tam ipsi quam eorum socii pro tempore existentes ac vos ipsi vestimenta cum manicis super pallium exertis deferre. Ac tam circa vestimenta quam circa caeremonias in officiis ecclesiasticis et reliquo vitae cultu et victu servandas, cum moribus et laudabilibus consuetudinibus bonorum clericorum civitatis vel loci, in qua seu quo vos pro tempore degere vel morari contigerit, convenire.

Officialium munus eligitur.

§ 9. Ac sub singulis praepositis archipresbyterum, qui in spiritualibus, et archidiaconum, qui in temporalibus praesint et vestrum curam habeant, ac plebanum, qui curam animarum vobis incumbentem exerceat, eligere valeatis.

Mensae benedicendae modus datur.

§ 10. Et omni tempore, in benedictione mensae, psalmum *Laudate Dominum omnes gentes* etc. recitare, nec ad alium psalmum recitandum quoquomodo teneamini.

Vocales in capitulo designantur.

§ 11. Quodque in capitulis vestris, illi tantum, qui ad id capitulariter admissi fuerint, vocem habeant; et alii, ut praefertur, non admissi, in eo minime intervenire aut vocem habere possint, etiam perpetuo statuimus et ordinamus.

Privilegia et gratiae omnium Ordinum conceduntur.

§ 12. Ac insuper vobis, quod omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, praerogativis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis et indultis, quorumvis etiam Cisterciensium et Cluniacensium monacis, et aliorum, tam Mendicantium quam non Mendicantium Ordinum fratribus, tam in spiritualibus quam in temporalibus, in specie vel in genere, etiam communicative, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et pro talibus habitos ac Sedem Apostolicam hactenus quomodolibet concessis et in posterum concedendis, et quibus illi, tam in vita quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones et iniunctarum poenitentiarum relaxationes aut alias quomodolibet, uti, potiri et gaudere possunt aut poterunt quomodolibet in futurum, quae omnia, ac si hic de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis haberi volumus, perpetuis futuris temporibus utamini, potiamini et gaudeatis, ac uti, potiri et gaudere, necnon illorum omnium participes esse possitis et debeatis, indulgemus. Ac privilegia, indulgentias, praerogativas, exemptiones, immunitates, gratias et indulta, monacis et fratribus praedictis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, in specie vel in genere, etiam communicative, concessa, ut praefertur, ad vos extendimus et ampliamus, ac in vobis locum habere et suum plenarium effectum sortiri debere decernimus et declaramus.

Contrariis derogatur.

§ 13. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac vestris et dictorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis creditur.

§ 14. Et insuper praesentium literarum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, plenam ubique, tam in iudicio quam extra, et eamdem prorsus fidem haberi, quae originalibus literis praestaretur, si forent exhibitae.

Datum in civitate nostra Bononiae, sub annulo Piscatoris, die VII martii MDXXXIII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 7 martii 1533, pontif. anno X.

XLVII.

Contra impedientes quocumque modo executionem literarum apostolicarum, eorumque complices et fautores [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Romanus Pontifex, qui solet, pro debito pastoralis officii, alios in sua iustitia confovere, non debet suam et Apostolicae Sedis iustitiam negligere. Quare nos ad ea debemus solicite intendere, per quae nostra et eiusdem Sedis auctoritas conservetur, et quae propterea a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris provide processisse comperimus, ut perpetuo firma et illibata persistant, libenter apostolico munimine roboramus, ac alias nostrae provisionis remedium adiicimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Urbanus VI concessit quibusdam praelatis, ut literas apostolicas, sine eorum approbatione, exequi non possint in eorum locis.

§ 1. Sane, licet olim bonae memoriae Urbanus Papa VI, in sua obedientia nuncupatus, concesserit certis praelatis ut in eorum civitatibus et dioecesibus executio literarum apostolicarum fieri non possit, nisi literae ipsae eisdem praelatis aut eorum officialibus prius exhibitae et per eos approbatae forent; et eorumdem praelatorum officiales id in consuetudinem deduxissent: aliqui vero, praetextu statutorum provincialium seu synodalium, etiam servassent quod nullus literas apostolicas huiusmodi exequi auderet, nisi postquam praelati seu officiales ipsi, per suas literas, quas *Vidimus* seu *Placet* nuncupabant, mandarent et concederent ut iudices in ipsis literis apostolicis deputati, illas exequi possent.

Bonifacius IX revocavit concessionem Urbani VI.

§ 2. Tamen felicis recordationis Bonifacius Papa nonus, etiam in sua obedientia nuncupatus, provide attendens quod propter tales literas, *Vidimus* seu *Placet* nuncupatas, impetrantes apostolici saepe literarum apostolicarum effectum consequi nequiverant, concessionem Urbani huiusmodi ac statuta quaecumque super his facta revocavit, cassavit et annullavit, ac decrevit quod iudices et executores quicumque in literis apostolicis pro tempore deputati, etiam sine licentia vel consensu quorumcumque praelatorum vel superiorum aut officialium eorumdem, literas apostolicas exequi possent et deberent.

Martinus V concessionem eiusdem Urbani revocavit et literas apostolicas libere exequi mandavit [1].

§ 3. Et successive felicis recordationis Martinus Papa V, praedecessor noster, in concilio Constantiensi considerans quod in exordiis pestiferi et antiquati schismatis, nunc per Dei gratiam extincti, ad tollendum scandala, quae propter executionem diversarum literarum, quae ab his, qui pro Romanis Pontificibus in diversis obedientiis se gerebant, in nonnullis partibus oriebantur, supradictus Urbanus in sua obedientia quibusdam praelatis supradictam concessionem fecerat, et quod postea ipsi praelati seu officiales in consuetudinem traxerant: aliqui vero, praetextu dictorum statutorum principalium seu synodalium, servabant et servari faciebant quod literas apostolicas nullus exequi deberet, nisi postquam praelati seu officiales ipsi, per suas literas, quas *Vidimus* seu *Placet*, ut praefertur, nuncupabant, mandarent et concederent quod possint exequi per iudices in eis deputatos, propter quod executio literarum apostolicarum

1 Contra praedictos habes etiam constitutionem II Martini V, *Quod*, tom. IV, pag. 677; et const. XX Innocentii VIII, *Officii*, tom. V, p. [illegible]; et const. XXXIII Leonis X, *In supremo*, ibid, p. 716; et quotannis Roman. Pontif., in die Coenae Domini, anathematis sententiam promulgant.

1 Vide in [illegible] constitutionem II, tom IV, pag. 677.

plus debito plerumque retardata fuerat, et saepe ipsae literae apostolicae executione caruerant totaliter, in gravem iniuriam Sedis Apostolicae et enorme impetrantium praeiudicium et gravamen; censensque rationi congruum ut quod dicti schismatis calamitas introduxerat, pacis tempore auferretur, concessionem praedictam et quaecumque statuta circa praemissa quomodolibet facta, auctoritate apostolica, dicto sacro concilio approbante, revocavit, cassavit et annullavit, ac voluit et decrevit quod iudices et executores quicumque in literis apostolicis deputati et deputandi et alii quicumque, necnon notarii et tabelliones super his requisiti et requirendi, absque huiusmodi literis *Vidimus* seu *Placet* nuncupatis ac etiam licentia vel assensu quorumcumque praelatorum, patriarchali aut alia quavis dignitate insignitorum, et locorum ordinariorum aut officialium eorumdem, libere huiusmodi literas apostolicas exequi deberent atque possent; ac eadem auctoritate decrevit omnes et singulas sententias, quas praedicti praelati aut eorum officiales, contra huiusmodi iudices vel executores seu impetrantes, propter executiones huiusmodi per eos faciendas, inflixerant et promulgaverant, irritas et inanes ac nullius existere roboris vel momenti; necnon quemcumque, qui contra praemissa aliquid attentare praesumeret, ab exercitio iurisdictionis ecclesiasticae per tres menses suspensum fore.

Leo X reprobavit ordinationes contrarium continentes, et Bonifacii constitutionem approbavit 1.

§ 4. Ac novissime piae memoriae Leo Papa X, etiam praedecessor noster, cum alias in publica signatura coram eo nonnullae supplicationes propositae fuissent, continentes quod in Toletana et Carthaginensi ecclesiis, sub colore falsitatibus obviandi, conditae fuerant constitutiones synodales, quibus caveri dicebatur, vel tabelliones et notarii, etiam a partibus requisiti, literas apostolicas nullatenus recipere possent, nisi illae prius per archiepiscopum Toletanum et episcopum Carthaginensem pro tempore existentes aut eorum officiales examinatae forent, et ab eodem Leone praedecessore earumdem constitutionum confirmatio peteretur, petitionem huiusmodi, ut ratione carentem (cum Romani Pontificis gesta per inferiores et sibi subditos, sine eius speciali licentia, examinari non deberent), indecens et absurdum, quinimmo temerarium fore censens quod aliquis, quavis occasione, literas apostolicas, sive Romani Pontificis speciali commissione, examinare velle praesumeret, ac supplicationes ipsas, prout merito reiiciendae erant, reiecit, et coram eo lacerari fecit. Ac super his tale remedium adhibere volens, ut aliis in posterum committendi similia aditus praecluderetur, motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, literas dicti Bonifacii approbavit et innovavit, ac perpetuae firmitatis robur obtinere illasque inviolabiliter observari decrevit.

1 Vide eius const. xxxiii, tom. v, pag. 714, § 2.

Et constitutiones synodales impedientes executionem literarum apostolicarum annullavit et illas absque licentia exequi mandavit;

§ 5. Necnon quascumque constitutiones synodales, tam in dictis Toletana et Carthaginensi, quam quibusvis aliis ecclesiis per universum orbem constitutis, super his factas, motu, scientia, auctoritate et potestate praedictis, cassavit et annullavit, ac statuit et ordinavit quod iudices et executores in literis apostolicis pro tempore deputati, ac notarii et tabelliones super his requisiti ipsas literas apostolicas, sine alicuius personae, cuiuscumque ecclesiasticae vel mundanae dignitatis esset, licentia vel consensu, exequi possint et deberent.

Impedientibus quarum executionem poenas hic descriptas imposuit,

§ 6. Et insuper universis patriarchis, archiepiscopis, primatibus, episcopis et aliis praelatis et personis ecclesiasticis, necnon communitatibus civitatum et universitatibus castrorum, oppidorum, terrarum et locorum, sub interdicti, singu-

laribusque personis eorum, etiam saecularibus, sub excommunicationis et anathematis poenis, quas eo ipso, si contrafecissent, absque alia declaratione, incurrerent, et a quibus non nisi ab eodem Leone praedecessore vel successoribus suis canonice intrantibus, praeterquam in mortis articulo constitutae et debita satisfactione praemissa, absolvi, et interdicti huiusmodi relaxationem obtinere possent, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipiendo mandavit ne iudices et executores literarum apostolicarum, ac notarios et tabelliones super his requisitos, quominus literas apostolicas huiusmodi exequi possent, quoquo modo impedire praesumerent; ac eos, qui executionem literarum huiusmodi impedirent, seu impedientibus auxilium vel favorem quovis modo, directe vel indirecte, publice vel occulte, praestare praesumerent, etiam si patriarchali, archiepiscopali, primatiali, episcopali vel quavis alia ecclesiastica vel mundana, etiam imperiali, regali, reginali aut ducali vel alia praefulgeant dignitate, eidem excommunicationis et anathematis sententiae, a qua non nisi ut praefertur absolvi possent, subiacere; ac civitates, terras, castra, oppida et loca praedicta, ad quae inobedientes et contrafacientes declinare, et in quibus moram trahere contingeret, ecclesiastico supposuit interdicto, tamdiu firmiter observando, donec, compuncti corde, interdicti huiusmodi relaxationem, debita satisfactione praemissa, meruerint obtinere, motu, scientia, auctoritate et potestatis plenitudine similibus decrevit.

Et contrarias constitutiones synodales cassari et deleri iussit.

§ 7. Necnon sub dictis poenis etiam mandavit illis, in quorum libris constitutiones synodales et provinciales huiusmodi descriptae reperirentur, ut eas deleri et cassari facerent, ut amplius legi non possent, prout in singulis dictorum praedecessorum desuper confectis literis plenius continetur.

Pontifex iste confirmat praedictas bullas Bonifacii IX, Martini V et Leonis X;

§ 8. Cum autem nobis summe cordi sit conatibus istorum, qui executionem literarum, mandatorum apostolicorum sic impediunt, omnibus, quibus cum Deo possumus, modis, viis et mediis obviare; quamvis enim de praesenti sint alia turbulentissima et deploranda tempora, et in nonnullis partibus damnatissimae haereses pullulent, tamen his temerariis praesumptionibus duximus necessario obviandum. Nos igitur, qui sumus, licet immeriti, divina providentia, unicus sponsus Ecclesiae sponsae nostrae, et non debemus nostram et ipsius sponsae nostrae iustitiam negligere, qui alios in sua iustitia confovemus, inducti eisdem rationibus, quibus praefatus Martinus praedecessor, cum sacro concilio praedicto, motus fuit, motu proprio et ex certa scientia ac de nostra matura deliberatione et de simili potestatis plenitudine, singulas Bonifacii, Martini et Leonis praedecessorum literas huiusmodi ac omnia et singula in eis contenta, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et innovamus, plenamque roboris firmitatem obtinere, ac perpetuo, inconcusse et inviolabiliter observari debere decernimus.

Et quascumque ordinationes de videndis literis apostolicis ante earum executionem deleri et cassari mandat;

§ 9. Necnon quascumque constitutiones provinciales et synodales, de non exequendo literas apostolicas, sine placito ordinariorum locorum, et nisi ipsae literae sint prius per eosdem ordinarios seu eorum officiales aut sigilliferos vel commissarios visae et admissae, in supradictis et quibusvis aliis ecclesiis ac civitatibus, dioecesibus et provinciis, per totum orbem terrarum constitutis, ut praefertur, editas et factas, ac quomodolibet, etiam sub dicto colore obviandi falsitatibus et fraudibus, innovatis, motu, scientia, auctoritate et potestatis plenitudine praedictis

cassamus et annullamus, ac ex quibuscumque libris, ubi descriptae reperiuntur, penitus cassari et deleri, sub dictis poenis mandamus.

Atque liberam permittit iubet executionem;

§ 10. Necnon de novo statuimus et ordinamus quod iudices et executores in literis apostolicis pro tempore deputati, ac notarii et tabelliones super his requisiti, ipsas literas apostolicas libere et sine alicuius personae, cuiuscumque ecclesiasticae vel mundanae dignitatis fuerit, licentia vel consensu exequi possint et debeant. Et nihilominus universis patriarchis, archiepiscopis, primatibus, episcopis, locorum ordinariis, eorum officialibus, sigilliferis et commissariis ac aliis personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, quavis auctoritate fulgentibus, necnon communitatibus civitatum et universitatibus castrorum, oppidorum, terrarum et locorum, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis et anathematis poena in eorum singulos, quam si contrafecerint, eo ipso, etiam absque alia declaratione desuper facienda, incurrant, a qua non nisi per nos aut successores nostros canonice intrantes, etiam praetextu quorumcumque privilegiorum apostolicorum eis, etiam per nos, quomodolibet concessorum aut innovatorum, quae eis, quoad hoc, nullatenus suffragari volumus, praeterquam in mortis articulo constituti, et debita satisfactione praevia, absolvi possint, districte praecipiendo mandamus ne iudices et executores literarum apostolicarum ac notarios et tabelliones super his pro tempore requisitos, quo minus literas apostolicas huiusmodi libere et absque eorum placito, licentia et consensu exequantur, quovis modo impedire praesumant.

Contravenientibus poenam imponit;

§ 11. Nos enim omnes illos, qui executionem literarum ipsarum apostolicarum impediverint, seu impedientibus auxilium, consilium vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte, aut quovis quaesito colore praesumpserint, etiam si patriarchali, archiepiscopali, primatiali, episcopali et quavis alia ecclesiastica vel mundana, etiam imperiali, regali, reginali, ducali vel alia dignitate praefulgeant, per alias nostras literas in die Coenae Domini publice lectas, excommunicavimus et anathematizavimus, prout etiam, tenore praesentium, eos eidem excommunicationis et anathematis sententiae, a qua non nisi ut praefertur absolvi possint, subiacere; ac civitates, terras, castra, oppida et loca in quibus dicti inobedientes et contrafacientes manserint, et ad quae eos declinare contigerit, ecclesiastico supposita esse interdicto, tamdiu firmiter observando, donec, ad cor reversi, interdicti huiusmodi relaxationem, debita satisfactione praemissa, meruerint a nobis aut dictis successoribus nostris obtinere. Necnon omnes et singulas sententias, censuras et poenas, quas dicti ordinarii aut eorum officiales contra huiusmodi iudices et executores literarum apostolicarum aut illas impetrantes seu notarios et tabelliones, propter executiones per eos factas vel faciendas, inflixerunt et promulgarunt, aut in futurum quomodolibet infligent aut promulgabunt, irritas et inanes ac nullius roboris vel momenti existere, eisdem motu, scientia, auctoritate et potestatis plenitudine decernimus et declaramus.

Executorem huius bullae deputat, et facultates concedit.

§ 12. Quocirca, dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, auctoritate et tenore praedictis, motu simili committimus et mandamus ut si et quando ac quoties de cetero ad eius notitiam per delationem partis cuius interest, vel fisci nostri, seu famam publicam aut alias quovis modo deducatur, dictos ordinarios seu eorum officiales, sigilliferos et commissarios aut quosvis alios seu eorum aliquem dictis constitutionibus, ut praefertur, cassatis et annullatis, adhuc

pertinaciter uti, et illas ex eorum libris non delevisse, seu ipsos iudices et executores literarum apostolicarum ac notarios et tabelliones super his requisitos, quominus easdem literas apostolicas libere et absque eorum placito, visione vel admissione exequantur quoquo modo impediant, seu impedientibus praemisso aut alio quovis modo auxilium, consilium vel favorem praestent, habitis et receptis prius per eum desuper aliquibus probationibus, ad instantiam partis vel fisci vel etiam ex mero officio, etiam summarie et extraiudicialiter, quantum sibi sufficere videbitur, eosdem ordinarios eorumque officiales et sigilliferos et commissarios ac quosvis alios in praemissis culpabiles, et eorum singulos, etiam nominatim et in specie, ad instantiam partis vel fisci praedictorum, vel etiam ex suo mero officio, prout sibi videbitur magis expedire, vigore praesentium peremptorie moneat et requirat, ac moneri et requiri faciat, etiam per edictum publicum in locis affigendum publicis et partibus illis vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura quod ad ipsorum monitorum notitiam pervenire valeat, ad comparendum legitime coram eo, infra terminum arbitrio suo eis praefigendum, per se vel procuratores idoneos; et si sibi videbitur, quoad officiales et sigilliferos ac commissarios et alios inferiores, etiam personaliter et non per procuratorem, sub privationis omnium et singulorum beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum per eos obtentorum, et ad illa et quaevis alia obtinenda, et eorum officia et alios quoscumque actus legitimos exercendum, inhabilitatis poenis, eo ipso, si non paruerint, incurrendis, se de praemissis legitime excusandum; et quoad officiales et sigilliferos ac commissarios aliter quam quod iussu dominorum suorum id fecerint, cum hoc casu teneantur nobis, tamquam maiori potestati obedire, non autem eorum dominis, tamquam minori potestati nobis subiectae; quo quidem termino elapso, et dictis monitis modo praemisso non comparentibus, vel etiam comparentibus, sed se non sufficienter vel minus legitime excusantibus, eos omnes et singulos, etiam nominatim et in specie, quacumque appellatione vel exceptione remota, pro excommunicatis et anathematizatis; ac civitates, castra, oppida et loca, in quibus manserint, et ad quae eos declinare contigerit, similiter nominatim et in specie, pro interdictis ubique locorum publicari et denunciari faciat; ipsosque officiales, sigilliferos et commissarios ac alios inferiores dictam privationis poenam damnabiliter incidisse, et eorum beneficia et officia, tamquam per privationem huiusmodi, tam de iure quam de facto vere vacantia, a nobis et dicta Sede dumtaxat libere impetrari posse, ac eos ad illa et quaevis alia beneficia et officia ecclesiastica obtinenda, ac eorum officia et quoscumque alios actus legitimos exercendum penitus inhabiles perpetuo fore, auctoritate nostra declaret, literasque desuper necessarias et opportunas, suo sub sigillo, quibusvis petentibus det et concedat.

Clausulae derogatoriae.

§ 13. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae Bonifacius, Martinus ac Leo, praedecessores praefati, in dictis suis literis voluerunt non obstare, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari aut eorum loca ecclesiastico interdicto supponi non possint, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Quod quidem indultum decernimus eis, quacumque auctoritate muniti sint, contra praemissa in aliquo suffragari non posse,

quominus ipsi huiusmodi sententiis et poenis subiaceant, et dicta loca ecclesiastico interdicto supposita existant.

Iussio publicandi hanc bullam. § 14. Ut autem praesentes literae ad omnium notitiam deducantur, volumus et mandamus eas in Cancellaria Apostolica publicari, et in quinterno eiusdem Cancellariae describi; et praefatum auditorem, lapsis duobus mensibus post publicationem huiusmodi, ad illarum executionem modo praemisso procedere posse decernimus et declaramus.

Sanctio poenalis. § 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, innovationis, cassationis, annullationis, statuti, ordinationis, declarationis, voluntatis mandatorum et decretorum infringere *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo tertio, quarto kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno undecimo.

Publicatio. Lecta et publicata fuit anno et pontificatu quibus supra, die IX mensis ianuarii.

Dat. die 29 decem. 1533, pontif. anno XI.

XLVIII.

Approbatio confraternitatis Rosarii Beatae Mariae Virginis, et declaratio circa eius recitationem, indulgentiarumque extensio pro confratribus.

Clemens Papa VII, motu proprio, etc.

Exordium. Etsi temporalium cura nos sollicite angat, tanto accuratius aciem considerationis extendere nos decet, quanto divina humanis et perpetua temporalibus digniora cognoscimus.

Narrat augmentum devotionis Rosarii; § 1. Considerantes igitur quam religioni nostrae salubre ac fructuosum fuerit Rosarii institutum, quantaque exinde provenerint et quotidie proveniant bona, quamobrem tum clerici, tum laici, tam masculi quam foeminae, ad tantum devotionis fervorem devenerint, quod Deus et ipsa Virgo, ad cuius honorem fuit originaliter institutum, eosdem non solum gratiis decorare, verum etiam miraculis et signis quamplurimis illustrare non dedignatur.

Subdit Sixtum IV et Leonem X eius confraternitatem approbasse, et indulgentiis locupletasse; § 2. Idcirco, cum ad notitiam nostram devenerit quod dicti Rosarii confratres et sorores a felicis recordationis Sixto IV et Leone X, praedecessoribus nostris, nedum confirmationem et augmentum, sed et indulgentias quamplures et privilegia non immerito obtinere meruerint, prout per apostolicas literas, in forma brevis expeditas, nobis manifestissime constat.

Et ea omnia confirmat; § 3. Nos igitur, eorum vestigiis inhaerendo, motu simili ac eodem devotionis affectu divinitus excitati, dictam confraternitatem, indulgentias et privilegia omnia per praedecessores praefatos eidem societati quomodolibet concessas et concessa approbamus, confirmamus et roboramus, firmum ac robur perpetuum habere volumus et intendimus.

Declarat satis esse Rosarium in hebdomadae cursu recitari; § 4. Sed quoniam Sixtus in literis praedictis, quas hic pro expressis haberi volumus, instituendo confirmavit quod dicti Rosarii confratres et sorores, ad consequendas, adipiscendas et indulgentias praedictas integraliter obtinendas, et pro earum totali assecutione tenerentur et obligarentur semel in die, ad honorem Virginis integrum psalterium Beatae Virginis perfecisse, propter quod nonnulli, multitudine ac negociorum varietate impediti, hoc sibi difficillimum fore putantes, ab huiusmodi saepius retrahebantur, et in amore ac eorum devotione tepescebant; ad aperiendum igitur coelorum semitas, et ut ferventius inducantur, quo exinde facilius animarum suarum salutem consequi speraverint, volumus et ordinamus quod spatium unius diei ad spatium integrae hebdomadae amplietur et dilatetur, et quod in una die et una

vice fortasse tenebantur, pro die dies, pro vice vices assignamus, et nihilominus illud idem consequantur, ac si ritus antiquus integraliter servaretur.

Approbat indulgentias stationum Urbis confratribus elargitas a Leone X;

§ 5. Et quia Leo decimus ordinando instituit ac benigne concessit quod quilibet ex dictis fratribus, ubicumque existentibus, visitando quinque altaria cuiuscumque ecclesiae, vel unum aut duo quinquies, si quinque defuerint, easdem indulgentias integraliter consequeretur, ac si omnes almae Urbis stationes peregrinando circumiret, hoc idem, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus, ac pro firmis et approbatis esse et haberi volumus et decernimus.

Auget et addit indulgentias dictis confratribus;

§ 6. Et quia nos decet Religiones et sanctorum Patrum instituta potissimum ampliare, supradictis etiam addendo, volumus quod, cum praefatus Sixtus IV omnibus praesentibus et futuris, supranominatum Rosarium in tres partes illud dividendo, idest in tres quinquagenas, singulis diebus, pro qualibet quinquagena, quinque annos et totidem quadragenas [1] misericorditer relaxaverit, ex apostolica benignitate, ut praedicti confratres ad huiusmodi devotionis opera ferventius inducantur, praeter huiusmodi indulgentias, omnibus confratribus et consororibus, praedictum Psalterium modo supra exposito et per nos concesso recitantibus, annos duos verae indulgentiae concedimus.

Contrariis derogat.

§ 7. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, synodalibus ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Et ita motu proprio, ac ex certa animi deliberatione volumus et mandamus.

Fiat ut petitur.

(Papae subscriptio).

§ 8. Et cum absolutione a censuris ad effectum praedictorum et cum derogatione privilegiorum et indultorum quorumcumque. Et quod literae expediri possint in forma brevis vel sub plumbo, prout dictis confratribus videbitur opportunum.

Fiat. I.

(Alia Papae subscriptio).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, VIII idus maii, an. XI.

Dat. die 8 maii 1534, pontif. anno XI.

1 Ripoll addit *indulgentiarum* (R. T.).

XLIX.

Annullatio quarumcumque dispositionum, de beneficiis ecclesiasticis Sedi Apostolicae reservatis obtentarum, contra formam concordatorum inter Sedem Apostolicam et nationem Germanicam, a principibus et praelatis quibuscumque [1].

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium

Admonet nos incumbentis nobis pastoralis officii cura ut non solum nobis, sed etiam cunctorum christifidelium, et praesertim ecclesiasticarum personarum, profectibus diligenter intenti, illorum occurramus dispendiis, et quae in cuiusque ipsorum praeiudicium sive noxam, quavis etiam auctoritate prodiisse comperimus, salubriter reformemus.

Praelati et principes usurpabant dispositiones beneficiorum contra formam concordatorum.

§ 1. Sane, dudum ad nostram pervenit notitiam qualiter nonnulli archiepiscopi et episcopi ac ecclesiarum praelati, nonnulli etiam principes et domini temporales inclitae nationis Germanicae, post miserabilem Urbis direptionem, collationes et dispositiones beneficiorum ecclesiasticorum, nobis et Sedi Apostolicae, etiam virtute concordatorum inter Sedem et nationem praefatas, reservatorum, temere usurpare praesumpserunt; ac collationes et dispositiones nostras et dictae Sedis de illis factas admittere contempserunt, nedum in nostrum et ipsius Sedis vilipendium, sed

1 Ista concordata firmavit Nicolaus V in eius constitutione I, *Ad sacram*, tom. V, pag. 96.

etiam in iurium nostrorum et eiusd. Sedis ac illorum, quibus de ipsis beneficiis providimus, aut in quorum favorem alias disposuimus, seu provideri et disponi mandavimus, grave praeiudicium. Et quamvis contra praesumptores et contemptores huiusmodi in bulla, quae quotannis, in die Coenae Domini, de more lecta fuit, declaraverimus et protestati fuerimus quod, in praemissis et aliis quibuscumque iuribus dictae Sedi et S. R. E. undecumque et quomodocumque quaesitis seu quaerendis, per quoscumque actus contrarios aut quomodolibet praeiudicantes, tacitos vel expressos, a nobis vel ab eadem Sede quomodolibet factos vel faciendos, aut quemcumque temporis fluxum vel patientiam vel tolerantiam nostram, nobis aut eidem Sedi nullatenus praeiudicari debere, aut quomodolibet posse: tamen, sicut non sine animi nostri moerore intelleximus, nonnulli ex archiepiscopis, episcopis, praelatis, principibus et dominis praedictis adhuc praemissis desistere non curarunt, nec de praesenti curant, quinimmo, quod deterius est, ne provisiones apostolicae admittantur, per sua mandata, etiam poenalia, prohibere non verentur, in animarum suarum grave periculum, et aliorum praelatorum ac principum catholicorum dictae nationis perniciosum exemplum, et scandalum plurimorum.

Pontifex collationes beneficiorum factas contra formam dictorum concordatorum irritat, et provisos malae fidei possessores, et ad restitutionem fructuum teneri decernit;

§ 2. Nos igitur, qui a dictis concordatis, quae olim Romanae Ecclesiae et dictae nationis hominibus, pro ipsius Ecclesiae unione, ac pace et tranquillitate inter Ecclesiam et nationem praedictas perpetuo solidandis et conservandis, laudata, conclusa et accepta fuerunt, nullatenus recedere intendimus, ne dicti praesumptores et contemptores, aut per eos in dictis beneficiis intrusi ex huiusmodi temeraria praesumptione gloriari valeant; neve ipsi intrusi ex adulterinis eorum titulis aliquem fructum reportent; nec illis, quibus de beneficiis praedictis per nos aut dictam Sedem seu eius auctoritate provisum extitit et in futurum providebitur, per alicuius temporis fluxum seu aliquam patientiam vel tolerantiam praeiudicium fiat aut factum censeatur, ex pastoralis officii debito providere volentes, ac concordatis praedictis firmiter inhaerentes, motu proprio et ex nostra matura deliberatione ac certa scientia, auctoritate apostolica, de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium declaramus praetensas collationes et alias dispositiones de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, nobis et dictae Sedi, ut praefertur, reservatis, per archiepiscopos, episcopos, praelatos ac saeculares principes et dominos quoscumque dictae nationis, seu ad eorum praesentationem vel nominationem, etiam per ordinarios ipsorum beneficiorum collatores a tempore dictae direptionis citra, contra tenorem et formam dictorum concordatorum quomodolibet factas et in posterum faciendas, personis, quibus aut in quarum favorem factae sunt aut in posterum fient, nisi sint per nos aut nostra vel dictae Sedis auctoritate approbatae, nullum titulum vel colorem ipsa beneficia possidendi tribuisse aut in futurum tribuere, sed et illos pro malae fidei possessoribus et mere intrusis ab omnibus haberi et censeri, ac fructus per eos ex beneficiis huiusmodi perceptos et percipiendos nullo umquam tempore suos facere, sed ad illorum restitutionem in utroque foro efficaciter obligatos esse, et ad illorum restitutionem, ad eorum quorum interest seu etiam fisci nostri instantiam, omnibus viis iuris et remediis compelli posse et debere, et eos nullo umquam tempore beneficio regularum de annali et triennali pacifico possessore gaudere potuisse aut posse.

Provisis autem a Sede Apostolica, iuxta tenorem concorda-

§ 3. Illis vero quibus eadem beneficia, per nos aut auctoritate nostra vel dictae Sedis, tenore et forma concordatorum hu-

torum. Iura quaecumque reservat, etiam agendi quandocumque contra intrusos.

iusmodi servatis, collata seu commendata sunt aut in futurum conferentur vel commendabuntur; necnon ecclesiis et locis ecclesiasticis ac collegiis, quibus perpetuo vel ad tempus eadem auctoritate unita sunt aut in posterum unientur; ac omnibus illis, qui in executione literarum apostolicarum eis concessarum per constitutiones seu mandata archiepiscoporum, episcoporum, praelatorum, principum, vel dominorum praedictorum hactenus quomodolibet impediti fuerunt aut in posterum impedientur, dictas regulas et quemcumque temporis fluxum seu patientiam vel tolerantiam minime obstare debere, quominus contra dictos intrusos et intrudendos quocumque tempore iudicialiter experiri valeant.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes sic per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, S. R. E. cardinales et Palatii Apostolici causarum auditores, sententiari, interpretari et iudicari debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter sententiandi, interpretandi et iudicandi facultate et potestate; ac irritum et inane, si secus super his ab eis vel quibusvis aliis, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus, aut in posterum contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus regulis et aliis praemissis aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praemissa ad omnium notitiam deducantur, volumus et mandamus praesentes in Cancellaria Apostolica more solito publicari, et in quinterno eiusdem Cancellariae describi.

Transumptorum fides.

§ 6. Praeterea, quia difficile foret praesentes literas ad singula loca, in quibus de eis forsitan fides facienda foret, deferre, eadem apostolica auctoritate decernimus quod ipsarum transumptis, manu alicuius notarii publici inde rogati subscriptis, et sigillo alicuius personae ecclesiasticae in dignitate constitutae munitis, ea prorsus in iudicio et extra et alias ubilibet fides indubitata adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimoquarto, kalendis iulii, pontificatus nostri anno XI.

Publicatio.

Lecta et publicata fuit in Cancellaria Apostolica die XIII iulii MDXXXIV.

Dat. die 1 iulii 1534, pontif. anno XI.

L.

Declaratio constitutionis de praestandis et registrandis consensibus in Cancellaria Apostolica [1].

Terminos angustius pro consensu registrando in Cancelleria, computandos a die praestationis eiusdem.

§ 1. Sanctissimus in Christo pater et dominus noster, dominus Clemens, divina providentia Papa septimus, constitutionem suam de consensibus in Cancellaria vel Camera Apostolica ex tunc de cetero praestandis, quae ad materias Franciae infra tres menses, in aliis vero infra quindecim dies a die extensionis eorumdem consensuum computandos, in libris solitis et authenticis annotandos, ob obviandum fraudibus, quae in retardatione annotationis consensuum huiusmodi committebantur, nuper editam declarando, voluit quod dicta tempora non a die extensionis consensuum in dictis libris, cum ipsa constitutio sic nihil operaretur, nec per eam dictis fraudibus in aliquo obviaretur, sed a die praestationis eorumdem consensuum intelligi debeant.

Quid sit agendum, si consensus praestetur super supplicationibus nondum ad registrum missis.

§ 2. Et quoniam nonnunquam praestantur consensus super supplicationibus nondum ad registrum missis, sed adhuc penes datarium suum existentibus; et notarii non possunt tales consensus in dictis

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

libris annotare, nisi videant huiusmodi supplicationes registratas seu expeditas; et saepe labuntur dicta tempora, antequam ipsae supplicationes ad registrum mittantur seu expediantur, voluit et declaravit quod, tunc et eo casu, dicta tempora, a die quo datarius huiusmodi supplicationes ad registrum vel summistam miserit, computari habeant; diem ante [1] missionis huiusmodi de cetero annotabit datarius pro tempore in calce supplicationum consensum aliquem requirentium per haec verba, videlicet: *Missa die tali. N. Datarius;* quae verba voluit ad plenam probationem missionis praedictae sufficere.

Notarii, si tempora lapsa fuerint, registrare non debeant.

§ 3. Praeterea voluit quod notarii, de talibus consensibus rogati, in annotatione illorum in dictis libris facienda, teneantur de die missionis huiusmodi, sicut de data supplicationum, expressam mentionem facere, ut, die praestationis consensuum et die missionis supplicationum huiusmodi simul iunctis, ex illorum inspectione evidenter appareant ipsi consensus infra tempora praedicta in dictis libris annotati; et notarii requisiti de cetero ad ponendum aliquos consensus in libris praedictis, si ex inspectione dierum praestationis consensuum ac missionis supplicationum viderint dicta tempora, ad annotandum consensus, ut praefertur, praefixa, esse lapsa, consensus tales in dictis libris annotare nullatenus praesumant, sub poenis in dicta priori constitutione contentis.

Annotatio secus facta viribus vacuata.

§ 4. Nihilominus annotatio de illis, sic extra tempora praedicta pro tempore facta, ipsique consensus sic annotati viribus omnino careant, nulliusque sint roboris vel momenti; narrativa quoque per verbum *Hodie* vel *Nuper* in litteris apostolicis, super materiis ad quarum expeditionem consensus aliquis requiritur, pro tempore expeditis, posita, contra praemissa minime attendi debeat, nec aliquem effectum operetur.

Supplet Clemens defectus registrationis non factae tempore suae absentiae ab Urbe.

§ 5. Insuper, intelligens Sanctitas Sua, in profectione sua versus Massiliam et durante Sanctitatis Suae ab Urbe absentia, ac per aliquot dies ante et post, quamplures consensus fuisse praestitos, qui, propter varia impedimenta, infra dicta tempora, iuxta dictam constitutionem, in libris praedictis annotari non potuerunt, ad consulendum indemnitati partium, dat et concedit notariis Cancellariae et Camerae praedictis licentiam et facultatem quod omnes consensus a die recessus Sanctitatis Suae ab Urbe versus Massiliam usque ad eius in Urbem felicem reditum, videlicet a die nono septembris usque ad diem decimum decembris anni millesimi quingentesimi trigesimi tertii, ac per quindecim dies ante recessum, et alios quindecim dies post reditum huiusmodi praestitos, in libris praedictis, pro absentibus infra tres menses, et pro praesentibus infra quindecim dies a die publicationis praesentis constitutionis computandos, annotare possint et valeant; necnon consensus huiusmodi sic annotandos, ac etiam de mandato Sanctitatis Suae vel datarii sui iam annotatos, in omnibus valere et validos esse, perinde ac si infra tempora dictae prioris constitutionis in eisdem libris annotati fuissent.

Sicque in perpetuum praecepit observari.

§ 6. Decernens sic per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, in quibusvis causis motis et movendis, ac etiam per appellationem adhuc pendentibus interpretari et iudicari debere, ac irritum *etc.*, si secus fiat, priori constitutione praedicta cum poenis in ea adiectis alias in suo robore permanentibus.

Placet, et publicetur et describatur. I.

[1] Forte legendum *autem* (R. T.).

PAULUS III

PAPA CCXXII

Anno Domini MDXXXIV.

Alexander Farnesius, Romanus, sacri cardinalium collegii decanus et episcopus Ostiensis, electus est in Romanum Pontificem die decimatertia octobris anni millesimi quingentesimi trigesimiquarti, et coronatus est die tertia sequentis novembris. Fuit temporibus Caroli V imperatoris, summumque tenuit pontificatum annos XV, dies XXVIII, et duodecim promotionibus LXXI creavit cardinales. Obiit die decima novembris anni millesimi quingentesimi quadragesiminoni, et sepultus est in Vaticana basilica. Vacavit Sedes menses fere tres.

I.

Separatio congregationis Eremitarum Sancti Romualdi Montis Coronae, Ordinis Camaldulensis, a congregatione sacrae Eremi Camaldulensis et Sancti Michaelis de Murano, sub Regula Sancti Benedicti, cum plurimarum gratiarum concessione et cuiuscumque alterius Ordinis privilegiorum communicatione ex indulto Clementis VII [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Rationi congruit, et convenit honestati ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt, licet, eius superveniente obitu, literae apostolicae confectae non fuerint super illis, suum consequantur effectum.

§ 1. Dudum felicis recordationis Clementi Papae VII, praedecessori nostro, pro parte dilectorum filiorum maioris, visitatorum, priorum et fratrum societatis Eremitarum Sancti Romualdi, Camaldulensis Ordinis, exposito quod olim, postquam piae memoriae Leo Papa X, etiam praedecessor noster, quondam Paulo Veneto et quibusdam aliis, in literis tunc expressis, Eremitis sacrae Eremi dicti Ordinis, Aretinensis dioecesis, expresse professis, ardore maioris observantiae et perfectioris vitae cremiticae ferventibus, inter alia, quod in quibusvis locis, etiam extra Italiam et loca ultramarina, monasteria, eremitoria et religiosa loca erigere, et postquam erecta forent, omnibus et singulis indultis et privilegiis quomodolibet a Sede Apostolica Eremitis sacrae Eremi huiusmodi ac congregationi eiusdem Eremi et Sancti Michaelis de Murano concessis, gaudere, et habitum eiusdem Religionis aliis exhibere possent, per suas in forma brevis literas, licentiam concesserat.

Leo X concessit Paulo Veneto et quibusdam aliis Eremitis S. Romualdi Camaldulensis ut alia loca eremitoria ubique erigere possent.

§ 2. Et ipse Paulus cum uno socio Eremita, vigore concessionis huiusmodi ad id electo, ad locum Cryptarum nuncupatum castri Massarii, Exinensis dioecesis, qui tunc membrum Eremitarum sacrae Eremi praedicti erat, accesserat, et ad eosdem Paulum et socium diversae multarum partium, tam ecclesiasticae et religiosae, quam saeculares personae in dies ad eosdem venientes, cum eodem Paulo et socio se coniunxerant; et praefatis Paulo et socio et successive receptis personis nonnulla loca eremitica, partim fere dirupata et partim aedificari coepta, quae postmodum ipsi restauraverant, et quasi de novo aedificaverant, tam a Sede Apostolica quam a diversis christifidelibus ecclesiasticis et saecularibus personis donata et concessa fuerant.

Ipse Paulus cum uno socio ad locum Cryptarum accessit et ad eos gens multa confluit et multa loca eisdem data fuerunt.

§ 3. Vidensque ipse Paulus se tot personis ac locis quotidie multiplicari, ad olim congregationis sacrae Eremi et Sancti

Idem Paulus ad vicarium generalem sacrae Eremi Camalduli

1 De hac congregatione habes supra in constitutione XXVI Clementis VII, *Vestrum*, pag. 117.

reddita, eique omnia haec significavit. Et ab eodem sibi loca quinq. assignata fuerunt, et instituta fuit societas Eremitarum S. Romualdi, et eius praelatus separatim regenda.

Michaelis de Murano vicarium generalem, tunc vero generalem nuncupatum, et visitatores accesserat, eisdemque seriem facti explicaverat, velleque, tam ipse quam ceteri socii Eremitae huiusmodi, sub eorum obedientia et visitatione vivere declaraverat. Olim vicarius, tunc generalis praedictus, habens, ut asserebat, a congregatione huiusmodi omnimodam auctoritatem, sinceritatem animi dicti Pauli cognoscens, praefata eremitoria, videlicet quinque, Cryptarum Massarii, Sancti Hieronymi de Pascilupo, Cryptae Sancti Benedicti in Monte Conaro, Sancti Leonardi de Volabrio ac Sanctae Mariae de Spiritu Sancto, Exinensis, Eugubinensis, Anconitanae, Firmanae et Larinensis dioecesis, a Sede praedicta aliisque christifidelibus praefatis eisdem Paulo et sociis, ut praefertur, concessa, et Eremitas in illis tunc commorantes in eorum congregationem receperat, ipsosque Paulum et socios receptos, Eremitas eorumque eremitoria et religiosa loca huiusmodi in societatem Eremitarum Sancti Romualdi, per maiorem et olim correctores, tunc autem visitatores, capitulum et eremitoriorum huiusmodi singulorum priores perpetuis futuris temporibus regendam et gubernandam, erexerat. Et eisdem Paulo et Eremitis praefatae societatis condendi et celebrandi generalia capitula eiusdem societatis; et in eis priores, rectores et alios ministros eligendi, et pro eiusdem societatis conservatione et augmento missas et alia divina officia in eorum capitulis celebrandi, capitula generalia eiusdem societatis, et pro eiusdem observantia, quaecumque statuta, ordinationes et constitutiones edendi, et pro tempore edita corrigendi, reformandi et mutandi, quae, si contra substantialia Regulae Sancti Benedicti non essent, a praedicto tunc vicario et visitatoribus aut praefatae congregationis capituli derogari aut innovari, sine dictorum Eremitarum consensu, non possent; ac alia loca quaecumque et personas quascumque in eadem societate receptandi; necnon quod eiusdem societatis superior, ex tunc maior nuncupandus, per eiusdem congregationis capitulum de anno in annum eligendus, loca et personas de triennio in triennium, et frequentius, si sibi videretur, visitare deberet, licentiam concesserat; et omnia et singula privilegia, gratias et immunitates Eremitis concessa et quomodolibet concedenda, tam sacrae Eremi Camaldulensis, quam totius praefatae congregationis, eidem societati Eremitarum Sancti Romualdi, locis et personis communia esse, dummodo receptio et admissio huiusmodi per capitula generalia congregationis sacrae Eremi et Sancti Michaelis de Murano praedict. approbaretur, voluerat. Et praefati Eremitae, vigore concessionis huiusmodi, in eorum capitulis congregati, nonnullas constitutiones et statuta super tribus substantialibus et forsan aliis emittendis votis et regularibus institutis Regulae Sancti Benedicti, et divinis officiis celebrandis ac aliis felicem dictae societatis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, gubernationem et directionem, ac honeste et religiose vivendi modum concernentia ordinaverant. Ac postmodum praesidens et definitores capituli generalis congregationis sacrae Eremi et Sancti Michaelis praedicti, per eorum speciales literas, dicta quinque eremitoria et societatem huiusmodi ab eorum congregatione penitus separaverant, et dissolutam et separatam esse declaraverant, nullamque sibi eligendi superiorem, necnon eremitoria ac illorum personas huiusmodi visitandi facultatem reservaverant; quodque praefati Eremitae ad eorum superioris huiusmodi electionem, prout eis visum foret, procedere possent, ac in iis, quae eremitoria et illorum personas praedicta concerne-

bant, ac quidquid eidem societati visum foret, a Sede Apostolica petere possent, voluerant.

Clemens VII praedicta confirmavit,

§ 4. Praefatus Clemens praedecessor praedicta omnia et dissolutionem huiusmodi approbaverat et confirmaverat, eisque unum dictae societatis maiorem et correctores, nunc autem visitatores nuncupatos, locorum priores et alios officiales, prout eis expedire videretur, per seipsos annis singulis eligendi, qui eo ipso, quo electi forent, confirmati esse censerentur, indulserat.

Et etiam constitutiones pro dictae societatis regimine ordinatas approbavit;

§ 5. Et successive, cum ipsi, pro dictae societatis commodiori gubernatione, aliquas ex praedictis constitutionibus, ordinationibus et capitulis, eis diligentius et maturius examinatis, cassassent, et aliquas denuo ordinassent, et, amotis quibusdam superfluis, in meliorem formam reformassent, idem Clemens praedecessor illas etiam approbaverat et confirmaverat, prout in diversis instrumentis et scripturis vicarii generalis ac visitatorum praesidentis et definitorum praedictorum, ac ipsorum Leonis et Clementis praedecessorum diversis literis, dicebant plenius contineri.

Societatemque unam institui Eremitarum S. Romualdi nuncupandam;

§ 6. Ac pro parte eorumdem maioris, visitatoris, priorum, fratrum et Eremitarum eidem Clementi praedecessori humiliter supplicato ut, ex praedictis et aliis eis concessis et concedendis locis, unam tantum societatem Eremitarum Sancti Romualdi erigere et instituere, praemissis et aliis infrascriptis, pro illorum subsistentia firmiori, robur apostolicae firmitatis adiicere, ac alias in praemissis opportune providere, de benignitate apostolica dignaretur; praefatus Clemens praedecessor, qui ad ea, per quae status religiosarum personarum florere, ipsaeque personae acceptius divinis beneplacitis se coaptare possent, solertiae suae curas libenter dirigebat; volens maiorem, visitatores, priores, officiales ac eremitas societatis huiusmodi amplioris apostolici favoris praesidio complecti, ac eos et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existebant, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum, absolvens et absolutos fore censens, huiusmodi supplicationibus inclinatus, sub datam videlicet tertio nonas septembris, pontificatus sui anno sexto, auctoritate apostolica, ex praedictis ac quibuscumque aliis eis tunc et pro tempore dictae societati ubique terrarum concessis et concedendis, ac per eos recipiendis et retinendis eremitoriis et religiosis locis, unam tantum omnium ac singulorum fratrum in eisdem eremitoriis et religiosis locis pro tempore degentium societatem Eremitarum Sancti Romualdi nuncupandam; per superiorem, maiorem nuncupatum, visitatores, capitulum, priores ac alios officiales, iuxta ipsius societatis statuta et ordinationes, regendam et gubernandam.

Regendam quoque iussit ab uno superiore nuncupando maiore;

Omnesque fratres unam esse societatem;

§ 7. Ita quod omnes et singuli dictae societatis fratres, praesentes et futuri, quamvis in diversis locis, etiam extra Italiam et loca ultramarina, pro tempore manerent, unum tamen corpus et unica societas Eremitarum Sancti Romualdi, Camaldulensis Ordinis, perpetuis futuris temporibus existerent ac facerent.

Facultates tic expressas concessit;

§ 8. Cum facultate celebrandi generalia, provincialia ac alia capitula eiusdem societatis, et in eis superiorem, maiorem, priores, rectores et alios ministros eligendi; et, pro eiusdem societatis conservatione et augmento, missas et alia divina officia in eorum capitulis celebrandi, aliaque omnia et singula, quae ad similes

societates pertinebant et pro tempore pertinerent, faciendi, erexit ac instituit.

Indulta omnia et statuta confirmavit; § 9. Necnon separationem, dissolutionem, concessionem et indulta ac facultates eis quomodolibet concessa; ac constitutiones et statuta per capitulum dictae erectae societatis edita, ut praefertur, reformata; ac omnia et singula privilegia, indulta et gratias per Sedem eamdem dictae societati vel per alium facultatem habentem, etiam vivae vocis oraculo vel alias quomodolibet, concessa et concessas, auctoritate praedicta approbavit, confirmavit, stabilivit ac robur apostolicae confirmationis habere decrevit, supplens omnes et singulos defectus, tam iuris quam facti, si qui forsan intervenerant in eisdem.

Aliaque addidit et barbam deferendi facultatem concessit; § 10. Et pro potiori cautela maioris, visitatorum, priorum et officialium et aliorum fratrum praefatae societatis, illas et illa quinque eremitoria praedicta eidem maiori, visitatoribus, prioribus et fratribus eorum erectae societatis, pro tempore existentibus, de novo perpetuo concessit et assignavit; quodque omnes et singuli dictae societatis erectae Eremitae, Ordinem praedictum in ipsa societate professi, tunc praesentes et futuri, in capitulo generali pro tempore celebrando, in eo vocem habentes, pro felici dictae societatis statu et successu, alia statuta, constitutiones, ordinationes ac omnia et singula, quae in spiritualibus et temporalibus ipsius societatis ac eius regularis disciplinae statum, observantiam, indemnitatem, et circa divini officii et missarum directionem et ordinationem, ac caeremonias, absque ipsius Regulae, in substantia vel in effectu, variatione, interpretatione vel declaratione, quoquo modo concernere possent, instituendi, ordinandi, interpretandi, declarandi et alia de novo faciendi; et sic instituta, ordinata, interpretata, declarata et de novo facta, in toto vel in parte, prout rerum et temporum qualitas exigeret, tollendi et alterandi ac in melius commutandi; necnon, pro honestate et qualitate vitae eremiticae huiusmodi, barbam deferendi plenam et liberam eis concessit facultatem.

A superioritate ordinariorum, inquisitorum et aliorum exemit; § 11. Ac huiusmodi societatem, omnesque et singulos superiores, eremitas, oblatos, novitios, familiares, servitores et personas dictae societatis, tunc et pro tempore existentes, ac ipsius monasteria, eremitoria religiosa et loca alia quaecumque, ac mobilia et immobilia bona, tunc praesentia et futura, ad praefatam societatem quomodolibet pro tempore pertinentia, et in posterum eidem de novo erectae societati quandocumque seu quomodolibet uniri vel incorporari seu subiici in perpetuum vel ad tempus contingeret, a quorumcumque legatorum, etiam de latere, necnon nunciorum dictae Sedis, ac quorumvis officialium Romanae Curiae et patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, electorum et inquisitorum haereticae pravitatis, quacumque, etiam apostolica, auctoritate, aliorum quorumcumque iudicum ordinariorum et non ordinariorum, quavis auctoritate et potestate fungentium, ditione, auctoritate, superioritate, potestate, dominio, visitatione, reformatione et correctione, ita quod contra dictam de novo erectam societatem vel eius singulares personas, nec non monasteria, eremitoria et loca et personas ac familiares eum eis degentes, ratione delicti, excessus seu contractus aut rei de qua ageretur, ubicumque iniretur contractus, committeretur delictum aut res ipsa consisteret, excommunicationis, suspensionis aut interdicti aut alias quasvis sententias, nisi de speciali Sedis praedictae commissione, quomodolibet, directe vel indirecte, proferre seu promulgare non possent.

§ 12. Necnon ab omnibus et singulis

A decimarum, gabellarum etc. solutione liberavit;

decimis, collectis, exactionibus, gabellis, talliis, dativis, datiis, tractis, subsidiis caritativis, impositionibus ordinariis et extraordinariis, collegiis, parochianis, universitatibus, monasteriis, fabricis et aliis quibusvis personis, quacumque auctoritate et ex quavis causa et consideratioue, etiam pro expeditione contra infideles aut fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe, aut aliis imminentibus necessitatibus Sedis praedictae, auctoritate eiusdem Sedis vel quavis alia impositis et imponendis, sub quacumque verborum vi et forma, etiam sub excommunicationis latae sententiae poena, exempti et exempta censerentur, nisi de indulto et societate huiusmodi specialis et expressa mentio in literis apostolicis fieret, et tunc non veram decimam, sed mediam auri nnciam Camerae Apostolicae solvendo, pro omnibus eorum locis ac eremitoriis, bonis et personis, liberationem consequerentur, prorsus exemit et totaliter liberavit; eaque omnia et eorum quodlibet in ius et proprietatem beat. Petri et Pauli et Sedis praedictae, ac sub eorum et dictae Sedis protectione suscepit. Et si legati et subdelegati, ordinarii aut aliae personae praedictae contra exemptionem et liberationem huiusmodi quicquam attentare quoquo modo praesumerent, ac literarum desuper conficiendarum vigore requisiti per ipsius de novo erectae societatis prælatos, Eremitas vel procuratores eorum, infra tres dies a die requisitionis huiusmodi computandos non desisterent, excommnnicationis sententiae ipso facto noscerent se subiectos; et si forte aliter factum foret, eo ipso esset irritnm et inane nulliusque roboris vel momenti.

Religiosos Ordinis ad minores ordines promoveri faciendi per quemlibet antistitem et extra tempora facultatem tribuit, etc. 1;

§ 13. Praeterea ipsis, religiosos eorum Ordinis ad primam tonsuram et quatuor minores ordines promovendi; ad sacros vero, etiam si tempus a canonibus statutum non attingerent, per quemlibet catholicum episcopum in eorum locis et alibi, ubicumque eis commodum foret, absque licentia dioecesani, etiam extra tempora, diebus tamen dominicis vel festivis, eos promoveri faciendi, ac illos eis libere conferendi; eumdemque episcopum, pro consecrationibus altarium seu ecclesiarum, ac pro Oleo Sancto et quolibet ecclesiastico sacramento, adeundi; et, de licentia eorum capitnli generalis seu provincialis, Ierusalem et alia loca sancta visitandi et inibi habitandi, ac loca et eleemosynas, etiam ab infidelibus, recipiendi licentiam et facultatem concessit.

Ingressum ad eremitoria mulieribus prohibuit;

§ 14. Et insuper, pro conservatione puritatis eorum solitudinis, ne mulieres ad eorum eremitoria, etiam Sancti Hieronymi de Pascilupo, Eugubinae dioecesis, tunc praesentia et futnra, intra videlicet per eos praefixos sen praefigendos terminos, praeter illos tantnm dies, quos ipsi statuerent, dummodo non ultra tres dies in quolibet anno, accedere quomodolibet, sub excommunicationis poena, auderent vel praesumerent, cellularum tamen ipsorum ingressu semper prohibito remanente, inhibuit.

Stabilia alienandi ad evidentem utilitatem Ordinis licentiam impertitus fuit;

§ 15. Demum, pro commoditate et utilitate eremitoriorum et locorum huiusmodi, tunc praesentium et futurorum, de licentia eorum capitnli generalis seu provincialis, eis et cuilibet eorum ac pro tempore existentibns, quaecumque immobilia ad eos eorumque ecclesias, eremitoria, altaria et loca huiusmodi pro tempore spectantia et pertinentia, in emphyteusim perpetuam vel per tempus, sub aliquo annuo canone sive censu quibusvis personis, in evidentem ecclesiarum, monasteriorum et regularium locorum huiusmodi utilitatem, concedere; illaque pro aliis immobilibus utilitatibus permutare seu vendere et alienare, et pretium inde proveniens in aliis immobilibus bonis eorum ecclesiis, eremi-

1 Primum declarat Concil. Trid., sess. XXIII, *De Reform.*, cap. 11; secundum revocavit idem Concil., ubi sup., cap. 12 et seqq.

toriis et regularibus locis utilioribus, ac alias, iuxta tenorem literarum recolendae memoriae Pauli Papae secundi, similiter praedecessoris nostri, de rebus ecclesiasticis non alienandis editarum: ita quod priores, qui pro tempore essent, locorum huiusmodi iudices, ad hoc ut immobilia bona huiusmodi in emphyteusim vel censum aut alias danda et permutanda seu vendenda et alienanda, coram eisdem iudicibus spectarentur, eligere possent, convertere, et ceteris eremitoriis eorum societatis, prout eis commodius visum foret, pro eiusdem societatis conservatione applicare valerent, et quaecumque bona, etiam feudalia ac emphyteutica, etiam ecclesiastica, eidem societati, tam inter vivos quam causa mortis seu testamento, vel codicillo, dari, concedi et relinqui libere possent.

Onera, ad quae pro dictis bonis Eremitae tenentur, 30 annorum spatio finiri decrevit;

§ 16. Ita quod ipsa societas ad eadem onera, ad quae donator seu testator huiusmodi, occasione bonorum eorumdem, tenebatur, et quaecumque alia, quae ipse donator seu testator etiam imponeret, omnino tenerentur, etiam si ad certum numerum generationum aut nominationum eadem bona concessa essent, ipsa societas, non perpetuo, sed per triginta annos pro qualibet generatione seu nominatione huiusmodi bona eadem tenere possent; et finitis ipsis annis, bona praedicta ad eorum directos dominos devolverentur, et, absque eorum consensu, tenere non valerent, statuit et ordinavit.

Curam animarum ceterorum locorum societatis permutare posse declaravit,

§ 17. Ulterius ipsis, de licentia capituli generalis seu provincialis dictae societatis, curam animarum monasterii S. Salvatoris de Monte Acuto et parochialium S. Michaelis Archangeli, ac prioratus S. Salvatoris de Fano, Perusinae, Tudertinae et Fanensis dioecesis, ecclesiarum, eidem societati perpetuo canonice unitarum, abdicare; et, de consensu illorum parochianorum, in loco dictis parochianis accommodo, alias eccles., quibus cura parochianorum praefatorum applicaretur, construi facere, seu alteri parochiali, quae parochianis huiusmodi accomoda foret, etiam de consensu illius rectoris, cui, pro huiusmodi cura exercenda, quod inter eos conventum esset solverent, ac illas iurisdictioni ordinarii loci subiicere.

Novaque eremitoria aedificare.

§ 18. Ac loca quaecumque, etiam per ecclesiasticas et religiosas personas eis concedenda recipere et eorum usui applicare. Necnon loca sive eremitoria pro tempore recepta perficere, et alia de novo, cum ecclesiis, oratoriis, humili campanili, cellulis et officinis necessariis, construere seu construi, et iam constructa, pro conveniontiori eorum mansione, demoliri facere, et ea ad aliorum locorum constructorum sive de novo construendorum usum convertere.

Religiosos quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, ad societatem tamquam ad arctiorem vitam recipi posse decrevit;

§ 19. Ac pro dicti Ordinis propagatione, omnes et singulos religiosos quorumcumque, etiam Mendicantium, Ordinum et congregationum ac monasteriorum ad eremitoria praefata, tamquam ad arctiorem vitam, convolare, et sub societate et eorum habitu Altissimo famulari eligentes, superiorum suorum licentia petita, licet non obtenta, absque alia contradictione vel obstaculo, recipere; ipsique sic recepti et in eadem societate sive Ordine professi, ad omnia officia et dignitates societatis eorumdem Eremitarum promoveri et assumi libere et licite valerent, indulsit.

Indulta, gratias et privilegia quorumcumque aliorum Ordinum huic societati concessit,

§ 20. Postremo maiori ac omnibus et singulis visitatoribus, provincialibus, prioribus et aliis officialibus ac fratribus sive Eremitis praefatis, ut ipsi et omnes et singuli, ac commissi, oblati, novitii, servitores, familiares, benefactores et aliae personae, ac etiam oratoria, ecclesiae, monasteria, eremitoria et loca et quaecumque bona et cetera alia eidem societati pro tempore pertinentia, omnibus et singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus, gratiis, concessionibus, facultatibus, immunitatibus, exemptioni-

bus, privilegiis, præemiuentiis, praerogativis, libertatibus, favoribus, licentiis et indultis apostolicis vel aliter, qualiacumque essent, quibus omnes et singuli Ordiues, congregatioues, societates et monasteria, sub approbatis Regulis degentes seu militantes, ac degentia seu militantia, corumque superiores generales, provinciales et particulares monaci seu religiosi, commissi, oblati, novitii, familiares, servitores, benefactores et aliae personae eorumque ecclesiae, oratoria et alia quaecumque bona, quae omoia, ac si nominatim exprimerentur, dictus Clemens praedecessor haberi voluit pro sufficienter expressis, cooiunctim vel divisim, eis et cuilibet ipsorum, in genere vel in specie, etiam vivae vocis oraculo vel alias quomodolibet concessis seu concedendis, tam in spiritualibus quam temporalibus, et tam in communi quam particulari seu alias quomodolibet utebaotur, potiebantur et gaudebant, seu uti, potiri et gaudere possent quomodolibet in futurum, absque ulla differentia, tam in communi quam in particulari vel alias quomodolibet uti, potiri et gaudere libere et licite possent et valerent in perpetuum, ac etiam de novo concessit pariter et indulsit, et in eis locum habere voluit, ac si eisdem omnia et singula praemissa directe et expresse concessa fuissent, exceptis quae essent contra eorum constitutiones approbatas ac ordinationes capitulares factas et pro tempore faciendas. Ac ut, dum privilegiorum, coocessionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, gratiarum et indultorum eorum et cuiuslibet dictorum Ordinum, congregationum, societatum et monasteriorum originales literae seu transumpta authentica ex illis, prout in favorem dictae societatis eiusque superiorum, eremitarum, commissorum, oblatorum, oovitiorum, familiarium, servitorum, benefactorum et personarum ac ecclesiarum, monasteriorum, eremitoriorum, locorum, bonorum et aliorum ceterorum eiusdem societatis, ostenderentur vel exhibereotur, eadem fides indubia adhiberetur, tam in iudicio quam extra, et aliis locis quibus opus foret, ac si pro et in favorem eorum societatis, ecclesiarum, eremitoriorum et monasteriorum, fratrum et personarum ac bonorum praedictorum ac praedictarum a Sede praedicta emanassent, ac eis et cuilibet ipsorum fuisseot immediate concessae, mandavit.

§ 21. Necnon quod literarum desuper conficiendarum transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius praelati ecclesiastici munitis, ubique staretur, prout originalibus literis staretur, et plena fides in iudicio et extra adhiberetur, quae eisdem desuper cooficiendis literis daretur, si essent exhibitae vel ostensae. *Transumptisque credi voluit;*

§ 22. Quodque literae ipsae desuper conficiendae, cum confectae forent, ac in eis contenta quaecumque, sub quibusvis revocationibus, modificatiooibus, limitationibus et suspensionibus quarumcumque literarum, gratiarum et dispositionum per ipsum Clementem praedecessorem et Sedem praedictam, etiam motu proprio et ex certa scientia, seu ad imperatoris, regum et ducum instantiam, concessis et concedendis, nullatenus comprehenderentur, sed semper ab illis excepta essent, et esse censerentur. Et quoties revocata, modificata, limitata, suspensa aut alterata forent, toties in eo statu, in quo ante revocationem, modificationem, limitationem et suspensionem huiusmodi, repositae, restitutae et reintegratae ac, si opus fuerit, de novo concessae essent, et esse censerentur. Et quotiescumque per aliquem aut plures actus contra ea aut ipsorum aliqua, a quoquam, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis foret, ex negligentia vel ignorantia illorum, quibus ea concedebantur, aut aliqua alia causa, scienter vel igno- *Clausulas dictae bullae praeservativas apposuit.*

ranter, attentari vel attentata observari contingeret; nullum tamen propterea exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis, indultis et privilegiis huiusmodi praeiudicium generaretur, sed ea omnia et singula in suo robore et firmitate permanerent, easdem literas, absque aliorum instrumentorum, literarum praedictarum productione et ostensione, ad probandum plene omnia et singula superius enarrata et specificata, in iudicio et extra, ubique sufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri.

Dubia in dictae societatis favorem interpretari iussit, sublata aliter iudicandi facultate;

§ 23. Et si forte contingeret aliquod dubium in dictis, per ipsum Clementem praedecessorem confirmatis, aut literis suis super praemissis conficiendis huiusmodi, aut aliquo eorum pro tempore emergi, data verborum ambiguitate, et iurisperitorum interpretatione, in dictae societatis de novo erectae ac illius locorum particularium et personarum favorem interpretari debere. Sicque per quoscumque iudices[1] et extraordinarios ac delegatos et causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales sententiari, iudicari et definiri debere, sublata eis et eorum cuilibet quacumque alia iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, irritum quoque et inane quicquid secus fieri sive attentari contingeret, decrevit.

Executores dictae bullae deputavit;

§ 24. Ac voluit et concessit universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus ac aliis in dignitate ecclesiastica constitutis personis, ac quarumcumque metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum canonicis, necnon praefatorum patriarcharum ac archiepiscoporum et episcoporum in spiritualibus vicariis et officialibus generalibus dari in mandatis quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, literas desuper conficiendas huiusmodi, cum confectae forent, ac in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, ipsisque Eremitis seu fratribus ac personis praedictis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistere, ac facere eosdem Eremitas ac alias personas omnibus praemissis pacifice frui et gaudere, non permittentes ipsos seu ipsas super iis per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles, per censuras ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, et legitimis super iis habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas iteratis vicibus aggravandi, invocato etiam ad id, si opus foret, auxilio brachii saecularis.

Contrariis quibuscumque amplissime derogavit.

§ 25. Non obstantibus praemissis ac Clementis (per quam, inter alia, voluerat quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum communem aestimationem, tam beneficii uniendi quam illius cui unio fieri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset); necnon Pauli, praedecessorum praedictorum, ac similis memoriae Innocentii IV, contra exemptos edita, quae incipit *Volentes;* necnon quibus cavetur quod nullus extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati forent, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumerent, et Bonifacii VIII Romani Pontificis, etiam praedecessorum nostrorum; et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo non ultra tres diaetas aliquis, dictarum literarum desuper conficiendarum auctoritate, non traheretur; et quibusvis aliis apostolicis, necnon provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus et speciali-

[1] *Ordinarios* addit Cherub. (R. T.).

bus constitutionibus et ordinationibus; ac prædictarum ecclesiarum, monasteriorum etiam S. Antonii de S. Antonio, Ordinis S. Augustini, Viennensis dioecesis, et religiosorum locorum ac Ordinum quorumcumque, etiam Camaldulensis huiusmodi, ac aliorum, etiam Mendicantium et non Mendicantium, statutis et consuetudinibus, etiam illis in quibus cavebatur ut mulieres ad dictum eremitorium S. Hieronymi de Pascilupo, sub excommunicationis latae sententiae poena, numquam accederent, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque et indultis ac literis apostolicis Camaldulensi aliisque Ordinibus Mendicantium et non Mendicantium et Militiarum ecclesiis, monasteriis et S. Antonii huiusmodi, necnon universitatibus, congregationibus, societatibus, communitatibus, collegiis et ceteris aliis personis et locis per eumdem Clementem praedecessorem et Sedem praedictam, sub quibusvis verborum formis et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis, illis praesertim quibus, inter alia, caveri dicebatur expresse quod nulli fratres seu monaci, de dictis etiam Mendicantium Ordinibus, ad alium Ordinem etiam strictiorem, transeuntes, per superiores, priores et alios fratres Ordinum aut societatum, ad quos, si transierint, etiam de licentia eorumdem superiorum petita et obtenta, recipi et admitti possent, alias recipientes et recepti excommunicationis sententiam incurrerent; ipsique sic vel alio modo recepti, ad aliquod officium seu praelaturam eiusdem Ordinis, in quo recipiebantur, eligi non possent, absque Apostolicae Sedis speciali et expressa licentia, per ipsius Sedis patentes literas concedenda, facientes plenam ac certam et determinatam de statuto et ordinatione huiusmodi expressam et individuam mentionem Quibus omnibus, etiam si pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio seu quaevis alia expressio habenda vel aliqua alia exquisita forma servanda foret, dictus Clemens praedecessor eorum tenores et formas illarum concessionum, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habens, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat, auctoritate praedicta, specialiter et expresse dederogavit, ceterisque contrariis quibuscumque.

Et quoniam dicta bulla Clementis VII, ob ipsius obitum, expedita non fuit, hic Pontifex eam validat a die datae;

§ 26. Ne autem de absolutione, erectione, institutione, approbatione, confirmatione, suppletione, concessione, assignatione, exemptione, liberatione, susceptione, inhibitione, statuto, ordinatione, indulto, voluntate, mandato, decreto et derogatione praedictis, pro eo quod super illis dicti Clementis praedecessoris, eius superveniente obitu, literae confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari; ipsique maior, visitatores, priores, officiales et fratres illorum frustrentur effectu, volumus et similiter apostolica auctoritate decernimus quod absolutio, erectio, institutio, approbatio, confirmatio, suppletio, concessio, assignatio, exemptio, liberatio, susceptio, inhibitio, statutum, ordinatio, indultum, voluntas, mandatum, decretum et derogatio Clementis praedecessoris huiusmodi perinde a dicta die tertio nonas septemb. suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis praedecessoris literae, sub eiusdem diei datam, confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes literae ad probandum plene absolutionem, erectionem, institutionem, approbationem, confirmationem, suppletionem, concessionem, assignationem, exemptionem, liberationem, susceptionem, inhibitionem, statutum, ordinationem, indultum, voluntatem, mandatum, decretum et derogationem

Clementis praedecessoris huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Deputatque executores huius constitutionis.

§ 27. Quocirca universis ac singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis abbatibus ac aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, necnon metropolitanarum et aliarum ecclesiarum canonicis, ac eorumdem patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum vicariis in spiritualibus ac officialibus generalibus per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel per alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte maioris, visitatorum, priorum, officialium et fratrum praedictorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes literas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos eaedem praesentes literae concernunt, illis pacifice gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super iis habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, iuxta voluntatem et concessionem Clementis praedecessoris huiusmodi. Non obstantibus omnibus supradictis aut si aliquibus, communiter vel divisim, a dicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimoquarto, tertio nonas novembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 nov. 1534, pontif. anno I.

II.

Quod omnes gratiae et exemptiones concessae et concedendae per Sedem Apostolicam locis et personis Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum in provincia Castellae et Legionis ac Bethicae, concessae censeantur locis et personis eiusdem Ordinis in regno Portugalliae [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Inter curas multiplices, quae nobis ex apostolatus officio incumbere dignoscuntur, illam libenter amplectimus, per quam status personarum quarumlibet, praesertim religiosorum (quorum precibus assiduis et sanctis operationibus propitiatur Altissimus), non solum ubique floreat, sed etiam, auctore Domino, felicibus proficiat incrementis.

Causa huius communicationis indultorum.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum moderni provincialis et aliorum ministrorum ac conventuum et monasteriorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum, regni, et secundum [2] ipsius Ordinis, provinciae Portugalliae, nobis nuper exhibita petitio continebat quod, licet ipsa privilegia, exemptiones, concessiones et indulta monasteriis eiusdem Ordinis provinciae Castellae et Legionis ac Bethicae, secundum morem huiusmodi, ac eorumdem provinciae Castellae et Legionis ac

[1] Alia de hoc Ordine notata sunt in constitutione XVII Innocentii III, *Operante*, tom. III, p. 135.
[2] Deest forte mor... (R. T.).

Bethicae illiusque monasteriorum provinciali et ministris ac conventibus et forsan in genere toti Ordini praedicto per Sedem Apostolicam concessa, ad monasteria Ordinis regni et provinciae Portugalliae huiusmodi, illorum provincialem et alios ministros ac conventus praefatos se extendere credant, tamen a nonnullis de huiusmodi extensione haesitatur, maxime cum in toto regno et provincia Portugalliae praedictis duo dumtaxat exigui valoris conventualia monasteria necnon, in quibus solum dicti Ordinis fratres resident, duo eremitoria sive oratoria existunt; ac iidem provincialis et alii ministri, necnon conventus ipsius regni de privilegiis huiusmodi, quibus se tueantur, ob eorum paupertatem et praelatorum Ordinis, qui hactenus fuerunt, incuriam, realiter docere nequeant, quo fit ut provincialis et alii ministri, necnon conventus praefati ac personae Ordinis regni Portugalliae illorumque monasteriorum huiusmodi, tam in personis quam in rebus, a locorum ordinariis et aliis iudicibus ecclesiasticis ac saecularibus passim indebite molestentur, ac in suis iuribus opprimantur: et frequenter praefati iudices, ob privilegiorum huiusmodi carentiam, eisdem provinciali et aliis ministris, conventibus et personis, etiam pro quacumque levissima re, diversas iniurias et diversa opprobria inferendi occasionem assumant, quae dicti provincialis et alii ministri ac conventus, si huiusmodi privilegia penes se haberent, sibi inferri non permitterent, unde Religio ab illarum partium fidelibus parvipenditur, et illarum solita devotio frigescit, ac monasteria ipsa religiosis destituuntur, et divinus cultus in eis, necnon eleemosynae et piae largitiones ab eisdem fidelibus erogari solitae (ex quibus ipsi provincialis et alii ministri ac personae Ordinis et regni Portugalliae praedictorum vitae subsidium recipiunt) in dies diminuuntur. Quare, pro parte moderni provincialis et aliorum ministrorum ac conventuum regni et provinciae Portugalliae praedictorum, nobis fuit humiliter supplicatum ut eis eorumque monasteriis et in illis degentibus personis, ut huiusmodi privilegiis gaudere possint, concedere, ac alias eorum incolumitati in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Communicatio privilegiorum

§ 2. Nos igitur, qui Ordinem praedictum in visceribus gerimus caritatis, et illius personarum prosperum statum paterno zelamus affectu, modernum provincialem et alios ministros, necnon conventus monasteriorum regni et provinciae Portugalliae huiusmodi ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, exemptiones, concessiones et indulta, provinciali et aliis ministris et superioribus, necnon conventibus ac singulis religiosis personis dicti Ordinis praefatae provinciae Castellae et Legionis ac Bethicae seu illorum monasteriis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac per nos et Sedem praedictam, quomodocumque ac sub quibuscumque modis, tenoribus et formis ac verborum expressionibus, generaliter concessa et pluries confirmata, quorum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, ac in posterum concedenda et confirmanda, provinciali et aliis ministris, necnon conventibus ac singulis religiosis personis Ordinis regni et provinciae Portugalliae huiusmodi, nunc et pro tempore existentibus, ac eorum monasteriis praesentibus

et futuris: ita ut ipsi huiusmodi privilegiis, exemptionibus, concessionibus et indultis praedictis, ubicumque, in iudicio et extra, utantur, potiantur et gaudeant, ac uti, potiri et gaudere possint, pariformiter et aeque principaliter, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus; illaque eisdem provinciali et aliis ministris ac conventibus, necnon singulis religiosis personis Ordinis regni ac provinciae Portugalliae illorumque monasteriis huiusmodi in utroque foro suffragari; ac etiam, quoad eos, etiam sub sententiis, censuris et poenis, ac cum clausulis necnon decretis in literis apostolicis desuper confectis contentis, iuxta illorum tenorem, observari, in omnibus et per omnia, ac si illa eidem provinciali et aliis ministris, necnon conventibus et singularibus religiosis personis Ordinis regni et provinciae Portugalliae illorumque monasteriis huiusmodi, primo et principaliter concessa fuissent, si eis tali modo concederentur.

Sublata aliter iudicandi facultas.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon quidquid secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti Ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ac quibusvis privilegiis, indultis et literis apostolicis, quibusvis ecclesiis ac illarum praesulibus et capitulis, necnon locorum ordinariis et aliis personis ecclesiasticis et saecularibus, cuiuscumque, etiam archiepiscopalis, dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, excellentiae et praeeminentiae existentibus, etiam cardinalatus honore fulgentibus, ac alias Ordinibus, congregationibus et conventibus ac monasteriis, quomodolibet ac sub quibuscumque tenoribus et formis, necnon cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis, ac concedendis, approbandis et innovandis: quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad haec servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso ac forma in illis tradita observata, insererentur, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ac omnibus illis, quae in literis apostolicis privilegiorum, exemptionum et indultorum, provinciali et aliis ministris, conventibus et religiosis personis ac monasteriis Ordinis provinciae Castellae et Legionis ac Bethicae concessorum huiusmodi concessum fuit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§ 5. Decernentes quod singulis, tam praesentium quam privilegiorum provinciae Castellae et Legionis ac Bethicae huiusmodi, concessarum literarum transumptis, pro provinciali et aliis ministris ac conventibus et religiosis personis, necnon monasteriis Ordinis et provinciae Portugalliae huiusmodi ac eorum singulis conficiendis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo

quingentesimo trigesimo quarto, idibus novembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 nov. 1534, pontif. anno I.

III.

Qui veri sint et familiares et continui commensales Summi Romani Pontificis.

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Paulus, divina providentia Papa III.

Causa declarationis. Provide considerans retroactis temporibus pluries dubitatum fuisse an referendarii et alii officiales, ex Palatio Apostolico panem habentes, secretarii apostolici, literarum apostolicarum scriptores, cubicularii, milites Sancti Petri ceterique officiales Sanctitati Suae seu Romano Pontifici pro tempore existenti in eodem Palatio deservientes aut custodiam facientes, fuerint et sint Sanctitatis Suae et Romanorum pro tempore Pontificum veri et indubitati, et non per privilegium, familiares et continui commensales.

Declaratur qui sint veri familiares Papae. § 1. Eadem Sanctitas Sua huiusmodi ambiguitatem in futurum tollere volens, ex certa scientia declaravit referendarios et alios officiales ex dicto Palatio panem habentes, protonotarios, subdiaconos, auditores Rotae, acolitos, scutiferos, secretarios, literarum apostolicarum scriptores, cubicularios ac milites Sancti Petri reliquosque officiales eidem Sanctitati Suae et Romano Pontifici pro tempore existenti in Palatio deservientes aut custodiam facientes, licet in eodem non habitaverint, nec habitent, nec forsan habitabunt, nec in tinello comederint nec comedant, nec in futurum forsan comedent, in posterum veros et indubitatos Sanctitatis Suae et Romanorum pro tempore Pontificum, et non per privilegium nec ficte, familiares et continuos commensales censeri, reputari et esse; ita ut regulis, tam editis quam edendis, de veris familiaribus et continuis commensalibus Suae Sanctitatis et Romanorum pro tempore Pontificum loquentibus, in posterum potiantur et gaudeant, ac eis quoque quoad omnia subiiciantur, etiam ad hoc ut Sanctitas Sua et alii Pontifices, occurrentibus vacationibus beneficiorum ecclesiasticorum per eos obtentorum et obtinendorum, qualitercumque qualificatorum, per obitum eorumdem in Romana Curia vel extra, ad collationem, provisionem, praesentationem seu quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum et collatricum, communiter vel divisim pertinentium, providere et de illis disponere libere et licite valeant in omnibus et per omnia, ac si referendarii, secretarii, scriptores et alii officiales huiusmodi ac deservientes supradicti in Palatio habitassent, et in tinello vere et realiter comedissent.

Clausula sublata etc. § 2. Et ita per quoscumque iudices, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, et sacri Palatii Apostolici causarum auditores, de cetero iudicari [1] et interpretari debere statuit, sublata eis aliter interpretandi et iudicandi potestate. Decernens irritum et inane *etc.*

Derogatio contrariorum. § 3. Constitutionibus, ordinationibus et regulis apostolicis, privilegiis quoque et indultis, tam ordinariis collatoribus, quam quibuscumque aliis personis, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis vel conditionis existentibus, concessis et concedendis, cum quibusvis clausulis derogatoriarum [2] praeservativis, restitutivis, irritativis, annullativis et aliis decretis, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis haberi voluit, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Placet, publicetur et describatur. A.

(*Papae subscriptio*).

Publicatio. Lecta et publicata fuit suprascripta constitutio sive declaratio in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae

1 *Sententiari* addit Cherub. (R. T.). 2 Deest forte *derogatoriis*, (R. T.).

millesimo quingentesimo trigesimo quarto, die Martis, vigesima secunda mensis decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pauli, divina providentia Papae tertii, anno 1.

Pub. die 22 decembris 1534, pontif. anno 1.

Sequitur declaratio dictae constitutionis.

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Paulus divina providentia Papa III.

Cui dudum postquam unam constitutionem suam *etc.* [1].

Primum dubium ortum super verbis praecedentis constitutionis.

§ 1. Innotuit qualiter, inter ceteros in eadem constitutione nominatos, referendarii et auditores, referendariatus et auditoriatus, ac nonnulli aliorum officiorum, quae obtinebant, ratione, ut singuli de ipsorum collegiis, necnon ex scriptoribus unus tamquam referendarius officium actu exercens, et alius tanquam decanus antiquitatis, et forsan in aliis collegiis unus vel duo aut forsan plures, et non singuli, ipsorum collegiorum ratione, panem ex Palatio Apostolico habeant, tamen custodiam non faciunt, a nonnullis asserebatur constitutionem praedictam in habentibus panem in Palatio, et custodiam facientibus coniunctim locum habere, et effectum sibi vindicare, et non alias nec alio modo procedere.

Declaratio primi dubii.

§ 2. Ambiguitatis dubium submovere volens, primo, vivae vocis oraculo declaravit et decrevit constitutionem ipsam etiam in die publicationis illius intelligi locumque vendicare, et procedere posse et debere, sive dicti officiales vel quicumque alii, coniunctim aut divisim, panem ex Palatio haberent, et in eodem custodiam facerent, etiam si iidem officiales et alii, per quorum obitum beneficia, ut praefertur, vacaverint, panem non habuissent, nec in ipso Palatio custodiam fecissent, ac beneficia per eosdem officiales et alias, ut praefertur, obtenta, per obitum etiam eorumdem officialium in dicta Curia vel extra eam vacarent, et ad collationem, provisionem, praesentationem seu quamvis aliam dispositionem, etiam S. R. E. cardinalium et quorumcumque aliorum collatorum et collatricum, communiter vel divisim, spectarent.

Secundum dubium ortum ob non publicationem dictae declarationis.

§ 3. Postea accepit quod, pro eo quod de posteriori declaratione huiusmodi alias non apparebat, adhuc ab aliquibus in dubium revocaretur quod contingere posset eos, quibus de beneficiis huiusmodi per obitum dictorum officialium ac aliorum sic, ut praefertur, vacantibus, per Suam Sanctitatem provisum seu provideri concessum extitit, aut in futurum provideri, vel quod provideretur concedi contigerit, desuper in futurum posse molestari.

Declaratio secundi dubii.

§ 4. Motu proprio *etc.*, per aliam suam constitutionem, quam et literas desuper expeditas, etiam quod in eadem Cancellaria lecta et publicata non esset, arctare voluit, sub data decimonono kalendas septembris, eiusdem pontificatus sui anno secundo, inter alia, fidem fecit, ac in verbo Romani Pontificis attestatus fuit semper suae incommutabilis mentis fuisse et tunc esse quod etiam posterior declaratio huiusmodi, etiam quod aliter in dicta Cancellaria lecta et publicata non foret, ab illius data valeret et ligaret; ac omnibus et singulis, quibus de singulis aut pluribus beneficiis praedictis, ut praefertur, provisum seu provideri concessum extitit, aut in futurum provideri seu quod provideatur concessum fuerit, suffragaretur etiam in omnibus et per omnia, ac si dicta die vigesimasecunda martii [1] in dicta Cancellaria lecta et publicata fuisset, cum de sic iudicando et aliis clausulis, etiam irritantibus decretis, in literis desuper confectis latius continetur.

§ 5. Cum Sanctitati Suae, etiam novis-

1 Cetera ut supra.

1 Leg. f. *dicta die Martis, vigesima secunda decembris* ut in principio huius paginae (R. T.).

Tertium dubium. sime innotuerit, ab aliquibus, etiam plusquam conveniat sapere volentibus, praetendi constitutionem et declarationem praedictas forsan ad de numero participantes et alios non participantes, praesertim Romanorum Pontificum praedecessorum suorum ac etiam pontificatus sui tempore, etiam per S. R. E. cardinales, etiam de latere, et alios legatos sive nuncios apostolicos, etiam facultatem legatorum de latere habentes, quorum numerus nimis iam excrevisse asseritur, pro tempore creatos notarios apostolicos, supernumerarios nuncupatos, et omnes alios officiales in dicta constitutione nominatos et expressos, qui in eodem Palatio forsan non habitant nec in posterum habitabunt, aut in tinello nunc non comedunt neque forsan in posterum comedent, minusque Sanctitati Suae deserviunt neque Romano Pontifici pro tempore existenti in futurum deservient, aut custodiam non faciunt aut non facient, non extendi, neque eosdem comprehendere, neque in illis procedere aut locum sibi vendicare.

Declaratio tertii dubii. § 6. Ad huiusmodi etiam ulterioris ambiguitatis dubium resecandum, constitutionem regulamque necnon declarationem praedictas, etiam cum omnibus et singulis decretis et aliis clausulis quibuscumque in illis respective contentis et expressis, pro insertis et expressis habens, decrevit et declaravit, fidemque indubiam facit et attestatur mentis et intentionis suae semper fuisse et esse, tam a die editionis et publicationis singularum constitutionum sive regulae ac declarationis praedictarum, quam etiam cuiuslibet ipsarum, tam de numero participantium quam non participantium notariis praedictis, ac etiam omnibus et singulis aliis officialibus in dicta constitutione sive regula et declaratione, ut praefertur, nominatis, intelligi, locumque sibi vendicasse et processisse, ac vendicare et procedere debere: iam quod quicumque participantes et non participantes notarii, aliique omnes et singuli officiales praedicti, in dicta constitutione sive regula et declaratione quomodolibet nominati et expressi, panem ex Palatio non haberent, non habuerint et non habeant, et custodiam in eo non fecerint et non faciant, aut aliter Suae Sanctitati, et Romano Pontifici pro tempore existenti, in Palatio Apostolico vel extra, aliquo modo non servierint neque serviant, vel alias quomodolibet in Palatio Apostolico non habitaverint et non habitent, et custodiam in eo non fecerint et non faciant; et nihilominus singulas constitutiones et declarationes praedictas et ipsarum quamlibet, etiam cum omnibus et singulis clausulis et decretis in illis contentis, illas pro expressis et insertis habens, ad quoscumque non participantes notarios per eosdem Romanos Pontifices, et per Sanctitatem Suam creatos tantum restrinxit et reduxit, ac restringit et reducit; illasque minime ad non participantes et supernumerarios notarios, ab eisdem cardinalibus de latere et aliis legatis et nunciis apostolicis, etiam facultatem et auctoritatem legati de latere habentibus, creatos, in eadem regula sive constitutione et declaratione nullatenus contineri nec comprehendi posse nec valere aut debere, ac si specialiter et individue expressa fuissent, perpetuis futuris temporibus valere et observari debere.

§ 7. Et ita per quoscumque iudices, Aliter iudicare vetatur. etiam Palatii Apostolici causarum auditores et alios quoscumque iudices, etiam in quibuscumque causis, etiam pendentibus, et in quibuscumque inter omnes et singulos iudicari et sententiari et definiri debere statuit, voluit, decrevit et ordinavit, sublata *etc.*

§ 8. Praesentemque, prout moris est, in Iussio publicandi. dicta Cancellaria legi et publicari, et inter alias regulas Cancellariae, ut moris est, describi et adnotari mandavit.

Placet, et publicetur et describatur. A.
(Papae subscriptio).

Publicatio. Lecta et publicata fuit suprascripta regula sive constitutio Bononiae in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, die Veneris, decimoctava maii.

IV.

Iudices et officiales Romanae Curiae non concedant transumpta supplicationum, neque eorum praetextu mandata adipiscendi possessionem beneficiorum, vigore supplicationum, nisi prius literis apostolicis desuper expeditis [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Iudicibus Romanae Curiae iam prohibuit concedere transumpta supplicationum et, eorum vigore, mandata capiendi possessionem beneficiorum.

§ 1. Cum nobis, inter alia, innotuisset quod nonnulli iudices Romanae Curiae transumpta supplicationum super provisionibus beneficiorum ecclesiasticorum et aliis gratiis signatarum et registratarum, ac ipsarum supplicationum praetextu, literas et mandata de adipiscenda possessione beneficiorum in illis expressorum, antequam literae apostolicae super huiusmodi supplicationibus expeditae essent, concedebant. Volentes huiusmodi abusibus et fraudibus congruis remediis obviare, inhibuimus quibusvis iudicibus dictae Curiae, quavis auctoritate fungentibus, cum appositione decreti irritantis, ne transumpta supplicationum apostolicarum neve literas seu mandata, ipsarum supplicationum vigore, possessionem beneficiorum apostolicorum apprehendendi, dare et concedere quomodolibet praesumerent, prout in constitutione nostra desuper edita et in Cancellaria Apostolica publicata plenius continetur.

Innovat eamdem prohibitionem cum appositione poenae excommunicationis latae sententiae, et alias innovat poenas contra tabelliones de illis rogatos.

§ 2. Nos, constitutionem huiusmodi, auctoritate apostolica, tenore praesentium innovantes, et perpetuis futuris temporibus pro lege observari debere decernentes, hoc perpetuo edicto, omnibus et singulis, tam archivii dictae Curiae scriptoribus quam Camerae Apostolicae gubernatoris ac vicarii Urbis notariis ceterisque officialibus dictae Curiae et tabellionibus publicis quibuscumque, sub excommunicationis latae sententiae poena in eorum singulos qui contra fecerint, earumdem tenore praesentium, auctoritate apostolica praefata inhibemus ne de cetero de transumptis supplicationum, praeterquam habentium clausulam quod earumdem sola signatura sufficiat, ac de decreto et concessione literarum et mandatorum huiusmodi derogari debeant, neve illa scribere vel subscribere, aut quovis modo authenticare vel partibus tradere quovis modo praesumant. Volentes et eadem apostolica auctoritate statuentes quod notarii et officiales et tabelliones praefati, qui dictam excommunicationis sententiam incurrerint, ab illa, nisi per nos aut successores nostros canonice intrantes, absolvi non possint, praeterquam in mortis articulo constituti. Quodque, ultra eamdem excommunicationis sententiam, pro prima vice, vigintiquinque ducatorum, et suspensionis a perceptione emolumentorum officiorum suorum ad tres menses, per datarium vel Cancellariae Apostolicae regentem pro tempore existentes irremissibiliter exigendarum, ac fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe applicandorum; et si secundario deliquerint, ipsorum officiorum privationis poenas incurrant eo ipso.

Utentibusque dictis transumptis et mandatis poenam amissionis fructuum

§ 3. Necnon partes transumptis seu literis aut mandatis huiusmodi deinceps utentes, ac, illorum praetextu, possessionem beneficiorum apostolicorum appre-

[1] Quae notarii Rev. Camerae Apostolicae servare debeant circa consensus cessionis iurium aut resignationis beneficiorum sunt sup. in constitutione XVII Clem. VII, *provide*, pag. 99

et inhabilitatis ad illa beneficia infligit;

hendentes, fructus, quos ex illis pro tempore perceperint, suos non faciant; quinimo ad beneficia in eisdem transumptis ac literis et mandatis expressa perpetuo efficiantur ipso facto inhabiles, et ad restitutionem fructuum ex illis perceptorum in utroque foro teneantur.

Et ita, non aliter, iudicari mandat;

§ 4. Decernentes sic per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam si sint S. R. E. cardinales aut Palatii Apostolici causarum auditores, in quibuscumque causis et quibusvis illarum instantiis sententiari et iudicari debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter sententiandi et iudicandi facultate; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat;

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque et indultis apostolicis, iudicibus, notariis, officialibus, tabellionibus praedictis eorumque collegiis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, quae ipsis contra praemissa nullatenus volumus suffragari, ceterisque contrariis quibuscumque.

Hanc constitutionem publicari et inter alias extravag. describi iubet.

§ 6. Volumus autem praesentes in dicta Cancellaria, ut moris est, publicari, et in illius quinterno, inter alias extravagantes, ad perpetuam rei memoriam, describi, ac a die publicationis ligare, et sub poenis praedictis perpetuo, inconcusse et inviolabiliter observari.

Placet, publicetur et describatur. A.

(*Papae subscriptio*).

Publicatio.

Lecta et publicata fuit suprascripta regula Romae in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo quarto, die sabati tertiadecima mensis martii [1], pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pauli, divina providentia Papae III, anno I.

Pub. die 13 martii 1535, pont. an. I.

V.

De Rotae institutione in civitate Bononiae provinciae Lombardiae et Status Ecclesiastici, causisque cognoscendis et terminandis in ea.

Paulus Papa III, ad futuram rei memoriam.

Proemium.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio, quo unicuique in administranda iustitia huiusmodi personis quibuslibet, praesertim nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectis consulitur, nostrae vigilantiae partes propensius impartimur.

Hic Pontifex in civitate Bononiae Rotam erigi indulsit, auditorumque eligendorum qualitates et iurisdictionem praefinivit.

§ 1. Exponi nobis fecerunt dilecti filii vexillifer iustitiae et quadraginta reformatores status libertatis ecclesiasticae civitatis nostrae Bononiae quod, licet in primordio nostrae ad summum apostolatus apicem assumptionis, dictorum vexilliferi ac reformatorum supplicationibus inclinati, quod, in dicta civitate, Rota, perpetuis temporibus duratura et singulo quinquennio renovanda, fieret et erigeretur, et pro ea facienda ac erigenda quinque doctores excellentes, et usu ac peritia iudicandi praestantes, aliunde quam ex ipsa civitate aut eius comitatu sive districtu oriundi, et qui in eadem civitate saltem per integri anni intervallum non habitassent, qui omnes causas civiles dumtaxat, certam summam excedentes, in prima, secunda et ulteriori instantiis cognoscere et terminare habeant, cum modis et oneribus, capitulis et provisionibus necessariis et opportunis, ac per partita inter eosdem vexilliferum et reformatores, legitime, more solito, in praesentia et de consensu

[1] Hic profecto legendum *anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto*. Die enim XIII mensis martii MDXXXIV Alexander Farnesius in Summum Pontificem nondum electus fuerat; nec tempori respondet *sabbati* circumstantia, quae diei XIII mensis martii MDXXXV belle quadrat (R. T.).

pro tempore existentis nostri in dicta civitate legati seu eius vicelegati, obtinenda, statuendis et declarandis, eligerentur; et ex eisdem quinque doctoribus singulis annis potestas eiusdem civitatis deputaretur; ipsique omnes, post duos annos immediate subsecuturos, syndicatui de eis faciendo subiacere deberent, et dum Rotae huiusmodi praesiderent, nullum alind officium nec iurisdictionem aliquam in dicta civitate habere aut obtinere possent statuerimus et ordinaverimus, prout in capitulis de mandato nostro signatis plenius continetur.

Nunc civitas supplicat pro indulto ne et dicta Rota causae avocari possint.

§ 2. Nihilominus, quia contingere posset causas in eadem Rota pendentes, vigore commissionum, ad importunam partium instantiam, per nos seu de mandato nostro pro tempore signatarum, ab illa avocari, ac aliis iudicibus, tam in partibus quam in Romana Curia, committi; ac cives et incolae civitatis et comitatus ac districtus praedictorum erectione Rotae huiusmodi frustrari, et circa persecutionem causarum et litium suarum diversis expensis et laboribus fatigari, in eorum grave dispendium, nobis humiliter supplicari fecerant ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Et ipse Pontifex hoc indultum concedit:

§ 3. Nos igitur, qui nostrorum et dictae Sedis subditorum dispendiis, quantum cum Deo possumus, libenter occurrimus, dictorum vexilliferi et reformatorum supplicationibus inclinati, quod de cetero omnes et singulae causae civiles, inter cives et incolas pro tempore exortæ, summam praedictam excedentes, in quacumque instantia, in eadem Rota et non alibi cognosci et terminari debeant; quodque ab illa quovis modo, nisi per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, et in vim commissionis, per nos seu eosdem successores nostros, nostra vel eorum propria manu et per hoc verbum, *Placet*, signatae, nisi de utriusque partis consensu, avocari non possint; nec potestas aut auditores praefati, inhibitionibus seu mandatis eius, vigore commissionum aliter quam ut praefertur signatarum, factis, etiam quascumque sententias, censuras et poenas, etiam pecuniarias, in se continentibus, parere teneantur; nec ob non paritionem huiusmodi aliquibus sententiis, censuris, poenis praedictis innodari aut illas incurrere quovis modo possint, auctoritate apostolica, tenore praesentium et ex certa scientia statuimus et ordinamus.

Decretum irritans apponit.

§ 4. Decernentes ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI iulii, millesimo quingentesimo trigesimo quinto, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 iulii 1535, pontif. anno I.

VI.

Comprobatio congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati, cum praefinitione quarumdam ordinationum et concessione privilegiorum [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Antonio Maria de Zaccharia et Bartholomaeo de Ferrariis, presbyteris Cremonensi et Mediolanensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Refertur constitutio Clementis VII, de qua in nota.

Dudum felicis recordationis Clementi Papae VII, praedecessori nostro, pro parte vestra exposito quod vos, cum tribus aliis vestrae voluntatis sociis, ut liberius divinis beneplacitis insistere, et quae Dei erant,

1 Istam congregationem primo approbavit Clemens VII in eius constitutione XLV, *Vota*, pag. 160 huius tomi.

perquirere possetis, cupiebatis professionem trium votorum substantialium Religionis in manibus tunc archiepiscopi Mediolanensis seu eius tunc vicarii in spiritualibus generalis emittere, et insimul in aliquo loco civitatis seu dioecesis Mediolanensis, per vos eligendo, morari ac remanere; idem praedecessor, vestris in ea parte supplicationibus inclinatus, vobis et vestrum singulis, ut professionem ipsam in eiusdem archiepiscopi seu vicarii, qui vero ad vos de cetero converti vellent, in alterius vestrum seu praepositi vestrae congregationis pro tempore existentis manibus professionem trium votorum eorumdem emittere, ac insimul, sub obedientia tamen ordinarii loci, in ipso loco per vos eligendo cohabitare, et in communi vivere, necnon pro vestro et rerum vestrarum salubri statu ac directione, quaecumque statuta et ordinationes, rationabilia et honesta ac sacris canonibus non contraria condere et facere, illaque, ut vobis pro temporum qualitate expedire videretur, mutare et in totum tollere, aliaque illorum loco de novo facere, libere et licite valeretis concessit et indulsit, prout in eiusdem praedecessoris literis, desuper in forma brevis confectis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, plenius continetur.

Pii viri, qui istam congregationem instituerunt, supplicarunt PP. pro hic relatis.

§ 1. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecistis, vos et nonnulli alii eiusdem voluntatis socii vestri, qui professionem aliquam nondum emisistis, divina, ut creditur, inspiratione ducti, cupientes cum maiori animi quiete Deo servire, et illi magis adhaerere posse, tria substantialia religiosae vitae, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae vota emittere, et sub solito et communi habitu clericali in unum habitantes, et in communi ac de communi viventes, necnon Deo humiliter et devote, quantum ipse dederit, servientes, sub nostra et Apostolicae Sedis humili et immediata subiectione et speciali protectione clericalem vitam ducere, ac praedicationi verbi Dei, audientiae confessionum et administrationi sacramentorum, sacraeque theologiae et sacrorum canonum studiis, ad vestrarum et aliorum christifidelium animarum profectum vacare decreveritis, nobis humiliter supplicari fecistis ut vobis in praemissis benigne annuere ac opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Qui eis licentiam emittendi tria vota substantialia concedit,

§ 2. Nos igitur, qui omnium christifidelium piis et honestis desideriis libenter annuimus, vestrum in hac parte laudabile desiderium plurimum in Domino commendantes, vestrisque huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis et cuilibet vestrum ut, quandocumque vobis visum fuerit, possitis tria substantialia religiosae vitae, ut petitis, paupertatis, castitatis et obedientiae vota publice emittere, in manibus cuiuscumque presbyteri saecularis vel cuiusvis Ordinis regularis solemniter profiteri.

Et habitum clericalem deferendi, et in communi et de communi vivendi sub protectione Sedis Apostolicae ad quinquennium I,

§ 3. Ac sub solito et communi habitu clericali, subque nomine et nuncupatione Clericorum Regularium, in communi ac de communi viventes, in locis religiosis aut saecularibus, prout vobis ab illis, quorum loca ipsa fuerint, concessum fuerit, seu expedire videbitur, sub nostra et huius sanctae Sedis Apostolicae immediata subiectione et speciali protectione, ad quinquennium dumtaxat in unum habitare.

Praepositum ad triennium eligendi,

§ 4. Atque ex vobis et inter vos singulis annis superiorem, praepositum nuncupandum, qui usque ad triennium et non ultra confirmari possit, eligere.

Aliosque ad Religionem recipiendi,

§ 5. Ac alios quoscumque saeculares clericos, quavis dignitate fulgentes, episcopo tamen inferiores, ac etiam laicos, qui, Deo aspirante, ad huiusmodi vitae frugem et communem vivendi modum

1 Hoc fuit perpetuatum, ut infra proximo.

sese conferre voluerint, recipere; et, post annuam probationem, ad talem trium votorum professionem in manibus ipsius superioris emittendam, et ad huiusmodi communem vivendi modum admittere.

Officia divina recitandi,

§ 6. Ac horas canonicas diurnas pariter et nocturnas, necnon missas et alia divina officia, simul et divisim, secundum usum et morem Romanae Ecclesiae, etiam iuxta breviarium noviter compilatum, ita tamen quod, cum publice ea recitaveritis, vos invicem conformetis, in ecclesia dicere et recitare.

Sacramenta administrandi;

§ 7. Necnon quibuscumque fidelibus vere poenitentibus et confessis, ad vestram ecclesiam pro tempore accedentibus, quocumque anni tempore, praeterquam in festo Paschatis Resurrectionis Dominicae, Eucharistiae et alia ecclesiastica sacramenta ministrare libere et licite valeatis; et ad alium usum super huiusmodi horis, missis et officiis dicendis observandum minime teneamini, nec ad id a quoquam inviti compelli valeatis.

Praepositoque detur facultatem dispensandi cum infirmis et eos curantibus, circa recitationem divini officii,

§ 8. Necnon ut dictus superior vester pro tempore existens, clerici et socii vestri, qui infirmitate gravati, aut circa infirmorum in domibus vestris morantium curationem adeo impediti fuerint, ut congruum eis tempus ad divinorum officiorum recitationem non supersit, ut infirmitate aut circa infirmos occupatione huiusmodi durante, certum psalmorum, per ipsum superiorem eis assignandorum, numerum, non minus septem aut sex, cum divisione, et Orationem Dominicam septies, ac Symbolum Apostolorum bis; graviter autem aegrotantibus Orationem Dominicam semel, et Salutationem Angelicam septies in die recitando, septem horis canonicis et toti divino officio satisfecisse censeantur; et cum quibusvis clericis et sociis vestris super praeventione vel postpositione temporis recitationis horarum canonicarum, aliqua subsistente causa legitima, dispensare.

Et etiam circa ieiunia,

§ 9. Quodque tempore ieiunii, etiam de praecepto, etiam tempore quadragesimae, cum his, qui indiguerint, quorum conscientiae acquiescant, ut collationem, etiam cum pane, facere possint et valeant, auctoritate nostra dispensare.

Formamque absolutam in absolvendis confitentibus omnibus de congregatione concedit;

§ 10. Ac quod vos inter vos mutuas, seu etiam alii sacerdotes, saeculares vel regulares, a vobis, de superiorum vestrorum licentia, ad hoc pro tempore eligendi, vestras, ac vos, dum illi confessores vestri fuerint, eorum confessiones audientes, in absolutionibus, congrua tamen satisfactione praemissa, faciendis, sic inter vos hac forma uti possitis et illi possint, videlicet, post *Misereatur* etc. et *Indulgentiam* etc., *Dominus Iesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius et beatorum apostolorum Petri et Pauli mihi commissa, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis et interdicti, praeterquam apostolica auctoritate latae vel lati, necnon ab omni irregularitate, praeterquam occasione homicidii aut ex causa a beneficiis ecclesiasticis quocumque modo dependente, et restituo te sanctis sacramentis Ecclesiae, unionique et participationi fidelium. In nomine Patris* etc. Iterum, auctoritate apostolica *etc.*

Templum quoque sub invocatione Sancti Pauli construendi,

§ 11. Vobisque insuper, qui, speciali devotionis affectu ducti, erga doctorem gentium Paulum, ecclesiam, sub eius nomine, etiam apostolica auctoritate insignitam, habere cupitis, ut primum templum, quod construi feceritis, quod tamen sine alicuius praeiudicio vos facere volumus, sub ipsius Pauli nomine ac invocatione habere liceat et denominare, ac ab aliis denominari et appellari mandamus.

§ 12. Necnon, ut omnibus et singulis

Privilegia congregationis canonicorum regularium Lateran. elargitur I;

privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, favoribus, concessionibus et gratiis, spiritualibus et temporalibus, quibus potiuntur et gaudent, ac in futurum potientur et gaudebunt canonici regulares congregationis Lateranensis ac personae et loca eorum, quorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, ita ut literae apostolicae super eisdem privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus et gratiis eisdem concessis vel pro tempore concedendis, mutatis dumtaxat nominibus, cognominibus, invocationibus et diebus, ad libitum vestrum expediri possint, perinde ac si omnia illa et singula, non solum per clausulas generales, sed per eorum tenorem, de verbo ad verbum expressa et inserta fuissent, vos personae et loca vestra uti, potiri et gaudere possitis, vobis, per has nostras literas, tenore praesentium et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, concedimus pariter et indulgemus.

Contrariis derogat.

§ 13. Non obstantibus praemissis et apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto, octavo kalendas augusti, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 iulii 1535, pontif. anno I.

Sequitur perpetuatio dictarum gratiarum.

Paulus Papa III, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii cura nobis, meritis licet imparibus, ex alto commissa nos excitat et inducit ut circa statum fidelium quorumlibet, praesertim sub regulari observantia trium votorum substantialium Religionis degentium, prospere dirigendum, operosis studiis iugiter intendentes, eosdem fideles, ut vota sua Altissimo quietius persolvere possint, benignis favoribus et gratiis confoveamus, aliasque desuper disponamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Refertur constitutio praeinserta.

§ 1. Dudum siquidem nobis, pro parte dilecti filii Bartholomaei de Ferrariis, et tunc in humanis agentis quondam Antonii Mariae de Zacchariis, Mediolanensis et Cremonensis presbyterorum exposito *etc.* [1].

Perpetuatio dictarum gratiarum, de quibus in praeinserta.

§ 2. Nos igitur, qui Deo devotorum votis, quantum cum Deo possumus, libenter annuimus, Bartholomaeum et eius socios praefatos et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Bartholomaeo et sociis praefatis, quod de caetero, perpetuis futuris temporibus, sub solito et communi habitu clericali, subque nomine et nuncupatione clericorum regularium, in communi et de communi viventes, sub nostra et eiusdem Sedis humili et devota subiectione ac speciali protectione, in unum habitare, ac omnia et singula alia in eisdem literis nostris contenta facere et exequi valeant, eadem auctoritate apostolica, tenore praesentium, de speciali gratia concedimus et indulgemus.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus illis, quae in dictis literis nostris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum,

1 Haec vide in constitutione XXIX Pascalis II, *Quanto*, tom. II, pag. 246.

1 Omittitur residuum narrativae bullae, quia ipsa est quae praecedit

anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimotertio, kalendis decembris, pontificatus nostri anno x.

VII.

Iurisdictio camerarii et iudicis Curiae Ripae almae Urbis, quoad causas ripales [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, motu proprio etc.

Clementis VII motus proprius, de quo in nota.

Cum nobis constet per felicis recordationis Clementem septimum, praedecessorem nostrum, praeinsertum motum proprium fuisse concessum, et ad utilitatem Romanae Urbis et Sedis Apostolicae redundare videatur.

Confirmatur.

§ 1. Nos, quae per praedecessores nostros facta rite et ratione congrua cognoscimus, et propterea approbare et confirmare omni studio et conatu debere arbitramur, ac propterea dictum praeinsertum motum proprium, et omnia in eo contenta, tam coniunctim quam divisim, confirmamus et, quatenus opus sit, de novo concedimus.

Adduntur illi clausulae praeservativae.

§ 2. Addentes praeterea quod dicto motu proprio praeinserto, per nos aliquo modo derogatum esse non censeatur, nisi de verbo ad verbum in supplicationibus seu motu proprio aut per alias signaturas nostras, et etiam per dilectos filios praesidentes et clericos Camerae nostrae Apostolicae mentio de dicto motu proprio facta non fuerit.

Iurisdictio camerarii Ripae in causis criminalibus.

§ 3. Et quod dicti officiales almae Urbis, quacumque auctoritate fungentes, in causis criminalibus in dicta Ripa et eius districtu, in causis ripalibus vel in Ripis quocumque modo provenientibus, etiam cum effusione sanguinis, se intromittere nom possint nec valeant; sed executio dictarum causarum et cognitio ad dominum camerarium Ripae spectet et pertineat.

Camerarius solus carceratos suos relaxare[t].

§ 4. Ac etiam per visitatores carcerum aliquem pro debito ripali incarceratum in quacumque curia Romanae urbis relaxari non possit, nisi de consensu et voluntate camerarii Ripae et interventu notarii dictae Ripae.

Suique executores tantum eius mandata exsequuntur.

§ 5. Necnon executores Romanae urbis et barisellus non possint aliquas executiones pro debito ripali in ipsa et eius districtu facere; et, si forsan factae fuerint, nullae et invalidae sint et existant. Ac dictis executoribus possint per dictum camerarium Ripae de facto relaxari, absque aliqua solutione executionis ac carceris.

Iussio observandi hanc constitutionem.

§ 6. Mandantes propterea dilectis filiis almae Urbis gubernatori, auditori Camerae, senatori Urbis, vicario, barisello et aliis quibuscumque Romanae urbis officialibus, quatenus, sub excommunicationis et mille ducatorum auri poenis, contenta in praesenti motu proprio observent, ac ab aliis observari faciant et permittant.

Nullis obstantibus.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stilo Palatii ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Pontificatus nostri anno primo.

Placet et ita mandamus. A.

(*Papae subscriptio*).

Visa. Philippus, Camerae Apostolicae decanus.

Visa. Io. Carolus, Camerae Apostolicae clericus.

---

1 Iudicis autem alterius Ripae iurisdictionem habes in constitutione IV Clementis VII, *Nuper*, pag. 65 huius tomi.

VIII.

Damnatio et excommunicatio Henrici VIII regis Angliae, eiusque fautorum et complicum, cum aliarum poenarum adiectione [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Eius, qui, immobilis permanens, sua providentia ordine mirabili dat cuncta moveri, disponente clementia, vices, licet immeriti, gerentes in terris, et in sede iustitiae constituti, iuxta prophetae quoque Hieremiae vaticinium dicentis, *Ecce te constitui super gentes et regna, ut evellas et destruas, aedifices et plantes*, praecipuum super omnes reges universae terrae cunctosque populos obtinentes principatum; ac Illum, qui pius et misericors est, et vindictam ei, qui illam praevenit, paratam temperat, nec quos impenitentes videt, severa ultione castigat, quin prius comminetur; in assidue autem peccantes, et in peccatis perseverantes, cum excessus misericordiae fines praetereunt, ut saltem metu poenae ad cor reverti cogantur, iustitiae vires exercet, imitantes, ex incumbenti nobis apostolicae sollicitudinis studio perurgemur ut cunctarum personarum, nostrae curae coelitus commissarum, salubri statui solertius intendamus, ac erroribus et scandalis, quae hostis antiqui versutia imminere conspicimus, propensius obviemus, excessusque et enormia ac scandalosa crimina congrua severitate coerceamus, et, iuxta Apostolum, inobedientiam ovium promptius ulciscendo, illorum perpetratores debita correctione sic compescamus, quod eos Dei iram provocasse poeniteat, et ex hoc aliis exemplum cautelae salutaris accedat.

Henricus postquam a Leone X titulo defensoris fidei donatus fuit, ex causa hic expressa a catholica fide deviavit et enormia commisit. §1. Sane, cum superioribus diebus nobis relatum fuisset quod Henricus, Angliae rex, licet tempore pontificatus felicis recordationis Leonis Papae X, praedecessoris nostri, diversorum haereticorum errores saepe ab Apostolica Sede et sacris conciliis praeteritis temporibus damnatos, et novissime nostra aetate per perditionis alumnum Martinum Lutherum suscitatos et innovatos, zelo catholicae fidei et erga dictam Sedem devotionis fervore inductus, non minus docte quam pie, per quemdam librum per eum desuper compositum, et eidem Leoni praedecessori, ut eum examinaret et approbaret, oblatum, confutasset, ob quod ab eodem Leone praedecessore, ultra dicti libri, cum magna ipsius Henrici regis laude et commendatione, approbationem, titulum defensoris fidei reportaverit; a recta fide et apostolico tramite devians, ac propriae salutis, famae et honoris immemor, postquam carissima in Christo filia nostra Catherina, Angliae regina illustri, sua progenie coniuge, cum qua publice in facie Ecclesiae matrimonium contraxerat, et per plures annos continuaverat, ac ex qua, dicto constante matrimonio, prolem pluries susceperat, nulla legitima subsistente causa et contra Ecclesiae prohibitionem, dimissa, cum quadam Anna Bolena, muliere anglica, dicta Catherina adhuc vivente, de facto matrimonium contraxerat, ad deteriora prosiliens, quasdam leges seu generales constitutiones edere non erubuit, per quas subditos suos ad quosdam haereticos et schismaticos articulos tenendos, inter quos et hoc erat quod Romanus Pontifex caput Ecclesiae et Christi vicarius non erat, et quod ipse in Anglica Ecclesia supremum caput existebat, sub gravibus, etiam mortis, poenis cogebat. Et his non contentus, diabolo

1 Henricus contra Martinum Lutherum et alios haereticos ante scripserat, et propterea titulo defensoris christianae fidei a Leone X donatus fuerat, ut in eius constitutione LI, *Ex supernae*, tom. V, pag. 773.

sacrilegii crimen suadente, quamplures praelatos, etiam episcopos, aliasque personas ecclesiasticas, etiam regulares, necnon saeculares sibi ut haeretico et schismatico adhaerere, ac articulos praedictos, sanctorum Patrum decretis et sacrorum conciliorum statutis, immo etiam ipsi evangelicae veritati contrarios, tamquam tales alias damnatos, approbare et sequi nolentes, et intrepide recusantes, capi et carceribus mancipari; hisque similiter non contentus, mala malis accumulando, bonae memoriae Ioannem, tituli S. Vitalis presbyterum cardinalem Roffensem, quem, ob fidei constantiam et vitae sanctimoniam, ad cardinalatus dignitatem promoveramus, cum dictis haeresibus et erroribus consentire nollet, horrenda immanitate et detestanda saevitia, publice miserabili supplicio tradi, et decollari mandaverat, et fecerat, excommunicationis et anathematis aliasque gravissimas sententias, censuras et poenas in literis ac constitutionibus recolendae memoriae Bonifacii VIII, Honorii III, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, desuper editis contentas, et alias in tales a iure latas damnabiliter incurrendo, ac regno Angliae et dominiis, quae tenebat, necnon regalis fastigii celsitudine ac praefati tituli praerogativa et honore se indignum reddendo.

Clemens VII tandem illum excommunicavit, qui in censuris insordescendo deterior evasit.

§ 2. Nos, licet ex eo quod, prout non ignorabamus, idem Henricus rex in certis censuris ecclesiasticis, quibus a piae memoriae Clemente PP. VII, etiam praedecessore nostro, postquam humanissimis literis et paternis exhortationibus multisque nunciis et mediis, primo, et postremo etiam iudicialiter, ut praefatam Annam a se dimitteret, et ad praedictae Catherinae suae verae coniugis consortium rediret, frustra monitus fuerat, innodatus extiterat, Pharaonis duritiam imitando, per longum tempus, in clavium contemptum, insorduerat et insordescebat, quod ad cor rediret vix sperare posse videremus; ob paternam tamen caritatem, qua, in minoribus constituti, donec in obedientia et reverentia Sedis praedictae permansit, eum prosecuti fueramus, utque clarius videre possemus an clamor, qui ad nos delatus fuerat (quem certe, etiam ipsius Henrici regis respectu, falsum esse desiderabamus), verus esset, statuimus, ab ulteriori contra ipsum Henricum regem processu ad tempus abstinendo, huius rei veritatem diligentius indagare.

Ideo Pontifex iste contra regem, complices et fautores decrevit procedere ut hic.

§ 3. Cum autem debitis diligentiis desuper factis, clamorem ad nos, ut praefertur, delatum, verum esse, simulque, quod dolenter referimus, dictum Henricum regem ita in profundum malorum descendisse, ut de eius resipiscentia nulla penitus videatur spes haberi posse, reperierimus; nos, attendentes veteri lege crimine adulterii notatum lapidari mandatum, ac auctores schismatis hiatu terrae absorptos, eorumque sequaces coelesti igne consumptos, Elymamque magum, viis Domini resistentem, per Apostolum aeterna severitate damnatum fuisse; volentesque, ne in districto examine ipsius Henrici regis et subditorum suorum, quos secum in perditione trahere videmus, animarum ratio a nobis exposcatur, quantum nobis ex alto conceditur, providere, contra Henricum regem eiusque complices, fautores, adhaerentes et sequaces, et in praemissis quomodolibet culpabiles, contra quos, ex eo quod excessus et delicta praedicta adeo manifesta sunt et notoria, ut nulla possint tergiversatione celari, absque ulteriori mora, ad executionem procedere possemus, benignius agendo, decrevimus infrascripto modo procedere.

Regem itaque hortatur ut ab huiusmodi erroribus desistat.

§ 4. Habita itaque super his cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, et de illorum consilio et assensu, praefatum Henricum regem eius-

que complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces, ac quoscumque alios in praemissis seu eorum aliquo quoquomodo culpabiles, tam laicos quam clericos, etiam regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, praeminentiae et excellentiae existant (quorum nomina et cognomina, perinde ac si praesentibus insererentur, pro sufficienter expressis haberi volumus), per viscera misericordiae Dei nostri, hortamur et requirimus in Domino quatenus Henricus rex a praedictis erroribus prorsus abstineat; et constitutiones seu leges praedictas, sicut de facto eas fecit, revocet, casset et annullet; et coactione subditorum suorum ad eas servandas, necnon carceratione, captura et punitione illorum, qui ipsis constitutionibus seu legibus adhaerere aut eas servare noluerint, et ab aliis erroribus praedictis penitus et omnino abstineat; et si quos, praemissorum occasione, captivos habeat, relaxet.

Complices vero et fautores monet ut abstineant regi desuper favere vel adhaerere;

§ 5. Complices vero, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces dicti Henrici regis in praemissis et circa ea ipsi Henrico regi super his de cetero non adsistant nec adhaereant vel faveant, nec ei consilium, auxilium vel favorem desuper praestent.

Inobedientesque maioris excommunicationis sententia innodat,

§ 6. Alias si Henricus rex ac fautores, adhaerentes, consultores et sequaces hortationibus et requisitionibus huiusmodi non annuerint cum effectu, Henricum regem, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces ac alios culpabiles praedictos, auctoritate apostolica, ac ex certa nostra scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae, ac sub maioris excommunicationis latae sententiae, a qua, etiam praetextu cuiuscumque privilegii vel facultatis, etiam in forma confessionalis, cum quibuscumque efficacissimis clausulis a nobis et Sede praedicta quomodolibet concessis, et etiam iteratis vicibus innovatis, ab alio quam a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti (ita tamen, quod si aliquem absolvi contingat, qui postmodum convaluerit, nisi post convalescentiam monitioni et mandatis nostris huiusmodi paruerit cum effectu, in eamdem excommunicationis sententiam reincidat), absolvi non possint.

Rebellionis quoque et amissionis regni poenam imponit, regemque et complices monet ut infra certum terminum compareant, a liequin in poenas hic expressas incidisse declaret;

§ 7. Necnon rebellionis et, quoad Henricum regem, etiam perditionis regni et dominiorum praedictorum; et tam quoad eum quam quoad alios monitos supradictos supra et infrascriptis poenis, quas si dictis monitioni et mandatis, ut praefertur, non paruerint, eos et eorum singulos, ipso facto respective incurrere volumus, per praesentes monemus: eisque et eorum cuilibet districte praecipiendo mandamus quatenus Henricus rex per se vel procuratorem legitimum, et sufficienti mandato suffultum, infra nonaginta; complices vero, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces ac alii in praemissis quomodolibet culpabiles supradicti saeculares et ecclesiastici, etiam regulares, personaliter, infra sexaginta dies compareant coram nobis, ad se super praemissis legitime excusandum et defendendum, alias videndum et audiendum, contra eos et eorum singulos, etiam nominatim, quos sic monemus quatenus expediat, ad omnes et singulos actus, etiam sententiam definitivam, declaratoriam, condemnatoriam et privatoriam ac mandatum executivum, procedi. Quod si Henricus rex et alii moniti praedicti intra dictos terminos eis, ut praefertur, respective praefixos non comparuerint, et praedictam excommunicationis sententiam per tres dies post lapsum dictorum terminorum, animo, quod absit, sustinuerint indurato, censuras ipsas aggravamus et successive reaggravamus, Henricumque regem privationis regni et

dominiorum praedictorum, et tam eum quam alios monitos praedictos et eorum singulos, omnes et singulas alias poenas praedictas incurrisse, ab omnibusque christifidelibus cum eorum bonis perpetuo diffidatos esse. Et si interim ab humanis decedat, ecclesiastica debere carere sepultura, auctoritate et potestatis plenitudine praedictis decernimus et declaramus, eosque anathematis, maledictionis et damnationis aeternae mucrone percutimus.

Et quaecumque civitates, ecclesias et alia loca, ad quae ipsi declinaverint, interdicto ecclesiast. supponit;

§ 8. Necnon quae praefatus Henricus rex quomodolibet et ex quavis causa tenet, habet aut possidet, quamdiu Henricus rex et alii moniti praedicti, et eorum singuli in aliis per dictum Henricum regem non tentis, habitis aut possessis permansuris [1], et triduo post eorum inde recessum, et alia quaecumque, ad quae Henricum regem et alios monitos praedictos post lapsum dictorum terminorum declinare contigerit, dominia, civitates, terras, castra, villas, oppida metropolitanasque et alias cathedrales ceterasque inferiores ecclesias, nec non monasteria, prioratus, domos, conventus et loca religiosa vel pia, cuiuscumque, etiam S. Benedicti, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemostratensis ac Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum et aliorum Ordinum ac congregationum et militiarum quarumcumque in ipsis dominiis, civitatibus, terris, castris, villis, oppidis et locis existentia ecclesiastico supponimus interdicto: ita ut, illo durante, in illis, etiam praetextu cuiuscumque apostolici indulti, ecclesiis, monasteriis, prioratibus, domibus, conventibus, locis, Ordinibus aut personis, etiam quacumque dignitate fulgentibus, concessi, praeterquam in casibus a iure permissis, ac etiam in illis, alias quam clausis ianuis et excommunicatis et interdictis exclusis, nequeant missae aut alia divina officia celebrari.

Filiosque eorumdem dignitatibus, gratiis et privilegiis ac dominiis et bonis omnibus privatos, et ad alia de cetero obtinenda inhabiles esse declarat;

§ 9. Et Henrici regis complicumque, fautorum, adhaerentium, consultorum, sequacium et culpabilium praedictorum filii, poenarum, ut hic in hoc casu par est, participes sint; omnes et singulos eiusdem Henrici regis ex dicta Anna ac singulorum aliorum praedictorum filios natos et nascituros, aliosque descendentes usque in eum gradum, ad quem iura poenas in casibus huiusmodi extendunt (nemine excepto nullaque minoris aetatis aut sexus vel ignorantiae vel alterius cuiusvis causae habita ratione), dignitatibus et honoribus, in quibus quomodolibet constituti existunt, seu quibus gaudent, utuntur, potiuntur aut muniti sunt, necnon privilegiis, concessionibus, gratiis, indulgentiis, immunitatibus, remissionibus, libertatibus et indultis, ac dominiis, civitatibus, castris, terris, villis, oppidis et locis, etiam commendatis vel in gubernium concessis, et quae in feudum, emphyteusim vel alias a Romanis vel aliis ecclesiis, monasteriis et locis ecclesiasticis ac saecularibus, principibus, dominiis, potentatibus, etiam regibus et imperatoribus, aut aliis privatis vel publicis personis quomodolibet habent, tenent aut possident, ceterisque omnibus bonis, mobilibus et immobilibus, iuribus et actionibus, eis quomodolibet competentibus, privatos; dictaque bona feudalia vel emphyteutica et alia quaecumque ab aliis [1] quomodolibet obtenta, ad directos dominos, ita ut de illis libere disponere possint, respective devoluta; et eos qui ecclesiastici fuerint, etiam si religiosi existant, ecclesiis, etiam cathedralibus et metropolitanis, necnon monasteriis et prioratibus, praepositaris, praepositatibus, dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et praebendis aliisque beneficiis ecclesiasticis per eos quomodolibet obtentis privatos, et ad illa ac alia in posterum obtinenda inhabiles esse, similiter decernimus et declaramus; eosque sic respective privatos ad illa et alia quaecumque similia,

[1] Cherubinus et P. Matthaeus legunt *permanserint* (R. T.).

[1] P. Matthaeus in *Summis Constitutionum* etc. legit *ecclesiis* loco *aliis* (R. T.).

ac dignitates, honores, administrationes et officia, iura ac feuda in posterum obtinenda, auctoritate et scientia ac plenitudine similibus, inhabilitamus.

Subditosque a iuramento fidelitatis et subiectione liberat, et eisdem mandat ut ab obedientia omnino recedant;

§ 10. Ipsiusque Henrici regis ac regni omniumque aliorum dominiorum, civitatum, terrarum, castrorum, villarum, fortalitiorum, arcium, oppidorum et locorum suorum, etiam de facto obtentorum, magistratus, iudices, castellanos, custodes et officiales quoscumque, necnon communitates, universitates, collegia, feudatarios, vassallos, subditos, cives, incolas et habitatores, etiam forenses, dicto regi de facto obedientes, tam saeculares quam, si qui, ratione alicuius temporalitatis, ipsum Henricum regem in superiorem recognoscant, etiam ecclesiasticos, a praefato rege seu eius complicibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus et sequacibus supradictis deputatos, a iuramento fidelitatis iure vassallitico, et omni erga regem et alios praedictos subiectione absolvimus, ac penitus liberamus. Eis nihilominus, sub excommunicationis poena, mandantes ut ab eiusdem Henrici regis suorumque officialium, iudicum et magistratuum quorumcumque obedientia penitus et omnino recedant, nec illos in superiores recognoscant, neque illorum mandatis obtemperent.

Henrico et complicibus alias poenas hic expressas imponit;

§ 11. Et ut alii, eorum exemplo perterriti, discant ab huiusmodi excessibus abstinere, eisdem auctoritate, scientia et plenitudine volumus ac decernimus quod Henricus rex et complices, fautores, adhaerentes, consultores, sequaces et alii in praemissis culpabiles, postquam alias poenas praedictas, ut praefertur, respective incurrerint, necnon praefati descendentes, ex tunc infames existant, et ad testimonium non admittantur; testamenta et codicillos aut alias dispositiones, etiam inter vivos, concedere et facere non possint; et ad alicuius successionem ex testamento vel ab intestato, necnon ad iurisdictionem seu iudicandi potestatem et ad notariatus officium omnesque actus legitimos quoscumque (ita ut eorum processus sive instrumenta atque alii actus quicumque nullius sint roboris vel momenti) inhabiles existant; et nulli ipsis, sed ipsi aliis, super quocumque debito et negotio, tam civili quam criminali, de iure respondere teneantur.

Christifidelibus sub poenis hic expressis praecipit ut infidelium evitent commercium;

§ 12. Et nihilominus omnes et singulos christifideles, sub excommunicationis et aliis infrascriptis poenis, monemus ut monitos, excommunicatos, aggravatos, interdictos, privatos, maledictos et damnatos praedictos evitent, et, quantum in eis est, ab aliis evitari faciant, nec cum eisdem seu praefati regis civitatum, dominiorum, terrarum, castrorum, comitatuum, villarum, fortalitiorum, oppidorum et locorum praedictorum civibus, incolis vel habitatoribus aut subditis et vassallis, emendo, vendendo, permutando aut quamcumque mercaturam seu negotium exercendo, commercium seu aliquam conversationem seu communionem habeant; aut vinum, granum, sal seu alia victualia, arma, pannos, merces vel quasvis alias mercantias vel res per mare in eorum navibus, triremibus aut aliis navigiis, sive per terram cum mulis vel aliis animalibus deferre aut conducere seu deferri aut conduci facere, vel delata per illos recipere, publice vel occulte, aut talia facientibus auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, per se vel alium seu alios, quoquomodo praestare praesumant. Quod si fecerint, ultra excommunicationis praedictae, etiam nullitatis contractuum, quos inirent, nec non perditionis mercium, victualium et bonorum omnium delatorum, quae capientium fiant, poenas similiter eo ipso incurrant.

§ 13. Ceterum, quia convenire non vide-

Praelatis quoque et ceteris personis ecclesiast. mandat, sub poenis h'c contentis, quatenus de regno Angliae discedant;

tur ut cum his qui Ecclesiam contemnunt, dum praesertim ex eorum pertinacia spes corrigibilitatis non habetur, hi qui divinis obsequiis vacant, conversentur, quod etiam illos [1] facere non posse dubitandum est, omnium et singularum metropolitanarum et aliarum cathedralium caeterarumque inferiorum ecclesiarum et monasteriorum, domorum et locorum religiosorum et piorum quorumcumque, etiam S. Augustini, S. Benedicti, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemostratensis, ac Praedicatorum, Minorum, Carmelitarum aliorumque quorumcumque Ordinum et Militiarum, etiam hospitalis Hierosolymitani, praelatis, abbatibus, prioribus, praeceptoribus, praepositis, ministris, custodibus, guardianis, conventibus, monacis et canonicis, necnon parochialium ecclesiarum rectoribus aliisque quibuscumque personis ecclesiasticis, in regno et dominiis praedictis commorantibus, sub excommunicationis ac privationis administrationum et regiminum monasteriorum, dignitatum, personatuum, administrationum ac officiorum canonicatuumque et praebendarum, parochialium ecclesiarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque, quomodolibet qualificatorum, per eos quomodolibet obtentorum, poenis, mandamus quatenus, infra quinque dies post omnes et singulos terminos praedictos elapsos, de ipsis regno et dominiis, dimissis tamen aliquibus presbyteris in ecclesiis, quarum curam habuerint, pro administrando baptismate parvulis, et poenitentia decedentibus, ac aliis sacramentis ecclesiasticis, quae tempore interdicti ministrari permittuntur, exeant et discedant, neque ad regnum et dominia praedicta revertantur, donec moniti et excommunicati, aggravati, reaggravati, privati, maledicti et damnati praedicti monitionibus et mandatis nostris huiusmodi obtemperaverint, et meruerint [2] a censuris huiusmodi absolutionis beneficium obtinere, seu interdictum in regno et dominiis praedictis fuerit sublatum.

Ducesque et alios monet sub poenis supradictis, ut Henricum et eius complices de regno expellere etc. procurent;

§ 14. Praeterea, si praemissis non obstantibus, Henricus rex, complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces praedicti in eorum pertinacia perseveraverint, nec conscientiae stimulus eos ad cor reduxerit, in eorum forte potentia et armis confidentes, omnes et singulos duces, marchiones, comites et alios quoscumque tam saeculares quam ecclesiasticos, etiam forenses, de facto dicto Henrico regi obedientes, sub eiusdem excommunicationis ac perditionis bonorum suorum (quae, ut infra dicitur, similiter capientium fiant) poenis, requirimus et monemus quatenus, omni mora et excusatione postposita, eos et eorum singulos ac ipsorum milites et stipendiarios, tam equestres quam pedestres, aliosque quoscumque, qui eis cum armis faverint, de regno et dominiis praedictis, etiam vi armorum, si opus fuerit, expellant; ac quod Henricus rex et eius complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces, mandatis nostris non obtemperantes praedictis, de civitatibus, terris, castris, villis, oppidis, fortalitiis aut aliis locis regni et dominii praedictorum se non intromittant, procurent; eis, sub omnibus et singulis poenis praedictis, inhibentes ne in favorem Henrici eiusque complicum, fautorum, adhaerentium, consultorum et sequacium aliorumque monitorum praedictorum mandatis nostris non obtemperantium, arma cuiuslibet generis offensiva et defensiva, machinas quoque bellicas seu tormenta (artellarias nuncupata) sumant aut teneant seu illis utantur, aut armatos aliquos, praeter consuetam familiam, parent; aut ab Henrico rege, complicibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus et sequacibus vel aliis in regis ipsius favorem paratos, quomodolibet, quavis occasione vel causa, per se vel alium seu alios, publice vel occulto, directe vel

[1] P. Matthaeus addit *tute* (R. T.). Cherub. legit *obtemperantes meruerint* (R. T.).

indirecte, teneant vel receptent; aut dicto Henrico regi seu illius complicibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus et sequacibus praedictis consilium, auxilium vel favorem quomodolibet ex quavis causa vel quovis quaesito colore sive ingenio, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, per se vel alium seu alios, in praemissis vel aliquo praemissorum praestent seu praestari faciant quomodolibet.

Principum christ. confoederationes et obligationes contractas cum Henrico nullas et invalidas declarat;

§ 15. Praeterea, ad dictum Henricum regem facilius ad sanitatem, et praefatae Sedis obedientiam reducendum, omnes et singulos christianos principes, quacumque, etiam imperiali et regali, dignitate fulgentes, per viscera misericordiae Dei nostri (cuius causa agitur) hortamur et in Domino requirimus, eis nihilominus, qui imperatore et rege inferiores fuerint, quos, propter excellentiam dignitatis, a censuris excipimus, sub excommunicationis poena mandantes ne Henrico regi eiusque complicibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus et sequacibus vel eorum alicui, per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, etiam sub praetextu confoederationum aut obligationum quarumcumque, etiam iuramento aut quavis alia firmitate roboratarum et saepius geminatarum, a quibus quidem obligationibus et iuramentis omnibus nos eos et eorum singulos, eisdem auctoritate et sententia[1] ac potestatis plenitudine, per praesentes absolvimus, ipsasque confoederationes et obligationes, tam factas quam in posterum faciendas, quas tamen (in quantum Henricus rex et complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces praedicti circa praemissa vel eorum aliquod se directe vel indirecte iuvare possent), sub eadem poena, fieri prohibemus, nullius roboris vel momenti, nullasque, irritas, cassas, inanes, ac pro infectis habendas fore decernimus et declaramus, consilium, auxilium vel favorem quomodolibet praestent; quinimmo, si qui illis aut eorum alicui ad praesens quomodolibet assistant, ab ipsis omnino et cum effectu recedant. Quod si non fecerint, postquam praesentes publicatae et executioni demandatae fuerint, et dicti termini lapsi fuerint, omnes et singulas civitates, terras, oppida, castra, villas et alia loca eis subiecta simili ecclesiastico interdicto supponimus; volentes ipsum interdictum, donec ipsi principes a consilio, auxilio et favore Henrico regi et complicibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus et sequacibus praedictis prestando destiterint, perdurare.

Principibus et aliis mandat ut contra Henricum et complices arma capiant.

§ 16. Insuper, tam principes praedictos quam quoscumque alios, etiam ad stipendia quorumcumquo christifidelium militantes, et alias quascumque personas, tam per mare quam per terras armigeros habentes, similiter hortamur et requirimus, et nihilominus eis in virtute sanctae obedientiae mandantes quatenus contra Henricum regem, complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces praedictos, dum in erroribus praedictis ac adversus Sedem praedictam rebellione permanserint, armis insurgant, eosque et eorum singulos persequantur, ac ad unitatem Ecclesiae et obedientiam dictae Sedis redire cogant et compellant; et tam eos, quam ipsorum subditos et vassallos, ac civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum, villarum et locorum suorum incolas et habitatores, aliasque omnes et singulas personas, supradictis mandatis nostris, ut praefertur, non obtemperantes, et quae praefatum Henricum regem, postquam censuras et poenas praedictas incurrerit, in dominum quomodolibet, etiam de facto, recognoverint, vel ei quovis modo obtemperare praesumpserint, aut qui eum ac complices, fautores, adhaerentes, consultores, sequaces ac alios non obtemperantes praedictos ex regno et dominiis prae-

[1] Cherubinius et P. Matthaeus *scientia* loco *sententia* legunt. (R. T.).

dictis, ut praefertur, expellere noluerint, ubicumque eos invenerint, eorumque bona mobilia et immobilia, mercantias, pecunias, navigia, credita, res et animalia, etiam extra territorium dicti Henrici regis ubilibet consistentia, capiant.

Infideles et inobedientes capientium servos fieri, et eorum bona occupantium esse decernit;

§ 17. Nos enim eis bona, mercantias, pecunias, navigia, res et animalia praedicta sic capta, in proprios eorum usus convertendi, eisdem auctoritate, scientia et potestatis plenitudine plenariam licentiam, facultatem et auctoritatem concedimus, illa omnia ad eosdem capientes plenarie pertinere et spectare, et personas ex regno et dominiis praedictis originem trahentes seu in illis domicilium habentes aut quomodolibet habitantes, mandatis nostris praedictis non obtemperantes, ubicumque eos capi contigerit, capientium servos fieri decernentes; praesentesque literas, quoad hoc, ad omnes alios, cuiuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis vel conditionis fuerint, qui ipsi Henrico regi vel eius complicibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus et sequacibus aut aliis, monitionibus et mandatis nostris huiusmodi, quoad commercium, non obtemperantibus, vel eorum alicui victualia, arma vel pecunias subministrare aut cum eis commercium habere, seu auxilium, consilium vel favorem, per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis modo, contra tenorem praesentium, praestare praesumpserint, extendentes.

Praelatis et aliis mandat, sub poenis de quibus hic, ut in eorum ecclesiis Henricum et complices, excommunicat. publice nuncient et evitari faciant;

§ 18. Et ut praemissa facilius iis, quos concernunt, innotescant, universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis et patriarchalium, metropolitanarum et aliarum cathedralium et collegiatarum ecclesiarum praelatis, capitulis aliisque personis ecclesiasticis saecularibus ac quorumvis Ordinum regularibus, necnon omnibus et singulis, etiam Mendicantium Ordinum, professoribus, exemptis et non exemptis, ubilibet constitutis, per easdem praesentes, sub excommunicationis et privationis ecclesiarum, monasteriorum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, graduum quoque et officiorum, necnon privilegiorum et indultorum quorumcumque, etiam a Sede praedicta quomodolibet emanatorum, poenis ipso facto incurrendis, praecipimus et mandamus quatenus ipsi ac eorum singuli, si et postquam vigore praesentium desuper requisiti fuerint, infra tres dies immediate sequentes praefatum Henricum regem omnesque alios et singulos, qui supradictas censuras et poenas incurrerint, in eorum ecclesiis, dominicis et aliis festivis diebus, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, cum crucis vexillo, pulsatis campanis, et accensis ac demum extinctis et in terram proiectis et conculcatis candelis, et aliis, in similibus servari solitis, caeremoniis servatis, excommunicatos publice nunciari [1], ac ab omnibus arctius evitari faciant et mandent; necnon, sub supradictis censuris et poenis, praesentes literas vel earum transumptum, sub forma infrascripta confectum, infra terminum trium dierum, postquam, ut praefertur, requisiti fuerint, in ecclesiis, monasteriis, conventibus et aliis eorum locis publicari et affigi faciant.

Publicationi huiusmodi constitutionis impedientibus easdem poenas imponit,

§ 19. Volentes omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus, conditionis, praeeminentiae, dignitatis aut excellentiae fuerint, qui, quominus praesentes literae vel earum transumpta, copiae seu exemplaria in suis civitatibus, terris, castris, oppidis, villis et locis legi et affigi ac publicari possint, per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, impediverint, easdem censuras et poenas ipso facto incurrere. Et cum fraus et dolus nemini debeant patrocinari, ne quisquam ex his, qui alicui regimini et administrationi deputati sunt, infra tempus sui regi-

1 Cherub. et P Matth. *nuncient et ab aliis nunciari* etc. (R. T.).

minis seu administrationis, praedictas sententias, censuras et poenas sustineat, quasi post dictum tempus sententiis, censuris et poenis praedictis amplius ligatus non existat, quemcumque, qui, dum in regimine et administratione existens, monitioni et mandato nostris, quoad praemissa vel aliquid eorum, obtemperare noluerit, etiam deposito regimine et administratione huiusmodi, nisi paruerit, eisdem censuris et poenis subiacere decernimus.

Publicari mandat hanc constitutionem in locis hic expressis 1.

§ 20. Et ne Henricus rex eiusque complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces aliique, quos praemissa concernunt, ignorantiam earumdem praesentium literarum et in eis contentorum praetendere valeant, literas ipsas (in quibus omnes et singulos, tam iuris quam facti, etiam solemnitatum et processuum citationumque omissarum defectus, etiamsi tales sint, de quibus specialis et expressa mentio facienda esset, propter notorietatem facti, auctoritate, scientia et potestatis plenitudine similibus, supplemus) in basilicae Principis apostolorum et Cancellariae Apostolicae de Urbe, et in partibus in collegiatae Beatae Mariae Brugensis, Tornacensis, et Parochialis de Dunkerke oppidorum Morinensis dioecesis, ecclesiarum valvis affigi et publicari mandamus, decernentes quod earumdem literarum publicatio sic facta, Henricum regem eiusque complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces omnesque alios et singulos, quos literae ipsae quomodolibet concernunt, perinde eos arctent, ac si literae ipsae eis personaliter lectae et intimatae fuissent, cum non sit verisimile quod ea, quae tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere.

Transumptis credi iubet.

§ 21. Ceterum, quia difficile foret *etc.*

§ 22. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

1 Sed haec forma immutata est, ut hic in fine.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo quinto, tertio kalendas septembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 augusti 1535, pontif. anno I.

Sequitur suspensio dictae bullae, et tandem suspensionis revocatio et bullae executio.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum Redemptor noster ideo illum, qui ipsum negaverat, Petrum videlicet, universae Ecclesiae praeficere voluerit ut in sua culpa disceret aliis esse miserendum; non immerito Romanus Pontifex, qui ipsius Petri in dignitate successor existit, debet etiam in officio exercendae misericordiae ipsius esse successor. Sed cum in eum dirigitur misericordia, qui ex hoc fit insolentior et obstinatior, aliosque secum trahit in perditionem, debet ipse Romanus Pontifex, postposita in eum misericordia, omnem severitatem adhibere, quò membrum illud putridum ita a corpore separetur ut reliqua membra, absque metu contagionis, salva remaneant, praesertim eum, pluribus curis adhibitis et multo tempore in hoc consumpto, morbum quotidie magis invalescere ipsa experientia comprobat.

Refertur constitutio praecedens.

§ 1. Alias cum nobis relatum fuisset quod Henricus, Angliae rex, praeter ea, quae matrimonium de facto et contra prohibitionem Ecclesiae temerarie contractum concernebant, quasdam leges seu generales constitutiones, subditos suos ad haeresim et schisma trahentes, ediderat, et bonae memoriae Ioannem, tit. S. Vitalis presbyterum cardinalem Roffensem, publice damnari et capite puniri, ac alios quamplures praelatos, necnon alias personas ecclesiasticas, haeresi et schismati huiusmodi adhaerere nolentes, carceribus mancipari fecerat; nos, licet illi, qui talia nobis

retulerant, tales essent ut nullo modo de veritate suorum dictorum ambigendum esset; cupientes tamen, respectu ipsius Henrici regis, quem, antequam in has insanias incideret, peculiari quadam caritate prosequebamur, praedicta falsa reperiri, de eis informationem ulteriorem habere procuravimus, et invenientes clamorem ad nos delatum verum esse, ne nostro officio deessemus, contra eum procedere decrevimus, iuxta formam quarumdam literarum nostrarum, quarum tenor sequitur, et est talis [1].

Supersessum per annos tres.

§ 2. Dum autem postea ad dictarum literarum executionem deveniendum esse statuissemus, cum nobis per nonnullos principes et alias insignes personas persuaderetur ut ab executione huiusmodi per aliquantum tempus supersederemus, spe nobis data quod interim ipse Henricus rex ad cor rediret et resipisceret, nos, qui, ut hominum natura fert, facile credebamus quod desiderabamus, dictam exequutionem suspendimus, sperantes (ut spes nobis data erat) ex ipsa suspensione, correctionem et resipiscentiam, non autem pertinaciam et obstinationem ac maiorem delirationem, ut rei effectus edocuit, proventuram.

Henrici mala improba et saeva protervia.

§ 3. Cum itaque resipiscentia et correctio huiusmodi, quam tribus fere annis expectavimus, non solum postea sequuta non sit, sed ipse Henricus rex, quotidie magis se in sua feritate ac temeritate confirmans, in nova etiam scelera proruperit, quippe cum non contentus vivorum praelatorum et sacerdotum crudelissima trucidatione, etiam in mortuos et eos quidem, quos, in sanctorum numerum relatos, universalis Ecclesia pluribus saeculis venerata est, feritatem exercere non expavit. Divi enim Thomae [2], Cantuariensis archiepiscopi, cuius ossa, quae in dicto regno Angliae potissimum, ob innumera ab omnipotenti Deo illic perpetrata miracula, summa cum veneratione in arca aurea in civitate Cantuariensi servabantur, postquam ipsum divum Thomam, ad maiorem religionis contemptum, in iudicium vocari et tamquam contumacem damnari ac proditorem declarari fecerat, exhumari et comburi, ac cineres in ventum spargi iussit, omnem plane cunctarum gentium crudelitatem superans, cum ne in bello quidem hostes victores saevire in mortuorum cadavera soliti sint; ad haec, omnia ex diversorum regum, etiam Anglorum, et aliorum principum liberalitate donaria ipsi arcae appensa, quae multa et maximi pretii erant, sibi usurpavit; nec putans ex hoc satis iniuriae religioni intulisse, monasterium divo illi Augustino, a quo christianam fidem Angli acceperunt, in dicta civitate dicatum, omnibus thesauris, qui etiam multi et magni erant, spoliavit, et sicut se in belluam transmutavit, ita etiam belluas quasi socias suas honorare voluit, feras videlicet in dicto monasterio, expulsis monacis, intromittendo, genus quidem sceleris, non modo christifidelibus, sed etiam Turcis inauditum et abominandum.

Iussio publicandi hanc bullam, revocatione praeinserta dictae suspensionis.

§ 4. Cum itaque morbus iste a nullo, quantumvis peritissimo medico, alia cura sanari possit quam putridi membri abscissione, nec valeret cura huiusmodi, absque eo quod nos apud Deum causam hanc nostram efficiamus, ulterius retardari, ad dictarum literarum (quas ad hoc, ut Henricus rex eiusque complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces, etiam super excessibus per eum novissime, ut praefertur, perpetratis, intra terminum eis quoad alia per alias nostras literas praedictas respective praefixum, se excusare [1], alias poenas, ipsis literis contentas incurrant, extendimus et ampliamus) publicationem, et deinde, Deo duce, ad exe-

1 Omittitur insertio, quia bulla ipsa est quae praecedit. 2 Hunc S. Tho. canonizavit Alex. III, ut in constitutione LXVI, *Redolet*, tom. II, pag. 758.

1 Deest forsan *possint* (R. T.).

cutionem procedere omnino statuimus. Et quia a fide dignis accepimus quod, si ipsarum et praesentium literarum publicatio Diepe, Rothomagensis, vel Boloniae, Ambianensis dioecesis, oppidis in Franciae, aut civitate S. Andreae, seu in oppido Calistrensi, Sancti Andreæ dioecesis, in Scotiae regnis, vel in Thuamensi et Artifertensi civitatibus vel dioecesibus dominii Hiberniae fiat, non solum tam facile, ut si in locis in dictis literis expressis fieret, sed facilius ipsarum literarum tenur ad Henrici et aliorum, quos concernunt, praesertim Anglorum, notitiam deveniret, nos, volentes in hoc opportune providere, motu, scientia et potestatis plenitudine praedictis decernimus quod publicatio literarum superius insertarum, quarum insertioni superius factae ac ipsis originalibus, quoad validitatem publicationis seu executionis praesentium, fidem adhiberi volumus, in duobus ex locis praesentibus literis expressis, alias iuxta suprainsertarum et praesentium literarum tenorem facta, etiam si in locis extra Romanam Curiam in dictis praeinsertis literis specificatis, huiusmodi publicatio non fiat, perinde Henricum regem et alios, quos concernunt, praesertim Anglos, afficiat, ac si Henrico regi et aliis praedictis, praesertim Anglis, personaliter intimatae fuissent.

Fides transumptorum.

§ 5. Quodque praesentium transumptis, iuxta modum in praeinsertis literis expressum factis, tam in iudicio quam extra, eadem fides adhibeatur, quae originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae in dictis literis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo octavo, decimosexto kal. ianuarii, pontificatus nostri anno v.

IX.

Approbatio et publicatio absolutionis Clementis VII, de haereticis et infidelibus regni Portugalliae et Algarbii ad fidem conversis; et confirmatio indultorum eis concessorum et extensio eorumdem.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Illius vices in terris gerentes, qui non vult mortem transgressorum, sed potius conversionem, transgressoribus huiusmodi ianuam pietatis et misericordiae libenter aperimus.

Clemens VII acceptis haereses in partibus Portugalliae et Algarbiorum extare, et ideo contra eos inquisitorem deputavit;

§ 1. Dudum siquidem, postquam per felicis recordationis Clementem PP. VII, praedecessorem nostrum, accepto quod in plerisque partibus regni Portugalliae et dominiis carissimi in Christo filii nostri Ioannis Portugalliae et Algarbiorum regis illustris, nonnulli ex haebraica perfidia ad Christi fidem conversi, christiani novi nuncupati, ad ritum iudaeorum, a quo discesserant, redire, et alii, qui haebraicam sectam numquam professi erant, sed christianis parentibus procreati, ritum eumdem observare, et alii lutheranam et alias depravatas haereses et errores sequi, ac sortilegia, haeresim manifeste sapientia, instigante humani generis inimico, committere non verebantur, in gravissimam Dei offensam, et orthodoxae fidei scandalum, dictus praedecessor dilectum filium Didacum de Silva, Ordinis fratrum Minimorum Sancti Francisci de Paula professorem, in suum et Apostolicae Sedis commissarium ac super praemissis inquisitorem in regno et dominiis praedictis, cum plena facultate contra de huiusmodi criminibus reos aut suspectos inquirendi, eosque carce-

randi, puniendi et corrigendi, per quasdam constituerat et deputaverat.

Postea eius facultatem ad beneplacitum suspendit;

§ 2. Et deinde, ex certis rationabilibus causis, praedictas et quascumque alias literas suas, ac per illas eatenus eidem Didaco et quibusvis aliis, etiam locorum ordinariis, super praemissis concessas facultates et commissiones per alias ad suum beneplacitum suspenderat, ac venerabili fratri Marco episcopo Senogalliensi nostro, tunc suo, et dictae Sedis apud dictum regem nuncio, inter alia, in mandatis dederat ut Didaco et ordinariis praedictis ac aliis inquisitoribus in partibus illis existentibus posteriores literas praedictas intimaret, et suspensionem huiusmodi inviolabiliter observari faceret.

Postea per alias eius literas convertentes se ad fidem infra terminum hic expressum absolvit et poenas condonavit et remisit;

§ 3. Ac postmodum per eumdem praedecessorem etiam accepto quod nonnulli ex suspectis, de criminibus praedictis a quadraginta annis vel circa, ex iudaismo et mahometica et aliis sectis, quibus tunc obcaecati erant, ad fidem Christi et illius sacrum baptisma suscipiendum coacti fuerant: alii vero, licet sponte sua conversi, seu de parentibus christianis procreati fuissent; tamen, ob praedictorum indiscreta commercia vel alias diabolica instigatione persuasi, etiam in praedictas et alias diversas haereses et errores, eodem instigante inimico, lapsi fuerant, aliaque quamplurima crimina commiserant et in dies committebant, idem praedecessor, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, per alias suas sub plumbo literas, omnes et singulos utriusque sexus, tam noviter conversos quam alios quoscumque de praemissis culpabiles aut suspectos ex dictis regnis et dominiis oriundos, ac in eis degentes forenses et alienigenas, undecumque venissent, qui, tempore publicationis ipsarum posteriorum literarum per eumdem Marcum episcopum et nuncium vel ab eo deputandos, in singulis civitatibus et dioecesibus regnorum et dominiorum huiusmodi faciendae, in illis domicilium vel habitationem habuissent, ac etiam illorum filios, nepotes et descendentes, tam tunc praesentes quam absentes, seu qui ab eisdem regnis et dominiis alias recessissent, etiam si exules et banniti forent, qui eidem Marco episcopo et nuncio vel alicui alteri ex sacerdotibus et confessoribus[1] videlicet in regnis et dominiis praedictis, infra tres a die eiusdem publicationis; absentes vero ab eis, infra quatuor seu plures aut pauciores, qui arbitrio dicti Marci episcopi et nuncii viderentur esse necessarii, a die earumdem posteriorum literarum per eos habendae notitiae computandos menses, praedicta et alia quaecumque, quotcumque et qualiacumque sua crimina, excessus, delicta et peccata confessi forent, ac quorum nomina et cognomina in aliquo libro vel memoriali per eosdem confessores descripta forent, etiam si illi ecclesiastici saeculares aut quorumvis Ordinum regulares, militiarum milites ac in quibusvis gradibus, dignitatibus et ordinibus constituti, et tam illi quam alii laici et utriusque sexus personae, cuiusvis status et ordinis existerent, etiam si illi eatenus et in futurum, dictis mensibus durantibus, in regnis et dominiis praedictis vel extra illa, tamquam haeretici sententialiter condemnati, et ut tales ipsi et illorum bona publicata, aut pro talibus accusati, inquisiti, publice vel occulte diffamati, et ut tales habiti, reconciliati, et contra eos sententiae desuper latae et executae, vel illi propterea carcerati extitissent, ab omnibus et singulis per eos eatenus perpetratis, etiam haereses et ab eadem fide apostasias, blasphemias et alios quoscumque, etiam maximos, errores sapientibus, etiam quantumcumque gravibus et qualificatis peccatis, criminibus, excessibus et delictis, etiam sub generali expressione de iure vel alias non venien-

[1] Pericopen seq. supplent Cherub. et M. Math.: *per ipsum Marcum episcopum et nuntium ad id deputandis, poenitentes vel sccl. etc* (R. T.).

tibus et specialem notam requirentibus; necnon excommunicationum, suspensionum, interdictorum et aliis ecclesiasticis et temporalibus, corporalibus, etiam capitalibus, sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, etiam a praefatis, et qui pro tempore forent, inquisitoribus haereticae pravitatis huiusmodi, praemissorum et alia occasione vel causa latis et promulgatis, etiam si in illis ab eisdem quadraginta et ulterius annis insorduissent, ac illorum absolutio eidem praedecessori et pro tempore existenti Romano Pontifici et eidem Sedi, etiam iuxta illarum, quae in die Coenae Domini legi consueverant, et aliarum literarum et processuum apostolicorum tenorem et alias quomodolibet reservata existeret; quorum omnium qualitates, quantitates, et circumstantias etiam haberi voluit pro expressis, a pravitatis videlicet haereticae huiusmodi, in utroque foro civili, criminali et contentioso, conscientiae et animae, penitus et plenarie; a reliquis vero criminibus, pravitatem huiusmodi non sapientibus, in foro conscientiae duntaxat, ex tunc, prout ex ea die et e contra, praevia, quoad forum conscientiae, cordis contritione et oris confessione, auctoritate apostolica absolvit; ac eosdem carceratos vel alias detentos et exules etiam a carceribus, exiliis et bannis, quibus, occasione criminum haeresis et apostasiae ac blasphemiae huiusmodi detenti et condemnati existebant, relaxavit et liberavit ac relaxari et liberari mandavit. Et tam illis quam aliis, alia occasione vel causa detentis vel exulibus, donec ab eis, a quibus detinebantur, relaxarentur, et ab eis, ad quos id spectaret, salvus conductus et aliae necessariae securitates eis concederentur, dicti menses currere non inciperent, dummodo ipsi a die notitiae posteriorum literarum in aliquam haeresim cecidisse, vel in veteri errore perstitisse non convincerentur, concessit.

Illosque et eorum successores ad dignitates habilitavit et indultis christianorum uti posse decrevit;

§ 4. Necnon cum eis, tam praesentibus quam absentibus, ac etiam cum clericis et aliis saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, ecclesiasticis personis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica saecularia et quorumvis Ordinum regularia, etiam si saecularia, canonicatus, praebendas, dignitates, etiam maiores post pontificales et principales, ac conventuales, personatus, administrationes et officia, etiam curata et electiva in cathedralibus, etiam metropolitanis et collegiatis ecclesiis; regularia vero beneficia huiusmodi, monasteria, etiam dignitates conventuales, praeceptoriae, etiam curatae et electivae, et alias, cuiuscumque qualitatis essent, obtinentibus, etiamsi archiepiscopali, episcopali, abbatiali, magistrali et alia quacumque dignitate praefulgerent, super irregularitate per eos, praemissorum haeresis et apostasiae et blasphemiae criminum occasione vel causa, ac etiam quia sic ligati missas et alia divina officia forsan, non tamen in contemptum clavium, celebrassent, aut alias illis se immiscuissent, contracta; et cum iis, qui promoti non erant, ut ad omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines promoveri, et in illis, tam illi quam qui tunc, etiam post dicta crimina perpetrata et absolutionem huiusmodi, promoti erant, etiam in altaris ministerio ministrare, ac beneficia ecclesiastica, etiam ut praemittitur et alias qualitercumque qualificata, eis canonice conferenda recipere, illaque et alia per eos tunc obtenta retinere: ac etiam, tam ipsi ecclesiastici et regulares ac militis, quam laici ac mulieres eorumque filii, nepotes et descendentes, ad gradus, honores, ordines, officia et alia assumi, illaque suscipere et exercere, ac illis et aliis similibus et dissimilibus iam susce-

ptis uti; necnon vestes sericeas et panni, cuiuscumque etiam rubei coloris, ac aurum, argentum, gemmas et alia iocalia, necnon ensem et arma eorum statui condecentia deferre; super equos et mulas equitare; ac aliis omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, favoribus, gratiis, immunitatibus, libertatibus et concessionibus, quibus alii christifideles eorumque filii et nepotes ac ab eis descendentes utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gandere libere et licite valerent, in omnibus et per omnia, perinde ac si ipsi eorumque avi, proavi, parentes et alii genitores veri christiani fuissent, et numquam a fide deviassent, dispensavit, eisque pariter indulsit. Necnon omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam circa eos, praemissorum occasione, tam ex propriis quam illorum parentum, consanguineorum et affinium culpis et sententiis earumque executionibus et alias quomodolibet insurgentes, ab eis penitus et omnino abolevit.

Confiscationes bonorum fisco non incorporatorum et processus et sententias contra eos latas delevit;

§ 5. Ac confiscationes bonorum, si quae catenus factae fuerant, quorum tamen possessio pro eodem fisco apprehensa non fuerat, necnon processus contra eos formatos sententiasque latas ac dictis mensibus durantibus formatas et ferendas; necnon informationes et alia quaecumque acta et gesta, ordinaria et extraordinaria, in iudicio et extra, contra eos catenus facta, ac ex tunc, prout ex ea die et e contra, eisdem mensibus durantibus, facienda, quorum omnium tenores, status et merita similiter haberi voluit pro expressis, cassavit, irritavit, abolevit et annullavit, ac cassata, irrita, deleta et annullata fore decrevit; ipsaque bona sic confiscata et confiscanda, eis, a quibus ablata fuerant, si eidem fisco incorporata non essent, remisit, donavit et restituit, illosque et illa in pristinum et eum, in quo ante praemissa, et tempore, quo baptizati fuerant, erant, statum restituit, reposuit et plenarie reintegravit.

Habentes fidem a confessoribus vel in eorum libris annotatos, securos esse declaravit,

§ 6. Necnon statuit et ordinavit quod omnes et singuli confessores praedicti, quibusvis eis, durantibus mensibus supradictis, confessis, etiam de dictis criminibus non culpabilibus neque suspectis, in dicto libro describendis, si id petiissent, pro illorum super praemissis tutiori cautela, aliquam cedulam vel scripturam authenticam, manu propria subscriptam vel ipsius nuncii sigillo munitam, in testimonium praemissorum gratis et absque alia exactione concedere possent et deberent, qua perpetuis futuris temporibus per eos exhibita vel ostensa, illam habentes vel, etiam absque illa, in dicto libro descripti et annotati, tuti et securi permanerent, et de praedictis criminibus, haeresim, apostasiam et blasphemiam sapientibus, per ipsos culpabiles vel suspectos perpetratis usque ad diem datae eiusdem cedulae vel testimonii, seu in eodem libro annotationis et descriptionis, nullatenus inquiri possent; ac quod, praemissorum occasione, ipsis describendis vel suas cedulas praedictas habituris et illorum filiis et descendentibus in nullo praeiudicari nec praeiudicium afferri, nec reconciliati censeri, etiam ex eo quod dictorum delictorum seu aliquorum ex eis veniam petiissent, vel ab eis absoluti fuissent; nec etiam si forsan in aliquem praedictorum errorum in posterum reincidissent, vel alias quomodolibet deprehensi extitissent, relapsi viderentur; neque aliquod indicium, etiam minimum, contra eos oriri, allegari vel deduci posse, in iudicio vel extra, indulgentia, remissio et alia in damnum, iniuriam vel aliud incommodum illorum retorqueri nequirent.

§ 7. Quodque si aliqui iam essent con-

Condemnatos de haeresi publice illas abiurare debere decrevit;

demnati de criminibus haeresis huiusmodi, vel eorum crimina iam essent in iudicio omnibus notorie probata, ipsi, secundum ecclesiastica statuta, errores suos abiurare, illisque publice renuntiare deberent. Quibus abiuratis et renunciatis, idem nuncius eius arbitrio poenitentias eis iniungendas vel iniunctas, non tamen in alias publicas, sed secretas poenitentias commutare; ac reconciliatis, quibus aliqua publica poenitentia per quoscumque iudices et inquisitores fuisset iniuncta, etiam illam, veluti ipsi inquisitores etiam commutare potuissent vel consuevissent, in alia pietatis opera commutare et cum illis dispensare valeret. Ac quod si ex supradictis condemnatis vel inquisitis, accusatis aut reconciliatis seu relapsis fuissent aliqui, qui se contra instantiam[1] gravatos esse assererent, ac propterea cuperent ut iterum eorum causae audirentur, liceret eis ad dictum nuncium recurrere et personaliter coram eo comparere, et se ipsos in eo statu, in quo tunc esse reperirentur, de integro defendere, sic tamen quod, si iterum in defensione sua ipsos succumbere contingeret, tunc, tamquam ob causam delictorum huiusmodi relapsi, legitima poena punirentur; ceteri vero secretam poenitentiam susciperent, quae loco legitimae et canonicae poenae, quam pati debuissent, ipsius nuncii arbitrio, ipsis imponeretur. Et nihilominus ii, qui relapsi non essent, dictis literis et illarum effectu gauderent.

Condemnatis sententiis se gravatos, ad nuncium recursum concessit;

Relapsos debita poena puniri iussit,

§ 8. Ac quod dicti condemnati aut inquisiti, accusati vel reconciliati, si iterum in haeresis crimen relabi eos contingeret, pro relapsis puniri possent, habita tamen diligenti deliberatione; quod si ex ipsis aliqui essent, qui se violenter ad fidei sacramentum suscipiendum pertractos esse docerent, illis non ita imputentur culpae ut in posterum relapsorum poena tenerentur.

[1] Cherub. et Matth. *institiam* legunt (R. T.).

Diffamatos coram nuncio abiurare seu se purgare posse mandavit;

§ 9. Quodque ii, qui publice de crimine haeresis diffamati, non tamen convicti seu accusati essent, quorum perfidia ex publica voce et fama ad aures ipsius nuncii perveniret, proprio iuramento et duobus vel tribus testibus compurgatoribus fide dignis, per eumdem diffamatum eligendis, seipsos secreto et extraiudicialiter coram nuncio vel ab eo deputandis praedictis seu eorum aliquo purgare, seu crimina huiusmodi, de quibus diffamati essent, sua sponte et cum iuramento, secrete ac etiam extraiudicialiter, coram eorum nuncio seu deputato aliquo, in praesentia duorum testium vel proprii sacerdotis loco eorum, abiurare possent.

Qui tamen omnes praemissis functi veniam etc. obtinere valent.

§ 10. Qui omnes accusati, inquisiti, condemnati, reconciliati et publice diffamati, modo et forma praemissis; ceteri vero, praemissa tantum confessione et absque aliqua publica poenitentia eis iniungenda, plenariam et totalem veniam et alia supradicta consequi et obtinere; ipseque nuncius omnia et singula supradicta et quaecumque alia, quae alii inquisitores et commissarii quicumque, per quascumque praedicti praedecessoris et dictae Sedis literas, ac etiam de iure vel consuetudine, facere, gerere et exercere possent, facere, gerere et exercere libere et licite valeant. Ac quod si aliqui ex praedictis omnibus, tam noviter conversis quam aliis, praesentibus et absentibus, reperirentur, qui huiusmodi gratiam, modis praemissis, durantibus dictis mensibus, suscipere nollent, lapsis eisdem mensibus, gratiis per dictas posteriores literas concessis nullo modo gaudere possent. Qui tamen ad sui excusationem aliquid afferre vellent, benigne et secundum christianam mansuetudinem audirentur, et eorum iura et defensiones ad eumdem praedecessorem per dictum nuncium, sub suo sigillo clausa, mitterentur.

§ 11. Quodque contra noviter conver-

Contra eos iter conversos et eorum filios et descendentes, quorum excusationes ad ipsum Pontif. missae fuerant, supersederi iussit;

sos ac filios et descendentes eorum confessos [1], quorum tamen excusationes per nuncium aut deputatos praefatos sive eorum aliquem receptae et ad dictum praedecessorem transmissae essent, in negotio inquisitionis vel visitationis ordinariae vel extraordinariae super criminibus praedictis, iuxta formam literarum praedictarum, usque ad annum a die ipsarum publicationis, etiam supersederetur, quia interim dictus praedecessor, tam super eodem negotio quam etiam circa illorum futuram vitam, opportune providere intendebat.

Inhibuitque omnibus praelatis ne de cetero molestarent eos, qui gratias super delictis eorum obtinuerant;

§ 12. Districtius inhibens omnibus et singulis, etiam iudicibus ecclesiasticis et saecularibus, ac praelatis, inquisitoribus, ordinariis seu delegatis, quacumque auctoritate, potestate et dignitate, etiam pontificali, archiepiscopali, primatiali et patriarchali, ac statu, gradu, conditione et praeeminentia, etiam cardinalatus honore, fulgentibus, ac tali qualitate, de qua expressa mentio fieri deberet, pollentibus, a praefato praedecessore seu Sede praedicta, etiam ad instantiam eiusdem regis, deputatis, sub excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis, ac beneficiorum et officiorum per eos obtentorum privationis poenis, ne aliquos, de praemissis haeresi, apostasia, blasphemia culpabiles aut suspectos, qui gratiis praedictis, iuxta posteriorum sub plumbo literarum tenorem, gaudere deberent, si quos sub aliqua custodia vel carceribus tenerent aut in exilium misissent amplius detinerent aut contra eos ad ulteriora procederent, immo captos relaxarent et exules ad patriam secure redire permitterent, et in eorum statu, in quo iam ante accusationes, condemnationes, carcerationes, exilia et banuimenta huiusmodi existebant, reponerent; accusatoribus vero, denunciatoribus, testibus, inquisitoribus, iudicibus, promotoribus et aliis quibusvis, sub similibus censuris et poenis, ne contra supradictos etiam non culpabiles nec suspectos, praemissorum occasione, se intromittere, neque aliquos ad testificandum vel accusandum seu denunciandum inducere vel alias illos super praemissis vel illorum occasione molestare quoquomodo praesumerent.

Et contravenientibus poenas his expressas imposuit;

§ 13. Ac decernens omnes et singulos in praemissis inobedientes vel contraventuros easdem sententias, censuras et poenas eo ipso incurrere, et beneficia per eos tunc obtenta eo ipso vacare et ab ipso praedecessore ac quibusvis illorum ordinariis collatoribus impetrari et conferri posse, ipsasque impetrationes et collationes ac alias dispositiones, alias legitime factas, valere, plenamque roboris firmitatem obtinere; ac easdem posteriores literas de subreptionis [1] vitio seu intentionis defectu notari vel impugnari non posse, nec sub quibusvis revocationibus, modificationibus, limitationibus et suspensionibus quarumcumque similium vel dissimilium literarum, ac etiam per eumdem praedecessorem et Sedem praefatam factis et faciendis, nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas esse; et quoties revocatae vel limitatae essent, toties in pristinum et eum, in quo tunc existebant, statum restitutas et reintegratas existere. Necnon illarum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo eiusdem nuncii munitis, eamdem prorsus, tam in iudicio quam extra illud, fidem adhiberi debere, quae ipsis posterioribus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Decretumque irritans adiecit;

§ 14. Sicque in praemissis omnibus per praefatos et quoscumque alios inquisitores et iudices, etiam S. R. E. cardinales, in quacumque instantia sive in iudicio coram eis, etiam nunc et in futurum, pendentibus, iudicari, sententiari et definiri debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, sententiandi et definiendi facultate. Ac irritum et inane quicquid secus

[1] *Vel non confessos*, Cherub. et P. Matt. (R. T.).

[1] P. Matthaeus addit *vel obreptionis* (R. T.).

super his a quoquam, quavis auctoritate, etiam per ipsum praedecessorem, scienter vel ignoranter contingeret attentari.

Executoremque eius constitution. nuncium deputavit;

§ 15. Mandans praefato nuncio ut, per se vel alium seu alios, posteriores literas huiusmodi et in eis contenta quaecumque, ubi et quando ac quoties opus esset, solemniter publicans, ac in praemissis efficaciter assistens, faceret easdem posteriores literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando ac quoties opus esset, firmiter observari, ac singulos, quos praedictae posteriores literae concernebant, illis pacifice gaudere. Nec permitteret eos desuper per inquisitores et iudices praefatos seu quoscumque alios quomodolibet impediri, molestari vel perturbari, ac contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas et alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compesceret; invocato etiam ad hoc, si opus fuisset, auxilio brachii saecularis.

Ioannemque, Portugalliae et Algarbiorum regem, rogavit ut eidem nuncio assisteret ac faveret, quibuscumque non obstantibus,

§ 16. Ioannem vero regem praefatum rogans et hortans in Domino ut, pro sua in hanc sanctam Sedem devotione et observantia, ipsi Marco nuncio suis auctoritate et favore assistens, non permitteret ipsum Marcum nuncium circa praemissorum executionem, aut illos, qui sub eisdem posterioribus literis, comprehendebantur, quominus iuxta ipsarum literarum tenorem gaudere possent, quomodolibet turbari aut impediri. Non obstantibus praemissis ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum suorum, ac aliis apostolicis, necnon in generalibus ac provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam ab eisdem praedecessoribus, etiam pluries, emanatis; legibus imperialibus, necnon etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, officii inquisitionis et ecclesiarum ac regnorum et dominiorum praedictorum illorumque civitatum et locorum, etiam municipalibus, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, etiam in corpore iuris clausis; ac etiam in forma brevis literis, etiam per dictos praedecessores et Sedem huiusmodi, etiam inquisitoribus praedictis, etiam ad instantiam eiusdem Ioannis et aliorum quorumcumque regum et reginarum, aut etiam motu proprio et de sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio, etiam apostolicae potestatis plenitudine, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis concessis et innovatis, etiam si in eis caveretur expresse quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis inibi expressis modis et formis, derogari posset, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores, ac si de verbo ad verbum ac forma in illis tradita observata inserti essent, pro sufficienter expressis habens, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat, motu simili, specialiter et expresse derogavit, contrariis quibuscumque; seu si inquisitoribus et iudicibus praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem esset Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possent per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Postea per alias literas constitutionem suam publicari prohibuit;

§ 17. Et deinde posteriores literas praedictas non alia ratione, nisi ut praefato regi, qui multa ad Christi gloriam pertinentia, super huiusmodi absolutionis concessione eidem praedecess. per specialem eius oratorem significare velle praemo-

nuerat, satisfaceret, edi, et per dictum Marcum episcopum et nuncium publicari per alias in forma brevis literas prohibuit. Ac postmodum, tam dilecto filio Henrico de Meneses, eiusdem regis nuncio, ad ipsum praedecessorem ob hanc causam specialiter destinato, quam venerabili fratre Martino archiepiscopo Funchallensi, suo apud eumdem praedecessorem oratore, auditis, ac omnibus et singulis, quae per eos adversus praedictae absolutionis concessionem acta et in scriptis data fuerant, mature consideratis, sufficientique ad omnia ex urbanitate dato responso, et quid ad ea per eumdem regem replicaretur per quatuor menses et plus eo expectato, per alias in forma brevis literas statuit, declaravit et voluit quod literae absolutionis huiusmodi in omnibus et per omnia eam vim et auctoritatem haberent, ac si in regno praedicto, iuxta illarum tenorem, publicatae fuissent. Addens quod si per eumdem regem ac per eius ministros aut populum effectum foret ut praedicti novi christiani secure non possent ea adimplere, quae dictus praedecessor in praedictis absolutionis literis adimplenda esse mandaverat, ut praedictam absolutionem consequi valerent, ipsi nihilominus in eis, quae ad potestatem ipsius praedecessoris temporalem pertinebant, quoad forum contentiosum, absoluti et liberi esse censerentur; ac nullo modo, ratione praedictorum delictorum, ex tunc per viam inquisitionis seu visitationis, ordinarie vel extraordinarie, molestari vel inquietaci valerent.

Et deinde literas publicari et exequi mandavit.

§ 18. Mandans eidem Marco episcopo et nuncio, quem ad id specialiter executorem constituerat, quod, eius et dictae Sedis nomine, illius declarationem et voluntatem huiusmodi, sub eisdem comminationibus et censuris, exequi faceret, quae in praedictis veniae literis, sub plumbo datis continebantur. Non obstantibus dictis, tam sub plumbo quam in forma brevis emanatis, literis, quibus, illorum omnium tenores pro sufficienter expressis habens, ipse Clemens praedecessor derogavit, ceterisque contrariis quibuscumque.

Hic autem Pontifex, ex causis hic expres. supersederi mandavit in executione dictae constitutionis Clementis VII;

§ 19. Postmodum autem, cum dicti Martinus archiepiscopus et Henricus, etiam apud nos oratores, nobis exposuissent quod, licet [1] praef. rex responsiones suas ad causas praedictas misisset, putaretque per eas constare ad absolutionem praedictam, sub forma praefata, etiam causis, quae dictum praedecessorem ad id induxerant, non obstantibus, procedi non debuisset; tamen quia praefatus praedecessor, cui, cum infirmitate gravaretur, ipsi Martinus archiepiscopus et Henricus oratores, ipsius responsiones, quae tempore dictae infirmitatis ad eorum manus pervenerant, tradere non potuerant, nesciens responsiones praedictas delatas esse, ac putans ipsum regem, ex eo forsan quod causae praedictae ad eum missae ita validae viderentur ut congrue ad eas responderi non posset, ipsas responsiones, tamquam non urgentes, missas non esse, praemissa in ultimo datis literis contenta statuerat et ordinaverat; quodque nos responsiones ipsas debite attendere et considerare, ac mature in hoc negotio, ex quo dictorum regnorum quies non parum pendebat, providere vellemus, apud nos, nomine ipsius regis, institissent, nos responsiones praedictas per ipsos oratores nobis traditas nonnullis viris, doctrina, integritate, gravitate, experientia decoratis, examinandas tradidimus, ea intentione ut, habita illorum relatione, in hoc negotio, prout ad nostrum spectabat officium, provideremus; praefato Marco episcopo et nuncio, ne, etiam vigore praedictarum et quarumcumque aliarum literarum a praefato praedecessore emanatarum, ac universis et singulis de haeresi et a fide apostasia culpabilibus seu suspectis, ne modo aliquo literas absolutionis publicare, aut, si publicatae forent, eis uti; inquisitoribus autem

1 P. Matthaeus hic addit postea (R. T.).

praedictis, ne, vigore literarum per ipsum praedecessorem super eorum deputationem, ut praefertur, concessarum; ordinariis vero ne, facultatis eis de iure vel consuetudine concessae vigore, aliquem ex dictis de haeresi et apostasia culpabilibus et suspectis, occasione criminum per eos commissorum, modo aliquo molestare auderent vel praesumerent, donec aliud per nos desuper ordinatum foret, per quasdam interim inhibentes, volumus quoque ut si qui ob crimina huiusmodi carceribus mancipati invenirentur, nisi relapsi forent, data idonea cautione, de ipsos carceres, quoties per eos, ad quos spectabat, desuper requisiti forent, intrando, et si eorum bona in manibus fisci devenissent, aut ad eius instantiam sequestrata essent, absque alia cautione, ex praefatis carceribus relaxarentur.

Sed tandem per alias literas, supersessoriam revocavit et ad illius executionem procedi mandavit;

§ 20. Et demum, cum praedicti viri, discussis et mature consideratis per eos rationibus huiusmodi et aliis quae consideranda erant, literas absolutionis, per dictum praedecessorem, ut praefertur, concessas, executioni debitae demandandas esse nobis retulissent, nos praefato Marco episcopo et nuncio per alias nostras, etiam in forma brevis, literas dedimus in mandatis quatenus ad executionem dictarum absolutionis literarum, iuxta illarum tenorem, in omnibus et per omnia, perinde ac si earum executionem per dictas literas non suspendissemus et, ut supradictum est, non inhibuissemus, procederet, prout in eisdem literis, quarum omnium tenores hic pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur.

Modo autem eamdem constitutionem confirmat et innovat;

§ 21. Cum autem, sicut accepimus, literae absolutionis huiusmodi, si illa forma, quoad nonnulla in ipsis literis contenta, servetur, de facili, absque scandalo, executioni demandari non possent, praesertim cum, pro nonnullis Sedem Apostolicam concernentibus causis, dictum Marcum episcopum et nuncium, qui super praemissis executor, ut praefertur, deputatus fuit, brevi ad nos vocare intendamus, nos, ex praemissis et aliis causis animum nostrum moventibus, literas ipsas suum, prout convenit ad obviandum[1] periculis, effectum sortiri volentes, motu proprio, et ex certa nostra scientia, et apostolicae potestatis plenitudine volumus et decernimus quod literae veniae praedictae, quae, ut accepimus, iam diu ordinariis regni et dominii praedictorum vel eorum officialibus pro maiori parte intimatae fuerunt, quoad absolutionem et omnia alia in eis contenta, eam vim et auctoritatem habeant, perinde ac si in regno et dominiis praedictis, iuxta ipsarum literarum formam, in omnibus et per omnia publicatae, et novi christiani, ab eisdem descendentes omnesque alii ab hebraeis originem quomodolibet trahentes, in praefatis literis comprehensi, de haeresis et aliis praedictis criminibus culpabiles et suspecti, et in regnis et dominiis praefatis vel extra illa tamquam haeretici inquisiti, accusati, publice vel occulte diffamati, etiam si eorum crimina in iudicio notorie probata fuissent, et tamquam haeretici sententialiter condemnati et ut tales ipsi habiti, convicti, reconciliati, et eorum bona publicata, et contra eos sententiae desuper latae et executae, et poenae publice iniunctae, vel illi propterea carcerati confessiones, abiurationes, renunciationes, purgationes, poenitentias iniunctas et, iuxta dictarum literarum formam, iniungendas, omniaque alia in dictis literis contenta adimplevissent, et per eos realiter adimpleta et cum effectu completa fuissent. Decernentes quod in foro temporali, civili et criminali, etiam contentioso, de omnibus et singulis criminibus per dictas literas veniae, eis, ut praemittitur, remissis, etiam hactenus quomodolibet per eos, qui tem-

[1] P Matth. hic addit *animarum* (R. T.).

pore datae dictarum literarum sub plumbo in regno et dominiis praedictis morabantur, et alios ab hebraeis descendentes, in dictis literis veniae comprehensos, perpetratis, plenarie absoluti et liberati sint et intelligantur, prout nos etiam eos, motu, scientia et potestate similibus, plenarie absolvimus et liberamus.

Illosque ampliat et hi.;

§ 22. Volentes quod, quoad forum fori, ad aliquam confessionem, abiurationem, renunciationem, purgationem, poenitentiam aliorumque in dictis literis contentorum executionem, paritionem et diligentiam, non teneantur, tam quoad haeresis, apostasiae, blasphemiae et alia praedicta crimina, quam in foro conscientiae duntaxat quoad ea et omnia alia delicta et excessus, pravitatem huiusmodi non sapientia, quaecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, dummodo eorum errata et excessus alicui per eos eligendo confessori sacramentaliter corde contriti et ore confessi fuerint, absque aliqua [1] poenitentia eis iniungenda, in omnibus et per omnia suffragari volumus. Decernentes quod, ob confessionem et contritionem praedictas quomodolibet omissas, nullo pacto, temporaliter et in foro contentioso et civili, quominus plenarium praemissorum effectum libere consequantur impediri, molestari seu perturbari possint; ac per eos eligendis confessoribus ipsos et eorum singulos a praemissis absolvendi plenariam et generalissimam potestatem et facultatem concedimus et impartimur. Necnon eosdem carceratos vel alias detentos et exules etiam a carceribus, exiliis et bannis, quibus, occasione criminum haeresis et apostasiae ac blasphemiae huiusmodi, detenti et condemnati existunt, relaxamus et liberamus, ac relaxari et liberari mandamus.

Indultis quoque et exemptionibus, quibus christ-ni utuntur, gaudere posse declarat;

§ 23. Ac omnibus et singulis aliis privilegiis, exemptionibus, favoribus, gratiis, immunitatibus, libertatibus et concessionibus in dictis literis veniae contentis, et quibus alii christifideles eorumque filii et nepotes ac ab eis descendentes utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si ipsi eorumque avi, proavi, parentes et alii genitores veri christiani fuissent, et nunquam a fide catholica deviassent, de specialis dono gratiae plenissime dispensamus eisque pariter indulgemus; omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam circa eos, praemissorum occasione, tam ex propriis quam illorum parentum, consanguineorum et affinium culpis et sententiis earumque executionibus et aliis quomodolibet insurgentes, ab eis penitus et omnino abolemus. Ac confiscationes bonorum, si quae hactenus, etiam post dictas literas veniae, in dictis regnis et dominiis factae fuerint, quorum tamen possessio pro fisco, ante datam literarum veniae sub plumbo per eumdem Clementem praedecessorem nostrum concessarum, apprehensa non fuerit, necnon processus contra illos et illorum singulos formatos, sententiasque latas, necnon informationes et alia quaecumque acta et gesta, ordinaria et extraordinaria, in iudicio et extra, contra eos hactenus similiter, etiam post dictas literas, facta, quorum omnium tenores, status et merita, etiam praesentibus haberi volumus pro latissime expressis, cassamus, irritamus, delemus et annullamus, ac cassata, irrita, deleta et annullata fore decernimus; ipsaque bona sic confiscata eis, a quibus ablata fuerint, et, eis mortuis, eorum haeredibus et successoribus, si eisdem fisco, ut praemittitur, incorporata non sint, plenissime remittimus, donamus et restituimus, eosque et illa in pristinum et eum, in quo, ante praemissa et tempore quo baptizati

[1] Cherub. et P. Matth. addunt *publica* (R. T.).

fuerant, erant, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus.

Processus et sententias contra eos latas annullat, et in pristinum statum reponit;

§ 24. Et insuper auctoritate et tenore supradictis statuimus et ordinamus, volumus et mandamus quod praedicti liberi et plenarie absoluti, tuti et securi remaneant; et de haeresim et apostasiam ac blasphemiam sapientibus, ac aliis criminibus et excessibus supradictis, per ipsos usque ad diem datae praesentium, quomodolibet perpetratis, nullatenus inquiri, accusari vel molestari possint; ac quod, praemissorum occasione, ipsis vel illorum filiis et descendentibus in nullo praeiudicari vel praeiudicium afferri, nec reconciliati censeri, etiam ex eo quod dictorum delictorum seu aliquorum ex eis veniam petierint vel ab eis absoluti fuerint; nec etiam si forsan in aliquem praedictorum errorum in posterum reinciderint vel alias quomodolibet deprehensi extiterint, relapsi videantur; neque aliquod ex praeteritis indicium, etiam minimum, contra eos oriri, allegari vel deduci posse, in iudicio vel extra, indulgentia, remissio et alia in damnum, iniuriam vel alium incommodum illorum retorqueri nequeant.

Contravenientibus poenas hic descriptas imponit;

§ 25. Districtius inhibentes omnibus et singulis, etiam iudicibus ecclesiasticis vel saecularibus ac praelatis, inquisitoribus, ordinariis seu delegatis, quacumque auctoritate, potestate et dignitate, etiam pontificali, archiepiscopali, primatiali et patriarchali, ac statu, gradu, conditione, et praeminentia, etiam cardinalatus honore, fulgentibus, et tali qualitate, de qua expressa mentio fieri deberet, pollentibus, etiam a nobis seu Sede praedicta, etiam ad instantiam eiusdem regis, deputatis et pro tempore deputandis, sub excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis, et beneficiorum ac officiorum per eos obtentorum privationis poenis eo ipso, nisi paruerint, incurrendis, ne aliquos de haeresi, apostasia aut blasphemia et aliis praemissis culpabiles aut suspectos, qui gratiis praedictis, iuxta praesentium tenorem, gaudere debent, si quos sub aliqua custodia vel carceribus teneant aut in exilia emiserint, amplius detineant, aut contra eos ad ulteriora procedant, immo captos relaxent, et exules ad patriam redire permittant et in eorum statu, in quo fuerunt, et ante accusationes, condemnationes, carcerationes, exilia et bannimenta huiusmodi existebant, reponant; accusatoribus vero, denunciatoribus, testibus, inquisitoribus, iudicibus, promotoribus et aliis quibusvis, sub similibus censuris et poenis, ne contra supradictos, delictorum haeresim, a fide apostasiam ac blasphemiam sapientium hactenus commissorum occasione, se intromittere, nec aliquos ad testificandum vel accusandum seu denunciandum inducere, vel alias illos super praemissis vel illorum occasione molestare quoquomodo praesumant. Ac decernentes omnes et singulos in praemissis inobedientes vel contravenientes easdem sententias, censuras et poenas eo ipso incurrere, et beneficia per eos vacare, et a nobis et quibusvis illorum ordinariis collatoribus impetrari et conferri posse; ipsasque impetrationes et collationes ac alias dispositiones, alias legitime factas, valere plenamque roboris firmitatem obtinere; ac easdem praesentes literas de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae defectu notari vel impugnari non posse, nec sub quibusvis revocationibus, modificationibus, limitationibus et suspensionibus quarumcum que similium vel dissimilium literarum, ac etiam per nos et Sedem eamdem factis et faciendis nullatenus comprehensas, sed ab illis semper exceptas esse, et quoties revocatae vel limitatae fuerint, toties in pristinum et eum, in quo ad praesens existunt, statum restitutas et reintegratas

existere. Necnon illarum transumptis, manu notarii publici subscriptis, eamdem prorsus, tam in iudicio quam extra illud, fidem adhiberi debere quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Sicque in praemissis omnibus per praefatos et quoscumque alios inquisitores et iudices, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in quacumque instantia sive iudicio coram eis, etiam nunc et in futurum, pendente, iudicari, sententiari et definiri debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, sententiandi et definiendi facultate, et irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores huius constitutionis deputat. § 26. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Tranensi et Ulixbonensi archiepiscopis ac episcopo Ferrariensi per haec scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, easdem praesentes, pro maiori praedictorum notitia, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando ac quoties opus fuerit, etiam in Romana Curia ac eius locis solitis et consuetis publicantes, et in praemissis efficaciter assistentes, faciant praesentes et in eis contenta quaecumque, ubi et quando ac quoties opus fuerit, firmiter observari, ac singulos quos ipsae praesentes concernunt, illis pacifice gaudere. Necnon quibuscumque habentibus interesse instrumentum intimationis huiusmodi, cum insertione earumdem praesentium, omni contradictione et excusatione cessante, tradant et concedant, seu tradi et concedi faciant. Non permittentes eos desuper per inquisitores et iudices praefatos seu quoscumque alios quomodolibet impediri, molestari vel perturbari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas et alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; ne autem super anno, in quo futurae vitae dictorum novorum christianorum modus, iuxta voluntatem dicti Clementis praedecessoris, dari debet, aliqua dubitatio oriatur, volumus et dicta auctoritate decernimus ipsum annum a die datae praesentium incipere.

Clausulae derogatoriae. § 27. Non obstantibus praemissis ac etiam felicis recordationis Bonifacii VIII et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et aliis apostolicis, necnon in generalibus ac provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam ab eisdem vel a nobis, etiam pluries, emanatis; legibus imperialibus, necnon etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, officii inquisitionis et ecclesiarum ac regnorum et dominiorum praedictorum illorumque dignitatum et locorum, etiam municipalibus statutis et consuetudinibus, sententiis, privilegiis quoque, indultis, etiam in corpore iuris clausis; ac etiam in forma brevis literis, etiam per nos et praedecessores nostros et Sedem huiusmodi, etiam inquisitoribus praedictis, etiam ad instantiam eiusdem Ioannis et aliorum quorumcumque regum et reginarum, aut etiam motu proprio et de sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio, etiam apostolicae potestatis plenitudine, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, concessis, approbatis et innovatis, etiam si in eis caveatur expresse quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis inibi expressis modis et formis, derogari possit, quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua,

non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum ac forma in illis tradita observata, inserti forent, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, motu, scientia et potestatis plenitudine praedictis, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; seu si inquisitoribus et iudicibus praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Declaratio. § 28. Volumus autem quod carcerati vel sub cautionibus relaxati, qui de haeresi, aut a fide apostasia, seu blasphemia haeresim sapiente condemnati aut convicti fuerint, aut desuper confessionem fecerint, abiurationem super hoc coram aliquo iurisdictionem habente, per hos eligendo, publice facere omnino teneantur. Et abiuratione huiusmodi facta, etiam absque publica poenitentia per eos facienda, iuxta formam praedictarum sub plumbo confectarum literarum, omnino relaxentur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die duodecima octobris, millesimo quingentesimo trigesimoquinto, pontificatus nostri anno I.

Publicatio. Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto, indictione octava, die vero secunda mensis novembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pauli, divina providentia Papae III, anno primo, retroscriptae literae, in forma brevis, in praesenti quinterno descriptae, affixae et publicatae fuerunt in acie Campi Florae valvisque Cancellariae Apostolicae ac in valvis Principis Apostolorum de Urbe et in aliis locis publicis et solitis ac consuetis Romanae Curiae, ut moris est, per me Simonem de Bellavilla sanctissimi domini nostri praelibati Papae cursorem.

Aymo Gilleon, magister cursorum.

Dat. die 12 octobris 1535, pontif. anno I.

X.

Causae civiles, interesse fisci Reverendae Camerae Apostolicae concernentes, in eadem Camera cognoscantur in omnibus instantiis.

Paulus Papa III, motu proprio, etc.

Non sine animi molestia accepimus causas feudales et alias, quae inter fiscum et privatum vertuntur, per diversa tribunalia almae Urbis, vigore commissionum specialium aut alias, non sine magno Camerae Apostolicae et illius auctoritatis et iurisdictionis praeiudicio, passim audiri et terminari; et quia causae huiusmodi de sui natura in Camera Apostolica et non alibi tractari et definiri debent, volentes in praemissis opportune providere, nonnullorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerendo: Causa huius constitutionis.

§ 1. Motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, omnes et singulas causas feudales et alias quascumque, quae inter fiscum et privatum in prima vel ulteriori instantia, in auditorio Rotae et coram almae Urbis gubernatore et auditore Camerae et senatore ac aliis tribunalibus dictae Urbis, et aliquibus ex clericis seu praesidentibus particulariter instructae pendent, quomodocumque et qualitercumque, in petitorio vel possessorio, mero vel mixto, introductae sint, Avocatio causarum interesse fisci tangentium ab omnibus iudicibus; earumque commissio in Camera

ad nos advocantes, illas, una cum quibusvis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, tam coniunctim quam divisim pendentes, dilecto filio camerario et praesidentibus ac clericis Camerae Apostolicae, per eos, more camerali, et iuxta formam concessionum, indultorum et privilegiorum ipsius Camerae, in plena Camera audiendas, cognoscendas, decidendas fineque debito terminandas committimus et mandamus.

Camerae facultas procedendi in eis, dummodo a Papa ipso extra eam non commissis.

§ 2. Dantes eis plenam et liberam facultatem, et auctoritatem praedictis et aliis quibusvis inhibendum fuerit, in Romana Curia et extra eam, etiam sub censuris et poenis; et quoad causas similes in futurum extra Cameram committendas, propria et eorum auctoritate, sine alio nostro mandato vel signatura, inhibendi et, in causis huiusmodi, non obstantibus quibusvis signaturis et inhibitionibus hactenus factis et in posterum faciendis, nisi commissiones in futurum praesentandae manu nostra, cum praesentium de verbo ad verbum insertione et illarum derogatione, signatae fuerint, procedendi, citandi, declarandi, aggravandi, reaggravandi, interdictum ponendi auxiliumque brachii saecularis invocandi, ceteraque alia faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, quae in praemissis ac circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna fuerint.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus praemissis et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, clausulis, statutis et consuetudinibus ac reformationibus, etiam iuramento *etc.* roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibus (illorum tenores, causas et effectus pro expressis et insertis habentes, et exprimi ac de verbo ad verbum inseri posse decernentes) latissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis et consuetis.

Sola sufficit signatura.

§ 4. Volentes praesentium solam signaturam sufficere, et ubique, tam in iudicio quam extra, fidem facere, absque alia literarum expeditione, seu quod literae in forma brevis, ad perpetuam rei memoriam, cum maiori, vera et ampliore specificatione omnium et singulorum praemissorum et circa ea necessariorum, latissime extendendo, quod contraria quaecumque penitus et omnino tollantur et non obstent. De mandato domini nostri Papae audiant praefati reverendissimi domini cardinalis camerarius, praesidentes et clerici Camerae, citent, inhibeant, etiam sub censuris procedant, ut petitur, et iustitiam faciant.

Placet, motu proprio. A.

(*Papae subscriptio*).

XI.

Anathematizatio haereticorum et aliorum contravenientium contentis in constitutione, quae bulla in Coena Domini appellatur.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Ex more excommunicat et anathematizat iuxta antiquum morem Romanorum Pontificum.

Consueverunt Romani Pontifices praedecessores nostri, ad retinendam puritatem religionis christianae, et ipsius unitatem, quae in coniunctione membrorum ad unum caput, Christum videlicet, eiusque vicarium principaliter consistit, et sanctorum fidelium societatem ab offensione servandam, arma iustitiae per ministerium apostolatus in praesenti celebritate exercere. Nos igitur vetustum et solemnem hunc morem sequentes.

Haeretici eorumque fautores et illis faventes, etc.

§ 1. Excommunicamus et anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra, omnes haereticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Arnoldistas, Speronistas, Passagenos, Wi-

clefistas et Hussitas, Fraticellos de Opinione nuncupatos, necnon per felicis recordationis Leonem Papam X, praedecessorem nostrum, superioribus annis damnatam, impiam et abominabilem Martini Lutheri haeresim sequentes, ipsique Martino, quominus puniri possit, quomodolibet faventes, et quoslibet alios haereticos, quocumque nomine censeantur, ac omnes fautores et receptatores, librosque ipsius Martini aut quorumvis aliorum eiusdem sectae, sine auctoritate nostra et Sedis Apostolicae, quomodolibet legentes aut in suis domibus tenentes, imprimentes aut quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore, et generaliter quoslibet defensores eorumdem.

Piratae et eorum fautores;

§ 2. Item, excommunicamus et anathematizamus omnes piratas, cursarios, latrunculos maritimos et illos praecipue, qui mare nostrum a Monte Argentario usque ad Terracinam discurrere et navigantes in illo depraedari, mutilare, interficere ac rebus et bonis suis spoliare praesumpserunt hactenus et praesumunt, ac omnes receptatores eorumdem, et eis auxilium dantes, consilium vel favorem.

Pedagia nova imponentes vel prohibita exigentes;

§ 3. Item, excommunicamus et anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia imponunt vel prohibita exigunt.

Falsificantes literas apostolicas 1;

§ 4. Item, excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios bullarum seu literarum apostolicarum et supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem vel vicecancellarium seu gerentes vices eorum aut officium vice-cancellarii sanctae Romanae Ecclesiae, de mandato eiusdem Romani Pontificis, signatarum, aut sub nomino eiusdem Romani Pontificis seu vice-cancellarii aut gerentium vicem praedictorum signantes supplicationes easdem, extendentes cap. *Ad falsariorum*, cum omnibus poenis in eo contentis, ad falsificantes seu mutantes supplicationes per nos seu de mandato nostro signatas et datas, sine nostra aut datarii nostri licentia.

Arma et alia inimicis christiani nominis deferentes;

§ 5. Item, excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, filum, stamnum chalybem omniaque alia metallorum genera atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes et alia prohibita deferunt Saracenis, Turcis et aliis christiani nominis inimicis, quibus christianos impugnant; non obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus, quibuscumque principibus et dominis seu privatis personis, per nos et Sedem praedictam hactenus forsan concessis, quae illis nolumus in aliquo suffragari.

Impedientes eos qui victualia seu alia ad urbem Romanam deferunt, vel eis faventes;

§ 6. Item, excommunicamus et anathematizamus omnes impedientes seu invadentes victualia seu alia ad usum Romanae Curiae necessaria adducentes, ac etiam eos qui ne ad Romanam Curiam adducantur vel deferantur impediunt seu perturbant, vel qui talia faciunt vel defendunt, cuiuscumque fuerint ordinis, praeeminentiae, conditionis et status, etiamsi pontificali, regali, reginali aut alia quavis ecclesiastica vel mundana praefulgeant dignitate.

Vexantes sine iurisdict. eos, qui in Curia commorantur;

§ 7. Item, excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, ad Sedem Apostolicam venientes, et recedentes ab eadem, necnon omnes illos, qui, iurisdictionem ordinariam vel delegatam aliquam non habentes, in eadem Curia morantes, temeritate propria rapiunt, spoliant et detinent, aut proposito deliberato verberare, mutilare vel interficere praesumunt, et qui talia fieri faciunt seu mandant.

Carcerantes episcopos etc.

§ 8. Item, excommunicamus et anathematizamus omnes temere mutilantes, ver-

1 Istud cap. est VIII in tit. *De crim. fal.*

berantes, vulnerantes, interficientes, capientes, incarcerantes et detinentes patriarchas, archiepiscopos et episcopos, eorumque mandatores.

Laedentes eos qui ad Romanam Curiam recurrunt, vel negotia ibi prosequuntur;

§ 9. Item, excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, per se vel alium seu alios, quascumque personas ecclesiasticas vel seculares ad Romanam Curiam super eorum causis et negociis recurrentes, illaque in eadem Curia prosequentes aut procurantes, negociorumque gestores, advocatos, procuratores ipsorum, vel etiam auditores seu iudices super dictis causis seu negociis deputatos, occasione causarum vel negociorum huiusmodi, verberant, mutilant vel occidunt seu bonis spoliant.

Impedientes executionem litterarum apostolicarum,

§ 10. Ac illos, qui, ne aliquas literas apostolicas, etiam in forma brevis, tam gratiam quam iustitiam concernentes, etiam citationes, monitoria et exequutoriales, quae a Sede Apostolica emanarunt et pro tempore emanabunt, sine eorum beneplacito et examine, executioni demandant, inhibent; ac notarios, executores et subexecutores literarum monitorialium et citationum executorialium huiusmodi excipiunt, incarcerant et detinent, vel capi, incarcerari, detineri faciunt. Necnon qui, ne literis et mandatis Sedis praedictae et legatorum ac nunciorum et iudicum delegatorum, eisdem similiter gratiam vel iustitiam concernentibus, decretisque super illis et rebus iudicatis, processibus et exequutorialibus, non nisi habito primum eorum beneplacito et assensu, pareatur, per eorum literas exequutoriales vel alias nuncupatas, et certo pretio soluto; neve tabelliones et notarii, super huiusmodi literarum et processuum executione, instrumenta vel acta conficere, aut facta, parti, cuius interest, tradere debeant; quive, sub quibusvis poenis, quibuscumque personis, in genere vel in specie, ne pro quibusvis eorum negociis prosequendis seu gratiis impetrandis, ad Romanam Curiam accedant aut recursum habeant seu gratias ipsas a Sede Apostolica impetrent aut recursum habeant, aut impetratis utantur, directe vel indirecte, etiam sub gravissimis poenis, prohibere, statuere seu mandare; quive in animarum eorumdem periculum seu a nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahere, seu quomodolibet recedere praesumunt.

Laici trahentes personas ecclesiasticas coram se ad tribunal;

§ 11. Quive, ex eorum officio vel ad instantiam quorumcumque, personas ecclesiasticas, capitula, conventus et collegia ecclesiarum quarumcumque coram se ac eorum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium vel parlamentum, praeter iuris communis dispositionem, trahunt, ac trahi faciunt vel procurant, directe vel indirecte, quovis quaesito colore.

Statuentes aliquid contra libertatem ecclesiasticam,

§ 12. Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas seu quaevis alia decreta, in genere vel in specie, ex quavis causa et quovis quaesito colore, etiam sub praetextu literarum apostolic. in usu non receptarum seu revocatarum, hactenus fecerunt, ordinarunt seu publicarunt, aut facient, ordinabunt vel publicabunt in futurum, per quas et quae libertas ecclesiastica tollitur seu in aliquo laeditur vel deprimitur aut alias quovis modo restringitur, seu nostris et dictae Sedis iuribus quomodolibet, tacite vel expresse, praeiudicatur.

Usurpantes bona et iurisdictiones ecclesiarum etc.,

§ 13. Quive iurisdictiones seu fructus, redditus, proventus ad ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum per eas obtentorum, pertinentes usurpant vel subripiunt, seu quavis occasione vel causa, sine Romani Pontificis expressa licentia, sequestrant, aut collectas, decimas, talias, praestantias et alia onera, clericis, praelatis et aliis personis ecclesiasticis ac eorum et ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum

bonis, illorum fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali et expressa licentia, imponunt, et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut a sponte etiam dantibus et consentientibus recipiunt. Necnon, qui, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, praedicta facere, exequi vel procurare aut in eisdem auxilium, consilium vel favorem aut votum, suffragium, palam vel occulte, praestare non verentur, cuiuscumque sint praeeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiamsi imperiali aut regali praefulgeant dignitate, seu principes, duces, comites, barones, respublicae et alii potentatus, quicumque, etiam regnis, provinciis, civitatibus et terris quoquomodo praesidentes fuerint, aut quavis, etiam pontificali, dignitate praefulgeant; innovantesque decreta super his, tam per sacros canones et concilia generalia quam etiam in Lateranensi concilio, novissime celebrato, edita, etiam cum interdicti ecclesiastici ac aliis censuris et poenis in eis contentis.

Avocantes causas a iudicibus ecclesiasticis, aut eorum expeditiones quoquomodo impedientes;

§ 14. Item, excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos cancellarios, vice-cancellarios et consiliarios ordinarios et extraordinarios quorumcumque regum et principum; ac praesidentes cancellariarum et consiliorum ac parlamentorum, necnon procuratores generales eorumdem vel aliorum principum saecularium, etiamsi imperiali, regali, ducali vel alia quacumque praefulgeant dignitate; necnon archiepiscopos, episcopos, abbates, commendatarios eorumque vicarios et officiales qui, per se vel per alium seu alios, quarumcumque exemptionum vel aliarum gratiarum et literarum apostolicarum, necnon decimarum et beneficiales ac alias spirituales et spiritualibus annexas causas ab auditoribus et commissariis nostris (ut eorum verbis utamur) avocant, ac executiones monitoriorum, citationum, inhibitionum, sequestrorum, exequutorialium et aliarum literarum apostolicarum, tam gratiam quam iustitiam concernentium, a nobis necnon camerario et praesidentibus Camerae Apostolicae ac auditoribus et commissariis apostolicis in eisdem causis pro tempore emanatarum, illarumque cursum et audientiam ac personas, capitula, conventus et collegia causas ipsas prosequi volentes, auctoritate laicali impediunt, et se de illarum cognitione, tamquam iudices, intromittere; ac partes actrices, quae illam committi fecerunt et faciunt, ad revocandum seu revocari faciendum citationes vel inhibitiones aut alias literas in eis decretas, et ad faciendum eos, contra quos tales inhibitiones emanaverunt, a censuris et poenis in illis contentis absolvi, ordinant vel compellunt, vel alias executionem literarum apostolicarum vel executorialium, etiam sub praetextu violentiae prohibendæ, impediunt, declarantes nihilominus ac protestantes, prout tenore praesentium declaramus ac expresse protestamur, absolutionem hodie vel alias etiam solemniter per nos faciendam praefatos supranominatos et qualificatos, ac cancellarios, vice-cancellarios, consiliarios, procuratores ac alios excommunicatos praedictos, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas et decreta huiusmodi publice revocaverint, et ex archiviis seu capitularibus locis aut libris, in quibus adnotata reperiuntur, deleri et cassari, ac nos de revocatione et cassatione huiusmodi certiores fecerint, et alias a praemissis, cum vero proposito ulterius simili non committendi, destiterint, comprehendere, nec illis aliter suffragaturam fore ac in praemissis omnibus et singulis ac aliis quibuscumque iuribus Sedis Apostolicae ac S. R. E. undecumque et quomodolibet quaesitis seu quaerendis per quoscumque actus contrarios aut quomo-

dolibet praeiudicantes, tacitos vel expressos, a nobis vel a Sede Apostolica quomodolibet factos, aut quemcumque temporis fluxum vel tolerantiam seu patientiam nostram ullatenus praeiudicari debere aut quomodolibet posse.

Offendentes peregrinos ad Urbem euntes, commorantes et recedentes;

§ 15. Item, excommunicamus et anathematizamus omnes mutilantes, vulnerantes aut interficientes seu capientes et detinentes seu depraedantes romipetas et peregrinos ad Urbem, causa devotionis seu peregrinationis, accedentes et in ea morantes, vel recedentes ab ipsa, et in his dantes auxilium, consilium vel favorem.

Occupantes bona S. Sedis Apostolicae;

§ 16. Item, excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore, occupant, detinent vel hostiliter destruunt seu invadunt, aut occupare, detinere vel destruere aut invadere hostiliter praesumunt, in totum vel in partem, almam Urbem, regna Siciliæ seu Trinacriæ, insulas Sardiniæ et Corsicæ, terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, ducatum Spoletanum, comitatum Venaysinum, Sabinensem Marchiæ Anconitanae, Massae Trebariae, Romandiolae, Campaniae et Maritimae provincias, illarumque terras et loca, ac terras specialis commissionis Arnulphorum, civitatesque nostras Bononiam, Ferrariam, Regium, Mutinam, Faventiam, Imolam, Forlivium, Ravennam, Cerviam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusiam, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Camerinum et alias civitates, terras et loca vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam spectantia et pertinentia, et adhaerentes ac fautores et defensores eorum seu in his dantes auxilium, consilium vel favorem.

Diripientes sacra ecclesiarum Urbis

§ 17. Item, excommunicamus et anathematizamus omnes sanctarum reliquiarum et ornamentorum ecclesiasticorum quorumcumque, calicum, crucum, candelabrorum, thuribulorum, vasorum argenteorum et aureorum, vestium sacrarum ad divinum cultum et usum deputatarum ex basilicis et ecclesiis, tam Urbis quam extra illius moenia consistentibus, et aliarum quarumcumque rerum in ipsa urbe, tempore illius direptionis usque in praesentem diem nequiter ablatarum, ablatores et illarum occupatores ac quoscumque alios ad quorum manus res ipsae, quocumque titulo et ex quavis causa, scienter pervenerint et existant, cuiuscumque fuerint ordinis vel præeminentiae, conditionis ac status, etiamsi pontificali, regali, reginali aut alia quavis ecclesiastica vel mundana praefulgeant dignitate, nisi restituerint res ablatas huiusmodi eorum veris dominis, si quorum notitiam habuerint, vel cum ipsis dominis desuper amicabiliter concordaverint; seu, si eosdem dominos ignoraverint, nisi res ipsas ad manus personarum, ad hoc per nos deputatarum, consignaverint realiter et cum effectu.

Contrariorum derogatio.

§ 18. Non obstantibus quibuscumque privilegiis et indulgentiis ac literis apostolicis, generalibus vel specialibus, eis vel eorum alicui vel aliquibus, cuiuscumque ordinis, status vel conditionis, dignitatis vel præeminentiae fuerint, etiamsi (ut praemittitur) pontificali, imperiali, regali, reginali seu quavis alia ecclesiastica vel mundana praefulgeant dignitate, a praedicta Sede, sub quavis forma vel tenore, concessis, quod excommunicari vel anathematizari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi ac Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus et dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus et observantiis, scriptis et non scriptis, et aliis contrariis quibuscumque, per quæ contra nostros processus huiusmodi ac sententias, quominus concludantur in eis, se iuvare valeant vel tueri, et quae, quoad hoc, penitus tollimus, et omnino revocamus.

Absolutionis reservatio, quae non iuvet non desistentes a praemissis.

§ 19. Et a quibus quidem sententiis nullus, per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. Nec etiam tunc, nisi de stando sanctae Romanae Ecclesiae mandato, satisfactione et sufficienti cautione praestitis, etiam praetextu confessionalium seu quarumvis facultatum, verbo, literis aut quavis alia scriptura, etiam in qua quod sola signatura sufficeret concessum, et quaevis derogatoriarum derogatoriae, fortiores et efficaciores ac insolitae clausulae apparerent, quibusvis personis, cuiuscumque praeeminentiae, dignitatis, conditionis aut status fuerint, etiam si, ut praemittitur, pontificali, imperiali, regali, reginali vel quavis alia praefulgeant dignitate, religiosis et saecularibus utriusque sexus capitulis, collegiis, conventibus, Ordinibus, etiam Mendicantium, et militiarum hospitalibus, confratriis, universitatibus concessarum a nobis vel a praedicta Sede, et quas concedi contingeret quomodolibet in futurum.

Poena contravenientium, in absolvendo.

§ 20. Illos autem, qui, contra tenorem praesentium, talibus vel eorum alicui seu aliquibus absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, excommunicationis et anathematis sententia innodamus, eisque praedicationis, electionis, administrationis sacramentorum et audiendi confessiones officia interdicimus; praedicentes et declarantes aperte transgressoribus et contemptoribus praedictis nos gravius contra eos spiritualiter et temporaliter, prout expedire cognoverimus, processuros; et nihilominus quicquid egerint absolvendo vel alias nullius sit roboris vel momenti.

Forma et effectus publicationis in Urbe.

§ 21. Ut autem huiusmodi nostri processus ad communem omnium notitiam deducantur, cartas seu membranas processus continentes eosdem in valvis basilicarum Principis apostolorum et S. Ioannis Lateranensis de Urbe affigi seu appendi faciemus, quae processus ipsos quasi sonoro praeconio et patulo indicio publicabunt, ut ii, quos processus huiusmodi contingunt, quod ad ipsos non pervenerint aut ipsos ignoraverint nullam possint excusationem praetexere seu ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, quoad ipsos remanere incognitum quod tam patenter omnibus publicatur.

Iussio hanc eamdem bullam in aliis locis publicandi.

§ 22. Verum, ut praesentes literae ac omnia et singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque civitatibus et locis fuerint publicata, venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis ac locorum ordinariis ubilibet constitutis, per haec scripta committimus et, in virtute sanctæ obedientiae, districte praecipiendo, mandamus quatenus, per se vel alium seu alios praesentes literas, postquam eas receperint seu earum habuerint notitiam, saltem semel in anno, aut pluries, prout expedire viderint, in ecclesiis suis, dum maior in eis populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, ad christifidelium mentes deducant, nuncient et declarent.

Transumptorum fides.

§ 23. Decernentes earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius iudicis ordinarii Romanae Curiae munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra ubilibet adhibendam fore, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 24. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae excommunicationis, extensionis, revocationis, innodationis, interdicti, innovationis, protestationis, declarationis, commissionis, mandati, voluntatis et decretorum infringere *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo sexto, idibus aprilis, pontificatus nostri anno II.

Publicatio in Urbe. Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo trigesimo sexto, indictione octava, die vero decima tertia mensis aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pauli, divina providentia Papae III, anno secundo, retroscriptae literae apostolicae affixae et publicatae fuerunt in S. Ioannis Lateranensis ac Principis apostolorum de Urbe basilicarum valvis seu portis, dimissis ibidem per aliquod temporis intervallum affixis per nos Thomam Roger et Franciscum de Grosa, praelibati SS. D. N. Papae cursores.

Petrus Cornuti, magister cursorum.

Dat. die 13 aprilis 1536, pontif. anno II.

XII.

Indictio Concilii Œcumenici in civitate Mantuana pro die XXIII *mensis maii, anni* MDXXXVII [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ad dominici gregis curam et regimen, divina disponente providentia, assumpti, nihil magis ex animo desideramus et ab omnipotenti Deo precati sumus, quam ut Ecclesiam suam, nobis commissam, et tot haeresum et errorum vepribus iam pridem in ea subortis, Spiritus Sancti operante gratia nostroque studio, repurgatam, eiusque moribus in melius reformatis, debito nitori et sinceritati restitutam, in sanctitate et iustitia gratum Deo obsequium praestare videamus; sed et illa nihilominus cura nos tangit, cum consideramus atque adeo oculis ipsis cernimus christianam rempublicam, intestinis fidelium odiis et infidelium vi ac dolo afflictam, in dies magis dissipari atque diminui.

§ 1. Quibus opportuna remedia adhiberi pro pastorali cura cupientes, cum, multis variisque viis per nos diligenter examinatis, nullam aliam indicaverimus meliorem ac promptiorem ea, quam maiores nostri sanctissimi viri, adeoque universalis ipsa Ecclesia, in huiusmodi casibus experta est saluberrimam, generalis videlicet concilii celebrationem: idcirco, eorum sanctis vestigiis insistentes, sacrosanctum oecumenicum seu universale concilium (quod etiam, cum in minoribus essemus, a nobis maxime est desideratum), ineunte statim pontificatu nostro, celebrare omnino statuimus; et de hac nostra constanti voluntate non solum palam loquuti sumus, sed et charissimos in Christo filios nostros Carolum, Romanorum imperatorem, ac alios christianos reges et principes per literas et nuntios nostros certiores fecimus, et nunc, authore Domino, indicere et exinde in loco et tempore per nos inferius declarando celebrare, ac demum ad optatum finem perducere omnino decernimus: sperantes et cum Dei auxilio nobis promittentes, per hoc tam sanctum et tam salutare remedium, non solum omnes haereses et errores ex agro Domini extirpandos, et christiani populi mores corrigendos, sed et universalem inter fideles pacem componendam, et, facta sub vexillo salutiferae crucis contra infideles generali expeditione, regna et terras nostras ab illis occupatas recuperandas, captivosque innumerabiles liberandos, et infideles ipsos ad sanctam religionem nostram, favente Domino, convertendos, et sic ab universo orbe in unum idemque ovile Domini coalescente in vera fide, spe et charitate, sobrie et pie et iuste vivatur, et inde ab omnipotenti Deo corona iustitiae expectetur.

Causae quibus adductus est Paulus concilium indicere. Exercitum contra Turcas parare meditatur.

§ 2. Hoc igitur perpetuum et constans animi nostri super universal. concilii celebratione propositum et sententiam, ad Dei laudem et gloriam, Ecclesiaeque suae salutem, decus et incrementum, exequi aggre-

Locum et diem pro celebrando generali concilio indicit;

[1] Ex Regest. Vatic. et Raynald. continuat. Annal., tom. XX.

dientes. In nomine sanctae et individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, qua in terris fungimur, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, oecumenicum seu universale ac generale concilium in civitate Mantuana loco tuto, commodo, fertili et domorum ac bonarum habitationum copia praedito, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo septimo, die vigesimatertia mensis maii, quae erit feria quarta post sacratissimum festum Pentecostes, inchoandum et, ut sequitur, continuandum, et auctore Domino, finiendum nuntiamus, convocamus, statuimus, indicimus et ordinamus.

Reges et episcopos ceterosque alios ad illud invitat.

§ 3. Universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis abbatibus et ceteris ecclesiarum et monasteriorum praelatis, ubique terrarum constitutis, in virtute praestiti iuramenti ac sanctae obedientiae, et sub poenis de iure vel consuetudine aut alias contra eos, qui ad generale concilium non accedunt, statutis, mandantes quatenus personaliter; praedictos vero imperatorem, reges, principes, duces, marchiones et alios, qui de iure vel consuetudine in universali concilio interesse debent, per viscera charitatis Domini nostri Iesu Christi invitantes et exhortantes quatenus, pro pace, salute et augmento Ecclesiae Dei, et ipsi personaliter (quod mallemus), vel si personaliter non possint, per solemnes oratores suos congruo tempore huic sacro concilio, in dicta civitate Mantuae, ut praefertur, celebrando, debeant interesse; qui tamen, si considerent quam nobis iucunda, christianae vero reipublicae maxime necessaria futura sit eorum in dicto concilio pastoralis praesentia, non dubitamus quin tum alii supradicti reges et principes, tum Carolus imperator, tum Franciscus Francorum rex christianissimus sint illi personaliter interfuturi.

Carolus V imp. instat apud Clementem VII et Paulum III pro celebrat. concilii.

§ 4. Siquidem Carolus, pro sanctae fidei nostrae zelo et amore, tam suo quam serenissimi Ferdinandi, Romanorum regis, fratris sui, ac electorum ceterorumque sacri Romani imperii ordinum nomine, pro universalis concilii celebratione, apud felicis recordationis Clementem VII, praedecessorem nostrum, saepenumero et maximopere institit; et cum variis rerum perturbationibus et bellis ac aliis legitimis de causis, et praesertim praefati Clementis [1] obitu, tam sancti operis et optimi animi, quem ad hoc idem praedecessor habebat, impeditus esset effectus, nobis, ob hanc nostram promptam ultroque sibi et omnibus supradictis, ab initio usque nostri pontificatus, ut praedictum est, a nobis significatam et oblatam super dicto concilio per nos indicendo et celebrando deliberationem, et proxime in praedictorum fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium generali congregatione decretam et declaratam conclusionem, qua decuit filiali reverentia, eodem nomine maximas gratias egit.

In idem consentit Franciscus I, rex Gallorum.

§ 5. A Francisco vero rege praefato, qui etiam ad eumdem Clementem et sacrum collegium plenas pietatis ac religionis hac de re literas scripserat, quale a principe vere christianissimo sperabamus, consensum et conforme bonae nostrae voluntati super huiusmodi concilii negotio responsum accepimus.

Imperatorem regesque hortatur Pontifex, ut subditos suos per se vel per legitimum procuratorem ad concilium faciant convenire.

§ 6. Et nihilominus eosdem imperatorem, reges, principes et alios supradictos similiter rogamus et hortamur ut, omnia adhibita opera et studio, efficiant ut omnes et singulae personae in eorum regnis et dominiis existentes, quae de iure vel consuetudine generalibus conciliis interesse debent, ad concilium huiusmodi, cessante huiusmodi legitimo impedimento, de quo legitime docere teneantur, personaliter, alias per idoneos nuntios, procuratores vel

[1] *Superveniente* addit Raynaldus (n. 7.).

oratores legitima mandata habentes, concilio praedicto interesse, et usque ad ipsius conclusionem et absolutionem in dicta civitate Mantuae morari debeant, et sic congregata multitudine christianorum copiosa, ea, quae ad Dei laudem, Ecclesiae in moribus reformationem et exaltationem, haeresum vero omnimodam extinctionem, fideliumque praedictorum concordiam et salutem, ac generalem contra infideles expeditionem pertinent, in eodem concilio, Deo auctore et adiutore, salubriter ordinentur *etc.*

Conclusiones. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimosexto, quarta mensis iunii, pontificatus nostri anno II.

Pauli PP. et cardin. subscriptiones.

✠ Ego PAULUS, catholicae Ecclesiae episcopus, subscripsi.

✠ Ego Ioannes, episcopus Ostiensis, cardinalis Senensis, subscripsi.

✠ Ego Ioannes Dominicus, episcopus Portuensis, cardinalis Tranensis, subscrip.

✠ Ego Bonifacius, episcopus Sabinensis, cardinalis Iporegiensis, manu propria subscripsi.

✠ Ego Laurentius, episcopus Praenestinus, cardinalis Campegius, manu propria subscripsi.

✠ Ego Antonius, presbyter cardinalis de S. Severino, manu propria subscrip.

✠ Ego Augustinus, cardinalis Perusinus, sanctissimi domini nostri Papae camerarius, subscripsi.

✠ Ego Vincentius Caraffa, cardinalis Neapolitanus, manu propria subscripsi.

✠ Ego Andreas, cardinalis Parmerius, manu propria subscripsi.

✠ Ego Franciscus, cardinalis Sanctae Crucis, manu propria subscripsi.

✠ Ego Franciscus, cardinalis Cornelius, manu propria subscripsi.

✠ Ego Nicolaus, cardinalis Capuanus, manu propria subscripsi.

✠ Ego Hieronymus, cardinalis de Ghinuccis, manu propria subscripsi.

✠ Ego Iacobus, cardinalis Simoneta, manu propria subscripsi.

✠ Ego Gaspar, cardinalis Contarenus, manu propria subscripsi.

✠ Ego Paulus, Sancti Eustachii diaconus cardinalis...., subscripsi.

✠ Ego Alexander, S. Mariae in Via Lata cardinalis Caesarius, subscripsi.

✠ Ego Ioannes, cardinalis de Salviatis, manu propria subscripsi.

✠ Ego Nicolaus, cardinalis Rodulphus, manu propria subscripsi.

✠ Ego Augustinus, Sancti Hadriani diaconus cardinalis Trivultius, manu propria subscripsi.

✠ Ego Hercules, Sanctae Mariae Novae diaconus cardinalis....., manu propria subscripsi.

✠ Ego Matthaeus, Sancti Theodori diaconus cardinalis de Caddis, subscripsi.

✠ Ego Hieronymus, cardinalis Grimaldus, subscripsi.

✠ Ego Alexander, cardinalis de Farnesio, vice-cancellarius, subscripsi.

✠ Ego Guido Ascanius Sfortia, cardinalis Sanctae Florae, manu propria subscripsi.

✠ Ego Martinus, Sanctae Mariae in Aquiro diaconus cardinalis Caracciolus, subscripsi.

Dat. die 4 iunii 1536, pontif. anno II.

XIII.

Prohibitio ne subditi S. R. E. sub alienigenorum principum stipendiis militent, ac in ditione ecclesiastica pro eorumdem servitio milites aliasque copias parent [1].

Paulus Papa III, ad futuram rei memoriam.

Prohibitio de qua in rubrica, edita occasione

§ 1. Superioribus mensibus, cum inter nonnullos christianos principes certas dis-

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic.

discord. inter principes christianos, ex quibus bellum timebatur.

cordias exortas videremus, timeremusque inde bella facile posse provenire; nos, ut nostro suffragaremus officio, discordias huiusmodi totis viribus sedare tentavimus, atque, quantum in nobis esset, belli fomenta tolleremus, omnibus et singulis nostris, etiam S. R. E. subditis et vassallis, quacumque, etiam ducali, marchionali, comitali et qualibet alia dignitate fulgentibus, etiam sub laesae maiestatis et confiscationis omnium bonorum suorum, nec non privationis civitatum, terrarum, oppidorum et locorum quorumcumque a dicta Romana Ecclesia quomodolibet obtentorum poenis ipso facto incurrendis, mandavimus ne se ad stipendia aliquorum principum aut potentatuum locare, aut in civitatibus, terris, oppidis et locis huiusmodi milites congregare seu stipendiare, vel aliquo colore aut praetextu militum aut gentium coadunantiam facere, neve aliquem bannitum inibi recipere seu receptare praesumerent.

Nonnulli tamen ex subditis Status Ecclesiastici hanc legem transgredi non timuerunt.

§ 2. Cum autem, sicut non sine animi nostri gravi displicentia accepimus, nonnulli ex subditis et vassallis nostris huiusmodi, sui status et honoris immemores, mandatis nostris huiusmodi spretis et contemptis, se ad stipendia aliorum principum seu potentatuum locare, et in civitatibus, terris, oppidis et locis praedictis milites congregare aut stipendiare, militum seu gentium coadunantias facere ac bannitos ibi recipere aut receptare ausi fuerint, et ad praesens audeant.

Eamdem legem innovat Paulus.

§ 3. Nos, ad quorum aures ex fide dignorum relatione devenit dictos subditos et vassallos nostros ex hoc potissime in hac re magis audere, quod ipsi parum vel nihil, quod ad nos spectet, habentes, et civitates, terras, oppida et loca, quae gubernant, tamquam ad eorum uxores pertinentia, sub ipsarum uxorum clypeo salvare posse sperantes, poenas praedictas deludere posse confidunt, nos inconvenientibus, quae tunc provenire possent, occurrere, et ne sub his cautelis, subterfugiis mandata nostra deludantur, atque in civitatibus, terris, oppidis et locis nobis et dictae Romanae Ecclesiae subditis armorum strepitus et scandala cessent, providere volentes; motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis nostris et dictae Ecclesiae subditis et vassallis praedictis aut quibusvis aliis dignitatibus fulgentibus, sub dictis poenis ipso facto similiter incurrendis, ac ex aliis causis animum nostrum moventibus, praecipimus et mandamus ut ad stipendia principum aut potentatuum huiusmodi se locare, aut in civitatibus, terris, oppidis et locis praedictis milites congregare aut stipendiare, aut milites seu gentium coadunantias facere, aut bannitos recipere seu receptare non audeant nec praesumant.

Contra transgressores procedi posse statuit etiam super bonis dotalibus uxorum etc..

§ 4. Decernentes motu, scientia et potestate praedictis, non solum subditos et vassallos praedictos, sed etiam eorum uxores nobis et dictae Ecclesiae subditas ad praemissa teneri; et in eventum contraventionis, etiam maritorum suorum, ipsas etiam uxores dictas poenas incurrere, ac contra eas eorumque bona, etiam dotalia, usque ad executionem inclusive super poenis praedictis procedi posse; sicque per quoscumque iudices, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, etiam S. R. E. cardinales, interpretari, iudicari et definiri debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter interpretandi, iudicandi et definiendi facultate; ac irritum et inane quidquid secus a quoquam super his, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ac omnibus illis, quae alias, quoad praemissa, voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, XII augusti MDXXXVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 12 augusti 1536, pontif. anno II.

XIV.

Declarat novas locationes, arrendationes seu concessiones in emphyteusim bonorum ecclesiarum, monasteriorum etc. in districtu Urbis validas esse, etiam non citatis antiquis colonis, inquilinis etc. [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Si diffusis per orbem terrarum ecclesiis, monasteriis et piis locis apostolica nos deceat provisione consulere, ampliori sollecitudine ecclesiis, monasteriis et piis locis in Urbe et eius districtu constitutis, quorum cura strictiori iure nobis imminere dignoscitur, nos convenit providere; ac illorum, necnon eis praesidentium et in eis divinis obsequiis mancipatarum personarum, excisis ab eis contentionum dispendiis, profectui iugiter intendere.

Ex novis locationibus seu arrendationibus saepe variae oriebantur lites. § 1. Sane cum, sicut accepimus, licet tam venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales, etiam Ostiensis et Portuensis episcopi cathedralium, ac presbyteri et diaconi basilicae Principis Apostolorum et Sancti Ioannis Lateranensis ac Beatae Mariae Maioris archipresbyteratuum, necnon aliarum ecclesiarum, quibus praesunt, titulorum et diaconiarum, quam dilecti filii basilicae Principis Apostolorum et Sancti Ioannis ac aliarum ecclesiarum praedictarum capitula, necnon universorum monasteriorum, quorumvis Ordinum, abbates et conventus, aliique clerici saeculares beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, in Urbe consistentia obtinentes, ac piorum locorum rectores, gubernatores sive administratores tenutas sive casalia et alia praedia rustica, ad ecclesias, archipresbyteratus, titulos et diaconias, necnon monasteria et mensas, tam capitulares quam conventuales, et alia beneficia et pia loca ipsius Urbis spectantia, etiam ad longum tempus vel alias, pro annuis affictibus sive responsionibus arrendari seu in affictum concedi vel locari solita, antiquis sive tunc instantibus illorum colonis aut inquilinis vel alias ea tenentibus non interpellatis sive requisitis, aliis novis inquilinis, colonis sive alias noviter conducere volentibus, cum pactis et conditionibus, de et pro quibus suam ac ecclesiarum, mensarum, archipresbyteratuum, titulorum, beneficiorum et piorum locorum praedictorum conditionem efficere possint meliorem, arrendare et locare ac in affictum et alias concedere consueverint, ac arrendationes, locationes et concessiones huiusmodi, etiam insciis, immo etiam invitis antiquis colonis sive inquilinis, effectum habuerint ac sortitae fuerint; nihilominus a nonnullis dicatur praetendi et asseri arrendationes sive locationes et in affictum concessiones de tenutis sive casalibus et praediis praedictis, antiquis sive tunc instantibus colonis vel inquilinis et alias tenentibus praedictis non requisitis, factas, non solum nullas et invalidas existere, sed prout in palatiis et domibus ipsius Urbis et aliis praediis urbanis receptum sive statutum esse dicitur, hoc etiam in ipsis tenutis seu casalibus et praediis observari suitum esse, et observari debere, videlicet quod tales novae arrendationes sive locationes et in affictum concessiones, eisdem novis inquilinis sive colonis, non interpellatis sive requisitis antiquis sive tunc instantibus colonis sive inquilinis, factae, pro eisdem pretiis, pactis et conditionibus, eis illa acceptantibus et habere volentibus, antiquis colonis vel inquilinis censeantur et intelligantur factae, ac pro-

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic.

pterea etiam super arrendationibus seu locationibus et concessionibus huiusmodi novis inquilinis factis, dictis antiquis non interpellatis, inter ipsos antiquos et novos colonos sive inquilinos sive conductores quaestiones quandoque exortae fuerint, et in dies oriantur, ac in futurum maiores oriri formidentur.

Novae locationes, in bonum Ecclesiarum factae, validae sunt etiam non requisitis antiquis colonis, in publicis etc.

§ 2. Nos, quaestionum huiusmodi materiam succidere et penitus amputare volentes, ex certa nostra scientia, hac nostra in perpetuum valitura constitutione, pro potiori cautelae suffragio, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus et ordinamus quod de cetero, tam ipsi episcopi et alii presbyteri ac diaconi cardinales quam abbates et alii ecclesiarum praelati, necnon quarumcumque ecclesiarum capitula, et quorumvis Ordinum monasteriorum Urbis huiusmodi, etiam conventus et clerici, in eadem Urbe beneficia ecclesiastica obtinentes, necnon piorum locorum rectores et administratores, de tenutis, casalibus, praediis et aliis immobilibus bonis et praediis rusticis in dictae Urbis territorio seu districtu existentibus, antiquis colonis sive inquilinis vel aliis ea tenentibus non requisitis nec interpellatis, novas arrendationes seu concessiones et in affictum locationes novis affictuariis sive conductoribus et habere volentibus, pro pretio et cum pactis seu conditionibus de ac pro quo vel quibus suam et ecclesiarum, mensarum, monasteriorum, archipresbyteratuum, titulorum, diaconiarum et beneficiorum praedictorum conditionem efficere potuerint meliorem, ad annum vel aliud tempus, ita tamen quod, si agatur de maiori tempore, quo ex dispositione iuris vel sacris constitutionibus concedatur, licentia desuper a Sede Apostolica habeatur, dare et concedere; ipsosque novos affictuarios sive conductores capere, recipere et habere ac assequi posse; nec novae arrendationes, concessiones et locationes huiusmodi ipsis antiquis sive tunc instantibus colonis aut inquilinis vel tenentibus censeantur vel sint factae, sed ipsi antiqui coloni sive inquilini et alii tentores, finitis temporibus suarum arrendationum sive locationum et concessionum, a tenutis sive casalibus et aliis praediis praedictis sint ipso facto omnino exclusi.

Praesentium publicatio facienda.

§ 3. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his, per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; ac volentes praesentes, ut illae omnibus innotescant, in acie Campi Florae et basilicae Principis Apostolorum ac ecclesiae Sancti Ioannis Lateranensis praedictarum, necnon Cancellariae Apostolicae valvis per aliquem ex cursoribus nostris affigi, ac omnes et singulos arctare et afficere, ac si eis singulariter et personaliter intimatae fuissent.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Conclusiones

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimosexto, tertiodecimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 augusti 1536, pontif. anno II.

XV.

Approbatio secundae congregationis Capuccinorum Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci, cum declarationibus circa munus eorum vicarii generalis et aliorum officialium [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Clemens VII congreg. Cappuc.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii vicarius modernus et fratres Ordinis

[1] Hi fratres Cappucini hactenus Eremitae nuncupabantur, eorumque congregatio a Clemente VII approbata fuit, ut habes in eius constit. XXIV, *Religionis*, pag. 113 huius tomi.

cinorum approbavit, ut in eius constitutione de qua in nota.

Minorum, Cappucinorum nuncupatorum, quod, postquam felicis recordationis Clementi Papae VII, praedecessori nostro, pro parte nonnullorum tunc expressorum fratrum Ordinis Minorum expositum fuerat *etc.* [1].

Hic modo Pontifex eiusdem pe... dictam constitut. Clementis VII inscriptis confirmat;

§ 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, literarum praedictarum vigore, nonnulli clerici saeculares et regulares ac laici, ab ipsis fratribus, ut praefertur, nominatis, vel uno ex eis ac ab aliis de ipsorum commissione recepti, congregationem fratrum Ordinis Minorum, Cappucinorum nuncupatorum, constituerint; ipsique fratres cupiant literas praedictas, quoad infrascripta, confirmari et extendi, et propterea nobis humiliter supplicari fecerint ut huiusmodi eorum votis annuere de benignitate apostolica dignaremur.

Easque in omnibus suffragari decernit,

§ 2. Nos, attendentes uberes fructus, quos Ordo ipse Minorum in agro militantis Ecclesiae hactenus produxit et in posterum producturum spe firma speramus, ac dignum censentes ut circa ea, quae ipsius Ordinis incrementum concernunt, benignos favores impendamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, literas Clementis praedecessoris huiusmodi, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate apostolica, ex certa scientia, per praesentes approbantes et confirmantes, illas dilecto filio moderno et pro tempore existenti vicario generali congregationis Cappucinorum huiusmodi ac ipsius congregationis fratribus, perinde ac si illae eisdem congregationi et fratribus directae fuissent, quoad omnia et singula in ipsis literis contenta, suffragari debere decernimus.

Vicario generalem capitulum generale quolibet triennium congregandi facultatem concedit;

§ 3. Et nihilominus, auctoritate et scientia similibus, per easdem praesentes statuimus et ordinamus quod deinceps vicarius generalis ipsorum fratrum Cappucinorum, circa finem triennii, ex quo ad officium vicariatus huiusmodi electus fuerit, vel etiam prius aut posterius, iuxta praefatae Regulae tenorem, ac ipsorum fratrum laudabiles constitutiones, vicarios discretos et custodes vocem congregationis habentes, quarumlibet provinciarum et custodiarum sibi subiectarum, in locum per ipsum vicarium generalem deputandum, ad capitulum convocare possit, quorum, si qui, legitimo impedimento detenti, ipsi capitulo interesse non potuerint, per nuncios ab eis deputatos, vel suppletis votis eorum, iuxta ipsorum consuetudinem, praesentia suppleatur.

In quo vicarius ex Cappucinis eligatur, et electus magistro gen. Conventualium praesentetur;

§ 4. Qui sic congregati, omnia et singula, quae alii fratres dicti Ordinis in eorum generali capitulo de iure vel consuetudine et ex privilegiis possunt, faciendi, ordinandi et disponendi, et potissime eligendi unum religiosum eiusdem Ordinis et congregationis in eorum similem vicarium generalem facultatem habeant; et ipsius vicarii electionem, si a maiori parte eligentium celebretur, quam primum commode fieri poterit, generali magistro dictorum fratrum Conventualium nuncupatorum, sicut hactenus servatum fuit, donec aliud desuper ordinatum a Sede Apostolica [1], praesentent seu praesentari faciant.

A quo confirmetur, et regimen congregationis Cappucinorum tribuatur.

§ 5. Ipseque generalis magister, intra triduum a praesentatione sibi facta, ipsum electum vicarium confirmare teneatur, concedendo ei et committendo plenarie vices suas, tribuendo videlicet liberam potestatem et auctoritatem ac omnimodam facultatem suam super omnes et singulos fratres eiusdem Ordinis, Cappucinos nuncupatos, etiam si alio quovis nomine nuncupentur, tam in capitulis quam in membris; publice ac privatim visitandi congregationes in provinciis et custodiis omnibus eis subiectis, sive pro electione vicariorum, discretorum, custodum et

1 Omittitur residuum, quia bullam habes in loco cit. in praecedenti nota.

1 *Fuerit* addit Wadd. (n. т.).

guardianorum, sive pro aliis utilibus negociis; faciendi seu fieri faciendi nova loca; conventus seu eremitoria recipiendi; fratres subditos corrigendi et puniendi, excommunicandi et absolvendi, incarcerandi et a carceribus liberandi; contradictores ac rebelles per censuras ecclesiasticas et alia iuris ac dicti Ordinis remedia, etiam per invocationem brachii saecularis vel ecclesiastici, si opus fuerit, compescendi; ac generaliter specialiterque omnia et singula circa fratres, conventus, domos, loca et eremitoria huiusmodi faciendi, exercendi et disponendi, ordinandi, administrandi ac statuendi, quae generalis magister dicti Ordinis circa fratres, conventus, domos, loca et eremitoria fratrum Conventualium nuncupatorum facere posset, si personaliter adesset vel interesset; ac easdem auctoritatem, potestatem, gratiam et facultates per ipsum magistrum generalem eidem vicario generali concessas, vel earum partem, aliis fratribus, quos ad haec iudicaverit idoneos, committendi et concedendi; necnon per ipsos praedicti vicarii commissarios committi et concedi faciendi; et, triduo elapso, et electo non confirmato, idem electus pro confirmato Sedis Apostolicae auctoritate, cum plenaria potestate huiusmodi, usque ad successoris electionem, habeatur, et infra hoc tempus officio suo, sine scitu omnium vicariorum et discretorum provincialium aut maioris partis eorundem, renunciare nequeat. Possit tamen convocare omnes vicarios et discretos sibi subiectos, infra tempus officii sui, in loco per ipsum deputando, quoties sibi opus visum fuerit.

Eoque vicario deficiente, vicarius provinciae agat de convocando capitulo, pro alterius electione, et interim primus

§ 6. Si vero generalis vicarius, infra officii sui tempus, ex hac luce migraverit, seu alias ab officio amotus fuerit, vicarius, in cuius provincia mori vel amoveri contigerit, nunciet, quam citius poterit, omnibus definitoribus capituli generalis immediate praecedentis et omnibus vicariis provincialibus, ac de consilio atque consensu duorum vicariorum proximorum determinet locum et tempus, nisi fuissent per generale capitulum vel per praedictum vicarium, ante obitum ipsius ac amotionem, deputata, et convocet qui fuerint evocandi pro successoris vicarii electione celebranda; quo vacationis tempore, auctoritate Sedis praedictae, exerceat officium vicariatus huiusmodi primus diffinitorum praedictorum vel, ipso deficiente, secundus, et sic de aliis successive, cum plenaria potestate praemissa.

definitor exerceat officium vicariatus;

Et hoc idem servetur deficientibus vicariis provincialibus.

§ 7. Et hoc idem censeatur de vicariis provincialibus, cum eis mori vel amoveri contigerit, ac provincias regi et gubernari per primum ac alios definitores successive capituli provincialis immediate praecedentis, prout supra de vicario generali statutum extitit, salva semper et reservata praedicti vicarii generalis, ut praemittitur, potestate.

Magister generalis Ordinis tantum Cappucinos visitare et corrigere possit.

§ 8. Generalis vero, tam magister praedictus quam minister Ordinis Minorum huiusmodi, aut quisquam ministrorum seu magistrorum provincialium seu aliorum fratrum dicti Ordinis, tam Conventualium quam de Familia sive de Observantia nuncupatorum, donec aliter per Sedem Apostolicam ordinatum fuerit, praedicto vicario generali seu ceteris vicariis vel cuipiam fratri eiusdem congregationis, de Cappucinis nuncupatae, molestiam seu impedimentum aliquod inferre non audeat nec praesumat, sub poena excommunicationis latae sententiae, privationis officii omniumque actuum legitimorum, nisi quod praelatus magister generalis, donec aliter per dictam Sedem ordinatum fuerit, per se dumtaxat personaliter visitare et corrigere possit et valeat, praedictum vicarium generalem seu fratres, domum, locum et eremitorium eorundem fratrum Cappucinorum nuncupatorum, pie, benigne et charitative, ad meliorem

frugem provocando[1]. Et si quemquam, quod absit, repererit criminosum, ipsum vicarium, de consilio et assensu maioris partis vicariorum praemissorum; ceteros vero, de consilio et assensu maioris et sanioris partis fratrum domus, eremitorii, loci vel conventus visitatorum, in eodem loco et non extra, corrigere valeat et punire, poenitentiare ac emendare, secundum quod delicti qualitas exegerit faciendum. De regimine vero ac cura praedictorum fratrum Cappucinorum nuncupatorum se aliter non intromittat.

Habitus Cappucinorum ceteris aliis prohibetur.

§ 9. Districtius inhibentes quibuscumque personis, cuiuscumque conditionis existant, sub excommunicationis latae sententiae poena eo ipso incurrenda, ne habitum per eos deferri solitum, nisi sub praefati vicarii generalis pro tempore existentis obedientia et cura permaneant, gestare quoquomodo praesumant.

Declaratio circa obedientiam ministris et vicariis praestandam.

§ 10. Insuper, vestigiis piae memoriae Pii Papae II, etiam praedecessoris nostri, in hac parte inhaerendo, qui alias ex certis causis, auctoritate apostolica, ex certa scientia, in favorem familiae de Observantia interpretatus est ac declaravit quod, cum Apostolica Sedes generalem totius Ordinis Minorum ministrum generalem, et provinciales vicarios ministrorum loco, certis, piis ac sanctis respectibus esse voluisset ac decrevisset, vicarii ipsi, qui illis praeessent et quibus ipsi, ex debito eorum professionis, obediebant, veri et indubitati ipsorum ministri, cum tales beatus Franciscus, dicti Ordinis institutor, eos esse intellexisset, quoad usque praefata Sedes, in cuius arbitrio consistebat, aliud alio respectu ordinare statuisset, essent ac perpetuo forent, differentes a praedictis ministris solo nomine; eosque, qui dictis vicariis obedirent secundum dictae Sedis determinationem, eorum Regulae, et praecipue in ea parte, ubi erat *Praecipio firmiter fratribus universis ut obediant suis ministris*, plene et integre satisfacere, auctoritate ac scientia praedictis declaramus, et decernimus quod, donec aliter super praemissis per praefatam Sedem ordinatum fuerit, fratres Cappucini praedicti eorum vicariis, prout de vicariis familiae per dictum Pium praedecessorem, ut praefertur, statutum fuerat, obediendo, plene ac integre praefatae Regulae satisfaciant.

Executorum huius constitutionis deputatio.

§ 11. Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis, necnon dilectis filiis abbatibus, prioribus ac aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas ac in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit ac quoties pro parte vicariorum et fratrum Cappucinorum praedictorum sive alicuius eorum fuerint desuper requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, praesentes literas ac in eis contenta huiusmodi firmiter observare, ac singulos, quos praesentes concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque, contra praesentium tenorem, quomodolibet molestari, inquietari seu perturbari, contradictores quoslibet ac rebelles, per censuram ecclesiasticam ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac censuras et poenas ipsas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio.

§ 12. Non obstantibus praemissis ac recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, ac aliis apostolicis constitutionibus, necnon quibusvis privilegiis ac indultis apostoli-

[1] Revocando Wadd. (R. T.).

cis, sub quibusvis tenoribus ac formis, cum quibusvis clausulis et decretis, quae adversus praemissa nullatenus suffragari volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 13. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimosexto, octavo kalendas septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 25 augusti 1536, pontif. anno II.

XVI.

Saecularizatio Vezeliacensis monasterii, quod in saecularem abbatiam et capitulum reducitur [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiarum et monaster. status iuxta opportunitatem in meliorem commutandus.

Ex supernae Maiestatis providentia Romanus Pontifex, in apostolicae dignitatis sublimitate constitutus, circa ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet statum in melius, dante Domino, commutandum, prout ex debito pastoralis officii sibi incumbit, diligenter prospicit et intendit, illumque interdum alterat et commutat, ac desuper disponit et ordinat, prout rationabiles causae suadent, ac pia catholicorum regum vota exposcunt, necnon temporum, locorum et rerum qualitatibus ac conditionibus diligenter consideratis, ad divini cultus augmentum et bonorum illorum conservationem, necnon ecclesiarum, monasteriorum et personarum eorumdem decorem et venustatem conspicit in Domino salubriter expedire.

Vezeliacensis monasterii fundationem, dotationem, exemptionem a quacumque ordinarii episcopi iurisdiction., concessaque abbatibus privilegia exponit.

§ 1. Sane charissimus in Christo filius noster Franciscus, Francorum rex christianissimus, tam suo quam dilectorum filiorum Deodati de Buduer, moderni abbatis et conventus monasterii Vezeliacensis, Ordinis S. Benedicti, in Æduensi dioecesi, nominibus, nobis exponi fecit quod, licet dictum monasterium, nullius dioecesis, Sedi Apostolicae immediate subiectum, olim monasterium monialium eiusdem Ordinis, per quondam Gerardum comitem Nivernensem et Bertham eius uxorem, de bonis eis a Deo collatis, ad honorem Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, pie fundatum, et postmodum ad statum monachorum eiusdem Ordinis apostolica auctoritate reductum; ac certis fructibus, redditibus, proventibus et emolumentis spiritualibus et temporalibus, pro illius abbatis et monachorum pro tempore existentium sustentatione, olim per dictos fundatores et alios christifideles pie elargitis, ac territorio insigni, potestate [1] Vezeliacensi nuncupato, ab aliis dominiis et territoriis per cruces seu insignia et confinia certis limitibus penitus diviso, separato et limitato, laudabiliter dotatum; necnon diversis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, gratiis et indultis eidem monasterio et pro tempore existentibus abbati et monachis, etiam per Sedem praedictam concessis et approbatis, decoratum; ipsique abbas et monachi privilegiis, libertatibus, exemptionibus, gratiis et indultis huiusmodi a tempore immemorabili gavisi sint, et ab omni iurisdictione ordinaria pro tempore existentis episcopi Æduensis ac quorumcumque [2] ordinariorum ab omni aevo exempti extiterint et existant; quinimmo conventus praefati, necnon omnes et singuli alii tam in oppido

1 Ex *Gallia Christiana*, tom. IV, pag. 110 instrumentorum (edit. Paris. 1728).

1 *Potestas* et *potestata*, villa, pagus, districtus et, ut hic, territorium passim in medii-aevi scriptoribus (R. T.). 2 In Gallia Chr. additur *aliorum* (R. T.).

Vezeliacensi quam infra limites territorii huiusmodi pro tempore habitantes et commorantes, ac parochiales ecclesiae in eis consistentes, dicto abbati pro tempore existenti et nulli alteri in spiritualibus et temporalibus penitus subesse; ac parochiales ecclesiae huiusmodi per dictum et pro tempore existentem abbatem pleno iure, ac per olim Philippum de Villars in dicto monasterio fundatam cappellaniam ad praesentationem dicti conventus conferre, et earumdem parochialium ecclesiarum curam committere; ac ex privilegiis praedictis idem Deodatus et pro tempore existens abbas ab antiquo mitra, baculo pastorali, tunica, dalmatica, quum diebus dominicis et festivis celebrat, uti et tam ex eisdem privilegiis quam ex approbata consuetudine et observantia legitime praescriptis, eius subditos ac infra limites praedictos commorantes, militiae clericali adscribi volentes, clericali charactere insignire, ac, ex indulto felicis recordationis Martini Papae V, praedecessoris nostri, minores ordines eis conferre, illisque alios maiores ordines a quocumque maluerint catholico antistite recipiendi posse licentiam et facultatem concedere, sive per quemcumque catholicum antistitem, ad se propterea evocandum, maiores ordines eis conferri, ac chrisma et oleum sanctum benedici facere, aut a quocumque maluerit catholico antistite, chrisma et oleum sanctum huiusmodi recipere et eisdem subditis suis ministrare; necnon officialem, qui de omnibus et singulis, etiam de maioribus causis et ecclesiasticis cognoscat, et a quo appellationes pro tempore interpositae ad Sedem praefatam immediate devolvuntur, habere et instituere posse, ius habere consueverit; ac in ipsum monasterium, in quo mensa abbatialis prorsus distincta et separata a conventuali, et ultra dignitatem abbatialem una cameraria, una infirmaria, [1] una hostellaria et una cantoria claustralia et forsan saecularia officia, necnon impraesentiarum triginta monachorum numerus, dicta sex officia obtinentibus inclusis, fore noscantur; et prioratus S. Ioannis de Vendaco dicti Ordinis, Claromontensis dioecesis, eidem sacristiae unitus perpetuo existat, necnon ab eodem monasterio de Langiaco Niverneusis, de Merloto et de Bornello Belvacensis, de Villari-Sylva Noviomensis et de Oseyo Coenomanensis dioecesis, ac forsan plures alii prioratus, etiam conventuales, et alia beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, ad plenam collationem et dispositionem abbatis ipsius monasterii pro tempore existentis pertinentia dependeant.

Monasterium in quo separatae mensae, plura officia et beneficia.

§ 2. Cum tamen monasterium ipsum in dicto oppido Vezeliacensi satis insigni [1], et ex frequenti monachorum illius monasterii conversatione cum utriusque sexus saecularibus personis ad illius ecclesiam, quae principalis dicti oppidi ecclesia existit, et in qua sermones publici, praesertim in quadragesima et adventu, ordinarie fiunt, necnon ratione processionum generalium, quae in ipso oppido pro tempore celebrantur, confluentibus, monachi vitam regularibus institutis dicti Ordinis conformem de facili ducere nequeunt, quo fit ut, vota sua Altissimo iuxta regularia instituta huiusmodi non reddentes, animarum suarum saluti minus consulant, et saeculares eorumdem monachorum famae et honori nominique detrahant, ac devotio ad ecclesiam et Ordinem huiusmodi minuatur; ac interdum in ipso monasterio sint monachi, quorum opera et favore, bonorum et iurium dicti monasterii conservationi, et occupatorum recuperationi et aliis ipsius monasterii necessitatibus, uti expediret, consuli non potest; et nisi per Sedem praedictam opportune provideretur, gravia incommoda, pericula et scandala forsan subsequerentur: si in dicto monasterio nomen et titulus monasterii, et dignitas abbatialis et conventualitas, necnon in eo et singulis

Causae eius saecularizationem suadentes.

1 Addendum e Gall. Chr. *una sacristia, una celleraria* (R. T.).

1 Add. e Gall. Chr. *et populoso consistat* (R. T.).

monachalibus portionibus ac unito et aliis dependentibus prioratibus et beneficiis prædictis, Ordo S. Benedicti et omnis status omnisque dependentia regularis, necnon cameraria, infirmaria, sacristia, celleraria, hostellaria et cantoria et alia claustralia ac forsan saecularia officia necnon beneficia huiusmodi penitus et omnino supprimerentur et extinguerentur: ac ecclesia monasterii huiusmodi, in qua corpus B. Mariae Magdalenes honorifice conservatur et veneratur, in saecularem et collegiatam ecclesiam cum abbatiali et ab illa prorsus separata capitulari mensis; necnon in ea, loco regularis abbatialis dignitatis, una abbatia saecularis, quae principalis pro uno abbate saeculari; et loco camerariae, unus decanatus pro uno decano, qui secunda; et loco infirmariae, unus archidiaconatus pro uno archidiacono, qui tertia; et loco cellerariae, una thesauraria, quae quarta dignitates post abbatialem, pro uno thesaurario; necnon loco sacristiae, hostellariae et cantoriae regularium, una sacristia, una hostellaria et una cantoria, quae personatus seu officia saecularia inibi existerent pro uno sacrista, uno hostellario et uno cantore saecularibus; necnon singulae monachales portiones, in canonicatus et praebendas saeculares; ac quatuor hebdomadariae, pro totidem hebdomadariis; et aliae duodecim perpetuae cappellaniae, pro totidem aliis duodecim perpetuis cappellanis erigerentur et instituerentur: ac unus bedellus, necnon sex pueri chorarii et unus magister in cantu, qui eosdem pueros erudiret, perpetuo deputarentur; ac mensae capitulari de Langiaco, de Merloto, de Bornello, de Villari-Sylva et de Oseyo, cum eorumdem annexis, prioratus prædicti, per cessum vel decessum; necnon sacristia et illi unitus prioratus de Vendaco et hostellaria ac cantoria, officia prædicta, per cessum prioratus et officia huiusmodi obtinentium, quomodolibet vacantia, perpetuo unirentur, annecterentur et incorporarentur; ipsique mensae capitulari omnia et singula supprimendorum officiorum praedictorum fructus, redditus, proventus et bona similiter applicarentur et appropriarentur, profecto feliciori statui monasterii et illius ecclesiae honori consuleretur, et illa venustior redderetur, ac divinus cultus in ea et ad illam christifidelium devotio, cum illorum spirituali consolatione, non parum augeretur; et facilius reperirentur viri, nobilitate generis, literarum scientia et potentia ac aliis virtutibus pollentes, qui dignitates ac canonicatus et praebendas huiusmodi ecclesiae obtinere procurarent, et quorum doctrina, ope et consilio, necessitatibus ipsius ecclesiae salubrius consuleretur et facilius illis incommodis obviaretur.

Accedit Francisci regis et Deodati abbatis ac monachorum conven. et postulatio.

§ 3. Quare praefatus Franciscus rex, in cuius temporali dominio dictum monasterium consistit, tam suo quam dicti Deodati abbatis et conventus praedictorum nominibus praedictis, nobis supplicari fecit ut in dicto monasterio nomen et titulum monasterii ac dignitatem abbatialem et conventualitatem; necnon in illo ac monachalibus portionibus, necnon unito et dependentibus prioratibus et beneficiis praedictis, Ordinem ipsum ac omnem statum et dependentiam regulares necnon singula officia huiusmodi, ut praefertur, perpetuo supprimere et extinguere; ac in ipsa ecclesia statum regularem in statum abbatis, canonicorum, presbyterorum et clericorum saecularium immutare et ad statum saecularem reducere, necnon eamdem ecclesiam in saecularem et collegiatam erigere et instituere, aliaque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Claustralia quoque et monachalia supprimit Pontifex;

§ 4. Nos igitur, qui dudum, inter alia, voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum com-

munem aestimationem, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret; et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset; quique ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet ac illarum personarum prosperum statum, decorem et venustatem ac in melius directionem, necnon in eis divini cultus conservationem et augmentum sinceris desideramus affectibus; Deodatum, abbatem, et conventum praefatos ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon monasterii et singulorum claustralium, regularium et saecularium officiorum ac monachalium portionum, necnon dependentium uniendorum [1] prioratuum et beneficiorum praedictorum fructuum, redditutuum et proventuum veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam ac militantis Ecclesiae exaltationem, necnon monasterii et illius ecclesiae praedictorum feliciorem statum, in praefato monasterio nomen et titulum monasterii ac dignitatem abbatialem et conventualitatem, nec non in illo ac omnibus et singulis illius monachalibus portionibus, necnon de Langiaco, de Merlato, de Bornello, de Villari-Sylva, de Oseyo et de Vendaco et forsan aliis a dicto monasterio dependentibus prioratibus non conventualibus et beneficiis, quae de cetero prioratus et beneficia saecularia existunt, Ordinem praedictum S. Benedicti, omnemque statum et dependentiam regulares, necnon camerariam, infirmariam, cellerariam, sacristiam, hostellariam et cantoriam claustralia ac saecularia officia illorumque omnium qualitates et denominationes, ita ut de cetero officia et monachales portiones denominari seu censeri non possint, ex certa nostra scientia, auctoritate apostolica, tenore praesentium penitus et omnino supprimimus et extinguimus.

§ 5. Ac in ecclesia monasterii huiusmodi statum regularem in statum abbatis, canonicorum, presbyterorum et clericorum saecularium immutamus, et illam ad statum saecularem reducimus; necnon praefatum Deodatum, modernum abbatem, qui olim canonicus regularis monasterii Sancti Antonii de Sancto Antonio, Ordinis Sancti Augustini, Viennensis dioecesis, Ordinem ipsum Sancti Augustini expresse professus, praefato suppresso monasterio, tunc certo modo vacanti, in abbatem dicta auctoritate praefectus existit, ac omnes et singulos ipsius suppressi monasterii et prioratuum ab eo dependentium monachos, etiam ab eo dependentes prioratus huiusmodi, ipsorumque monasterii et prioratuum claustralia et alia officia et beneficia regularia obtinentes, dictum Ordinem Sancti Benedicti, in eodem monasterio vel alibi, tacite vel expresse professos, ab observatione statutorum et consuetudinum regularium monasteriorum et Ordinum praedictorum, necnon quorumcumque per eosdem abbatem et monachos in eorum professione emissorum votorum, castitatis et obedientiae votis dumtaxat exceptis; et Deodatum abbatem a S. Augustini, ac monachos praefatos a Sancti Benedicti Ordinum praedictorum Regulis, ac, secundum illas, divini officii recitatione, ita ut ipsi abbas et monachi, nunc regulares, et eorum singuli, de cetero abbas et canonici saeculares dictae ecclesiae existant, et pro talibus habeantur et reputentur, ac de cetero habitum regularem dictorum Ordinum gestare, et illorum regularia instituta, ordinationes, diffinitiones, ritus et mores, etiam quoad divino-

Ecclesiam ad statum saecularem pro presbyteris et officiis et beneficiis saecularibus transire iubet.

[1] A Nd. e Gall. Chr. *et non uniendorum* (R. T.).

rum officiorum celebrationem, ieiunia, victum et ciborum ac alimentorum usum et alia quaecumque, quae ratione Ordinis et professionis huiusmodi observare tenebantur, de cetero observare minime teneantur; sed in habitu, ritu, moribus, incessu, caeremoniis et vita, quoad omnia, saecularibus canonicis aliarum ecclesiarum saecularium illarum partium se omnino et ubique conforment, absque alicuius apostasiae aut censurae ecclesiasticae incursu; ac abbas et canonici seculares et alii eiusdem ecclesiae ministri horas canonicas diurnas et nocturnas ac missas et alia divina officia, secundum usum, morem et ritum Romanae Ecclesiae, etiam noviter editum, absque alia concessione, etiam extra chorum, et quam primum de libris ad id requisitis provisi fuerint, etiam in choro dictae ecclesiae et alibi; ac interim iuxta modum librorum, quos nunc habent, se usui Romanae Ecclesiae conformando, ac ordinem et numerum psalmorum, lectionum et hymnorum, quantum magis poterunt, servando, debitis et congruis horis et cantu ac accentu morose et devente dicere et decantare.

Monachis sic saecularis. habitum monasticum, si velint, deferendi potestatem facit, qui tamen ceteris omnibus gaudeant privilegiis.

§ 6. Et nunc praesentes monachi, qui habitum et Regulam Sancti Benedicti dimittere noluerint, in illis, quamdiu voluerint, remanere possint; etiam, si eis videbitur, dimissa Regula, habitum tantum retinere valeant; et nihilominus, divinis in dicta ecclesia deserviendo, tantum percipiant, quantum unus ex aliis canonicis dictae ecclesiae; et sedeant in solitis cathedris chori ecclesiae huiusmodi, ac in processionibus et alibi in eorum locis incedant, vocemque activam et passivam, si in sacris constituti fuerint, cum aliis canonicis, secundum ordinem pristinum, in capitulo eiusdem ecclesiae habeant, dummodo in divinis et ecclesiasticis officiis in superiori habitu saecularibus se conforment, penitus absolvimus et totaliter liberamus, ac eis desuper facultatem impartimur.

Abbatiam saecularem erigit, abbatique usum pontificalium et antiqua confirmat privilegia.

§ 7. Ipsamque ecclesiam in saecularem et collegiatam, cum abbatiali et ab illa prorsus separata et seorsum capitulari mensis huiusmodi, necnon sigillo et arca communibus et aliis collegialibus insigniis, ac in ea capitulum saeculare; necnon, loco suppressae abbatialis dignitatis, unam abbatiam saecularem, quae principalis pro uno abbate saeculari, qui omnibus et singulis dignitatibus, privilegiis, exemptionibus, praeeminentiis, libertatibus, praerogativis, honoribus, gratiis, iuribus et indultis, praesertim exemptionis et iurisdictionis suae ordinariae, ac etiam quod usum mitrae, baculi pastoralis et aliorum pontificalium supradictorum, prout dictus modernus abbas ac etiam eius praedecessores ipsius monasterii abbates privilegiis et indultis apostolicis ac alias quomodolibet ab antiquo usi fuerunt, etiam utatur, potiatur et gaudeat; necnon iurisdictionem in capitulum et canonicos ac inferiores ipsius ecclesiae ministros, eorumque servitores et domesticos aliosque dicti abbatis subditos, prout ante reductionem huiusmodi habere solebat, excepto in appellationibus ad Sedem praedictam, ut moris erat, in solidum habeat.

Alias instituit dignitates.

§ 8. Necnon, loco dictae camerariæ, unum decanatum, qui secunda pro uno decano; ac loco infirmariæ, unum archidiaconatum, qui tertia pro uno archidiacono; ac, loco cellerariæ, unam thesaurariam, quae quarta non principales dignitates, pro uno thesaurario; necnon, loco sacristiae regularis, unam sacristiam saecularem, cui dictus prioratus de Vendaco unitus remaneat, pro uno sacrista saeculari; ac, loco hostellariae regularis, unam hostellariam saecularem, pro uno hostellario; necnon, loco cantoris regularis, unam cantoriam, quae personatus seu officia saecularia inibi existant, ac quibus dignitatibus et personati-

bus seu officiis canonicatus et praebendae eiusdem ecclesiae annexi sint; ac personis, quibus de illis pro tempore providebitur, etiam de canonicatu et praebenda eiusdem ecclesiae provisum esse censeatur, sic quod provisione de dignitatibus et personatibus seu officiis huiusmodi iam canonico facta, canonicatus et praebenda per eum obtenti vacent pro uno cantore saeculari; necnon omnes et singulas monachales portiones in canonicatus et praebendas, ita quod omnes et singuli monachi, qui nunc sunt et in eodem monasterio monachalem portionem actu percipiunt, etiam quamdiu vixerint, eiusdem ecclesiae canonici existant; ac dignitates et personatus seu officia sic erecta obtinere debeant, donec numerus eorumdem ad numerum duodecim canonicorum sit reductus; ac stallum in choro et vocem in capitulo, prout nunc habent, habeant, et eorum praebendas percipiant, prout eorum monachales portiones percipiebant et percipere consueverant.

Nonnullae praescriptae leges pro numero et portionibus canonicorum etc.

§ 9. Et ultra illas, etiam post reductionem eorum ad numerum duodecim, antiquior et senior ecclesiasticus domus et generis de Bedver, ac ex nunc dilectus filius Carolus de Bedver, presbyter ipsius ecclesiae, canonicus creatus sit et esse censeatur, illique et successoribus eius divinis officiis assistendo, prout ceteris dictae ecclesiae canonicis, distribuatur; et modernus abbas, necnon officia claustralia ac loca et monachales portiones huiusmodi nunc canonice obtinentes, abbatialem et alias dignitates et personatus necnon canonicatus et praebendas huiusmodi, loco suppressorum abbatialis dignitatis et officiorum claustralium ac monachalium portionum, vigore praesentium, absque alia provisione eis respective facienda, retinere possint; et ipsius moderni abbatis in dicta saeculari abbatia pro tempore successores novam provisionem super eadem saeculari abbatia pro tempore vacante a Sede praedicta obtinere, et iura Camerae Apostolicae propterea hactenus consueta integre solvere teneantur, alioquin dicta abbatia, post sex menses a die habitae illius pacificae possessionis computandos, eo ipso vacare censeatur. Ac idem abbas huiusmodi dignitates vel personatus seu officia pro tempore vacantia, nonnisi ipsius ecclesiae canonicis actu existentibus, donec numerus canonicorum ad numerum duodecim sit omnino reductus, postea vero cuicumque personae idoneae, ita quod canonicatus et praebenda a dignitatibus et personatibus seu officiis separari nequeant, conferre, et de illis providere possit; et canonici actu presbyteri suos canonicatus et praebendas, quoties et in favorem quorum eis placuerit; novitii autem donec ad sacerdotium promoti fuerint, resignare non possint, sed dignitates et personatus seu officia huiusmodi pro tempore obtinentes, illos vel illa ac canonicatus et praebendas per eos pro tempore obtentos, simul et semel vel separatim, etiam in favorem unius canonici, prout eis placuerit, resignare valeant; ita tamen quod dignitates et personatus seu officia huiusmodi non separentur a dictis canonicatibus et praebendis, nullusque loco simplicium canonicorum decedentium recipi possit, sed canonicatus et praebenda sic decedentis, ut praefertur, suppressi et extincti sint eo ipso, donec numerus canonicorum ad numerum duodecim integre sit reductus; et interim, dum aliquem ex eis decedere contigerit, nulli de eorum canonicatibus et praebendis provideri possit, sed omnes canonicatus et praebendae monachorum, tunc canonicorum, etiam forsan aliorum in executione praesentium recipiendorum, aut illorum, in quorum favorem dicti simplices monachi aut alii sic recipiendi tunc canonici resignaverint, per decessum huiusmodi aut alias quovis modo vacantes, suppressi et extincti, ac fructus illorum dictae mensae capitulari applicati sint et

esse censeantur eo ipso; et cum ad dictum numerum duodecim pervenerint, ultra dictum abbatem, duodecim canonici praebendati, decanatu, archidiaconatu et thesauraria ac personatibus seu officiis praedictis inclusis, perpetuo existant, auctoritate et tenore supradictis perpetuo erigimus et instituimus; ita quod etiam sacristia, hostellaria et cautoria, personatibus seu officiis huiusmodi, per obitum illos seu illa obtinentium vacantibus, illi seu illa suppressi seu suppressa sint eo ipso, ac eorum fructus, redditus, proventus et emolumenta quaecumque mensae capitulari praedictae applicata et appropriata fore censeantur.

Mensae capitulari prioratus unit, iniuncta lege adimplendi annexa onera.

§ 10. Ac eidem mensae capitulari de Langiaco, de Merloto, de Bornello, de Villari-Sylva et de Oseyo, cum primum per cessum vel decessum eosdem prioratus in titulum vel commendam obtinentium, aut alias quovis modo, simul vel successive; necnon de Vendaco, cum, decedente pro tempore sacrista ipsius ecclesiae, et sacristia praedicta per illius decessum suppressa, ac per illius suppressionem unione huiusmodi dissoluta, per dissolutionem huiusmodi vacaverint, prioratus praedictos, qui conventuales non sunt, ex nunc, prout ex tunc et e contra, etiamsi ad prioratus et officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, cum illis annexis, supportatis prius omnibus eisdem officiis et prioratibus incumbentibus oneribus, necnon omnia et singula omnium et singulorum suppressorum officiorum praedictorum fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, quorum ac sacristiae et omnium prioratuum praedictorum insimul fructus, redditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camera, secundum communem aestimationem, ut asseritur, summam non excedunt, auctoritate et tenore praedictis perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus, et applicamus, et appropriamus; ita tamen quod officia et prioratus huiusmodi nunc in titulum vel commendam aut alias quomodolibet obtinentes, quoad vixerint, illorum onera illis respective incumbentia supportando, absque praeiudicio ipsorum capituli, illorum fructus huiusmodi, prout hactenus perceperunt, percipere et retinere possint; liceatque praefatis capitulo de Langiaco, de Merloto, de Bornello, de Villari-Sylva, de Oseyo et de Vendaco prioratuum et annexorum, iuriumque et pertinentiarum suarum, necnon omnium bonorum et etiam iurium et pertinentiarum suppressorum officiorum praedictorum, cum, ut praefertur, vacaverint, corporalem, realem et actualem possessionem, per se vel alium seu alios, propria auctoritate et absque alia declaratione, libere apprehendere et perpetuo retinere; necnon eisdem prioratibus sic unitis, per presbyteros idoneos ad ipsorum capituli nutum ponendos ac amovendos, et locorum ordinariis, solutis tunc iuribus illis solvi consuetis, praesentandos, deserviri, et animarum curam illis forsan imminentem exerceri facere, dioecesanorum locorum et aliorum quorumvis licentia minime requisita. Sicque tamen quod capitulum praefati, ratione prioratuum huiusmodi mensae capitulari sic unitorum, omnia onera illis incumbentia, quae prioratuum huiusmodi priores, pro tempore [1] existens ipsius ecclesiae abbas bedellum suum, guardianum nuncupatum, prout hactenus habere consuevit, habeat; et similiter decanus et capitulum huiusmodi eorum bedellum habere et deputare, ac unum magistrum in cantu et sex pueros cleri, ad eorum nutum amovibiles, tenere et manutenere.

Normam sedendi dignitates obtinentib. praescribit.

§ 11. Et decanus primum locum et primam vocem in capitulo et illius tractatibus, archidiaconus vero secundum locum et secundam vocem, thesaurarius tertium

1 Addendum e Gall. Chr.: *existentes subire tenebuntur, etiam subire tenentur; et insuper quod modernus ac pro tempore existens* etc. (R. T.).

locum et tertiam vocem, sacrista quartum locum et quartam vocem, hostellarius quintum locum et quintam vocem, cantor vero sextum locum et sextam vocem habere, et alii canonici praefati, sive habitum regularem dimittant sive non, et alii, qui de novo recipientur, ordinem suae receptionis servare debeant; ac in choro ecclesiae praedictae decanus in primo, thesaurarius in secundo et hostellarius in tertio stallo prope ingressum chori ecclesiae huiusmodi a parte sinistra, et archidiaconus in primo, sacrista in secundo et cantor in tertio stallo a parte dextera, prope ingressum chori praedicti sedeant; alii vero canonici, tam praesentes quam futuri, hinc inde a dexteris et a sinistris suae receptionis ordinem servent. Thesaurarius etiam, cantor pro tempore effectus, locum non mutet, et huiusmodi sedendi ordo in eodem choro et alibi, ac incedendi, quoad omnes dignitates et personatus seu officia obtinentes et alios simplices canonicos, praeter quam in sacro presbyteratus ordine non constitutos, qui vocem in capitulo non habeant, nec in altioribus sedibus, sed inferioribus sedeant, servetur.

Psalmodiae et missarum habendarum methodus.

§ 12. Quodque in ipsa ecclesia maiores missae et horae canonicae distincte et debite, ac cum pausa et debito accentu, nec non devota psalmodia, secundum usum, ritum et morem dictae Romanae Ecclesiae, celebrentur et recitentur; et diebus solemnibus, decanus, in absentia vel negligentia seu impedimento abbatis; et in absentia decani, archidiaconus; et in absentia archidiaconi, thesaurarius; et in absentia thesaurarii, alii personatus seu officia huiusmodi obtinentes, si eis placuerit, missas et alia divina officia cum ornamentis convenientibus, assistentibus sibi duobus ex simplicibus canonicis inibi praesentibus, qui sibi gradatim assistere teneantur, celebrare debeant; et cantor rotulum, tam de dictis duobus quam aliis eiusdem ecclesiae canonicis, qui in praedictis diebus solemnibus lectiones matutinales, quam cappellanis et aliis, qui alia officia dicere et decantare teneantur, conficere, et in loco per decanum et capitulum propter hoc eligendo affigere; ac dicti quatuor cappellani, hebdomadarii nuncupati, successive unus post alium per unam hebdomadam, iuxta ordinem per dictum cantorem indicendum, maiores missas ordinarias seu diei occurrentis, ac horas canonicas, nisi aliquis eorumdem canonicorum missam et officia huiusmodi celebrare voluerit, incipere et terminare; alii vero ex ipsis quatuor hebdomadariis, qui non erunt in turno seu hebdomada ad alias missas celebrandas, in dicta maiori missa ordinaria et aliis maioribus, diaconum et subdiaconum, si cum diacono et subdiacono decantari debeant, alternatis vicibus, secundum ordinem per eumdem cantorem super hoc statuendum, facere; et dicti duodecim alii cappellani tres magnas missas et quatuor minores, qualibet die, et ultra illas, singulis quartis et sextis feriis ac sabbati diebus, unam parvam missam, secundum turnum, modum et rotulum per dictos decanum et capitulum ordinandum et per eumdem cantorem indicendum, decantare et celebrare teneantur.

Dotes requirendae in promovendis ad cappellanias.

§ 13. Nullique ad cappellanias huiusmodi admittantur, nisi bene legere et sufficienter cantare sciant, et actu presbyteri vel in aetate, in qua infra annum ad sacros et presbyteratus ordines promoveri possint, constituti existant; et si alicui, modo praemisso non qualificato, aliqua praedictarum cappellaniarum conferatur, collatio huiusmodi sit ipso iure nulla; sic quod si aliquis, cui ex eisdem cappellaniis provisum fuerit, infra annum ad sacrum presbyteratus ordinem, legitimo impedimento cessante, promotus non extiterit, cappellania sibi collata ipso iure vacare censeatur, et de illa, absque alia declaratione, per abbatem alteri qualificato provideri possit.

Res et bona capituli quo pacto sint administranda.

§ 14. Et abbas, pro sua domo abbatiali, totum id et quidquid est a clausura stabulorum veniendo usque ad torcular, et a dicto torculari eundo per longitudinem horti usque ad stabulum, per dilectum filium Raynaldum sive Reynal possessum; et residuum, non comprehensis eis quae sunt a dormitorio et refectorio, capitulo et canonicis praefatis remaneat, ad domificandum et domos canonicales et clausuras aedificandum, secundum partem et distributionem per dictos decanum et capitulum faciendam; quodque domus et omnia et singula bona, res et iura, fructus, redditus, proventus, dominia, haereditagia, terrae, prata, pascua, census et alia iura, quae ad singula suppressa officia respective et divisim, spectent et pertineant ad dignitates et personatus seu officia, loco suppressorum offic. erecta, pro tempore obtinentes, libere, prout hactenus spectarunt et pertinuerunt; et si contingat quod aliqui ex canonicis adquirant aliquas domos in ipso oppido, a domo quam dilectus filius Franciscus Vachat habitat veniendo directe ab utraque parte usque ad muros ipsius oppidi, dictae domus sic acquisitae et ab illis dependentia quaecumque, ubicumque fuerint, et aliae praedictae domus claustrales, non comprehensis dictis domibus dignitatum et personatuum praedictorum, eisdem decano et capitulo pertineant; et illae pro tempore vacantes, canonicis seu aliis eiusdem ecclesiae cappellanis et habituatis plus et ultimo offerentibus ad vitam beneficialem tantummodo vendi, et pecuniae ex hoc provenientes in emptionem librorum, calicum et ornamentorum ecclesiae praedictae converti debeant. Nec non abbas, ultra id, quod dictis canonicis[1] competebat loco alimentorum et eorum, quae dictus abbas religiosis suppetere tenebatur, eisdem canonicis singulis annis, super fructibus mensae abbatialis, ipse et eius successores dictae ecclesiae abbates pro tempore existentes, quantitatem septingentorum bichetorum grani, bladi, frumenti, cum centum modiis vini, mensurae illius oppidi, necnon trecentas sexaginta libras turonenses in pecunia numerata eisdem decano et capitulo perpetuo in festo S. Remigii dare et effectualiter persolvere teneatur, saltem donec et quousque idem modernus et pro tempore existens abbas, similes grani, vini et pecuniarum quantitates in competenti redditu, oneribus deductis, super bonis a praefato monasterio dependentibus, et de pertinentiis mensae abbatialis praefatae existentibus, realiter et cum effectu assignaverit; quodque praemissorum omnium et singulorum aliorum, eisdem decano et capitulo in futurum competentium, duodecima pars in arcam communem dictorum capituli anno quolibet primitus et ante omnia pro negotiis, rebus et indigentiis eorumdem decani et capituli reponatur et recondatur. Reliqua vero in distributionibus quotidianis, tam eorumdem canonicorum quam hebdomadariorum et aliorum cappellanorum, ad dictamen et ordinationem dicti decani et capituli praedictorum, applicentur et distribuantur; ac quod dignitates, personatus, canonicatus et praebendas ac cappellanias in eadem ecclesia nunc et in futurum obtinentes, et illis in divinis deservientes, habituati nuncupati, sint usuarii, habeantque liberum usum in nemoribus sive caeduis et forestis ipsius monasterii, ad dictum abbatem et eius mensam abbatialem spectantibus, tam ad domificandum in claustro dictae ecclesiae quam ad comburendum, ac ad scallatos, paxillos seu perticas conficiendum et capiendum pro eorumdem vineis tam ad capitulum seu mensam capitularem, quam ad dignitates, personatus seu officia ac canonicatus, praebendas ecclesiae huiusmodi spectantibus, necnon ad dolia, pro vinis earumdem vinearum recolendis, componendum et faciendum,

1 Gall. Christ. *monachis* (R. T.).

quae quidem ligna ad domificandum et scallatos ac paxillos et perticas conficiendum, eisdem, cum signo et marca dicti abbatis more solito liberentur; ac liberi et immunes sint perpetuo a solutione molendinagii seu moliturae suorum granorum, et minagii ac furnagii pro suis et suorum usu; ipsique capitulum et habituati dictae ecclesiae in illius claustro solum et unicum furnum pro omnibus habere possint; et quilibet obtinens dignitatem vel personatum seu officium ac canonicatum et praebendam percipiat distributiones pro canonicatu et praebenda, et non pro dignitate vel personatu seu officio, quarum quidem distributionum taxa per capitulum, secundum quantitatem fructuum et redditumm ecclesiae praedictae, fiat; ita quod canonici in presbyteratus ordine non constituti solum unam semipraebendam, et tres cappellani insimul tantum quantum unus canonicus, tam in distributionibus quotidianis quam aliis, sic quod quilibet tertiam partem valoris unius praebendae; et quilibet cappellanus hebdomadarius unam semipraebendam, et magister puerorum chori, pro se et praefatis sex pueris, unam praebendam cum dimidia per manus ipsorum capituli, pro eorum victu, vestitu et manutentione, percipiant; ita quod si, per praebendarum praedictarum suppressionem aut alias, ecclesiae praedictae fructus augeri contingat tempore procedente, eo casu etiam dictorum hebdomadariorum, cappellanorum et magistri puerorum, secundum canonicorum distributiones, augeantur. Bedellus vero capituli, secundum discretionem eorumdem capituli, salarium percipiat; et quilibet obtinens dignitatem, personatum vel officium in ecclesia huiusmodi habeat singulis annis duos menses cum dimidio; ac quilibet canonicus duos menses de absentia continuos, vel pluribus continuis vel divisis diebus, quibus nihil perdant de praedictis suis grossis fructibus, sed praesentes reputentur; ita tamen quod nullus, sive constitutus in dignitate, sive sit canonicus simplex, absens percipere valeat quotidianas distributiones, in quibus continentur grana, vina et pecuniae, quae pro alimentis eiusdem capituli data fuerunt, sic quod de distributionibus pro absentibus nihil ministretur; poterunt tamen capitulum praefati cum canonicis, illorum permissione et licentia absentibus, ex iusta et rationabili causa, super huiusmodi fructibus et distributionibus in absentia percipiendis dispensare; liceatque dicto abbati unum canonicum ex numero dictorum duodecim habere, qui, etiam absens, suos grossos fructus percipiat; et dignitates seu personatus aut officia huiusmodi pro tempore obtinentes, quamvis absentes fuerint, grossos fructus dignitatum et personatuum suorum, dicta eorumdem absentia non obstante, percipere valeant; sed de eorum praebendis nihil, nisi, ut praefertur, durante absentia dictorum duorum mensium, percipere possint. Et quoties dignitates et personatus seu officia ac canonicatus et praebendae, necnon cappellaniae huiusmodi pro tempore vacabunt, illi, quibus de iisdem dignitatibus et personatibus sive officiis, canonicatibus et praebendis ac cappellaniis provideri contigerit, donec sint pacifici possessores, vel aliquis colligantium super illis sententiam, recredentiam nuncupatam, desuper reportaverit, nullos fructus ex eis percipere valeant, sed dicti fructus per ipsos capitulum, durante lite, percipiantur; et ipsi capitulum ex illis divina officia, ad quae dignitates, personatus seu officia, canonicatus et praebendas vel cappellanias huiusmodi obtinentes tenentur, celebrari faciant; et residuum, si quid sit, in utilitatem et pro negotiis capituli huiusmodi convertatur.

§ 15. Quodque decanus, qui loco camerarii, ratione onerum camerariae incumbentium, sexaginta libras turonenses pro *Peculiares redditus dignitatibus assignati.*

una, videlicet in S. Ioannis Baptistæ, et alia illarum medietatibus in Domini nostri Iesu Christi Nativitatum festivitatibus; archidiaconus autem, ratione onerum infirmariae incumbentium, triginta libras turonenses pro una videlicet in celebritate Omnium Sanctorum, et alia in festo Resurrectionis eiusdem Domini nostri Iesu Christi; et thesaurarius, ratione onerum cellerariae incumbentium, ultra manutentionem lampadis in ecclesia B. Mariae Virginis eiusdem monasterii continuo ardentis, sexaginta solidos turonenses, pro una in celebritate Omnium Sanctorum, et alia aequis portionibus in festo Resurrectionis huiusmodi; hostellarius vero dimidium dolium boni vini in festo Nativitatis Domini, singulis annis perpetuo, capitulo huiusmodi persolvere, et dictus hostellarius eleemosynam per eum feria quinta maioris hebdomadae fieri solitam, similiter perpetuo illam facere; sacrista autem onera per eum supportari solita, donec sacristiam huiusmodi per obitum nunc illam seu pro tempore possidentis vacare contigerit [1], omnia dominia, iura, fructus, redditus et emolumenta quaecumque per modernum sacristam, ratione ipsius sacristiæ, percipi solita, penitus percipiant; dictusque prioratus de Vendaco eidem sacristiae unitus, etiam cum suis iuribus et pertinentiis universis, mensae capitulari praedictae perpetuo unitus sit et remaneat; et tunc capitulum huiusmodi onera sacristiae et prioratui de Vendaco praedictis incumbentia omninosupportare, ac ecclesiam praedictam in omnibus manutenere ac reparare: sic tamen quod idem abbas manutentionem et reparationem huiusmodi, nunc et donec dicta unio suum sortita fuerit effectum, more solito facere teneatur; et expensae conviviorum quae dominica, cuius missae introitus incipit *Quasi modo*, et B. Mariae Magdalenes ac translationis eiusdem, nativitatum ac anniversarii ipsorum Gerardi et Bertae fundatorum diebus fieri solebant, in piiseleemosynis dictis diebus, iuxta taxam seu providam ordinationem per abbatem et capitulum desuper faciendam, expensis ipsorum decani et capituli, perpetuis futuris temporibus erogandis et distribuendis convertantur et applicentur.

De spoliis decedentium.

§ 16. Quodque spolia decedentium monachorum, quae abbati dicti monasterii pertinebant, de cetero per ipsum abbatem exigi non possint, nisi canonici ipsi ab intestato decederent, quo casu dictus abbas sic in omnibus bonis mobilibus succedat.

Bona mensarum non arrendanda, alienanda etc.

§ 17. Ac abbas et capitulum praefati bona mensarum suarum praesentia et futura, aliqua locatione seu arrendatione ultra novem annos, altero non consentiente et inconsulto, quoquomodo arrendare seu locare nequeant.

Ius nominandi ad abbatiam regi concessum;

§ 18. Ac quod ius nominandi ad dictam abbatiam, illius occurrente vacatione, ad praefatum Franciscum et pro tempore existentem Francorum regem: collatio vero canonicatuum et praebendarum huiusmodi, si quando et cum primum ad dictum numerum reducti fuerint, ad praefatum regem et dictum abbatem, ita quod primo vacaturorum ad abbatem, et secundo loco etiam vacaturorum canonicatuum et præbendarum ad regem præfatos alternative secundum vacationem illorum. Collatio autem dignitatum, personatuum, cappellaniarum, prioratuum, parochialium ecclesiarum et aliorum beneficiorum a dicto monasterio dependentium, ad dictum abbatem pleno iure; praesentatio vero beneficiorum ab officiis olim [1] nunc in dignitates erectis, dependentium, ad decanum, archidiaconum et thesaurarium praedictos; aliorum tamen ab officiis, nunc personatibus seu officiis sacristiae, hostellariae et cantoriæ dependentium, postquam illorum fructus mensae capitulari praedictae applicati fuerint, ad capitulum et capitulo praefatis, et collatio seu institutio ad abbatem respective spectent et pertineant.

Ad canonicatus vero alternative regi et abbati;

Ad dignitates et personatus, abbati;

1 *Contigerit, omnino supportare teneantur; sed cum primum illam sic vacare contigerit, omnia* etc. Ex Gall. Christ. (R. T.).

1 *Regularibus* addit Gall. Christ. (R. T.).

Ad beneficia a prioratibus dependentia, capitulo.

§ 19. Et quoniam ad priores prioratuum de Langiaco, de Merloto et de Villari-Sylva, de Bornello et de Oseyo praedictorum, mensae capitulari, ut praefertur, unitorum, forsitan competunt aliquorum beneficiorum vel officiorum ecclesiasticorum collationes, praesentationes, provisiones, institutiones seu aliae dispositiones, illae, postquam dictorum prioratuum unio praesentium vigore sortita fuerit effectum, ad capitulum praefatos penitus spectent et pertineant.

Causae capitularium a capitulo ipso cognoscendae.

§ 20. Quodque omnes causae dignitates et personatus seu officia obtinentium, ac canonicorum, cappellanorum et aliorum habituatorum eiusdem ecclesiae, tam criminales quam civiles et mixtae, sive de parte ad partem, coram praefato abbate aut eius vicario in loco capitulari eiusdem ecclesiae vel alibi infra ambitum[1] in quo habebunt carceres necessarios, et nullo modo in consistorio officialatus praefati tractentur, nec ipsi canonici aut habituati in carceribus officialatus huiusmodi introduci possint, sed eorumdem canonicorum causae activae et passivae in dicto capitulari vel alio loco infra illius ambitum tractari debeant.

Abbas et capitulum exempti declarantur.

§ 21. Ac quod ecclesia huiusmodi, nec non abbas, dignitates, personatus vel officia obtinentes, capitulum, canonici, hebdomadarii et alii cappellani, personae, ministri et habituati ecclesiae huiusmodi pro tempore existentes, cum universo territorio ipsius olim monasterii, nullius provinciae, prout prius monasterium et illius abbas ac officia obtinentes, necnon conventus, monachi et personae ac territorium huiusmodi non erant, sic de cetero non existant, nullique archiepiscopo seu primati subsint, nec ab illo, praeterquam a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus et dictae Sedis legato, visitari possint, eisdem auctoritate et tenore, perpetuo statuimus et ordinamus ac decernimus.

[1] Gall. Christ. addit *eiusdem* (R. T.).

Capitulo data facultas condendi statuta pro meliori rerum directione.

§ 22. Praeterea abbati et capitulo praefatis in executione praesentium dilectos filios Mathurinum de Rupemorello, Ioannem Andream de Ludesse, Antonium Desquieulx et Petrum Foilhac, alias Gerbe, ac alios clericos saeculares, quos maluerint, eiusdem ecclesiae canonicos praebendatos recipiendi; necnon statuta et ordinationes rationabilia et honesta ac sacris canonibus non contraria, super receptione personarum ac celebratione divinorum officiorum et agendis per ministros eiusdem ecclesiae, ac capitulis generalibus et particularibus celebrandis et tenendis, necnon divisionibus fructuum faciendis, ac distributionibus percipiendis vel dimittendis, et horis canonicis, ac thesaurario et aliis officiis necessariis, necnon iis quae concernunt decorem et honestatem dictae ecclesiae, etiam quoad delationem almutiarum, ac bonos mores dictorum magistri et puerorum, et super aliis, quae circa omnia praemissa maiori declaratione indigebunt, substantia non mutata, et praeeminentia abbatis, capituli et aliorum ecclesiae praedictae ministrorum pro tempore existentium, quas habebunt in eadem ecclesia ac illius choro, etiam privando distributionibus, et alias multando non servantes statuta ecclesiae huiusmodi, etiam super honore superioribus exhibendo et caeteris omnibus aliis quae viderint, statuenda, condendi et edendi, ac condita et edita, quoties opportunum fuerit, mutandi, limitandi, corrigendi et interpretandi secundum rerum et temporum qualitates, et loco illorum aliud vel alia statuta et ordinationes, quoties eis placuerit et visum fuerit expedire, de novo edendi et faciendi, quae, postquam condita, limitata et correcta fuerint, dicta auctoritate apostolica confirmata sint et esse censeantur, et ad quorum observationem singuli de gremio dictae ecclesiae adstricti sint, et ad id, cum poenarum et censurarum

ecclesiasticarum adiectione, compelli possint, plenam et liberam facultatem et auctoritatem concedimus per praesentes.

Cum abbatibus caeterisque dispensat a quacumque irregularitate, eosque ad quaecumque beneficia, habilitat etiam saecularia.

§ 23. Necnon abbatem et monacos praefatos et eorum singulos, qui, propter transgressum institutorum regularium praedictorum, aliquam apostasiae notam sive irregularitatem aut inhabilitatem forsan incurrerint, ab huiusmodi excessibus, necnon apostasia et quibusvis excommunicationis et aliis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quam praemissorum occasione quomodolibet incurrerint, eadem auctoritate et praesentium tenore absolvimus, sic cum eis super irregularitate, si quam, censuris huiusmodi ligati, missas et alia divina officia celebrando, aut alias se immiscendo contraxerint: quodque etiam abbas dignitates, personatus; canonici et cappellani quaecumque, quodcumque et qualiacumque, cum cura, sine cura, saecularia, alias se invicem compatientia beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatus et praebendae aut dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis, post pontificales maiores, seu collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, si alias canonice conferantur aut eligantur, praesententur vel alias assumantur ad illa et instituantur in eis, etiam post reductionem huiusmodi, ac si regulares numquam fuissent, absque alia dispensatione, recipere, et illa, necnon quaecumque, quodcumque et qualiacumque alia beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia ac praedicti ac quorumvis Ordinum regularia, etiamsi saecularia, parochiales ecclesiae vel earum perpetuae vicariae; regularia vero beneficia huiusmodi, monasteria, prioratus, praepositurae, praepositatus, dignitates, etiam conventuales, personatus, administrationes vel officia, tam saecularia quam regularia, consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, quae singuli eorum in dicto monasterio vel alibi, etiam ecclesiis cathedralibus, etiam regularibus, etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis, etiam natalium et aetatis ac aliis quibuscumque defectibus non obstantibus, in titulum et commendam et alias obtineant et expectent, ac in quibus et ad quae ius eis quomodolibet competit, absque nova provisione seu commenda et possessionis adeptione per eos desuper faciendis, ut prius, quoad vixerint, retinere, illaque omnia et singula, simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutationis, quoties eis placuerit, dimittere et eidem commendae cedere; ac loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia beneficium vel beneficia, ecclesiasticum vel ecclesiastica quaecumque, quotcumque et qualiacumque se invicem competentia [1] similiter recipere et, ut praefertur, retinere; necnon quascumque pensiones annuas super quibusvis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis eis forsan assignatas, etiam, ut prius, quoad vixerint, percipere, exigere et levare; ac quibuscumque gratiis et dispensationibus ac indultis sibi et eorum cuilibet apostolica vel alia quavis auctoritate quomodolibet hactenus concessis, necnon eidem erectae ecclesiae ac illius abbati, capitulo, necnon dignitates et personatus ac canonicatus et praebendas inibi pro tempore obtinentibus, necnon omnibus et singulis beneficiatis et aliis personis ac ministris ipsius ecclesiae, etiam pro tempore existentibus, omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus [2], praerogativis, concessionibus et indultis, quibus aliae collegiatae ecclesiae saeculares et illorum capitula ac dignitates et personatus obtinentes necnon canonici ac clerici beneficiati, personae et ministri de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri et gau-

1 *Compatientia* Gall. Christ. (R. T.).

2 *Favoribus* addit G. C. (R. T.).

dere poterunt quomodolibet in futurum, ac etiam aliis gratiis et indulgentiis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros eis ac dicto monasterio quoquomodo concessis, quorum omnium tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quibus antea utebantur, potiebantur et gaudebant, uti, potiri et gaudere; necnon beneficia sub eisdem dispensationibus comprehensa recipere et iuxta illarum tenorem retinere libere et licite valeant, dispensamus, sibique pariter indulgemus. Ac omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per eos, præmissorum occasione, forsan contractam penitus abolemus, nec non beneficia obtenta, et ius huiusmodi propter reductionem praedictam non vacare et commendas non cessare, ac dispensationes et gratias et indulta huiusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ac cum clausula permutandi et commendae cedendi derogationibus, ac omnibus et singulis aliis in eis contentis clausulis, eisdem abbati, capitulo et canonicis, etiam post reductionem huiusmodi, suffragari posse et debere in omnibus et per omnia, ac si reductio ipsa minime facta fuisset, seu illa ecclesiae, abbati, capitulo et monachis praefatis, ut ecclesiae saeculari et personis saecularibus, principio concessa fuissent; ipsosque Deodatum et pro tempore existentem dictae ecclesiae abbatem ad docendum de concessione facultatis eius subditos, et infra limites praedictos commorantes, clericali charactere insigniendi, et minores ordines eis conferendi, ac alios maiores ordines ab aliis recipiendi licentiam concedendi, aliisque privilegiis et indultis praedictis, olim abbati dicti monasterii pro tempore existenti concessis, nullatenus teneri, nec ad id compelli posse.

Praesentium literarum firmitas.

§ 24. Sed praesentes ad id in iudicio et extra sufficere, nec alterius probationis adminiculum requiri debere, necnon easdem praesentes et in eis contenta quaecumque, quovis praetextu seu quavis occasione vel causa, etiam necessario exprimenda, de nullitatis vitio aut intentionis defectu, per quoscumque iudices, cuiuscumque dignitatis existant, notari seu impugnari et illarum effectum quoquomodo impediri non posse, sed suum plenum effectum sortiri debere; necnon uniones et applicationes huiusmodi sub quibusvis revocationibus, suspensionibus et derogationibus unionum et applicationum effectum non sortitarum per nos et Sedem praedictam, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam pro tempore faciendis, nullatenus comprehendi, nec comprehensas, sed semper ab eis exceptas, ac per illas ius quaesitum esse et censeri; necnon praemissa omnia et singula vim contractus, transactionis et concordiae inter ipsos abbatem et capitulum invicem ac praefatum Franciscum, et pro tempore existentem Francorum regem, necnon Sedem praedictam, favore et contemplatione huiusmodi novae erectionis et ad saecularitatem reductionis, obtinere, ac inter cetera Franciae privilegia adscribi et computari: sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes et dictæ Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere, necnon quidquid secus super praemissis vel eorum aliquo, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Deputati executores.

§ 25. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Bethleemitanensi, et Nivernensis ac Autissiodorensis officialibus per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum abbatis et

capituli seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra presentes literas et in eis contenta huiusmodi, sub censuris et poenis ecclesiasticis, firmiter observari, ac singulos, quos ipsae praesentes literae concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, impediri seu perturbari; contradictores, molestatores quoscumque et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, ac censuras et pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, quoties opus fuerit, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio. § 26. Non obstantibus praemissis, ac priori voluntate nostra praedicta, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon fundatione laicali monasterii de Vezeliaco huiusmodi, et translatione illius status de monialibus in monachos, et de monachis in sæculares, ipsiusque monasterii et Ordinum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, necnon privilegiis et indultis apostolicis illis ac quibusvis Universitatibus studiorum generalium et illorum personis, etiam super nominationibus faciendis et alias, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et quavis, etiam regia, consideratione, ac ex quibusvis causis concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio fieri deberet, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, quoad praemissa specialiter et expresse derogamus, et sufficienter derogatum esse, et adversus praesentes nemini suffragari posse decernimus; ac quorumvis tribunalium consuetudinibus, necnon contradictione alicuius partis conventus monasterii huiusmodi, ac dissensu seu consensus defectu vel contradictione cuiusvis dicti Ordinis superioris aut alterius forsan facta contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, a dicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis danda fides. § 27. Decernentes transumptis praesentium seu processibus aut literis dictorum executorum aut cuiuslibet eorum, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius eorum seu alicuius curiae ecclesiasticae aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra adhiberi debere, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Conclusiones. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo septimo, tertio idus ianuarii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 11 ianuarii 1537, pontif. anno III.

XVII.

Iurisdictio et facultates Vincentii cardinalis Neapolitani nuncupati, in alma Urbe legati de latere deputati, ob discessum Pontificis versus civitatem Placentiae [1].

[1] Huiusmodi legationum bullas, quarum magnus est numerus, supervacuas arbitratus sum, et ideo hanc solammodo et alteram ex antiquioribus (Innoc. VI, constitut. I, *Cum onus*, tom. IV, pag. 503) posui, ut concessionem iurisdictionum, tempore variari, dignoscat lector.

Paulus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Vincentio, tituli S. Mariae Transtiberim presbytero cardinali, Neapolitano nuncupato, in Urbe eiusque territorio et districtu, nostro et Apost. Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontifex decrevit Placentiam se conferre.

Licet potestatis plenitudo desuper nobis commissa sit, et universi gregis dominici, divina disponente clementia, curam habeamus, finem tamen humanae possibilitatis excedere non valentes, considerantesque quod circa singula per nosmetipsos apostolicae servitutis debitum absolvere non possumus, nonnumquam aliquos, et praecipue sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in sollicitudinis partem assumimus, ut ipsis vices nostras supplentibus, ministerium nobis desuper commissum, favente pietate superna, facilius et salubrius exequamur. Et quamvis ad cunctorum christifidelium provincias, civitates et loca paternum studium et diligentiam adhibeamus, ad almam Urbem tamen nostram aciem nostrae considerationis paternis affectibus dirigentes, illam, cives, incolas et habitatores eiusdem, tamquam peculiares filios et devotos, diligentiori cura intuemur, et super eorum felici regimine pacifico et tranquillo desiderantes specialiter providere, ut praeserventur a noxiis, et optatis perfruantur incrementis. Cum itaque nos, pro nonnullis arduis et urgentibus negociis orthodoxae fidei ac publicum reipublicae christianae commodum concernentibus, ab ipsa Urbe ad aliquod tempus discedere, et ad civitatem nostram Placentiam, provinciae Mediolanensis, nos conferre, et dimissis in eadem Urbe Palatii nostri et Curiae Camerae Apostolicae causarum audientiis, necnon gubernatore seu vicecamerario ac vicario seu eius locumtenente et senatore ac aliis eiusdem Urbis officialibus, Cancellariam nostram sub plumbo, cum Cappella et nonnullis eiusdem Cancellariae et Curiae Romanae officialibus, nobiscum ducere intendamus.

Ideo pro Urbis et Curiae Romanae regimine legatum de latere cum facultatibus deputat hic expressis.

§ 1. Nos, volentes interim bono et felici Urbis et Romanae Curiae praedictarum regimini providere, et potissimum ad te, quem etiam in magnis et arduis sacrosanctae Romanae Ecclesiae negociis versatum, eximia probitate et fidelitate rerumque gerendarum experientia et praecipue prudentia ac integritate comprobatum habemus, mentem nostram convertentes, ac sperantes quod, ea quae tibi duxerimus committenda, gratia tibi assistente divina, circumspecte, prudenter, iuste et fideliter exequeris: te, in Urbe praedicta eiusque territorio et districtu ac terris et locis illis adiacentibus, nostrum et dictae Sedis legatum de latere, in spiritualibus et temporalibus, vicarium generalem, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium, usque ad beneplacitum vel ad eamdem urbem reditum nostrum dumtaxat, creamus, constituimus et etiam deputamus.

Facultas cognoscendi causas et quoscumque etiam exemptos puniendi.

§ 2. Dantes tibi harum serie pariter et concedentes plenam, liberam et omnimodam potestatem et facultatem ac auctoritatem, Urbem et loca praedicta, cum eorum territoriis, districtibus et pertinentiis, necnon personas, cives, habitatores, etiam curiales et ipsam Romanam Curiam sequentes, seu ad eamdem undecumque venientes, dum in ea fuerint, seu in ea degentes, et incolas eiusdem, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae, dignitatis, etiam pontificalis, fuerint, ac eiusdem Romanae Curiae officiales existant, etiam si se exemptos a quocumque legationis officio praetenderent, nostro et dictae Romanae Ecclesiae nomine gubernandi, regendi et administrandi, prout coelestis gratiae infu-

sio et tua prudentia persuadebunt, reformandi et corrigendi, occupata recuperandi, necnon illa et alia deformata in pristinum et debitum statum reducendi, et iurisdictionem omnimodam exercendi; civiles et criminales, ecclesiasticas et spirituales, et super quibuscumque monasteriis, prioribus [1], praepositnris, canonicatibus et praebendis, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, ceterisque beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus et quorumcumque Ordinnm regularibus, et profanas ad forum ecclesiasticum quocumque iure spectantes, ac mixtas quascumque, tam in dominio nostro quam extra, per appellationes extraiudiciales vel generales quærelas, etiam non obstante quod ad ipsam Romanam Curiam legitime devolutae, aut in illa de iuris necessitate tractandae seu finiendae non existant, illarumque et etiam aliorum quorumcumque et [2] quibuscumque iudicibus ecclesiasticis et saecularibus, quacumque auctoritate, dignitate seu præeminentia fulcitis, ad nos et Romanam Curiam ac Sedem huiusmodi, et pro quibuscumque gravaminibus vel definitivis sententiis pro tempore interpositis, primarum et secundarum ac ulteriorum appellationum causas, una cum negocio principali, coniunctim vel divisim, vel alias, prout tibi visum fuerit, ac omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, alias iuxta casum et prout tibi videbitur, etiam cum potestate citandi in eadem Curia Romana, etiam extra eam, per edictum publicnm, constito summarie de non tuto accessu, ac inhibendi quibus et quoties fuerit inhibendum, audiendas, cognoscendas, decidendas et fine debito terminandas committendi.

[1] *Prioratibus* Cherub., ed. Lugd. 1712 (R. T.).
[2] Deest forte *eorum* (R. T.).

Facultas committendi causas in Curia et extra;

§ 3. Et pari modo inter auditores dicti Palatii nostri seu eorum locatenentes distribui (ut moris est) faciendi, et per signaturam nomine nostro, videlicet, si illae iudicibus in Romana Curia per haec verba, videlicet, *Placet domino nostro Papae;* sive [1] extra eam, praeterquam ubi nos fuerimus, dirigendae, per concessum in præsentia domini nostri Papæ, signandi; ac omnia et singula, per signaturam iustitiae concedi et committi solita, concedere et etiam eisdem auditoribus et locatenentibus seu aliis quibuscumque praelatis vel iudicibus, tam in Romana Curia quam extra eam, committendi, seu per te vel alium seu alios audiendi, cognoscendi, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu, ut praefertur, etiam reiteratione terminorum ex stylo Curiae seu natura observari consuetorum, ac etiam illorum omissione; illasque decidendi et terminandi, causasque ipsas, quando tibi placuerit, ab illis, quibus commissae fuerint, tam in dicta Curia quam extra, evocandi, et aliis etiam committendi. Et quascumque sententias, per te seu etiam alios iudices quoscumque latas, tam in Romana Curia quam extra eam, etiam si in rem transiverint iudicatam, executioni debitae demandandi, cum decreto literarum executorialium seu mandati executivi, etiam cum invocatione brachii saecularis, nullitates processuum, actorum, gestorum et sententiarum et tollendi et finiendi, ac restitutionem in integrum adversus rem iudicatam, etiam si tres sententiae conformes latae fuerint, etiam gratiose concedendi, dictarum causarum cognitionem, terminationem et executionem ac cursum instantiarum vel etiam fatalium suspendendi, ac restitutionem ad illa etiam concedendi.

Derogandique omnibus privi-

§ 4. Necnon constitutionibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, prae-

[1] *Si vero* Cherub. l. c. (R. T.).

legis et constit. per signaturam iustitiae derogari solitis;

decessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus, non tribus diaetis, et aliis per signaturam iustitiae derogari solitis, et etiam quibusvis privilegiis et indultis, tam Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, quam aliis ordinariis iudicibus dictae Urbis, etiam per nos concessis et approbatis, etiam quod illis, nisi per signaturam manu nostra et motu proprio concessis, derogari non possit disponentibus, et hactenus observatis, specialiter et expresse derogandi.

Referendariosque signaturae iustitiae duos vel unum deputandi.

§ 5. Necnon, si necessarium fore conspexeris, unum vel duos signaturae dumtaxat referendarios, quos malueris et ad hoc utiles et idoneos esse cognoveris, qui commissiones iustitiae huiusmodi referendariare, et in signatura per te facienda tibi assistere, ac illi interesse licite valeant, durante legatione tua tantum deputandi, et alia quae sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, qui hactenus signaturam iustitiae habuerunt, et dictae urbis legati facere et exercere potuerunt et debuerunt, faciendi et exercendi.

Facultas circa beneficior. collationes.

§ 6. Omniaque et singula beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et Ordinum quorumcumque regularia, etiam si dignitates, etiam maiores et principales fuerint, et ad illa consueverint qui per electionem aut alium modum assumi, intra limites tuae legationis consistentia (basilicae Principis Apostolorum de Urbe ac Lateranensis et Beatae Mariae Maioris ecclesiarum canonicatibus, praebendis et illis, quae ad collationem alicuius ex venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus praefatis, respectu episcopatuum, titulorum suorum presbyteralium aut diaconalium vel alias quocumque modo pertinent, dumtaxat exceptis), ac quorumcumque familiarium tuorum continuorum commensalium nunc et pro tempore existentium, etiam si ipsa [1] familiaritate recessissent, et in quibuscumque provinciis seu locis consistant beneficia ecclesiastica, etiam si dispositioni apostolicae specialiter vel alias ex quavis causa, etiam de necessitate exprimenda, praeterquam familiaritatis nostrae, aut quoad ea, quae ad dispositionem tuam, ratione ecclesiarum vel beneficiorum tuorum, non pertinent, alicuius cardinalis viventis generaliter reservata, seu ex quavis generali reservatione affecta fuerint, cum illa, per cessus vel decessus aut alias, quavis dimissione illa nunc et pro tempore obtinentium, etiam si, ut praefertur, reservata fuerint, dummodo etiam, illorum commendis cessantibus vel unionibus temporalibus dissolutis, vel alias quocumque modo vacare contigerit, quibusvis personis, de quibus tibi videbitur, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinenda et expectanda. Necnon, et si extra limites tuae legationis beneficia aliqua, ut supra qualificata, in civitatibus, dioecesibus et locis per duas diaetas dictae Urbi propinquis vacaverint, etiam si, ut praefertur, reservata fuerint, dummodo alicuius ipsorum beneficiorum reservatorum, praeterquam ex familiaritate nostra, in dictis civitatibus et dioecesibus vacantium huiusmodi, fructus, redditus et proventus summam seu valorem annuum, secundum communem aestimationem, vigintiquatuor florenorum auri de Camera non excedant, personis idoneis per te eligendis conferendi, et de illis etiam providendi, seu illa aliis beneficiis ecclesiasticis ad vitam uniendi, annectendi et incorporandi, verosque ultimarum vacationum modos, etiam si ex illis quaevis generales reservationes, etiam in corpore iuris clausae, resultent, pro expressis habendis. Ac etiam in ipsa Urbe, quamdiu ab ea absentes fuerimus, in quoscumque curiales et ipsam Curiam

[1] *Si ipsi a familiaritate* etc. Cherub. (R. T.).

sequentes seu cortisanos et officiales quoscumque ipsius Curiae nostrae, et ipsorum officiorum praesidentes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, dummodo sanctae Romanae Ecclesiae cardinales non existant, omnimodam iurisdictionem exercendi, eosque pro excessibus puniendi, et, prout demeruerint seu deliquerint, a suorum officiorum exercitio suspendendi, et, prout iustitia suaserit, eos eisdem officiis suis privandi et destituendi.

Facultas ius dicendi contra officiales Romanae Curiae ac curiales et barones, communitates etc.;

§ 7. Necnon, etiam inter barones et milites, dominos temporales et nobiles ac personas alias saeculares et ecclesiasticas, necnon communitates et universitates ac populos et omnes alios saeculares discordes et differentes, Urbis, terrarum, locorum et districtus praedictorum, pacem et concordiam faciendi, et inter eos treguas indicendi; ipsosque ad eas et ipsarum observantiam quibuscumque poenis, districtionibus, sententiis et censuris, prout tibi videbitur, compellendi; concordes in unitatis et charitatis vinculo confovendi et confirmandi; rebelles et delinquentes ac eiusdem Romanae Ecclesiae hostes censuris et poenis, tam ecclesiasticis quam aliis, etiam pecuniariis et corporis afflictivis, arcendi et corrigendi, et ad nostram et dictae Romanae Ecclesiae unitatem reducendi.

Dispensandique ad plura beneficia et circa aetatis et natalium defectus.

§ 8. Necnon cum tuis et quinque praelatorum se asserentium familiaribus et continuis commensalibus, et decem, quos tu elegeris, personis aliis, ad duo, et si nobiles vel graduati fuerint, ad tria, seu cum dispensatione, ad duo, ad tertium curata, dummodo inter illa non fuerint nisi duae parochiales ecclesiae, seu alias invicem incompatibilia saecularia, etiam maiores et principales, personatus, administrationes vel officia, etiam curata et electiva, in cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, parochiales ecclesiae vel earum perpetuae vicariae fuerint, et ad duo alia, etiam similia, simplicia, non tamen duos canonicatus et praebendas, sub uno et eodem tecto unius et eiusdem ecclesiae consistentia, si eis et cuilibet eorum alias canonice conferantur aut eligantur, praesententur vel alias assumantur ad illa, et instituantur in eis simul ad vitam, cum potestate permutandi et commendae cedendi, toties quoties in titulum et commendam respective obtinenda. Necnon super aetate in decimoseptimo dispensandi; super aetatis et natalium defectibus, ad unum, et in vigesimo ad duo; necnon super defectum patientibus ad quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica, etiam si canonicatus et praebendae in cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, et alias, ut praefertur, qualificata fuerint; et ad canonicatus et praebendas cathedralium in undecimo, et aliarum collegiatarum in octavo suarum aetatum annis; et de non promovendo ad septennium, dummodo infra primum triennium dicti septennii ad subdiaconatus ordinem se faciat promoveri, vel aliud breve tempus, prout tibi videbitur; ac etiam de promovendo ad sacerdotium in vigesimotertio cum saecularibus clericis; cum regularibus vero, in vigesimosecundo anno; et de suscipiendo clericatum, minores et sacros, etiam presbyteratus, ordines in Romana Curia a quocumque antistite, et etiam extra eam, etiam extra tempora a iure statuta, in tribus tamen festivis diebus, dispensandi.

Facultas derogandi regulas Cancellariae et iurispatronatus,

§ 9. Necnon quibuscumque Cancellariae regulis, processus, acta et merita causarum, ac etiam praemissa omnia et singula concernentibus, dummodo alteri non tollatur ius quaesitum; ac etiam iurispatronatus laicorum, quoad beneficia familiarium tuorum et alia in limitibus tuae legationis vacantia vel ex tunc vaca-

tura, quae de illo ex consuetudine vel privilegio fuerint, in totum, alioquin pro medietate patronorum eorumdem derogandi.

Absolvendique a censuris;

§ 10. Et quascumque personas, quibus literas tuas, vigore praesentium, concesseris, a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet tunc, etiam ob non paritionem rei iudicatae aut alias, in casibus in regula desuper edita expressis, innodati erunt, etiam si per annum et ultra in illis insorduerint, ad effectum gratiarum suarum dumtaxat consequendum, absolvendi; eorumque omnia et singula beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et Ordinum quorumcumque regularia, quae in titulum vel commendam, etiam ex quibusvis concessionibus ac dispensationibus apostolicis, tunc obtinebunt et expectabunt, ac in quibus et ad quae ius tibi quomodolibet competet, quaecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, eorumque fructuum, redditum et proventuum veros annuos valores, ac huiusmodi concessionum et dispensationum tenores pro expressis habendi.

Commissiones in forma *Si in evidentem* super alienationes bonorum ecclesiae concedendi;

§ 11. Necnon quascumque concessiones, si in evidentem utilitatem, super alienationibus et arrendationibus perpetuis seu temporalibus, etiam emphytheuticis, quorumcumque bonorum stabilium ad ecclesias, monasteria, dignitates, beneficia ac loca alia ecclesiastica intra limites tuae legationis consistentia, cuiuscumque valoris existant; in aliis vero locis, quantumcumque remotis, usque ad valorem centum florenorum auri de Camera dumtaxat, spectantia, cum insertione tamen literarum felicis recordationis Pauli Papae II, praedecessoris nostri, quae incipiunt, *Cum in omnibus iudiciis*, communiter vel divisim, concedendi.

Contradictores etiam coercendi;

§ 12. Insuper contradictores et rebelles quoslibet per amotiones, privationes, depositiones, relegationes et proscriptiones perpetuas vel temporales, etiam sententialiter, prout ad ipsam Romanam Curiam pertinuerint, sublato appellationis obstaculo, compescendi.

Omniaque faciendi, quae Pontifex facere potest.

§ 13. Omniaque alia et singula ad honorem et statum nostri et ipsius Romanae Ecclesiae et populorum commoditatem faciendi, gerendi, mandandi, ordinandi, disponendi et exequendi, quae necessaria quomodolibet et opportuna fore cognoveris, et quae nosmetipsi facere possemus.

Concessio quarumcumque aliarum facultatum aliis legatis concessarum.

§ 14. Et nihilominus singulari integritate, fidei constantia, iustitiae et rectitudinis zelo, clara providentia ac longa consummataque Urbis et Curiae praedictarum notitia in te evidentissime comprobatis, necnon maturitate consilii per te arduis et periculosis nostris ac dictae Sedis negociis, fideli experientia testimonium perhibente, praestitis, diligenter perspectis, dignum censentes ut te non minoribus praerogativis quam praedecessores nostri Romani Pontifices, alios, qui pro tempore fuerunt, in Urbe legatos prosecuti sunt, prosequamur, ultra supradictas, omnes et singulas alias facultates, quae pro quibusvis aliis dictae Romanae Ecclesiae cardinalibus a tempore piae memoriae Alexandri Papae VI, etiam praedecessoris nostri, in ipsa Urbe deputatis legatis, per quascumque literas, tam sub plumbo quam in forma brevis, sub quacumque forma et expressione verborum, concessae comperiantur, quarum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, eidem circumspectioni tuae harum serie concedimus, tibique ut illis omnibus et per omnia, perinde ac si illae tibi specialiter et expresse concessae forent, uti, potiri et gaudere libere et licite valeas, indulgemus.

Approbatio gerendorum a legato.

§ 15. Decernentes commissionibus, manu tua et, vigore praesentium, de mandato nostro ac in praesentia nostra signandis, ac derogationibus eis concedendis, in iudicio et extra, perinde ac si propria nostra manu signatae fuissent, stari et indubitatam fidem adhiberi, necnon omnia et singula alia, eorumdem praesentium vigore, per te seu de mandato tuo, alias rite pro tempore gesta et concessa, ac quaecumque, quae inde sequentur, valida et efficacia existere, et suos effectus sortiri debere.

Decretum irritans.

§ 16. Sicque per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§ 17. Mandantes insuper gubernatori, vicario eiusdem Urbis, auditori Camerae et senatori ac aliis officialibus quibuscumque in ipsa Urbe praesentibus, necnon omnibus et singulis baronibus, domicellis, stipendiariis, nobilibus, civibus, incolis et habitatoribus ac personis aliis Urbis, Curiae, districtuum et locorum praedictorum, etiam forensibus ibidem pro tempore degentibus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, in virtute sanctae obedientiae et sub poenis per te infligendis, ut tibi in omnibus pareant efficaciter et obediant, omni dilatione et exceptione cessante. Nos enim per te pro tempore facta, concessa et acta ac gesta quaecumque, necnon processus, sententias et poenas, quas per te, vigore praesentium, fulminari contigerit, rata habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 18. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, tam apostolicis quam aliis generalibus vel specialibus, sub quacumque forma et expressione verborum, cuicumque, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis aut Ordinum, etiam Cisterciensis, Cluniacensis, Praemonstratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, Vallis Umbrosae, Camaldulensis, Humiliatorum, Sancti Benedicti et Augustini, hospitalium Hierosolymitanorum, S. Ioannis et S. Mariae Teutonicorum, Calatravensis, S. Spiritus in Saxia et Sancti Antonii seu quorumcumque aliorum Ordinum existant, concessis, confirmatis et innovatis; ac praedicti Bonifacii praedecessoris de una, et in concilio generali de duabus diaetis edita, ac Lateranensis, Pictaviensis et generalis conciliorum, nec non de valore exprimendo et de concessione facienda in unionibus et illarum confirmationibus, ac de insordescentibus in censuris per tempus inibi expressum et alias; ac de non expediendis literis executorialibus et sequestris, nisi sub plumbo, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon ecclesiarum, in quibus saecularia et monasteriorum et aliorum regularium locorum, in quibus regularia beneficia huiusmodi forsan fuerint, seu a quibus illa dependere contigerit, et Ordinum quorum extiterint, iuramento, confirmatione apostolica et quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus et aliis quibuscumque praemissis obviantibus, quae omnia et singula in literis per te super eisdem praemissis concedendis latissime exprimi posse volumus; praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon quibusvis aliis privilegiis, literis et exemptionibus eis, sub quibusvis verborum formis et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, per nos et Sedem eamdem concessis et concedendis in posterum, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum im-

pediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, quae, quoad hoc, cuiquam nolumus suffragari.

Legatus in suis concessionibus non teneatur inserere hanc constitutionem.

§ 19. Volumus autem quod, in concessionibus, gratiis et literis per te vigore praesentium faciendis, praesentes literae nullatenus inserantur, sed, absque illarum insertione, perinde plenum sortiantur effectum, ac si ipsae praesentes de verbo ad verbum insererentur.

Hortatur legatum ut eius munus diligenter exequatur.

§ 20. Tu igitur, dilecte fili, munus huiusmodi devota mente suscipiens, te in illius executione solicitum, ac verbo, sermone et opere studiosum et diligentem exhibeas, quo ex tuis laboribus, divina favente gratia, optati fructus succedant, quos speramus. Tuque per solicitudinem tuam, praeter aeternae retributionis praemium, merito apud nos et Sedem praedictam commendari possis.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo septimo, undecimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quarto [1].

Dat. die 22 martii 1537, pontif. anno III.

XVIII.

Confirmatio et nova concessio privilegiorum et gratiarum auditorum Rotae Romanae [2].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis consueta benignitas ea, quae per praedecessores suos, praesertim personarum sibi et Apostolicae Sedi continuos labores impendentium commodum ac utilitatem concernentia concessa sunt, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter approbat, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Pontifices multas gratias auditoribus elargiti sunt.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Iulius secundus, Leo decimus et Clemens septimus, Romani Pontifices praedecessores nostri, dilectis filiis causarum Palatii Apostolici auditoribus ac eorum locumtenentibus tunc et pro tempore existentibus et eorum collegio diversa privilegia, concessiones, exemptiones, antelationes, praerogativas, facultates, gratias et indulta tunc expressa gratiose concesserunt et approbarunt.

Quae hic Pontifex confirmat.

§ 2. Nos dignum, quin potius debitum, censentes dictos auditores et locatenentes, qui pro publica utilitate quotidie et incessanter invigilant, et in iustitia personis ad Sedem ipsam ex omnibus mundi partibus confluentibus ministranda immensos labores sustinent, pro eorumdem laborum remuneratione, illorum exigentibus meritis, et ut commodius se alere ac sustentare valeant, non minoribus gratiis ac praerogativis, quam a dictis praedecessoribus nostris reportarunt, eos prosequi volentes, motu proprio, non ad ipsorum auditorum seu locatenentium vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate ac ex certa nostra scientia, omnia et singula privilegia, exemptiones, antelationes, praerogativas [1], concessiones, gratias, facultates, literas ac indulta huiusmodi, per dictos et alios nostros praedecessores eisdem auditoribus et locatenentibus ac eorum singulis, in genere vel in specie, concessa, quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint, ac cuiuscumque tenoris et continentiae existant, quorum omnium formas et tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, cum omnibus et singulis derogationibus, decretis et clausulis in eis contentis, in omnibus

1 Lege *tertio* (R. T.). 2 Ad haec vide constitutionem XIII Clem. VII, *Convenit*, pag. 81 huius tomi.

1 *Antelationum praerogativas.* Berninus, *Il Tribunale della S. Rota Rom.* (R. T.).

et per omnia, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et innovamus, illaque sibi et eorum cuilibet, et prout dicti ac alii praedecessores concesserunt, de novo, pro potiori cautela, concedimus et indulgemus.

Privilegia referendariis apostolicis concessa et concedenda, eisdem auditoribus communicat,

§ 3. Ac privilegia et gratias dilectis filiis referendariis nostris seu eorum collegio concessa ac in posterum concedenda, illa pro sufficienter expressis habentes, cum eisdem auditoribus et locatenentibus ac eorum collegio, auctoritate et tenore praemissis, communicamus, seu illa de novo eis concedimus, ac praesentes literas et in eis contenta quaecumque, sub cuiusvis [1] suspensionibus, derogationibus ac revocationibus in contrarium factis et faciendis, minime comprehendi neque illis derogari posse, nisi eorumdem auditorum ac locatenentium ad id expressus accesserit assensus; ac irritum et inane quidquid secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Executores deputat;

§ 4. Quocirca pro tempore existentibus sanctae Romanae Ecclesiae camerario et Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori ac in Urbe in spiritualibus vicario, per praesentes, motu simili, mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas ac in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum auditorum et locatenentium seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, eos et eorum quemlibet confirmatione, innovatione, concessione, indulto, communicatione et decreto ac aliis praemissis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebito molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas ac alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat;

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis editis ac edendis, etiam perpetuis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, gratiis ac concessionibus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem eamdem, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus, quibuscumque, quocumque nomine nuncupentur et dignitate seu maioritate praefulgeant, in genere vel in specie, eis seu eorum collegiis, concessis, approbatis et innovatis, ac in posterum concedendis, approbandis et innovandis. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda aut exquisita forma servanda foret, ac in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit, illorumque omnium tenores pro sufficienter expressis ac insertis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, harum serie, motu ac scientia similibus, derogamus; necnon omnibus illis, quae, in literis eisdem auditoribus et locatenentibus seu eorum collegio concessa, voluerunt dicti praedecessores non obstare, quae pro repetitis habeantur, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis fidem tribuit.

§ 6. Et quia difficile foret *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die decimaseptima augusti, millesimo quingentesimo trigesimoseptimo, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 17 augusti 1537, pontif. anno III.

Sequitur concessio exemptionis a gabella vini.

Paulus Papa III, motu proprio etc.

Causa concessionis.

Attendentes continuos labores, quos dilecti filii causarum Palatii Apostolici

[1] *Quibusvis*, Berninus l. s. c. (a. 7.).

auditores et eorum locatenentes, pro administranda iustitia personis ad Sedem Apostolicam ex omnibus mundi partibus confluentibus, ac in causis coram eis pro tempore vertentibus iugiter perferunt, ac propterea dignum reputamus ut illis gratiosos favores et opportuna commoditatis auxilia impendamus.

Exemptio auditorum a gabella vini.

§ 1. Volentes igitur eos specialibus favoribus et gratiis prosequi, motu proprio et ex certa scientia nostra, eisdem auditoribus et locatenentibus, quos, sicut accepimus, felicis recordationis Clemens Papa VII, praedecessor noster, inter alia privilegia illis concessa, a solutione et exactione quarumcumque gabellarum et onerum liberavit ac exemit, ut privilegii huiusmodi plenarium consequantur effectum, quod ipsi et eorum quilibet, ad nostrum et Apostolicae Sedis beneplacitum, singulis annis pro eorum usu et victu quindecim vegetes [1], cuiuscumque qualitatis vini, quandocumque illis placuerit, absque alicuius dohanae seu gabellae ac aliorum onerum solutione, ex Ripa seu aliunde percipere ac habere libere et licite valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, de speciali gratia indulgemus, ac licentiam et facultatem concedimus.

Inhibitio contra officiales, qui eos desuper molestarent.

§ 2. Mandantes nihilominus modernis ac pro tempore existentibus camerario nostro ac domus nostrae magistro ac clericis Camerae Apostolicae et dohaneriis, omnibusque et singulis dohanae nostrae officialibus, ac aliis ad quos quomodolibet spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ poena, quam si contra fecerint, illos eo ipso incurrere volumus, quatenus de cetero in perpetuum, singulis auditoribus ac locatenentibus prædictis, quolibet anno, quindecim vegetes vini huiusmodi, absque aliqua gabellae seu dohanae ac onerum solutione et gratis, quandocumque ab eisdem auditoribus seu eorum aliquo requisiti fuerint, tradant, ac tradi faciant nec ab eis aliquid, praemissorum occasione, exigant seu exigere praesumant; ac illis et eorum cuilibet, quoties opportunum fuerit, mandata ad id necessaria expediant ac expediri faciant, omni mora et exceptione cessantibus, ac per eos, ad quos spectat, sub poenis, etiam pecuniariis, eorum arbitrio imponendis, observari faciant.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus ac locationibus, etiam apostolica auctoritate factis ac faciendis, statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, *etc.* roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis camerario, magistro, dohaneriis et officialibus et dohanae huiusmodi, ac quibusvis aliis locis ac personis, cuiuscumque conditionis, gradus *etc.* existentibus, etiam motu simili ac alias, sub quibusvis tenoribus et formis *etc.* concessis et concedendis, quibus, latissime extendentes, motu simili derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Sola signatura sufficit.

§ 4. Volumus autem quod praesentium sola signatura sufficiat, et ubique, tam in iudicio quam extra, fidem faciat, regula contraria non obstante.

Placet, et ita motu proprio mandamus. A.

(Papae subscriptio).

XIX.

Uxores non possint ab eorum maritis cautiones de non offendendo petere aut alia de causa cum eis in Urbe litigare, nisi prius in monasterio aut alio honesto loco ponantur.

Paulus Papa III, motu proprio etc.

Causa huius constitutionis.

Cum, sicut accepimus, diversæ mulieres coniugatae almae Urbis seu in ea commorantes, tam Romanae quam forenses, forsan attrectantes [1] vitam ad earum libitum inhonestam ducere, ubi se ab earum ma-

[1] *Vegetes*, modius, dolium, vas vinarium (R. T.).

[1] *Affectantes*. P. Matthaeus, *Summ. Const.* Lugduni, 1589 (R. T.).

ritis, super earum inhonesta vita aut pravis moribus, argui vident, eos, a quibus se amari sciunt, maritis suis in fideiussores, quod ipsi eas non offendent, nec offendi facient, pro diversis pecuniarum summis, etiam excessivis, iudicialiter aut alias similem cautionem ab eisdem maritis suis exigant: et, illis eam quandoque praestare nequeuntibus, illos carceribus mancipari et quandoque ad triremes delegari procurent et faciant; vel si earum mariti praedicti cautionem huiusmodi eis praestent, illius clypeo fretae, vitam ad earum libitum inhonestam ducant, in divinae Maiestatis offensam ac scandalum plurimorum.

Sanctio de qua in rubrica.

§ 1. Nos, volentes ex debito nostri officii pastoralis praemissis occurrere, motu simili modernis et pro tempore existentibus almae Urbis praedictae gubernatori ac senatori et Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori ac quibusvis aliis Romanae Curiae officialibus seu iudicibus vel marescallis, quacumque auctoritate, etiam seculari, fungentibus, districtius inhibemus ne de cetero, ad cuiusvis mulieris coniugatae instantiam, eius virum ad fideiubendum, et sibi, sub aliqua, quantumvis modica, pecuniarum summa, de eam non offendendo nec offendi faciendo cavendum cogere aut monere; seu ipsam mulierem coniugatam ad quovis modo cum viro suo quavis occasione litigandum admittere praesumant, nisi ipsa mulier in loco honesto aut apud mulierem honestam, bonae conditionis et famae aut in domo Sanctae Marthae de Urbe, in qua quaelibet mulieres coniugatae seu ob earum malam vitam et violatum thorum offendi timentes recipiuntur, et donec cum earum maritis reconcilientur, caritative tractantur et sustentantur, cum effectu habitaverit et vixerit. Nos enim ex nunc omnes et singulas cautiones et fideiussiones per maritos uxoribus suis, alibi quam in loco honesto et apud mulierem honestam seu in dicta domo Sanctae Marthae habitantibus hactenus praestitas, unica tamen praecedente monitione, et in posterum praestandas, nullas, irritas et inanes nulliusque roboris vel momenti fore, et illarum, etiamsi iuramento vallatae sint, executionem fieri non posse; ac dictos maritos, si qui in exilium relegati vel ad triremes transmissi propter praemissa fuerint, dictos triremes exire, et ad Urbem libere redire posse, ac irritum *etc.* decernimus.

Vicarius Papae executor deputatur.

§ 2. Mandantes venerabili fratri Philippo, episcopo Salutiarum, moderno ac pro tempore existenti nostro in eadem Urbe eiusque districtu in spiritualibus vicario generali, quatenus inhibitionem et decretum nostros huiusmodi perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari faciat cum effectu, contradictores quoslibet et rebelles, ac si [1] in praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac stylo Palatii et Curiarum gubernatoris, senatus et auditoris Camerae huiusmodi, necnon earumdem curiarum, etiam iuramento *etc.* roboratis statutis ac consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium quomodolibet concessis.

Sola signatura sufficit.

§ 4. Et praesentium, etiam absque eo quod registrentur, aut illius data apponatur, solam signaturam sufficere et ubique fidem facere, in iudicio et extra, regula contraria non obstante, decernentes.

Placet, et ita mandamus. A.

(*Papae subscriptio*).

1 *Ac sibi* P. Matth., l. s. c. (R. T.).

XX.

Declaratio et ampliatio facultatum collegii scriptorum archivii Romanae Curiae in legitimandis bastardis [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumspecta nonnunquam per eius praedecessores gesta, cum super illis dubia oriuntur, ne aliqui propterea litibus indebitis fatigentur, dilucidat et declarat, prout convenit et, rei qualitate inspecta, conspicit in Domino salubriter expedire.

Iulius II erexit istud collegium et concessit facultatem legitimandi bastardos.

§ 1. Sane, pro parte dilectorum filiorum collegii scriptorum archivii Romanae Curiae nobis nuper exhibita petitio continebat quod, licet dudum fel. recordationis Iulius Papa II, praedecessor noster, in institutione collegii praedicti per eum erecti, inter alia, eidem collegio seu illius correctoribus et officialibus quoscumque bastardos, manseres et nothos, sine tamen praeiudicio venientium ab intestato, legitimandi facultatem concesserit; ac collegium seu correctores et scriptores praefati, facultatis huiusmodi vigore, certas formas super huiusmodi legitimationibus faciendis ordinaverint.

Et multi fuerunt legitimati.

§ 2. Et tam tempore ipsius Iulii quam etiam piae memoriae Leonis X, Adriani VI et Clementis VII, Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum, ac nostri pontificatuum temporibus facultatem huiusmodi continuantes, quamplures bastardos, manseres et nothos, ex quocumque coitu procreatos, etiam stantibus legitimis, absque tamen praeiudicio venientium ab intestato, iuxta dictas formas diversimode legitimaverint, ac in possessione, seu quasi, legitimandi huiusmodi pacifice et dictae formae per ipsos observatae hactenus fuerint, ac legitimationes per eos hactenus factae impugnatae non extiterint, neque de illarum validitate ab aliquibus hactenus haesitatum fuerit.

Dubium de quo hic excitatum fuit.

§ 3. Nihilominus impraesentiarum a nonnullis de viribus legitimationum per ipsum collegium de illegitimo consensu patrum legitimorum, stantibus filiis legitimis et naturalibus, iuxta formam per ipsos traditam factarum, haesitatur, et asseritur facultatem collegii huiusmodi ad casum, in quo pater illegitimi filios legitimos ac naturales haberet, se non extendere, cum hoc ipsa facultate specialiter expressum non reperiatur, ac solum bastardos, manseres et nothos, cum illa clausula, *sine praeiudicio venientium ab intestato*, comprehensos esse. Quare pro parte praefatorum collegii nobis fuit humiliter supplicatum ut super iis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic ideo Pont. illud removet;

§ 4. Nos igitur, huiusmodi ambiguitatis dubium submovere, ac tam per ipsos collegium, dictae facultatis vigore, in posterum legitimandorum, quam etiam ipsorum collegii, quorum interpretationi formae praedictae traditae fuerunt, et iuxta illas legitimationes huiusmodi processerunt, indemnitati providere; ac dispendiis, necnon diversis litibus et forsan scandalis, quae exinde oriri ac subsequi possent, obviare; necnon Status, tam Urbis quam Romanae Ecclesiae, in qua legitimationes ipsae concedentur, quieti consulere; necnon formarum et legitimationum huiusmodi tenores praesentibus pro expressis habere volentes, ipsasque legitimationum formas, ut praefertur, traditas approbantes, confirmantes ac innovantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatos collegium, facultatis praedictae vigore, quoscumque illegitimos, ex quocumque illicito ac damnato coitu procreatos, etiam si eorum genitores filios legitimos et naturales haberent, absque tamen praeiudicio ve-

[1] Istud collegium erexit Iulius II in sua constitutione XVIII, *Sicut*, tom. V, pag. 458.

mentium ab intestato, legitimare posse, et legitimationes per eos in posterum faciendas, etiam stantibus legitimis, validas et efficaces fore, suosque effectus sortiri, ac firmiter observari debere, et illis, quibus fieri contigerit, suffragari; ac eos, qui legitimati pro tempore fuerint, iuxta huiusmodi legitimationes succedere posse.

Et ita iudicari debere decernit.

§ 5. Sicque in praemissis omnibus ac singulis per quoscumque, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac dictae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi ac interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere; necnon quidquid secus super iis, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane, auctoritate apostolica, tenore praesentium declaramus et decernimus, ac pro potiori cautela facultatem praedictam ad hoc extendimus et ampliamus.

Quibuscumque nonobstantibus.

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus ac ordinationibus apostolicis, nec non omnibus illis, quae praefatus Iulius praedecessor in literis erectionis collegii huiusmodi voluit non obstare, et quae praesentibus pro repetitis haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo septimo, pridie kalendas novembris, pontif. nostri anno IV.

Dat. die 31 oct. 1537, pontif. anno IV.

XXI.

Privilegium centenariae praescriptionis, et aliae gratiae congregationis Cassinensis, alias S. Iustinae de Padua, monachorum Ordinis Sancti Benedicti [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Benignitas Sedis Apostolicae consueta, ea quae per Romanos Pontifices, pro religionis conservatione et augmento, ac monasteriorum et aliorum piorum locorum, necnon personarum devotarum in eis sub regularis disciplinae observantia Domino militantium, prospero ac tranquillo statu et salubri directione provide concessa, ac etiam approbata et innovata comperit, ut eo firmius illibata persistant quo frequentiori suo fuerint praesidio pro tempore stabilita, libenter approbat, innovat, eisque uberioris apostolici muniminis robur adiicit, ac de novo concedit, et alias pro eorum observatione providet, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Plerique Pontifices congregationi Cassinensi multas gratias elargiti sunt.

§ 1. Sane, pro parte dilectorum filiorum modernorum praesidentis et definitorum capituli congregationis Cassinensis, alias S. Iustinae de Padua, monachorum Ordinis S. Benedicti regularis observantiae, necnon ipsius congregationis, nobis nuper exhibita petitio continebat quod dudum, pro divini cultus augmento et Religionis propagatione ac regularis observantiae conservatione, congregationi praedictae ac illius praesidentibus, definitoribus, visitatoribus, abbatibus, prioribus, rectoribus, monachis, conversis, novitiis eorumque cappellanis, familiaribus ac servitoribus, necnon monasteriis, prioratibus ac locis, etiam unitis, ecclesiis, cappellis, oratoriis, membris ac bonis pro tempore existentibus, quam plura et diversa privilegia, immunitates, exemptiones, tam ab ordinariorum iurisdictione, quam etiam ab omni impositione, exactione, collecta, decima, subsidio et alio quocumque gravamine, quocumque nomine censerentur, per Romanos Pontifices pro tempore existentes, etiam pro tempore imponenda; necnon a quocumque onere, occasione legatorum, subdelegatorum, nunciorum apostolicorum, ordinariorum, dioecesanorum seu alterius cuiuscumque, etiam apostolica auctoritate imponenda; ac caritativi et alterius cuiuscumque subsidii, im-

[1] Cetera quae hanc tangunt congregationem vide in constitutione II Iulii II, *Super*, tom. V, pag. 400.

positionis, collectae vel alterius cuiuscumque exactionis ac oneris personalis et realis vel mixti, annatarumque, etiam ratione monasteriorum et aliorum beneficiorum, etiam unitorum, solutione, ac ab omnibus censibus, redditibus et solutionibus, ratione visitationis vel subiectionis quorumcumque iure, debendi quibuscumque oratoriis ac personis; libertates, praerogativae, favores, conservatoriae, declarationes, facultates, gratiae, indulta spiritualia et temporalia, tam per felicis recordationis Urbanum II, Eugenium IV, Alexandrum V, Martinum etiam V, Nicolaum similiter V, Callistum III, Pium II, Innocentium VIII, Alexandrum VI, Iulium II, Leonem X ac alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, necnon imperatores et Romanos reges ac alios saeculares principes, etiam circa celebrationem capituli et electionem praelatorum ac conservationem eiusdem congregationis ac illius personarum salubrem directionem concessa, ac per nonnullos ex ipsis praedecessoribus ac demum per similis memoriae Clementem Papam VII, etiam praedecessorem nostrum, approbata et innovata extiterunt.

Urbanus II concessit abbati facultatem alia monasteria aedificandi et Pontificalia (quibusdam exceptis) exercendi;

§ 2. Et inter alia Urbanus, tunc et pro tempore existenti abbati ac dilectis filiis conventui monasterii Sanctissimae Trinitatis, Cassinensis Ordinis et congregationis eorumdem, ut tunc pro tempore existens abbas per terras sui monasterii, habitas et habendas, ecclesias construere et cum cruce signare, ac alia pontificalia et spiritualia (sacrorum ordinum collatione, basilicarum et altarium ac chrismatis consecratione dumtaxat exceptis) exercere posset.

Pia legata congregationi ab omni solutione exemit;

§ 3. Necnon ut de iis, quae a catholicis christianis eidem monasterio Sanctissimae Trinitatis, tam inter vivos, quam in ultima voluntate, ubicumque donata vel legata forent, nulli episcoporum dioecesanorum licitum esset quartam vel tertiam partem in ipsis legatis seu donatis, tam in stabilibus, quam in mobilibus, etiam praetextu cuiuscumque consuetudinis exigere, concessit.

Perturbatores excommunicari decrevit.

§ 4. Et si, processu temporis, per quoscumque contra praedictorum ac aliorum privilegiorum, per ipsum Urbanum dicto monasterio Sanctissimae Trinitatis concessorum, tenorem per aliquos attentatum foret, illud et tunc viribus vacuatum, ac praescriptionem longi temporis non currere decrevit, aut quicumque dictum monasterium Sanctissimae Trinitatis in suis iuribus, possessionibus et libertatibus laederent, aut etiam perturbarent, liceret dicto abbati et suis successoribus illos, cuiuscumque praeminentiae sive status forent, auctoritate apostolica, canonica monitione praemissa, excommunicare, ac excommunicatos fore denunciare, a qua excommunicatione absolvi non possent, nisi digne satisfacerent, etiam quocumque privilegio illis, quo excommunicari vel interdici non possint, forsan concesso non obstante, nisi de indulto huiusmodi plenam ac expressam facerent mentionem, indulsit.

Eugenius IV abbat. S. Pauli extra muros Urbis concessit posse cum mitra celebrare et minores ordines monachis conferre.

§ 5. Necnon Eugenius abbati pro tempore existenti monasterii Sancti Pauli extra muros Urbis, eorumdem Ordinis et congregationis, ut cum mitra et annulo, sandaliis, tunica, dalmatica, missarum solemnia celebrare, et astanti clero et populo benedicere. Ac idem abbas ac dilecti filii conventus ipsius monasterii S. Pauli consecrationes altarium et ordinationes monachorum, qui ad sacros ordines forent promovendi a quocumque mallent catholico antistite, apostolica auctoritate freti, suscipere, quas sine difficultate ac pravitate exhiberi praecepit. Ipseque abbas, dummodo presbyter esset, minores ordines huiusmodi monachis suis ex apostolica indulgentia, cum necesse foret, exhibere

posset; necnon eidem abbati etiam indumenta, quae ad usum altaris et in eodem monasterio forent necessaria, benedicendi facultatem concessit.

Centenariaque praescriptione gaudere iussit.

§ 6. Ac statuit et sancivit ut sicut contra Romanam Ecclesiam nonnisi centenaria, secundum constitutiones canonicas et legitimas sanctiones, currebat praescriptio, ita praefato monasterio Sancti Pauli minoris temporis praescriptio non obsisteret.

Alexander VI privilegia praedicta decrevit, in dubiis, interpretan. esse ad favorem congregationis,

§ 7. Et demum Alexander praedecessor praefatus motu proprio voluit et declaravit, quidquid dubii in huiusmodi privilegiis seu aliquo eorum pro tempore emergeret, data verborum ambiguitate, et varia peritorum interpretatione, in favorem dictae congregationis, ac locorum particularium eius interpretari.

Indultaque cuiuscumque monasterii, ceteteris esse communia.

§ 8. Necnon cuiusvis particularis monasterii ipsius congregationis privilegia, toti congregationi praedictae et illius particularibus monasteriis communia esse; et ad illa extensa ac extendi debere decrevit, prout etiam extendit.

Congregatio supplicat Pontifici pro dictorum indultorum confirmatione.

§ 9. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praesidens et definitores ac congregatio praefati cupiant singula privilegia et indulta praedicta, ut uberiorem obtineant roboris firmitatem, etiam nostri muniminis praesidio fulciri, pro parte eorumdem praesidentis et definitorum ac congregationis nobis fuit humiliter supplicatum ut privilegiis et indultis praedictis robur nostrae approbationis adiicere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic ideo Pontifex illa approbat,

§ 10. Nos igitur, attendentes uberes fructus, quos dictae congregationis monachi, qui tamquam mortui mundo, soli Christo, qui est vita, viventes, pro universali Ecclesia ad Deum preces in militanti Ecclesia in dies producunt, ac praesidentem et definitores, necnon congregationem præfatos et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, gratias, concessiones, indulgentias et indulta spiritualia et temporalia, congregationi et illius praesidentibus, visitatoribus, abbatibus, prioribus, monachis, novitiis, conversis, personis, cappellanis, familiaribus, servitoribus et locis, etiam unitis, necnon ecclesiis, cappellis, membris et bonis, pro tempore existentibus, in genere et in specie, tam per praedictos et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem praedictam, quam per imperatores, reges et principes, etiam particularibus monasteriis, etiam ampliative vel extensive aut alias, sub quacumque forma et verborum expressione, communiter vel divisim, concessa et approbata, ac cum omnibus et singulis decretis et clausulis in eis contentis desuper confectas literas et in eis contenta et inde secuta quaecumque, quorum omnium tenores, formas, datas et effectus ac decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, ex certa nostra scientia, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus ac perpetua roboris firmitate subsistere et firmiter observari, necnon congregationi huiusmodi et illius personis suffragari debere decernimus. Supplentes omnes et singulos, tam iuris quam facti defectus si qui forsan in imperatorum, regum et principum concessionibus huiusmodi intervenerint.

Iteratoque conceditur. § 11. Et nihilominus, pro potiori cautela, ea omnia et singula, prout per dictos praedecessores ac imperatores, reges et principes etiam, ut praefertur, concessa fuerunt, de novo in omnibus et per omnia, ita quod congregatio ac praesidentes, definitores, visitatores, abbates, priores, rectores, monachi et alii supradicti ac monasteria et loca praedicta, omnibus illis, tam in genere quam in specie concessis, uti, potiri et gaudere possint et debeant, et ab impositionibus, decimis, collectis, subsidiis et oneribus ac omnibus aliis et singulis supradictis, etiam ratione Apostolicae Sedis legatorum, etiam de latere, etiam dicta auctoritate apostolica pro tempore imponendis, liberi, immunes et exempti existant, nec ad illorum solutionem seu contributionem cogi aut desuper molestari vel inquietari possint seu debeant, auctoritate et tenore praedictis, de novo concedimus, et indulgemus, ac statuimus et ordinamus.

Inhibitio in omnes perturbatores. § 12. Districtius inhibentes quibusvis personis, cuiuscumque ecclesiasticæ, etiam pontificalis, vel sæcularis dignitatis, præeminentiae vel auctoritatis existentibus, ne congregationem ac illius praesidentes, definitores, visitatores, abbates, priores, rectores, monachos et alios praefatos super huiusmodi privilegiis et indultis aut illorum usu, possessione seu quasi, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, impedire, molestare vel perturbare quoquo modo praesumant; ac eis praecipiendo mandantes ut congregationem, praesidentes, definitores, visitatores, abbates, priores, rectores, monachos, et alios praedictos, illis omnibus pacifice et quiete frui, uti, potiri et gaudere permittant.

Clausulae huius concessionis praeservativae. § 13. Necnon decernentes eisdem privilegiis, indultis ac praesentibus literis, et in eis contentis clausulis quibuscumque etiam per quascumque literas apostolicas, etiam quasvis generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaces et insolitas clausulas, ac irritantia decreta, sub quacumque verborum conceptione, in se continentia, nullatenus derogari posse, nec derogatum censeri, nisi de illarum ac praesentium literarum totis tenoribus de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac specifica, specialis et expressa mentio facta fuerit; ac huiusmodi derogationes per tres distinctas literas eumdem tenorem continentes, tribus similiter distinctis vicibus, pro tempore existentibus praesidenti, definitoribus et visitatoribus praefatis legitime intimatae et insinuatae fuerint; ac ipsorum praesidentis, definitorum et visitatorum ad id expressus accedat assensus, et aliter factas derogationes nemini suffragari. Et sic in praemissis omnibus per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter indicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 14. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus illis, quae per singulos praedecessores praedictos in singulis literis praedictis concessum fuit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. *Clausulae contrariorum derogatoriae.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo septimo, nonis novembris, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 5 nov. 1537, pontif. anno IV.

XXII.

Constitutiones Ægidianae in toto Statu Ecclesiastico et locis ei immediate subiectis; Carpenses vero in provincia Marchiae observentur.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Officii nostri debitum, quo sumus universis nostrae curae, praesertim etiam in *Prooemium.*

temporalibus creditis, in iustitia debitores, exigit, et ad hoc potissimum nos inducit ut in his, per quae iustitia unicuique debite ministretur, et illam exquisitis viis conculcare satagentium malitiis obvietur, eiusdem officii partes propensius impartiamur; ac ea quae propterea provide ordinata, ac etiam apostolico praesidio fulcita et extensa comperimus, ut, semota omni ambiguitate, firmiora persistant, de novo approbemus; ac alias pro eorum observatione provideamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Ægidius cardinalis legatus ab Innocentio VI deputatus fuit 1.

§ 1. Sane, sicut nobis innotuit, dudum postquam bonae memoriae Ægidius, tituli S. Clementis presbyter cardinalis, tunc in humanis agens, et felicis recordationis Innocentii Papae VI, praedecessoris nostri, ac Sedis Apostolicae in Patrimonio B. Petri in Tuscia et ducatu Spoletano ac Marchiae Anconitanae, Romandiolae, Campaniae et Maritimae provinciis, necnon civitatibus, terris, castris et locis, S. R. E. immediate subiectis, et infra limites tunc expressos constitutis, legatus, necnon in spiritualibus et temporalibus vicarius generalis, sufficienti ad id per literas dictae Sedis facultate suffultus, pro tranquillo et prospero statu provinciarum, civitatum, terrarum, castrorum et locorum praedictorum, plures laudabiles, honestas et salubres constitutiones et ordinationes provinciales ediderat.

Sixtus IV constitutiones ab Ægidio firmatas observari iussit 2.

§ 2. Piae memoriae Sixtus Papa IV, etiam praedecessor noster, tam illas quam alias ab aliis diversis Romanis Pontificibus ac legatis editas, et per dictum Ægidium cardinalem in unum volumen, in sex libros distinctum, collectas et redactas, per eos, qui tunc erant et pro tempore essent in provinciis, civitatibus, terris, castris et locis praedictis deputati legati, etiam de latere, gubernatores et eorum locatenentes, firmiter et inviolabiliter observari debere statuit et ordinavit, prout in ipsius Sixti praedecessoris literis,

Easque ad Urbem et alia loca extendit.

§ 3. Quas etiam ad Urbem, civitates, terras et loca specialis commissionis et in illis tunc et pro tempore deputatos vicecamerarium, gubernatores, thesaurarios, potestates, iudices et officiales extendit, ac sub censuris in eis contentis, in eisdem Urbe, ac specialis commissionis civitatibus terris et locis, sicut in provinciis, firmiter observari mandavit, plenius continetur.

Hic modo Pontifex earumdem observan praecipit.

§ 4. Cum autem, sicut accepimus, a nonnullis de viribus literarum praedictarum et in eis contentorum haesitetur, sub eo praetextu quod forsan non appareat constitutiones praedictas, in Urbe et provinciis ac civitatibus, terris, castris et locis praedictis, etiam specialis commissionis aut aliquibus ex ipsis usu receptas fuisse; nos, considerantes ex hoc necessario non inferri quod constitutiones, additiones, modificationes et correctiones praedictae suum vigorem amiserint; attendentesque quod felicis memoriae Leo Papa X, etiam praedecessor noster, in Lateranensi concilio novissime celebrato, Ægidianas constitutiones praedictas, quae fundamentum totius fere voluminis existunt praedicti, approbavit et confirmavit; quodque constitutiones praedictae, ut nobis a peritis, quibus hanc curam demandavimus, relatum est, et iuridicae, et populis utiles et proficuae sunt; et propterea volentes omnino effectum suum consequi, et plenum robur obtinere, literas praedictas, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, cum extensione praedicta et omnibus et singulis decretis et clausulis in eis contentis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, et ex certa scientia approbamus et confirmamus, easque tam in Urbe, quam provinciis, civitatibus[1] et locis praedictis, etiam specialis commissionis, per omnes, cuiuscumque dignitatis, status,

1 Ut in constitutione I, *Cum onus*, tom. IV, pag. 503. 2 Ut in constit. XVIII, *Et si*, tom. V, pag. 259.

1 Cherub. addit *terris* (R. T.).

gradus ac conditionis extiterint, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere.

Clausula sublata etc.

§ 5. Sicque per quoscumque, etiam Palatii Apostolici causarum auditores et quoscumque alios, etiam auctoritate apostolica deputatos iudices, etiam in pendentibus causis pronunciari, sententiari ac definiri debere, sublata eis aliter iudicandi, sententiandi et definiendi auctoritate et facultate; irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis occasione vel causa et auctoritate, contigerit attentari, decernimus.

Iussio publicandi.

§ 6. Volumus quoque praesentes literas in valvis basilicae Principis apostolorum de Urbe, et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris affigi et copiam collationatam dimitti, ut illae ad cunctorum notitiam facilius valeant pervenire, nc aliquis de illis ignorantiam praetendere possit, nec quomodolibet allegare, cum non sit verisimile apud aliquos remanere incognitum quod tam patenter fuerit publicatum.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae Sixtus et Leo, praedecessores praedicti, voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo octavo, tertio kalendas augusti, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 30 iulii 1538, pontif. anno IV.

Sequitur bulla quoad constitutiones Carpenses.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii, meritis licet imparibus, nostris humeris impositi, ad ea etiam nos convenit nostrae vigilantiae curas adhibere, per quae universi populi, nostrae potissimum solicitudini etiam in temporalibus crediti, salubriter et prospere dirigantur, et per quæ, confusionibus extirpatis, ius aequa lance ministretur, et propterea nonnunquam his, quae ad hoc provide gesta comperimus, ut firma et illibata persistant, nostrae confirmationis munimen libenter adiicimus, prout temporum et provinciarum qualitatibus conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ægidius edidit constitutiones, ut in praelecta bulla dicitur et hic.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus nuper, cum constitutiones per bonae memoriae Ægidium, tituli Sancti Clementis olim presbyterum cardinalem, tunc in humanis agentem, et in certis civitatibus et provinciis S. R. E. subditis Apostolicae Sedis de latere legatum et vicarium generalem, salubrem directionem civitatum et provinciarum earumdem concernentes; necnon reliquae leges, sanctiones ac ordinationes per diversos alios ipsarum provinciarum pro Romana Ecclesia praedicta vicarios ac gubernatores editae, et per eumdem Ægidium cardinalem suis adiunctae, et in sex libros redactae et partitae, ob diversarum aliarum sanctionum et decretorum, per varios gubernatores apostolicos, ac etiam per literas nonnullorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, pro rerum et temporum qualitatibus praesertim ad usum provinciae nostrae Marchiae Anconitanae, postmodum editorum, et praedictis Ægidianis adiunctorum seu alligatorum, dubia, repugnantias, absurditates et confusiones, in iudiciis ac negociis inter dilectos filios dictae provinciae homines in varios sensus interpretarentur, ac minus clare intelligerentur, ex quo homines provinciae huiusmodi multiplicum litium involucris, dispendiis ac incommodis afficiebantur et involvebantur.

Cardinalis de Carpo illis addidit, pro utilitate provinciae Marchiae.

§ 2. Dilectus filius noster Rodulphus, tituli Sancti Clementis, tunc Sanctæ Priscæ, presbyter cardinalis, de Carpo nuncupatus, cupiens provinciae et hominum praedictorum sublevamini providere, et litibus ac differentiis pro posse iter praecludere, de mandato nostro, etiam tunc dictae provinciae agentibus id saepius a nobis efflagitantibus, singularum etiam additarum constitutionum ac extravagantium praedictarum repurgationis [1] cognitione nonnullis curiae generalis eiusdem provinciæ peritis demandata, illas repurgare, corrigere et elucidiores ac faciliores reddere, in librosque sex ordinatim redigere et collocare, nonnullis suis opportune interpositis decretis, optime curaverit.

Hic Pontifex has constitutiones sic suppletas approbat et in dicta provincia servari praecipit.

§ 3. Nos, laudabilem dicti Rodulphi cardinalis operam in Domino plurimum commendantes, cupientesque, prout nostro incumbit pastorali officio, providere quod constitutiones sic reformatae ac in faciliorem sensum redactae, tamquam utiles et necessariae omnino adimpleantur, et in viridem transeant observantiam, easdem Ægidianas constitutiones, per praefatum Rodulphum cardinalem sive eius agentes et ad id deputatos purgatas, emendatas, elucidatas, mutatas, alteratas, additas et in dictos sex libros redactas, suisque locis ac ordinibus collocatas, omniaque et singula alia in ipsis sex libris contenta, quae praesentibus pro sufficienter expressis et insertis haberi volumus, ac inde secuta quaecumque, tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, ac rata et grata habemus, praesentisque scripti patrocinio consolidamus. Itaque omnia et singula in quibusvis causis, etiam specialis commissionis vigore commissis, ac tribunalibus et iudiciis per quoscumque iudices ac personas, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, excellentiae et praeeminentiae existentibus, perpetuis futuris temporibus, in eadem provincia observari debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane fore decernimus, supplentes omnes ac singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae provinciae statutis et consuetudinibus, reformationibus et capitulis, etiam ut praefertur roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem quod praesentium transumptis *etc.*

Dat. Perusiae, sub annulo Piscatoris, die decima septembris, millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus nostri anno x.

XXIII.

Confirmatio constitutionis Iulii II contra officiales Reverendae Camerae Apostolicae quomodolibet in contractibus cameralibus participantes, et eius extensio ad omnes intervenientes in Camera, quando de illis agitur pro eorum attinentibus.

Paulus Papa III, motu proprio etc.

Iulius II prohibuit officiales Camerae participare in contractibus cameralibus [1].

Alias felicis recordationis Iulius Papa II, praedecessor noster, considerans aequum non esse ut quis in rebus propriis iudex esset, cum interesse, quod in rebus ipsis habet, ei quod iniquum est, iustum quandoque videri faciat, et illius iudicium rectum esse non sinat, motu proprio statuit ac ordinavit quod praesidentes et clerici Camerae Apostolicae, ac quaecumque aliae personae in dicta Camera et loco camerali intervenientes, etiam si episco-

[1] Cherub. addit, l. s. c., *ac reparationis* (R. T.).

[1] Ut in eius constitutione XI, *Percepimus*, tom. V, pag. 420.

pali, archiepiscopali ac maiori dignitate fulgerent, dohanas, thesaurarias, salarias ac alios introitus et res ad dictam Cameram spectantes, per se vel alium, in totum vel pro parte, conducere, aut cum illorum conductoribus societatem super eis inire, aut cum conductoribus ipsis quomodolibet participare possent. Dictisque praesidentibus, clericis ac personis, sub excommunicationis latae sententiae ac privationis quorumcumque officiorum per eos obtentorum poenis, ipso facto incurrendis, inhibuit ne contra praemissa quomodolibet venire praesumerent, prout in literis, desuper in forma motus proprii confectis, etiam manu dicti Iulii praedecessoris signatis, plenius continetur.

Hic modo Pontifex confirmat,

§ 1. Cum autem ea, quae innovantur, magis considerari et observari soleant, praemissa innovanda duximus. Dictarum itaque literarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ac praesentes ad docendum de literis et tenore praedictis plene sufficere et ubique fidem, in iudicio et extra, absque alia illarum ostensione vel documento, facere, et per omnia, ac si illae exhiberentur et ostenderentur, decernentes, motu simili literas Iulii praedecessoris huiusmodi, cum inhibitionibus, poenarum adiectionibus ac aliis in eis contentis clausulis, approbamus et confirmamus. Et nihilominus ea, quae idem Iulius praedecessor per dictas literas statuit et ordinavit, sub supradictis poenis de novo statuimus ac ordinamus.

Et extendit, ut hic.

§ 2. Et ut plenius in praemissis provideatur, easdem literas, ad hoc ut clerici, praesidentes et personae praedictae, quarum consanguinei vel affines dictas dohanas, thesaurarias, salarias ac introitus conduxerint seu conducere velint, in eisdem Camera et loco camerali (dum de locationibus ipsis et materiis illas concernentibus discutitur et tractatur) intervenire non possint, extendimus et ampliamus per praesentes. Volentes praesentes, supradictos praesidentes, clericos ac personas afficere, et contravenientes praefatas poenas incurrere, etiam si de supradictis literis Iulii praedecessoris nullo modo constet.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae idem praedecessor in dictis literis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Placet, et ita innovamus et inhibemus. A.

(Papae subscriptio).

XXIV.

Iurisdictio et facultates archipresbyteri et iudicis causarum capituli, canonicorum et aliarum personarum ecclesiae Beatae Mariae Maioris de Urbe, et habitatorum in illius Franco [1].

Paulus Papa III, motu proprio etc.

Iurisdictio cognoscendi summarie capituli causas etc.,

Cum, sicut accepimus, ad parcendum sumptibus ac expensis collitigantium, et ne dilecti filii canonici et capitulum ac perpetui cappellani venerabilis ecclesiae Sanctae Mariae Maioris de Urbe, pro rebus ac negociis dictae ecclesiae, coram diversis iudicibus litigare et conveniri contingat, lites quascumque praesentes ac futuras, tam contra ipsos quam per eosdem motas et movendas, per alias nostras literas, quas et illarum tenores pro expressis habere volumus, bonae memoriae D. Paulo de Caesis, dum viveret S. R. E. cardinali, praedictae basilicae archipresbytero, commiserimus; et propterea, ut creditur, dilectum filium, nostrum secundum carnem nepotem, R. D. Alexandrum, cardinalem Farnesium vulgariter nuncupatum, tamquam dictae ecclesiae modernum archipresbyterum, in causis huiusmodi etiam iudicem existere, ad omne dubium tol-

1 *Francum*, territorium, cuius incolae iure gaudent immunitatis. *Du Cange* (R. T.).

lendum, ac dictae ecclesiae et aliis consulendum, motu simili et ex certa nostra scientia ac de Sedis Apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas causas inter dictos canonicos et capitulum ac cappellanos respective seu quemlibet eorum ex una, et quascumque alias personas, coram quibuscumque iudicibus ordinariis ac extraordinariis, commissariis et executoribus, etiam S. R. E. cardinalibus et Rotae auditoribus et locatenentibus, super quibuscumque rebus, bonis ac pecuniarum summis vertentes et pendentes, partibus ex altera, ad nos penitus advocantes, illamque et illas, quatenus etiam opus sit, denuo inchoatas et inchoandas, ac quascumque alias causas civiles et criminales ac mixtas, per praedictos canonicos ac capitulum et cappellanos, seu eorum quemlibet, contra quascumque personas, quovis nomine nuncupatas, collegium et capitulum ac universitatem respective motas et movendas, et sic active et passive super quibuscumque pecuniarum summis, censibus, canonibus, responsionibus, rebus et bonis, ad quamcumque summam pecuniarum, numerum et quantitatem ac valorem ascendentibus rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis et deducendis, et illorum occasione, cum omnibus et singulis suis incidentibus, dependentibus et emergentibus, annexis et connexis, eidem R. D. Alexandro, moderno archipresbytero, tam coniunctim quam divisim, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, ac quatenus opus sit, executive et manu regia, absque terminorum substantialium et alicuius telae iudiciariae observatione, sine confectione regestri sive extractus, quacumque appellatione postposita, audiendi, cognoscendi, decidendi fineque debito terminandi, tenore praesentium de novo constituimus ac mandamus.

§ 1. Cum potestate dictas partes respective et omnes alios, quos opus fuerit et sua communiter vel divisim interesset, etiam in executione citationis, nominandi, in Romana Curia ac extra eam, etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, citandi; ac eisdem omnibus et singulis, etiam iudicibus suprascriptis, ac quibus et quoties opus fuerit, etiam sub censuris ecclesiasticis et pecuniariis poenis, suo arbitrio moderandis et applicandis, etiam per simile edictum, inhibendi; et in eventum non paritionis, poenas ac censuras praedictas damnabiliter incurrisse declarandi, aggravandi et reaggravandi, et brachii saecularis auxilium invocandi, locove sententiae seu sententiarum proferendarum, mandata[1] executiva in forma solita et consueta decernendi, illudque vel illa et quidquid per te iudicatum fuerit exequendi, expensasque taxandi ac moderandi, omniaque alia et singula faciendi, gerendi et exercendi, in praemissis necessaria seu quomodolibet opportuna. *Citandique in Curia et extra, inhibendi etc.*

§ 2. Non obstantibus praemissis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stylo Palatii, regula Cancellariae Apostolicae prohibendi mandata aliter quam sub plumbo expediri posse, facultatibus et iurisdictionibus supradictis, sub quavis verborum forma, etiam clausulis urgentissimis, per nos forsan concessis et innovatis, quas seu illorum tenores, ac si de verbo ad verbum specialis hic mentio facta foret, pro expressis haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Statum et merita causae et causarum huiusmodi, et nomina ac cognomina et qualitates partium et personarum praedictarum necnon dictorum collegii, capituli et universitatis, praemissorumque omnium et aliorum de necessitate exprimendorum tenores, pro plene ac sufficienter expressis habentes. *Clausulae derogatoriae.*

[1] *Mandatum seu mandato*, Cherub. (R. T.).

Sola signatura sufficit.

§ 3. Et quod praesentium sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat.

Fiat, motu proprio. A.

Et quod praesentis nostri motus proprii sola signatura sufficiat, et ubique, in iudicio et extra illud, fidem faciat, regula in contrarium edita non obstante, et literae expediantur sub plumbo.

Fiat. A.

Datum Romae apud S. Petrum, nono kalendas decembris, anno v.

Causae ab archipresbyt. non avocentur.

§ 4. Beatissime Pater. Quoniam super praemissis commissionibus causarum in Urbe nunquam literas sub plumbo expediri solitum fuit, sed solam signaturam semper sufficere compertum extitit; neque etiam tempore praedicti reverendi cardinalis de Caesis, super dicta commissione sibi facta, fuere alias dictae literae expeditae; necnon ad obviandum fraudibus et malitiis collitigantium, qui, in causis huiusmodi nullum ius habentes, ut illas immortales faciant, ac partes variis sumptibus et expensis defatigent, confictis quibusdam falsis causis et immaginariis suspicionibus, huiusmodi causas a reverendissimo moderno archipresbytero forte avocare curarent; idcirco, ad preces praefatorum canonicorum ac capituli et cappellanorum, placeat eidem reverendissimo moderno archipresbytero committere et mandare ut in omnibus causis supradictis, iuxta tenorem praeinsertae in omnibus firmae remanentis, perinde ac si, absque illorum verborum insertione, videlicet *Et quod literae sub plumbo expediantur*, signata foret, procedere, illasque expedire et terminare possit et valeat: necnon concedere ut praemissarum causarum avocationes a praedicto reverendissimo moderno archipresbytero seu aliquo ex eius successoribus (si illas forsan fieri contigerit) sint nullius roboris et momenti, nisi de praemissis omnibus et singulis in praeinserta contentis eorumque toto tenore, de verbo ad verbum et non per clausulas generales, nec etiam derogatorias et derogatoriarum derogatorias, specialis et individua mentio facta, ac manu S. V. per *Fiat* et *Motu proprio* specialiter signata fuerit, et ipso R. D. archipresbytero et praedictis canonicis specialiter citatis. Praemissis ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus.

Fiat. A.

Itque procedat etiam in obligationibus camerabibus.

§ 5. Pater clementissime. Cum ex tenore primo loco praeinsertae dignosci videatur, etiam causae instrumentales, seu quae ex obligationibus etiam in forma Camerae exoriri possunt, in eadem praeinserta inclusae seu comprehensae; attamen, ut omnis penitus dubietas tollatur, et ne etiam causarum huiusmodi, praesertim censualium, aut alias supradictae ecclesiae interesse tangentium, propter supervenientiam quandocumque feriarum, expeditio retardetur, supplicant humiliter oratores praedicti quatenus praedicto reverendissimo moderno archipresbytero sive eius subdelegato committere et mandare ut in causis huiusmodi, respective, iuxta formam primae insertae, ac etiam secundum facultates in similibus A. C. concessas, singulis diebus, etiam feriatis, praeterquam in honorem Dei, perinde procedere illasque terminare et decidere, prout ac si de eisdem, in eadem primo praeinserta, specialis mentio facta foret, possit et valeat.

Feriae non obstant in causis appellationis.

§ 6. Et si alieni alteri iudici per eamdem S. V. in secunda instantia, contra oratores, causa alicuius praetensae appellationis commissa foret, de et super rebus et bonis ad dictam ecclesiam spectantibus, tunc etiam ut, supradictis feriis non obstantibus, ad expeditionem causae et causarum huiusmodi procedi possit, quemadmodum ante iurisdictionem[1] dictarum feriarum procedi potuisset.

§ 7. Et ne causarum locorum dependentium a dicta basilica expeditio retar-

[1] *Indictionem* Cherub. (R. T.).

Iurisdictio se extendit etiam ad habitantes in Franco.

detur, ad ecclesias etiam Ss. Pudentianae et Eufemiae, supradicto archipresbyteratui unitas et accessorias: necnon ad omnes habitatores existentes in Franco supradictae ecclesiae, qui, ex causa huiusmodi et ob eorum paupertatem, certis exemptionibus perfruuntur, ut ab expensis et litium anfractibus subleventur, tamquam illius membra dependentia, porrigatur et extendatur, concedere et largiri dignetur.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus praemissis, alias in omnibus firmis remanentibus, praedictisque obligationibus iuratis et in forma Camerae celebratis, feriis indictis et etiam indicendis, et ceteris aliis in contrarium facientibus quibuscumque; et quod super praemissis omnibus et singulis literae sub plumbo expediri possint; statum et merita causarum et omnium ac singulorum præmissorum, nomina et cognomina iudicum et collitigantium, obligationum formas, causas, bona, resignationes, confirmationes dictorum bonorum, omniumque aliorum hic de necessitate exprimendorum tenores pro sufficienter expressis habens.

De mandato D. N. Papae idem R. D. cardinalis et alii iudices procedant, ut petitur, feriis non obstantibus.

Placet. A.

(*Papae subscriptio*).

Iurisdictio se extendit etiam contra quoscumque religiosos et privilegiatos.

§ 9. Beatissime Pater. Quamvis credatur quod R. D. Guido Ascanius, qui nunc supradictae basilicae archipresbyter existit in vim praeinsertae, quoad omnia et singula, etiam iudicia executiva, prout, poterat praedictus R. cardinalis Farnesius procedere, facere et exequi possit; tamen ut omnis haesitatio et dubietas tollatur, et ut ne magis suo quam R. cardinalis Farnesii tempore tam canonici et capitulum quam omnes alii et singuli oratores prædicti per diversa tribunalia distrahantur, Sanctitati Vestrae humiliter supplicant oratores praedicti quatenus eidem R. D. Guidoni Ascanio, moderno archipresbytero committere et mandare dignetur ut in omnibus et singulis supradictis, et omnibus et per omnia, perinde ac si eædem præinsertae sibi directe ac per dominationem suam reverendissimam impetratae fuissent, partibus iustitiam ministrando, procedat contra quoscumque, quomodolibet privilegiatos et exemptos, etiam religiosos, ac etiam tam ratione beneficiorum et censuum, quam pensionum et responsionum vini ad oratores respective quomodolibet spectantium et pertinentium, ac alia quacumque occasione vel causa, etiam si de eorum totis tenoribus hic habenda foret mentio specialis.

Poenitentiarii per archipresbyterum in dicta basilica deputantur;

§ 10. Cum potestate citandi et inhibendi necnon a censuris et poenis ecclesiasticis, quatenus oportuerit, absolvendi, poenitentiarios etiam ad audiendum confessiones sufficientes et idoneos ac timoratae conscientiae supradictae basilicae deputandi, alios, etiam si in illa de praesenti existerent, prout sibi videbitur, amovendi et expellendi, omniaque alia et singula faciendi, exercendi et exequendi in praemissis necessaria et opportuna.

Quibuscumque non obstantibus

§ 11. Non obstantibus praemissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stylo Palatii, privilegiis et exemptionibus, cum quibuscumque clausulis, etiam fortissimis et derogatoriarium derogatoriis; etiam in vim motus proprii seu alias quomodolibet concessis, ceterisque aliis quibuscumque; et quod super praemissis omnibus et singulis literae sub plumbo, ut supra, expediri possint.

De mandato D. N. Papae, audiat idem R. D. cardinalis, citet, absolvat, deputet et procedat ut petitur [1].

(*Papae subscriptio*).

Dat. die 23 novembris, pontif. anno v.

[1] Cherub. adiungit *Placet. A.* (R. T.).

XXV.

Confirmat constitutiones Leonis X et Clementis VII contra fratres Ordinis Carmelitarum extra claustra divagantes, et gradus vel ordines, absque licentia Sedis Apostolicae et suorum praelatorum, accipientes [1].

Paulus Papa III, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex clementi Apostolicae Sedis provisione necnon personarum Deo devotarum, praesertim sub regulari castimonia Domino militantium, pia devotione provenire dignoscitur ut Romanus Pontifex quandoque per praedecessores suos Romanos Pontifices, pro religionis conservatione et augmento, ac personarum earumdem quiete et commodo concessa approbet et innovet, ac approbata et innovata apostolica auctoritate communiat, aliaque de novo disponat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Sub fictis coloribus nonnulli huius Ordinis fratres extra claustra divagabantur.

§ 1. Dudum siquidem per felicis recordationis Leonem Papam X, praedecessorem nostrum, accepto quod, licet tam secundum canonicas sanctiones quam Ordinis fratrum gloriosissimae Dei Genitricis semper virginis Mariae de Monte Carmelo regularia instituta, fratres Ordinis huiusmodi, quacumque causa, etiam studii, seu alia occasione, a domibus dicti Ordinis, absque licentia suorum superiorum vel post eiusdem licentiae revocationem, extra domos easdem morari non possent; nihilominus nonnulli ex dicti Ordinis fratribus, aegritudines corporum aut animorum simulantes, alii subveniendi eorum parentum inopiae colore quaesito, alii vero ad studiorum Universitates, absque licentia superiorum huiusmodi, seu dicta licentia revocata, accedere, et inibi morari, et, quod deterius erat, privilegiis Universitatibus huiusmodi illarumque scholaribus concessis, ut liberius in sua damnata praesumptione permanerent, se tueri; alii vero, propriae salutis obliti, apostolicas, in quibus se professionem aut nunquam aut intra pubertatis annos, seu per vim et metum fecisse asserentes, literas impetrasse, ac, habitu abiecto, per habitacula saecularium personarum et loca inhonesta discurrendo, cum laicis conversari non verebantur; alii vero, sub praetextu habilitatis seu dispensationis ad obtinendum beneficium seu beneficia ecclesiasticum seu ecclesiastica, per clericos saeculares obtineri solitum vel solita, per literas apostolicas sibi concessas; nonnulli autem alicuius ex S. R. E. cardinalibus pro tempore existentibus vel alicuius nobilis a Sede Apostolica privilegiati cappellaniae vel familiaritatis literas exhibentes, laxatis habenis, extra Ordinem et obedientiam suorum praelatorum, in parentum vel consanguineorum domibus aut alias extra dicti Ordinis domos morari et permanere, et beneficiis ecclesiasticis pro cappellanis deservire, et per saeculum vagari praesumerent, non sine animarum suarum pernicie, et Religionis vituperio et contemptu, ac populorum scandalo.

Leo X huiusmodi divagationes prohibuit.

§ 2. Dictus praedecessor, motu proprio et ex certa scientia, quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus fratres praedicti, aegritudinis aut subveniendi parentum inopiae seu quavis alia occasione vel causa, etiam studii aut dispensationis ad obtinendum beneficia ecclesiastica, ipsius praedecessoris seu quavis alia auctoritate sibi concessa, nisi beneficium ipsum forent canonice actu assecuti, aut familiaritatis seu cappellaniae alicuius ex DD. cardinalibus vel cuiuscumque privilegiati a Sede Apostolica nobilis, praeterquam si actu continui commensales forent eorumdem cardinalium, extra praedictum Ordinem, praeter vel absque licentia

1 Ex Monsignani Bullario Carmelit., par. II, pag. 77.

magistri generalis, et illa durante et de licentia Sedis Apostolicae praedictae, etiam praetextu quarumcumque facultatum, indultorum et aliarum literarum apostolicarum quibusvis Universitatibus concessarum, commorari non possint.

Vagantes autem per provinciales Ordinis puniri statuit, quibuscumque non obstantibus.

§ 3. Quodque unusquisque priorum provincialium Ordinis in sua provincia, dum et quoties opus foret, fratres extra Ordinem praedictum quavis occasione vel causa commorantes, ad Ordinem redire cogere et compellere possent, per quasdam statuit et ordinavit; de illis vero, qui, se professionem numquam aut intra pubertatis annos, vel per vim aut metum emisisse asserentes, apostolicas vel a Poenitentiaria nostra, tunc sua, literas obtinuerant aut obtenturi essent, praefatis prioribus provincialibus commisit ut, nisi ad aliam Religionem, in qua actu regularis vita observaretur, transirent, non obstantibus literis apostolicis vel Poenitentiariæ praedictae et processibus desuper habitis vel habendis, quas dictus praedecessor eis, etiam si vera narrassent, nonnisi in foro conscientiae et nullo modo contra Religionis suae iura et consuetudines suffragari voluit, ad Ordinem et Ordinis loca revocarent, bullas et processus auferrent, habitum relictum resumere et poenitentiam subire cogerent, invocato etiam ad hoc, si opus foret, auxilio brachii saecularis; qui, nisi eisdem prioribus provincialibus parerent, et infra octo dies mandatis eorum proximos habitum perpetuo gestandum reassumerent, excommunicationis latæ sententiæ poenam incurrerent, a qua per solum Romanum Pontificem aut magistrum generalem dicti Ordinis, nisi in mortis articulo, absolvi possent. Et similiter statuit et ordinavit quod, in quibuscumque literis, ad ipsorum fratrum instantiam, sive sub annulo Piscatoris aut sub plumbo vel per Poenitentiariam super praemissorum aliquo, inobedientiae regularis derogationem, etiam super quibusvis supplicationibus ab ipso praedecessore aut Romano Pontifice quomodocumque ex tunc in perpetuum impetrandis, semper et indifferenter subintelligi deberet, etiamsi apposita non foret clausula huiusmodi *Et de licentia superioris et ea durante*; decernens literas praedictas, huiusmodi clausula carentes, nullas nulliusque roboris vel momenti fore, neque literis praedictis derogari posse, nisi motu et scientia supradictis; districtius inhibens locorum ordinariis, sub interdicti ingressus ecclesiae et suspensionis a regimine et administratione suarum ecclesiarum; necnon Universitatibus, rectoribus et illarum conservatoribus, parochialiumque ecclesiarum rectoribus et aliis quibuscumque, sub excommunicationis latae sententiae ac privationis earumdem parochialium ecclesiarum, ac omnium aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quae obtinebant, necnon inhabilitatis ad illa et alia obtinenda, pœnis, eo ipso, si contra facerent, incurrendis, ne ipsos priores, quominus fratres dicti Ordinis, sub indultorum, exemptionum, gratiarum et literarum apostolicarum prædictarum specie, extra domos et obedientiam eorum vagantes, capere et apprehendere, etiam violenter, illos ad domos et loca, unde recesserant, reducere et carceribus mancipare valerent, quovis modo, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, impedire praesumerent.

Leonis constitutionem confirmavit Clemens VII.

§ 4. Et deinde, pro parte dilecti filii Nicolai Audet, prioris generalis dicti Ordinis, piae memoriae Clementi Papae VII, etiam praedecessori nostro, exposito quod nonnulli ex dictis fratribus habitum regularem Sancti Benedicti, alii vero Sancti Ambrosii et Humiliatorum, aliqui autem aliorum Ordinum suscipiebant, et, sub praetextu delationis talis habitus intra loca religiosa, per saeculum vagando, et cum saecularibus conversando, non sine

Religionis opprobrio, moram trahebant; ac etiam contingebat saepius ut fratres Ordinis Carmelitarum huiusmodi, Ordinem ipsum ac illius conventus et domos, ut praefertur, seu alias exeuntes, res et bona per eos seu eorum medio in eorum Ordine Carmelitarum ac illius conventibus et domibus, in quibus Ordinem ipsum professi fuerant seu deguerant, acquisita vel possessa secum deferrent et asportarent, in Ordinis Carmelitarum et conventuum et domorum huiusmodi iacturam et detrimentum: praefatus Clemens prædecessor, per alias suas, literas Leonis praedecessoris huiusmodi, et in eis contenta quaecumque approbavit et innovavit, ac plena roboris firmitate subsistere decrevit, ac praemissa omnia, prout per dictum Leonem praedecessorem statuta, ordinata et decreta fuerunt de novo.

Statuit etiam Carmelit. transeuntibus ad alios Ord. non licere acquisita sibi tam bona asportare.

§ 5. Quodque de cetero nulli dicti Ordinis professores, cuiuscumque gradus vel conditionis existentes, qui Ordinem et illius conventus et domos huiusmodi, ut ad alios Ordines se transferrent, vel alia quavis de causa, etiam de speciali dictae Sedis licentia, exirent, etiamsi ad cathedralium ecclesiarum regimina assumpti forent, aliqua res vel bona, quae in Ordine ac conventibus et domibus huiusmodi quomodolibet acquisiverant seu possederant, cuiuscumque qualitatis forent, secum deferre aut inde asportare quoquomodo possent; sed illa Ordini, conventibus et domibus huiusmodi, a quibus decesserant, relinquere astricti forent; et tam illi ad illa reliquendum, quam etiam omnes et singuli, qui eatenus Ordinem et conventus ac domos quoquomodo, etiam quacumque facultate dictae Sedis Apostolicae eis desuper suffragante, exiverant, ad res et bona per eos inde asportata restituendum et reddendum; necnon quoscumque eiusdem Ordinis Carmelitarum professores, extra Ordinem ipsum et eius loca, et etiam praetextu quod ad alios Ordines se transtulerint et habitum aliorum Ordinum huiusmodi deferrent, in saeculo pro tempore degentes, ad redeundum ad dictum Ordinem Carmelitarum et illius habitum reassumendum, etiam quibusvis licentiis, concessionibus et gratiis eisdem fratribus sic in saeculo permanentibus per abbates seu quoscumque alios superiores aliorum Ordinum huiusmodi et quacumque auctoritate seu dignitate fungentes eis desuper concessis, quas illis, nisi actu loca vel monasteria ingrederentur, et in eis regulariter viverent, nullatenus suffragari decrevit, nequaquam obstantibus, per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, sublato quovis appellationis obstaculo, etiam per ipsum Nicolaum et pro tempore existentem dicti Ordinis priorem generalem cogi et compelli possent, etiam statuit, ordinavit; ac illis, etiam per quoscumque, per quasvis literas, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas clausulas in se continentes, derogari non posse, nec derogatum censeri, nisi illarum tenor de verbo ad verbum et nihil penitus omisso insertus, ac huiusmodi derogatio praedicto Nicolao et pro tempore existenti generali priori per diversas literas intimata foret; et si aliter derogaretur, derogatio huiusmodi nemini suffragari; et sic per quoscumque iudices, sublata quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus attentari contigerit, irritum et inane fore decrevit.

Formam autem suae publicandi literas et reducendi vagantes ad sua claustra praescripsit.

§ 6. Necnon per eumdem Clementem praedecessorem accepto quod postmodum aliqui ipsius Ordinis fratres diversas alias literas variis viis, cum primodictarum literarum derogatione, subreptitie et obreptitie obtinuerant, sub quarum clypeo, habitu ipsius Ordinis deposito, vagabantur in saeculo; aliqui vero, post reformatio-

nem dicti Ordinis ab ipso Nicolao priore factam, se in vita reformata remanere non posse, licet, falso asserentes, ab eadem Sede in dicto Ordine manendi et, prout ante reformationem consueverant, vivendi licentiam extortam, lucris et peculiis propriis insisterent. Aliqui etiam ex particularibus congregationibus dicti Ordinis, quasi privilegiati, cum licentiis vicariorum ipsarum congregationum, extra conventus Ordinis praedicti in saeculo residentes, Ordinem praedictum non parum diffamabant; nonnulli vero ex dictis fratribus, qui se poenitentiarios apostolicos a dicta Sede deputari obtinuerant, non solum ecclesiis, in quibus ad officium poenitentiariae exercendum erant deputati, sed etiam in ecclesiis dicti Ordinis officium huiusmodi, tamquam tales et quasi a superiore exempti, exercebant, in grave animarum dictorum fratrum praeiudicium, dicti Ordinis denigrationem, reformationis et regularis vitae perturbationem, christifidelium scandalum ac malum et perniciosum exemplum: praefatus Clemens praedecessor, per reliquas suas in forma brevis literas, eius primodictas literas confirmans et innovans, ac quatenus opus esset, etiam de novo concedens, eidem Nicolao priori, in virtute sanctæ obedientiæ, commisit et mandavit ut omnes et singulos fratres praedictos in domibus dicti Ordinis commorantes, per affixionem literarum praedictarum in valvis monasteriorum seu domorum, in quibus habitabant, in genere; alios vero extra Ordinem vagantes, per specialem et personalem earumdem praesentium intimationem, moneret ut intra mensem ex tunc computandum, qui ex ipsis fratribus extra loca dicti Ordinis vagarentur, ad ipsius Nicolai prioris et aliorum superiorum suorum obedientiam, iuxta tenorem literarum prædictarum, redirent; dispensati vero ad vivendum sicut ante reformationem huiusmodi consueverant, ad observationem regularem redirent, et cum fratribus reformatis se conformarent; degentes vero extra conventus Ordinis et in saeculo, cum licentiis vicariorum congregationis eiusdem, ad conventus dicti Ordinis reverterentur; deputati vero in poenitentiarios, in ecclesiis dicti Ordinis officium poenitentiarii, absque sui superioris licentia, non exercerent; et illi, quos, si ad Ordinem redierint, scandalum in Religione parituros ipse Nicolaus prior cognosceret, et propterea extra Ordinem relinquendos esse duceret, pallio nigro, ut a ceteris fratribus distinguerentur, et non albo uti deberent, auctoritate apostolica inhiberet, et tam eos quam supradictos fratres et alios, qui monitionibus Nicolai prioris huiusmodi non parerent, etiam per censuras ecclesiasticas et alia opportuna remedia, appellatione postposita, compescere, ac brachii saecularis auxilium ad id invocare posset et valeret, facultatem concessit, prout in singulis literis praedictis plenius continetur.

§ 7. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Nicolai prioris petitio continebat, causae, propter quas singulae praedictae literae a dictis praedecessoribus emanaverant, adhuc subsint; et licet, secundum regularia instituta dicti Ordinis, fratres praefati extra Ordinem praedictum ad aliquem gradum, absque licentia suorum superiorum, se promoveri facere non possint; tamen nonnulli ex dictis fratribus baccalaureatus et magisterii aliosque gradus in diversis facultatibus, absque dicta licentia vel extra eumdem Ordinem suscipere; alii vero, propriæ salutis obliti, ad sacros etiam presbyteratus ordines, aetate legitima vel sufficentia eis minime suffragante, se promoveri facere; reliqui vero fratres huiusmodi, propter eorum demerita et regularis vitae perturbationem, extra eorum seu dicti Ordinis Iisdem vero motivis subsistentibus.

domos expulsi, non sine Religionis vituperio et contemptu ac populorum scandalo, diversis viis et mediis ad Ordinem et domos praedictas, contra totius Ordinis voluntatem, redire procurent: pro parte eiusdem Nicolai prioris nobis fuit humiliter supplicatum ut literis praedictis nostrae approbationis robur adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Leonis et Clementis constitutiones dictas confirmat;

§ 8. Nos igitur, dicti Ordinis, quem prae ceteris in visceribus gerimus charitatis, prosperum et tranquillum statum, animarum salutem paterno zelantes affectu, et singularum literarum praedictarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, statuta, ordinationes, decreta, inhibitiones, mandata, approbationem et innovationem ac cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis desuper confectas literas Leonis et Clementis, praedecessorum huiusmodi, auctoritate apostolica, tenore praesentium, ex certa scientia approbamus et innovamus, ac perpetuae firmitatis robur obtinere et firmiter observari debere decernimus.

Prohibet huiusmodi fratres ad quemcumque gradum et ordines promoveri;

§ 9. Et nihilominus, potiori pro cautela, praemissa omnia de novo, quodque de cetero perpetuis futuris temporibus fratres praedicti, etiam praetextu quarumcumque facultatum, indultorum et literarum apostolicarum, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis concessorum, baccalaureatus, magisterii, iubilatus seu licentiatus et alios quarumcumque facultatum gradus extra dictum Ordinem et absque licentia huiusmodi suscipere, seu ad illos et ad presbyteratus et alios sacros ordines se promoveri facere minime possint; ac propter eorum demerita seu alias a domibus et Ordine praedictis expulsi, ad illos quovis modo reverti nequeant; et si qui forsan ex fratribus praefatis ad gradus aut ad ordines huiusmodi promoti fuerint, eorum privilegiis uti nullatenus valeant et pro non promotis habeantur, statuimus et ordinamus: ac quascumque susceptiones et ad gradus ac ordines huiusmodi promotiones, ut praefertur, etiam praetextu facultatum et indultorum ac literarum praedictarum seu alias factas et faciendas, nullas et invalidas ac nullius roboris vel momenti fore, nec eis, in quorum favorem factae et concessae fuerint, suffragari debere decernimus et declaramus.

Ecclesiarum praelatis praecipit et superioribus huius Ordinis auxilio sint pro executione huiusmodi decretorum;

§ 10. Mandantes nihilominus universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et in dignitate ecclesiastica constitutis personis, necnon quarumcumque metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum canonicis, ipsorumque patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum vicariis et officialibus ubilibet constitutis quatenus omnes et eorum quilibet, quoties pro parte Nicolai ac pro tempore existentis prioris generalis huiusmodi fuerint requisiti, similiter in præmissis consilium, auxilium et favorem pro viribus impendant, non permittentes cum et alios dicti Ordinis superiores contra tenorem praesentium et singularum aliarum literarum praefatarum aliquo modo turbari aut impediri, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogat contrariis;

§ 11. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, ac concilii generalis de duabus diætis, dummodo ultra tres diætas aliquis auctoritate praesentium non trahatur, ac aliis apostolicis et in

provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis ac literis apostolicis per recolendae memoriae Eugenium Papam IV et Paulum II, Sixtum etiam IV, Innocentium VIII ac per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam dicto Ordini vel congregationi, etiam Mantuanae et Albiensi, concessis, etiam motu et scientia similibus, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis quomodolibet, etiam pluries, concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda aut alia exquisita forma servanda foret, et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus derogari possit, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos et formas ad id servandos pro individuo servatis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus, necnon omnibus illis, quae dicti praedecessores in singulis literis praedictis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque, seu si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§12. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quæ originalibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Transumptis credi iubet.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die septimo aprilis MDXXXIX, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 7 aprilis 1539, pontif. anno V.

XXVI.

Approbatio confraternitatis sub invocatione Sanctissimi Corporis Christi, pro decentiori eius veneratione in Urbe institutæ; indulgentiarumque elargitio, tam pro ea quam pro aliis confraternitatibus ubique locorum institutis et instituendis [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Christus in ultima coena sacramentum Eucharistiae instituit, ut ipsius fideles suae eximiae caritatis memoriam recolerent.

Dominus noster Iesus Christus transiturus de hoc mundo ad Patrem, in ultima coena, qua Pascha cum discipulis suis manducavit, admirabile Sacramentum pretiosissimi Corporis et Sanguinis sui instituit, per quod universi christicolae memoriam suae caritatis eximiae, quam in sua passione, hora eius appropinquante, ostendit, recolerent. Unde nos, Illius vices, licet immeriti, gerentes in terris, debitum censemus ut quae in huius sacrosancti Sacramenti honorem et venerationem ex pia christifidelium devotione digne ordinata comperimus perpetuis futuris temporibus permaneant, prompta devotione, prout decet, apostolico præsidio solidemus, et ut ad id fidelium eorumdem vota facilius concurrant, fideles ipsos spiritualibus muneribus prosequamur, et eorum pia

1 Festivitatem Sanctissimi Corporis Christi instituit Urbanus IV in constitutione XIX, *Transiturus*, tom. III, pag. 705, ubi notavi.

suffragia donis coelestibus confoveamus, ut exinde divinae gratiae aptiores reddantur, et Sacramentum ipsum in die peregrinationis extremæ sibi fore viaticum salutare mereantur.

Quidam cives Romani et curiales, in ecclesia B. M. supra Minervam, Corporis Christi societatem erexerunt, pro decentiori eius cultu et veneratione curanda.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum universorum confratrum confraternitatis sub invocatione Sacratissimi Corporis Christi in ecclesia domus B. Mariae super Minervam de Urbe, Ordinis fratrum Praedicatorum institutæ, nobis nuper exhibita petitio continebat quod nuper nonnulli cives Romani et curiales christifideles, pie considerantes sacratissimum Eucharistiae Sacramentum praedictum in parochialibus ecclesiis dictæ urbis minus honorifice et in locis abiectis sine ulla veneratione conservari; et cum per ipsam urbem pro communione infirmorum deferendum erat, ab uno tantum cappellano, sine ullis decore et reverentia, solitum deferri; et singulari devotione ducti, cupientes præmissis et ut eidem Sacramento honor, cultus et veneratio debita exhiberentur, quantum in eis erat, providere, unam societatem seu confraternitatem utriusque sexus, sub invocatione eiusdem Sacratissimi Corporis Christi, in dicta ecclesia de Minerva ordinarunt et instituerunt.

Caius confratres curare debeant ut ubique sanctissimum hoc Sacramentum honorifice custodiatur.

§ 2. Ac pro eius salubri directione et incremento, inter alia, quod confratres confraternitatis huiusmodi pro tempore existentes, seu ab eis per singulas regiones urbis praedictae deputati aut deputandi, diligenter ac omni cura et studio facerent et procurarent ut Sacramentum huiusmodi, tam in dicta Minerva quam singulis aliis parochialibus ecclesiis Urbis huiusmodi, ea qua decet veneratione, in loco onorifico et honesto, lampadibus accensis, die noctuque conservaretur et custodiretur.

Et impensas ad hoc necessarias provideant.

§ 3. Et si earumdem ecclesiarum redditus ad id non sufficerent, ipsi confratres illis de necessariis ad huiusmodi opus, necnon ad emendum unum pallium pro singulis ecclesiis praedictis, cum quo Sacramentum ipsum, quotiescumque illud pro communione infirmorum extra ecclesiam deferendum esset, deferri deberet, providerent.

Et a parochia illud ad infirmos decenter deferri et facibus accensis associari studeant.

§ 4. Ac quod rector cuiuslibet ex ecclesiis praedictis seu illius locumtenens, quotiescumque esset necessarium Sacramentum huiusmodi alicui infirmo ministrari et ad illius domum deferri, campanam suae ecclesiae certis ictibus pulsari facere teneretur, ad hoc ut confratres vicini parochiæ illius ecclesiæ se moneri et convocari ad associandum Sacramentum ipsum cognoscerent, et per se ipsos associarent, si legitimo impedimento detenti non forent, alioquin per unum de suis dignioribus familiaribus Sacramentum praedictum ad domum dicti infirmi, facibus accensis, associari et comitari facere tenerentur.

In dictaque ecclesia de Minerva, qualibet tertia dominica cuiuslibet mensis solemnem missam celebrari faciant.

§ 5. Ac quod utriusque sexus personae confraternitatis huiusmodi confratres pro tempore existentes tertia quaque die dominica cuiuslibet mensis totius anni, in dicta ecclesia de Minerva congregari, et inibi unam missam in cantu vel alias celebrari facere, ac in elevatione praefati Sacramenti faces accensas habere deberent.

Die post festum Corporis Christi, processionaliter et honorifice circa dictam ecclesiam procedant.

§ 6. Necnon prima die Veneris statim post festum Corporis Christi immediate sequenti, solemnem processionem extra et circum praefatam ecclesiam de Minerva, Sacramentum prædictum honorifice, facibus accensis, deferendo, annuatim facere.

Confessores infirmos visitent, et ad ipsum Sacramentum suscipiendum hortentur.

§ 7. Et si aliquem ex confratribus confraternitatis huiusmodi aegrotare contingeret, rector aut electus nominatus ecclesiae, cuius dictus infirmus parochianus existeret, una cum alio confratre eiusdem confraternitatis, per rectorem seu electum

nominatum huiusmodi pro tempore eligendo, dictum infirmum visitare, et ad confitendum peccata sua ipsumque Sacramentum suscipiendum pie adhortari et commonere.

Singulisque hebdom. quinquies Orationem Dominicam et Angelic. in commemorationem Sacr. recitent.

§ 8. Necnon singulis hebdomadis totius anni, ipsi utriusque sexus confratres quinquies Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam, in commemorationem dicti Sacramenti, devote recitare et commemorare tenerentur.

Mulieres non valentes, illud associare, quinquies flexisque genibus, ut supra, orantes, indulgentias confratrum consequi posse a Pontifice petierunt;

§ 9. Ac mulieribus confratribus dictae confraternitatis, quibus indecens esset per dictam urbem vagari ad associandum dictum Sacramentum, ut, quoties signum campanae audirent, flexis genibus, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam huiusmodi quinquies, ut praefertur, recitando, omnes et singulas gratias et indulgentias confratribus confraternitatis huiusmodi pro tempore concessas consequerentur, per nos concedi procurare statuerunt et ordinarunt, prout in instrumentis seu aliis documentis desuper confectis plenius contineri dicitur.

Alexandrum card. Caesarinum protectorem elegerunt;

§ 10. Ac dilectum filium nostrum Alexandrum S. Mariae in Via Lata diaconum cardinalem, de Caesarinis nuncupatum, in protectorem dictae confraternitatis elegerunt.

Confirmationemque dictarum ordinationum postularunt

§ 11. Quare, pro parte eorumdem confratrum, nobis fuit humiliter supplicatum ut institutioni confraternitatis ac statutis et ordinationibus huiusmodi, pro illorum subsistentia firmiori, robur apostolicae confirmationis adiicere ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic ergo Pontifex Deo gratias agens de praemissis, omnia praedicta approbat;

§ 12. Nos igitur tantum Sacramentum, omni laude et veneratione dignum, a cunctis fidelibus, ut per hoc desideratam salutem consequi valeant, honorari, laudari et magnificari sinceris desideriis exoptantes, ac omnipotenti Deo, quod tam saluberrima tamque necessaria et utilia opera nostro tempore exerceri inceperint, gratias agentes, et ut illa perpetuo frequententur, ac christifideles praefati eis frequentius[1] insistant, quo nos erga eos amplioribus et specialioribus gratiis liberaliores, seque per hoc maiori coelestis gratiae devotione refici posse cognoverint, quantum cum Deo possumus, providere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, institutionem confraternitatis huiusmodi, necnon praedicta ac omnia et singula alia per eosdem confratres circa praemissa statuta et ordinata ac prout illa concernunt, omnia et singula in instrumentis seu documentis desuper confectis praedictis contenta, et inde sequuta quaecumque, ex certa nostra scientia, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus; ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, illisque perpetuae firmitatis robur adiicimus, et ea per ipsarum parochialium ecclesiarum rectores seu eorum locatenentes, pro tempore existentes, et alios ad quos spectat, firmiter observari debere decernimus. Et nihilominus, pro potiori cautela, praemissa omnia et singula alia per eosdem confratres, ut praefertur, statuta et ordinata, de novo, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo statuimus et ordinamus.

Indulgentias et gratias aliorum piorum locorum istis confratribus elargitur [2];

§ 13. Ac confratribus confraternitatis huiusmodi, nunc et pro tempore existentibus ac eorum singulis, quod omnibus et singulis privilegiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, etiam plenariis, et peccatorum remissionibus et aliis gratiis spiritualibus et temporalibus confratribus Imaginis Salvatoris ad Sancta Sanctorum, necnon Caritatis, et archiepiscopalis S. Iacobi in

1 *Ferventius*, Ripoll (R. T.).

2 Vide quoad indulgentias quod supra notatum est.

Augusta, ac Sancti Ioannis Baptistae, necnon Sanctorum Cosmae et Damiani, nationis Florentinae, ac hospitalis nostri S. Spiritus in Saxia, Ordinis Sancti Augustini, et Campi Sancti, confraternitatum eiusdem urbis, pro tempore existentibus, illarumque ac Beatae Mariae de Populo, etiam de Urbe, ecclesiis ac christifidelibus illas visitantibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et successores concessis et concedendis, et quibus illi utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum: quorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis haberi volumus, ex nunc et in perpetuum utantur, potiantur et gaudeant, ac uti, potiri et gaudere libere et licite valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si illa eis specialiter et expresse concessa fuissent, et in futurum concederentur, concedimus et indulgemus. Ipsaque privilegia, indulta, exemptiones, libertates, immunitates, indulgentias, etiam plenarias, ac peccatorum remissiones et alias gratias ad confratres confraternitatis Sanctissimi Corporis Christi huiusmodi ac illius cappellanos, ministros et personas pro tempore existentes, eisdem auctoritate et tenore, extendimus et eis communicamus.

Indulgentiam confratrum die ingressus et ter in vita concedit,

§ 14. Necnon christifidelibus praefatis, qui dictam confraternitatem Sacratissimi Corporis Christi ingredientur, die illorum ingressus huiusmodi, plenariam ad instar Iubilaei, ac eorum peccatis prius confessis, et sacramento huiusmodi per eos devote recepto, ter in vita similiter plenariam omnium peccatorum suorum.

Et in associatione Sacramenti et interventu divinorum officiorum et visitatione

§ 15. Ipsisque confratribus qui praefatum Sacramentum eisdem infirmis ministrandum associaverint, seu impediti, associari, ut praefertur, fecerint, ac eisdem processionibus et divinis officiis, quae per eosdem confratres, ut praefertur, celebrari facere contigerit, interfuerint, quoties id fecerint, centum; qui vero dictam ecclesiam de Minerva diebus Veneris cuiuslibet hebdomadae totius anni devote visitaverint, decem annorum et totidem quadragenarum iniunctarum eis poenitentiarum indulgentias et remissiones, quoties id fecerint, misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

ecclesiae S. Mariae supra Minervam,

Ac mulieribus non valentibus Sacramen. associare, sed orantibus et h'c.

§ 16. Necnon mulieribus eiusdem confraternitatis, quibus, propter honestatem, non licet per urbem ipsam passim vagari, quoties signum campanae huiusmodi audierint, semel Orationem Dominicam et totidem Salutationem Angelicam, flexis genibus, devote recitaverint, ut omnes et singulas indulgentias, concessiones et gratias, aliis confratribus interessentibus concessas, consequantur et consequi valeant.

Facultas confratrum eligendi confessorem qui eos absolvat etc.,

§ 17. Ac eisdem utrinsque sexus confratribus et eorum singulis, ut quemcumque presbyterum saecularem vel cuiusvis Ordinis regularem, etiam in mortis articulo, etiamsi mors tunc non subsequatur, in suum possint eligere confessorem; qui, eorum confessionibus diligenter auditis, eos et eorum singulos ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, per eos et eorum singulos pro tempore perpetratis, etiam Sedi Apostolicae et eorum [1] ordinariis reservatis, praeterquam a contentis in literis in die Coenae Domini legi solitis, ter in vita absolvere, et eis poenitentiam salutarem iniungere.

Statutaque pro regimine dictae confraternitatis ordinandi.

§ 18. Necnon eiusdem confraternitatis administratoribus et confratribus pro tempore existentibus, pro illius statu salubriori dirigendo, ut quaecumque licita et honesta statuta et ordinationes felix regimen et prosperum statum ac gubernationem illorum et aliarum quarumcumque

1 *Et locorum*, Ripoll. (R. T.).

rerum, spiritualium et temporalium, eos quomodolibet concernentia, concedere [1] et facere, eaque, quoties videbitur, mutare et alterare, limitare, corrigere, declarare, modificare et in melius reformare; quae, postquam edita, mutata, alterata, limitata, correcta, declarata, modificata et in melius reformata fuerint, eo ipso per Sedem eamdem confirmata sint et esse censeantur, auctoritate et tenore supradictis indulgemus, et plenam ac liberam desuper facultatem concedimus.

Aliasque confraternitat., sub eadem invocatione Corporis Christi, ubique instituend. eisdem indultis gaudere decernit [2];

§ 19. Et nihilominus, ut christifidelium devotio ad tam salubre Sacramentum ferventius invalescat, ac christifideles ad illius venerationem et similia caritatis opera exercenda per amplius excitentur, quod omnes et singulae aliae confraternitates sub eadem invocatione Sanctissimi Corporis Christi ubilibet institutae et instituendae eisdem privilegiis, concessionibus, indulgentiis, facultatibus, gratiis et indultis confraternitati in ecclesia de Minerva institutae huiusmodi per nos concessis et concedendis utantur, potiantur et gaudeant, ac uti, potiri et gaudere possint et debeant, praefata auctoritate, etiam praesentium tenore, statuimus et ordinamus.

Clausulas huius constitut. praeservativas apponit;

§ 20. Decernentes praesentes literas et in eis contentas indulgentias et peccatorum remissiones, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus et modificationibus similium vel dissimilium indulgentiarum et literarum, etiam per nos et successores nostros ac Cancellariae Apostolicae regulis pro tempore editis, etiam in favorem fabricae basilicae Principis Apostolorum de eadem Urbe et Cruciatae Sanctae, nullatenus comprehensas, sed ab illis omnino exceptas esse et censeri. Et sic per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac quidquid secus attentari contigerit, irritum et inane. Nec non praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius curiae ecclesiasticae seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem prorsus fidem, in iudicio et extra, adhibendam fore, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Executoresque dictae constitutionis deputat;

§ 21. Quocirca venerabilibus fratribus nostris universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, necnon metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum canonicis, ac eorumdem patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum vicariis in spiritualibus et officialibus generalibus ubilibet constitutis, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quæcumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte confratrum confraternitatis Sacratissimi Corporis Christi in ecclesia de Minerva institutae huiusmodi pro tempore existentium desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant praesentes literas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ipsosque confratres illis pacifice gaudere. Non permittentes eos desuper per quoscumque contra praesentium tenorem quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo. Ac quoscumque sua interesse putantes, etiam per edictum publicum locis publicis affigendum, constito summarie de novo [1] tuto ad eos accessu, citando, ac illis necnon aliis, quibus

[1] *Condere*, Cherub. et Ripoll (n. t.).

[2] Hoc intellige et absque nova aggregatione et concessione; quia ita declaravit Sac. Congregatio Cardinalium super indulgentiis die xv febr. MDCVIII.

[1] *De non tuto:* Cherub. et Ripoll (n. v.).

et quoties opus fuerit, inhibendo, censurasque et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulas contrariorum derogatorias addit.

§ 22. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim ad iudicium evocetur [1]; seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere aut aliis vices suas committere praesumant; ac de duabus diætis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diætas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; et quibusvis aliis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; necnon privilegiis et [2] apostolicis supradictis et quibusvis aliis ecclesiarum confraternitatibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso et forma in illis tradita observata, insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

1 Hunc locum ita supplet Ripoll: *dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur etc.* (R. T.). 2 *Indultis* addit Ripoll (R. T.).

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae MDXXXIX, pridie kalendas decembris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 30 novembris 1539, pont. an. VI.

XXVII.

Innovatio literarum contra quaestores omnium hospitalium et piorum locorum; et renovatio facultatum eis concessarum, cum prohibitione similes deputandi, nisi de consensu praefectorum fabricæ basilicae Sancti Petri de Urbe, cui quaestuatae eleemosynae et nondum dictis hospitalibus incorporatae applicantur [1].

Paulus Papa III universis et singulis praesentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Clemens VII indulta quaecumque quaestorum faciendorum a commissariis hospitalium Urbis suspendit primo, deinde revocavit.

§ 1. Nuper, postquam felicis recordationis Clemens Papa VII, praedecessor noster, diversis querelis sibi perlatis providere volens, quasdam suas literas omnia privilegia Sancti Spiritus in Saxia, et Sancti Ioannis Lateranensis, ac Sancti Iacobi pauperum incurabilium de Urbe nostra hospitalibus, et S. Antonii Viennensis, et Sancti Sebastiani extra muros dictae urbis, Sancti Augustini et Cisterciensis Ordinibus de Mercede Redemptionis captivorum per Romanos Pontifices super quæstis faciendis ac confratribus describendis et indulgentiis publicandis concessa, et per eumdem Clementem praedecessorem nostrum confirmata, ex certis causis tunc expressis ad beneplacitum suum primo suspenderat et cappellas sub invocatione Sancti Sebastiani penitus suppresserat, et deinde idem praedecessor, per alias suas literas in forma brevis, praedictas literas suas confirmaverat, necnon commissarios, nuncios et

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

quaestores, vigore privilegiorum praedictorum constitutos, revocaverat; ac omnem facultatem desuper concessam, ab hospitalibus et aliis praedictis amoverat et abdicaverat; ac tam quaestas praedictas facere, indulgentias et alias gratias eis concessas publicare, confratres describere ac confessionalia concedere, quam etiam in casibus matrimonialibus prohibitis dispensare prohibuerat.

Huiusmodi prohibitionem extenderat nos Paulus III ad quaecumque hospitalia, Ordines, loca pia etc., fabrica S. Petri de Urbe excepta, ecclesiarum praelatis data facultate puniendi poenis canonicis inobedientes.

§ 2. Nosque successive, cum, non sine animi nostri displicentia, accepissemus quod nonnulli hospitalium, monasteriorum et aliorum praedictorum ac etiam Sancti Helmi, Sancti Bovis, Sancti Bernardi, Sancti Leonardi, et Sanctae Marthae, Sanctae Catharinae Montis Synai, Sancti Viti, Sanctae Mariae de la Heremita seu aliorum locorum quaestores et commissarios quaestas praedictas facere, et alia praedicta exercere non erubescebant, per alias nostras in forma brevis literas omnibus et singulis locorum ordinariis, ut sub excommunicationis et aliis, de quibus eis videretur, poenis, quibuscumque tam hospitalium et monasteriorum ac Redemptionis captivorum et aliorum sanctorum et nominum praedictorum commissariis, nunciis et quaestoribus praemissa fieri inhiberent, et contra talia prohibita exercere praesumentes ad declarationem incursus dictarum poenarum procederent, quaestoribus fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe a personis Deum timentibus deputatis dumtaxat exceptis, mandaveramus, prout in singulis literis praedecessoris et nostris praedictis latius continetur.

Cum inobedientes adhuc aliqui supersint,

§ 3. Ad nostram pervenit notitiam quod nonnulli quaestores et commissarii, tam praedictis quam aliis forsan nominibus, vigore privilegiorum praedictorum et forsan aliorum, etiam a nobis, licet contra mentem nostram, emanatorum, tam quaestas facere quam indulgentias publicare, et alia, quae eis concessa fuisse praetendunt, exercere, ac diversas pecuniarum summas, res et bona exigere et aliqui forsan sibi ipsis appropriare non destiterunt.

Quaestuatas pecunias suisque respectivis hospitalibus, Ordinib. etc. nondum incorporatas, basilicae Principis Apostolorum applicat;

§ 4. Nos, scandalis, quae ex praemissis provenire possent, occurrere, et de pecuniis, rebus et bonis hactenus exactis, quae hospitalibus, monasteriis et aliis locis facultatem quaestuandi et alia praemissa exercendi seu exercere faciendi habere praetendentibus, adhuc incorporata non sunt, gravissimis expensis, etiam quotidianis, dictae fabricae, quam nuper per venerabiles fratres Franciscum, Aleriensem, et Philippum, Burgi Sancti Sepulcri episcopos, et dilectum filium Raphaelem de Casalibus, dictae fabricae praefectos et deputatos aggredi fecimus et, dante Domino, prosequi, et ad finem perducere intendimus, providere volentes, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, singulas literas praedecessoris et nostras praedictas, illarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, harum serie confirmantes, approbantes et innovantes, firmis tamen semper et illaesis remanentibus omnibus et singulis privilegiis dictae fabricae et illius collegio et deputatis hactenus concessis, omnes et singulas pecuniarum summas, res et bona ex quaestis, eleemosynis, indulgentiis et aliis praedictis hactenus proventis, et penes tam hospitalium, monasteriorum, Redemptionis captivorum, Sancti Helmi seu Adhelelmi, Sancti Bovis, Sancti Bernardi, Sancti Leonardi, et Sanctae Marthae, Sanctae Catharinae Montis Synai, Sancti Viti, Sanctae Mariae de la Heremita praedictorum quam aliorum quorumcumque hospitalium, monasteriorum, ecclesiarum et locorum piorum, quocumque nomine nuncupatorum, quaestores, commissarios, nuncios, ministros, thesaurarios, depositarios sive alias personas, loca, collegia et universitates, cuiuscumque gradus, conditionis et digni-

tatis fuerint existentia, quae adhuc hospitalibus, monasteriis et aliis piis locis praedictis cum effectu incorporata non sunt, harum serie dictae fabricae basilicæ Principis apostolorum de Urbe et illius collegio et deputatis ad opus et utilitatem dictae fabricae concedimus et applicamus, ac pro concessis et applicatis dictae fabricae haberi volumus.

Amoveteque deputatos quoscumque et privilegia quaecumque eis concessa, prohibens quaestas fieri, nisi de consensu praesidum dictae fabricae;

§ 5. Necnon omnes et singulos quaestores, commissarios, ministros, thesaurarios, depositarios et alios officiales per guardianos, officiales et superiores dictorum hospitalium, monasteriorum, Redemptionis captivorum et aliorum locorum prædictorum, ac etiam per praedecessores nostros et per nos hactenus deputatos revocamus; omnesque facultatem, potestatem et auctoritatem quaestuandi, indulgentias et alias gratias publicandi, confratres describendi, confessionalia concedendi, in casibus matrimonialibus prohibitis disponendi, ab homicidiis casualibus seu voluntariis ac simoniae labe absolvendi et vota commutandi et forsan alia exercendi, a quaestoribus, commissariis, ministris, thesaurariis, depositariis et aliis prædictis, necnon a guardianis, officialibus et aliis superioribus hospitalium, monasteriorum, Redemptionis captivorum et aliorum locorum praedictorum privilegia et facultates eos substituendi et deputandi, motu, scientia et potestate similibus abdicamus et amovemus: ita quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, quaestores, commissarii, ministri, thesaurarii, depositarii aut alii officiales ad quaestas huiusmodi exercendum, indulgentias et alias gratias publicandum, confratres describendum, confessionalia concedendi et aliis casibus praedictis dispensandi et absolvendi, ab aliquibus, etiam a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus, constitui et deputari non possint, nisi constitutioni et deputationi huiusmodi praefati collegii aut deputatorum dictae fabricae pro tempore existentium expressus accedat assensus.

Praedictis deputatis mandat pecunias praefatis collegio fabricae persolvere;

§ 6. Mandantes universis et singulis praefatorum hospitalium, monasteriorum, Ordinum Redemptionis captivorum, Sancti Helmi seu Sancti Adhelelmi, Sancti Bovis, Sancti Bernardi, Sancti Leonardi, Sanctae Marthae et aliorum quorumcumque ecclesiarum et piorum locorum quaestoribus, commissariis, ministris, thesaurariis, depositariis et aliis officialibus sive aliis personis, loco, collegio et universitatibus ut pecunias, res et bona ex quaestis, indulgentiis et aliis praedictis acquisita, et, ut praefertur, dictae fabricae applicata et concessa, penes ipsos et eorum quemlibet existentia, et adhuc, ut praefertur, minime incorporata, praefatae fabricae et pro ea illius collegio ac deputatis et officialibus, ad opus et utilitatem dictae fabricae exponenda et convertenda, persolvant et consignent.

Collegio vero huiusmodi potestatem facit inobedien. compellendi censuris;

§ 7. Eisdem vero nunc et pro tempore dictae fabricae deputatis et praefectis, ut quaestores, commissarios, thesaurarios, depositarios et officiales aut alias personas, penes quos pecuniae, res et bona huiusmodi existunt, sub poenis et censuris, quibus eis videbitur, tam praesentium quam aliorum privilegiorum dictæ fabricæ et illius collegio et deputatis concessorum vigore, ad solutionem et consignationem huiusmodi faciendam cogant et compellant, ac praesentes et in eis contenta quaecumque inviolabiliter observari mandent et faciant, inobedientes et rebelles ac contradictores quoscumque per poenas et censuras praedictas, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit;

§ 8. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon in provincialibus et synoda-

libus conciliis generalibus et specialibus editis, statutisque et consuetudinibus, necnon stabilimentis, usibus et naturis hospitalium et monasteriorum et aliorum locorum praedictorum et quorumvis aliorum membrorum, domorum et locorum aliorum, ecclesiarum, etiam cathedralium metropolitanarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque et indultis et literis apostolicis, tam sub plumbo quam in forma brevis et motu proprio, etiam a nobis emanatis et confirmatis et innovatis et forsan de novo concessis, quibus, etiam si in eis quod nullatenus aut non nisi sub certis modo et formis derogari possit cautum et expressum sit, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac modos et formas pro debite observatis habentes, ad effectum praemissorum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac sufficienter derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis et consuetis.

Transumptis fidem dari iubet. § 9. Et quia difficile foret *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimo quinto ianuarii, anno millesimo quingentesimo quadragesimo, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 25 ianuarii 1540, pontif. anno VI.

XXVIII.

Institutio Studii generalis in civitate Maceratensi, provinciae Piceni, Status Ecclesiastici, cum aliorum Studiorum generalium gratiis et privilegiis[1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. In eminenti dignitatis apostolicae specula, superni dispositione consilii, licet immeriti, constituti, ad cunctas fidelium regiones, nostrae vigilantiae potissime etiam in temporalibus creditas, earumque profectus et commoda, tamquam pastores universalis gregis dominici, nostrae considerationis aciem, quantum nobis conceditur, extendentes, fideles ipsos ad quaerendum literarum studia, per quae militantis Ecclesiae respublica geritur, ac divini nominis et fidei catholicae cultus protenditur, omnisque prosperitatis humanae conditio augetur, nostrae sollicitudinis ope, apostolicisque favoribus propensius excitamus.

Causae huius constitutionis. § 1. Sane, pro parte dilectorum filiorum communitatis civitatis nostrae Maceratensis nobis nuper exhibita petitio continebat quod, cum dicta civitas, in qua Curia generalis Marchiae nostrae Anconitanae residet, et victualium omnium copia habetur, propter varias ipsius civitatis conditiones et commoditates, generali Studio non modicum apta censeatur, ac reipublicae expedire credatur, ut in ipsa civitate emanet fons scientiarum irriguus, de cuius plenitudine, universis literalibus documentis imbui cupientes, haurire possint, si in eadem civitate una Universitas Studii generalis, cuiuscumque facultatis et scientiae, erigeretur et institueretur, profecto Maceratensis praedictae et aliarum civitatum ac locorum circumvicinorum incolis et habitatoribus, in scientia proficere volentibus, magna commoditas studendi pararetur. Ac ex eorumdem studentium postmodum doctrina et scientia, in civitatum, terrarum et locorum regimine ac ipsius fidei catholicae propagatione, quamplurimi fructus provenirent. Quare, pro parte praefatorum communitatis, nobis fuit humiliter supplicatum ut super iis, ad hoc ut in ipsa civitate literarum studium incrementum suscipiat, opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 2. Nos igitur, attendentes quod ex

[1] Quoad lectores et scholares eiusmodi Studiorum, vide etiam Conc. Trid., sess. V, *De Reform.*, cap. 1.

Institutio Studii generalis in civitate Maceratensi.

literarum studio, tam publica quam privata, spiritualia et temporalia commoda mundo proveniunt, communitatem praefatam ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in eadem civitate Maceratensi perpetuis futuris temporibus generale Studium cuiuscumque facultatis et scientiæ licitae, cum cathedris facultatum earumdem, ac potestate et facultate doctorandi seu magistrandi, necnon rectoriae et aliis pro illius prospero et felici regimine necessariis facultatibus et officiis, ita ut inibi generale Studium in qualibet licita facultate perpetuo habeatur et vigeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, erigimus et instituimus. Ac eidem Studio et illius Universitati, necnon rectori, doctoribus, scholaribus et personis pro tempore existentibus, ac illis, quos inibi ad quoscumque gradus promoveri contigerit, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, facultatibus, præeminentiis, antelationibus, praerogativis, honoribus, favoribus, gratiis, concessionibus et indultis, tam a iure communi quam ex concessionibus apostolicis et imperialibus vel alias quomodolibet, in genere et in specie, Bononiensi, Paduanensi ac quibuscumque aliorum quorumcumque Studiorum generalium Universitatibus, illarumque rectoribus, scholaribus et personis ac in eis pro tempore promotis, quomodolibet concessis et concedendis, et quibus illi utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterint quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere plene, libere et licite possint et debeant, etiam in omnibus et per omnia, perinde ac si illa eidem Universitati ipsius erecti Studii ac illius rectori, doctoribus, scholaribus et personis, ac in illa pro tempore promotis, specialiter et nominatim, concessa forent, auctoritate et tenore praedictis, de speciali gratia indulgemus.

Rectoris et officialium facultas statuta pro eius regimine condendi.

§ 3. Necnon eidem Universitati, ac illius rectori et doctoribus pro tempore existentibus, quaecumque statuta et ordinationes, licita et honesta ac sacris canonibus non contraria condendi, et, prout qualitas temporum exegerit, reformandi et immutandi, ac alia de novo edendi, quae, postquam condita, reformata, immutata et de novo edita fuerint, eo ipso auctoritate apostolica approbata et confirmata sint et esse censeantur, plenam et liberam facultatem concedimus.

Privilegium scholarium civium conclusiones sustinentium.

§ 4. Decernentes cives dictae civitatis, qui inibi studuerint et eorum conclusiones inter advocatos et procuratores ipsius curiae sustinuerint et alias idonei et sufficientes reperti fuerint, ipso in collegio ipsorum advocatorum et procuratorum receptos et admissos esse et censeri, ac pro talibus haberi, eisdemque privilegiis et indultis advocatorum et procuratorum gaudere et potiri et recipi et admitti debere.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus consuetudinibus et ordinationibus apostolicis ac collegii advocatorum et procuratorum huiusmodi, iuramento *etc.* Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimo, kalendis iunii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 iunii 1540, pontif. anno VI.

XXIX.

Approbatio societatis, tam ecclesiasticarum quam saecularium personarum nuper institutae ad erigendum hospitalia pro subventione pauperum orphanorum et mulierum convertitarum.

Paulus Papa III, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis desuper, meritis licet imparibus, apostolicae servitutis officio, votis, per quae hospitalium et aliorum piorum locorum utilitas et salubris directio procuratur, libenter annuimus, ad illos quoque dexteram nostrae liberalitatis extendimus, quos ad id propria virtutum merita multipliciter recommendant.

Hieronymus Miānus, alias Emilianus, Venetus, eiusque socii diversa hospitalia pro pauperibus orphanis et mulieribus convertitis erexerunt, et, pro eorum salubriori profectu, petunt a Papa licentiam constituendi unum superiorem postulantque aliqua privilegia.

§ 1. Sane, pro parte dilectorum filiorum universorum pauperum orphanorum Sanctae Mariae Magdalenae in suburbio Sancti Leonardi Bergomensis, et Mediolanensis, Comensis, Ianuensis, Papiensis, Brixiensis et Veronensis civitatum ac dioecesum hospitalium recollectorum nuncupatorum, ac tam ecclesiasticarum quam saecularium personarum in eis deservientium, nobis nuper exhibita petitio continebat quod, cum alias quondam Hieronymus Miani, civis Venetiarum, plures pauperes orphanos, propter bellorum in Italia urgentium tristes eventus et famem urgentem, passim derelictos vagari videret, idem Hieronymus, devotionis fervore et pietate motus, praedictum hospitale Sanctae Mariae Magdalenae inchoavit; et deinde hospitale praedictum, tam propter civium in civitate Bergomensi degentium ferventem caritatem quam providam directionem et salubre regimen praedicti Hieronymi, in tantum, auctore Domino, crevit, ut idem Hieronymus ad alia hospitalia in aliis Italiae partibus instituenda animum applicarit. Ita quod tam in Mediolanensi quam Comensi et aliis civitatibus ac dioecesibus praedictis similia, et in quibusdam ex eis mulierum convertitarum hospitalia, dicto Hieronymo et nonnullis aliis mediantibus, erecta fuerunt, unde hospitalia ipsa de bono in melius perducuntur, in dies eorum numerus augetur et augeri speratur; et sicut eadem expositio subiungebat, si in eisdem hospitalibus, quae per dictos clericos et laicos insimul gubernari consueverunt, unus superior vel caput, qui inibi pro tempore servientes congregari facere, et de loco ad locum mutare valeret, existeret, hospitaliaque ipsa aliquibus praerogativis decorarentur, profecto salubri ipsius hospitalis et illi deservientium praedictorum directioni et quieti plurimum consuleretur, ac in illis degentes pauperes huiusmodi et melius gubernarentur[1], dictaeque personae in eo confoverentur, et ad solita servitia invitarentur. Quare, pro ipsorum pauperum et deservientium personarum parte, nobis fuit humiliter supplicatum ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic ergo Pontifex dictam licentiam concedit;

§ 2. Nos igitur, qui caritatis opera ubique exerceri sinceris desideramus affectibus, quemlibet ex pauperibus personis praedictis a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, tenore praesentium, eisdem hospitalibus, quod pauperes et personae in eis pro tempore degentes et deservientes, unam ex personis inibi deservientibus huiusmodi, ecclesiasticam vel saecularem, inter eos superiorem vel caput, quae ipsos congregari facere, ac de loco ad locum mutare, et quaecumque statuta et ordinationes licita et honesta ac sacris canonibus non contraria condere,

1 *Et pertractarentur* addit Cherub. (R. T.).

ipsaque statuta, quoties ei videbitur, mutare, ac de novo statuere possit, eligere.

Sacerdotesque eorum divina officia recitare posse decernit,

§ 3. Necnon sacerdotes, eisdem pauperibus pro tempore deservientes, horas canonicas, diurnas pariter et nocturnas, missas et alia divina officia secundum ritum et morem et usum S. R. E., etiam novissime editum, dicere et recitare.

Et omnium in eorum locis degentium confessiones audire et eos absolvere uti locorum ordinarios posse indulget;

§ 4. Ipsosque pauperes ac omnes et singulos in dictis hospitalibus deservientes dumtaxat, eorum confessionibus diligenter auditis, ab eorum omnibus et singulis peccatis, casibus, criminibus, excessibus et delictis, a quibus locorum ordinarii absolvere consueverunt, absolvere, ac pro commissis poenitentiam salutarem iniungere libere et licite valeant, perpetuo concedimus et indulgemus.

Defensores et huius constitutionis executores deputat;

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Casertanensi, Feltensi et Visonensi episcopis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum [1], per alium seu alios, auctoritate nostra faciant praesentes literas et in eis contenta quaecumque plenum effectum sortiri ac inviolabiliter observari, illisque pauperes sacerdotes praedictos ac omnes et singulos alios, quos quomodolibet concernunt, pacifice frui ac gaudere, iuxta praesentium continentiam et tenorem. Non permittentes quemquam contra illorum tenorem modo aliquo molestari, impediri aut inquietari. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Contrariis tollit.

§ 6. Non obstantibus apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus ac statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis ac literis apostolicis, etiam in forma brevis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos ac Sedem praedictam, etiam per viam generalis legis et statuti perpetui et initi ac stipulati contractus, ac motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, praeservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, etiam quibusvis locorum ordinariis, sub quibusvis verborum formis et extensionibus, concessis, confirmatis et innovatis, quibus (illorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes), illis alias in suo robore remansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et qualibet alia dictae Sedis indulgentia, generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam, praesentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimo, nonis iunii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 5 iunii 1540, pontif. anno VI.

[1] Cherub. addit: *per se vel* etc. (R. T.).

XXX.

Privilegia et gratiae praelatorum referendariorum utriusque signaturae Romani Pontificis.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Causa latius constitutionis.

Debita consideratione pensantes quantum venerabiles fratres episcopi ac dile-

cti filii in minoribus constitnti, utriusque signsturae, supplicationum videlicet et commissionum, per nos seu in praesentia nostra signandarum, infrascripti referendarii nostri, qui prae ceteris officialibus et ministris nostris propinquius nobis assistunt, circa ipsas supplicationes et commissiones, pro nostro et Apostolicae Sedis bonore ac universalis Ecclesiae utilitate et alias, gratis, prompta voluntate, indefesse laborant, dignnm, quin potius debitum reputamus ut illos specialis benevolentiae favoribus amplectamur, ac praeclaris dignitatum titulis decoremus et alias nos eis (prout convenit) gratiosos exhibeamus.

Referendarios creat Sedis Apostolicae notarios et comites Palatinos ac verae nobilitatis titulo decorat etc.;

§ 1. Hinc est quod nos, felicis recordationis Leonis X et Clementis VII, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, vestigiis inhaerentes, eosdem infrascriptos referendarios nostros, qui prælati ac etiam familiares et continui commensales nostri existunt, condigni favoris gratia et excellentise dignitate sublimare, ac opportunis favoribus munire volentes, ipsosque referendarios ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisqne ecclesiasticis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus vel quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolntos fore censentes, motu proprio, non ad ipsorum referendariorum vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et ex certa scientia, auctoritate apostolica, tenore praesentium, præfatos referendarios et eorum singulos, qui praesules non sunt, ac alios infrascriptos et eorum singulos in nostros et dictae Sedis notarios gratiose recipimus, eosque et alios, qui praesules existunt, ac eorum singnlos in Sacri Palatii et Aulae Lateranensis comites; necnon qui nobiles non sunt, nobiles facimus, constituimus, ordinamus et deputamus ac nobilitamus, necnon nobilitatis titulo et favore decoramus, ac aliorum nostrorum et Sedis praedictae notariorum, necnon Palatii et Aulae huiusmodi comitum, ac ex magno baronnm et nobilium genere procreatorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, eosque deinceps nobiles esse et pro nobilibus reputari, nominari, teneri, censeri et iudicari, ac de cetero in quibusvis concessionibus et literis, tam gratiam quam iustitiam concernentibus, a nobis seu Sede praedicta impetratis seu impetrandis, vel eis a nobis aut aliis quibuscumque concessis et concedendis, ac instrumentis seu aliis scriptis, etiam anthenticis et privatis, nobiles nominari, et pro talibus baberi posse et debere volumus. Eisque quod omnibus et singulis privilegiis, præeminentiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, facultatibus, honoribus, antelationibus, praerogativis, etiam in assecutione qnorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etism vigore gratiarum expectativarum et illarum mutationum, extensionum et revalidationum, collationum et quarumcumque aliarum gratiarum et indultorum, quibus ceteri nostri et dictae Sedis notarii de numero participantium existentes, et absque illorum praeiudicio, ac Palatii et Aulae praedictorum comites, necnon veri et indubitati nobiles et ex nobilium genere ex utroque parente procreati, tam de iure quam consuetudine seu alias quomodocumque utnntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, in iudicio et extra, ac ubicumque locorum, nti, potiri et gaudere debeant in omnibus et per omnia, perinde ac si referendarii et alii infrascripti de dioto magno baronnm et nobilium genere ex utroqne parente,

vere et non ficte, procreati et geniti forent, concedimus. Ac eorum singulis, sublatis quibusvis obstaculis et impedimentis, veros nobiles esse, et de nobili ex dicto genere, ex utroque parente procreatos censeri debere decernimus et declaramus.

Insignia sua eis donat;

§ 2. Et in signum honoris et nobilitatis huiusmodi, eis et eorum cuilibet, pro insigniis et armis, quibus ipsi et ab eis descendentes et ascendentes uti possint in decorem, partem insigniorum nostrorum, si eis uti voluerint, etiam cum vel absque armis suis, si illa habuerint vel illis usi fuerint, aut sine ipsis, prout duxerint ordinandum seu eligendum, assignamus et perpetuo decoramus.

Notarios creandi facultatem dat,

§ 3. Et eis illos, quos moribus, scientia, aetate aliisque requisitis qualitatibus ad officium tabellionatus exercendum idoneos esse repererint, ad instar aliorum dicti Palatii comitum, ubique locorum, extra tamen muros Urbis, seu locum in quo Romanam Curiam residere contigerit, notarios, tabelliones publicos ac iudices ordinarios (recepto prius ab eis, iuxta formam praesentibus adnotatam, solito iuramento) creandi, deputandi et constituendi, ac de notariatus et tabellionatus ac iudicatus officiis huiusmodi per pennam et calamare (ut moris est) investiendi.

Bastardosque legitimandi,

§ 4. Necnon quoscumque spurios, naturales, bastardos, manseres, nothos et incestuosos, copulative vel disiunctive, ex quocumque illicito, etiam sacrilego, vel damnato coitu pro tempore procreatos seu genitos, viventibus seu mortuis eorum parentibus, legitimandi et habilitandi, et ad haereditates et bona, prout collegium archivii dictae Romanae Curiae vel eius officiales, iuxta facultatem eis per piae memoriae Iulium Papam II, etiam praedecessorem nostrum, concessam, vel alias ipsi comites Palatini de iure vel consuetudine legitimare et habilitare respective possunt, legitimandi et habilitandi et ad officia saecularia, publica et privata, ac honores et bona quaecumque restituendi et reintegrandi.

Doctorandi etiam in utroque iure etc.,

§ 5. Necnon quoscumque idoneos, adiunctis in hoc sibi assistentibus duobus aut tribus magistris seu doctoribus aut licentiatis in facultate, in qua promovendi erunt, quos ad hoc duxerint eligendos, eorum votis iuratis, in utroque vel alterum[1] iurium et theologia ac artibus, ad baccalaureatus et licentiaturae ac doctoratus et magisterii gradus respective ubique locorum promovendi, eisque sic promotis legendi, disputandi, interpretandi ac alios actus, ad personas in huiusmodi gradibus constitutas quomodolibet pertinentes, faciendi, et ipsorum graduum solita insignia et auctoritatem conferendi. Ac sic promoti quod omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, nobilitatibus, concessionibus, honoribus, libertatibus, praeminentiis et praerogativis, quibus alii in Bononiensi, Parisiensi, Lovaniensi, Tholosana ac quibusvis aliis Universitatibus, in quibus Studium generale viget, promoti, etiam in assecutione beneficiorum ecclesiasticorum utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere quomodolibet poterunt in futurum, non solum ad ipsorum instar, sed pariformiter et absque ulla differentia, perinde ac si vere et non ficte in aliqua ex eisdem Universitatibus, rigore examinis praecedente, ac aliis solemnitatibus servari solitis observatis, et alias iuxta formam statutorum ac consuetudinum ipsarum Universitatum ac privilegiorum illis concessorum promoti fuissent, uti, potiri et gaudere valeant concedendi, plenam et liberam facultatem concedimus.

Mitra, annulo et baculo pastorali utendi et solemnem benedictionem dandi facultatem eisdem referendariis concedit.

§ 6. Praeterea eisdem referendariis et aliis infrascriptis ac eorum singulis, monasteria, quorum abbates pro tempore existentes mitra et aliis pontificalibus insigniis, ex privilegio apostolico vel alias

[1] *Altero* Cherub. (R. T.).

uti consueverunt, in commendam pro tempore obtinentibus, in ipsis monasteriis, perinde ac si illis ut abbates præessent, mitra, annulo et baculo pastorali ac aliis pontificalibus insigniis huiusmodi uti; necnon solemnem benedictionem, post missarum, vesperarum, matutinorum et aliorum divinorum officiorum solemnia, super populum tunc interessentem (dummodo inibi aliquis antistes seu dictae Sedis legatus praesens non sit, vel si praesens fuerit, ad id eius accedat assensus), elargiri libere et licite valeant.

Referendarii et eorum duo familiares apostol. et alias expeditiones gratis obtinent;

§ 7. Illique ac alii omnes et singuli referendarii ac alii praedicti, ut duos familiares, in rotulo familiarium nostrorum numeratos, habeant; et tam ipsi referendarii quam duo adnotandi familiares, quoad expeditionem quarumcumque literarum apostolicarum, tam gratiam quam iustitiam concernentium, necnon instrumentorum et aliorum quorumcumque, gratis ubique in omnibus officiis, tam Cancellariae etiam solicitatorum literarum apostolicarum Camerae Apostolicae, quam in auditorio Rotae, et in quibusvis aliis ordinariorum et extraordinariorum iudicum tribunalibus, absque alio speciali mandato desuper expediendo, omni contradictione et dilatione cessantibus, expediant, prout alii familiares, continui commensales nostri, in dicto rotulo descripti, et prout causarum Palatii Apostolici auditores expediunt.

Vini gabellam Riparum Urbis non solvunt;

§ 8. Ipsique referendarii et eorum singuli, pro eorum usu, ex Ripa et Ripetibus nostrae Urbis, sex vegetes vini communis singulis annis gratis, ad instar clericorum Camerae Apostolicae, libere extrahere possint indulgemus.

Exemptique sunt ipsi et eorum familiares ac beneficia a iurisdictione ordinariorum etc.;

§ 9. Et nihilominus referendarios et alios praedictos ac eorum singulos ac illorum omnia et singula beneficia et officia ecclesiastica, quae obtinent ac in futurum canonice obtinebunt, et in illis pro tempore deservientes ac cappellanos, familiares et servitores suos, tam praesentes quam futuros, et sua ac illorum bona, quoad vixerint, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate archiepiscoporum, episcoporum, praelatorum et ordinariorum locorum quorumcumque illorumque vicariorum et officialium, locatenentium et iudicum, etiam a dicta Sede delegatorum aut subdelegatorum quomodolibet, nunc et pro tempore existentium. Eosque in rebus et bonis illorum propriis dumtaxat cum eis contrahentes, a solutione et exactione quarumcumque pedagii, gabellae, collectarum, decimarum et cuiusvis alterius oneris, tam ordinarii quam extraordinarii, ubicumque locorum et ex quacumque causa, etiam per synodales constitutiones, impositi vel imponendi, eximimus et totaliter liberamus, ac sub Beati Petri et Sedis praedictae atque nostra protectione suscipimus, nobisque et dictae Sedi mediate subiicimus, ac liberos, immunes, exemptos, susceptos et subiectos omnes constituimus et declaramus et decernimus, ita quod archiepiscopi, episcopi, praelati, ordinarii locorum, eorumque vicarii, officiales, locatenentes et iudices, etiam a Sede praedicta deputati praefati et alii quicumque, etiam ratione delicti, contractus vel rei de qua ageretur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus aut res ipsa consistat, nullam in eos aut aliquem eorum ac beneficia huiusmodi et in illis deservientes, cappellanosque, familiares et servitores suos præsentes et futuros ac bona praedicta iurisdictionem, correctionem, visitationem, dominium, superioritatem et potestatem exercere, aut alias iniurias et damna irrogare, ac excommunicationis aliasque sententias, censuras et poenas proferre. Nec exactores gabellarum, pedagiorum, decimarum et onerum huius-

modi ad aliquam solutionem eos coarctare, aut alii quicumque, cuiuscumque ecclesiasticae vel mundanae dignitatis, status, gradus, conditionis et praeeminentiae existant, illos, super praemissis et illorum usu ac possessione seu quasi, etiam ex quocumque crimine vel delicto, praeterquam in nostram et Romanae Ecclesiae offensam perpetrato, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestare aut alias quomodolibet impedire quoquomodo praesumant aut debeant seu etiam valeant, sed solum referendarii, deservientes, cappellani, familiares et servitores praefati coram nobis et Sede praedicta dumtaxat de iustitia respondere teneantur. Decernentes quoscumque processus, sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, quos et quas per archiepiscopos, episcopos, praelatos, locorum ordinarios illorumque vicarios et officiales, locatenentes et iudices, etiam a Sede praedicta delegatos aut subdelegatos, ac alios praedictos aut eorum aliquos contra referendarios et alios infrascriptos, ac deservientes, cappellanos, familiares et servitores praefatos haberi seu promulgari contigerit, et quaecumque inde secuta, nulla, irrita et inania nulliusque roboris vel momenti fore et esse.

Gratias expectativas et plura beneficia, ut hic, consequi possunt;

§ 10. Ceterum, referendariis et aliis praedictis ac eorum singulis, ut literas gratiarum expectativarum, cum eis generaliter concedi contigerit, absque aliqua signatura desuper obtinenda, ad tres collationes per singulos eorum eligendas et totidem beneficia, etiam cum creatione in canonicum quarumcumque trium cathedralium, etiam metropolitanarum, vel collegiatarum ecclesiarum, sub expectatione totidem inibi praebendarum, etiam maiorum et pinguiorum, ad dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, etiam curatorum et electivorum ac ferculorum, obligearum, additamentorum, praestimoniorum seu praestimonialium portionum aut simplicium beneficiorum unius, duorum vel plurium cedentium vel decedentium ipsarum ecclesiarum canonicorum, seu alias in earum civitatibus seu dioecesibus beneficiatorum, aut ad tria beneficia ecclesiastica, etiam si duo illorum cum cura aut decanatus vel archipresbyteratus rurales seu vicariae vel cappellaniae perpetuae, qui vel quae dignitates, etiam curatae, extra tamen cathedrales ecclesias repraesententur, aut dignitates vel personatus seu singula eorum canonicatus et praebenda, administratio vel officium, etiam curatum et electivum, in cathedralibus, etiam metropolitanis vel collegiatis ecclesiis, aut unum ex eis, cum cura vel sine cura, cuiusvis Ordinis regulare, etiam si prioratus, praepositura, praepositatus vel alia dignitas, non tamen conventualis, personatus, administratio vel officium, etiam curatum et electivum, non tamen claustrale, ac illud vel unum ex saecularibus beneficiis huiusmodi, ex quavis causa, dispositioni apostolicæ specialiter vel per Cancellariae Apostolicae regulas, aut alias ex quavis causa, etiam de necessitate exprimenda, praeterquam ratione vacationis illius apud Sedem praedictam aut familiaritatis, continuae commensalitatis nostrae aut alicuius ex S. R. E. cardinalibus viventibus et in Romana Curia præsentibus, quorum consensus requireretur, generaliter reservata existant, quorum fructus, redditus et proventus ducentorum ducatorum auri de Camera, secundum taxationem decimae, valorem annuum non excedant, saecularia videlicet, per ipsos in minoribus constitutos, in titulum, regularia vero in commendam. Ac tam regularia quam saecularia beneficia huiusmodi, per praesules referendarios in commendam retinenda, etiam extra nationem in qua idioma non intelligunt, pro eis et

eorum quolibet, cum reservationis, inhibitionis et decreti ac aliis clausulis opportunis, expedire, ac in et sub illis comprehensorum quorumcumque, cum cura et sine cura, saecularium et regularium, cuiuscumque qualitatis existentium, beneficiorum ecclesiasticorum assecutione, quibuscumque aliis, nullis prorsus (praeterquam S. R. E. cardinalibus) exceptis, omnino praeferri pariter et anteferri possint et debeant. Et quaevis antelationes, praerogativae, decreta, declarationes, suspensiones et clausulae, etiam derogatoriæ, quibuscumque aliis concessae, etiam si in eis caveretur expresse quod illis per alia privilegia, literas et indulta derogari vel illorum effectus suspendi non possent, et in assecutione per eos facienda, singulis aliis personis, etiam similes aut illis maiores praerogativas pro tempore prosequentibus, omnino possent et deberent anteferri, quominus ipsi referendarii in huiusmodi per eos facienda assecutione potiores existant, cuiquam suffragentur, absque tamen praeiudicio familiarium continuorum commensalium nostrorum descriptorum, illorum videlicet qui pro tempore assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem nostri familiares continui commensales extiterunt, necnon quinquagiuta aliorum post ultimum ex supradictis antiquis familiaribus descriptis adnotatorum. Ipsique referendarii ad satisfaciendum constitutioni de publicandis acceptationibus et provisionibus ac illis intimandis possessoribus seu eis ad iudicium evocandis, pro tempore edendis, minime teneantur, sed tantum novam provisionem a die notitiae vacationis illorum habere debeant, quae alias diligentias fieri necessarias ac defectus suppleat indulgemus. Et insuper, cum singulis referendariis ac aliis praedictis, ut quaecumque quatuor curata seu alias invicem incompatibilia et saecularia, aut cum uno vel duobus aut tribus ex eis, seu absque illis, unum cum cura vel sine cura, S. Benedicti vel Sancti Augustini aut cuiusvis alterius, etiam Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis vel Grandimontensis Ordinis regularis, necnon quaecumque alia tria similia vel dissimilia, sub singulis tribus tectis quarumcumque trium ecclesiarum consistentia, beneficia ecclesiastica, etiamsi sub eisdem tectis consistentia, canonicatus et praebendas, ac tam illa quam incompatibilia saecularia, dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis post pontificales maiores, seu collegiatis ecclesiis huiusmodi principales, aut tria ex ipsis incompatibilibus saecularibus beneficiis parochiales ecclesiae vel earum perpetuae vicariae; regularia vero beneficia huiusmodi, prioratus, praepositura, præpositatus, dignitas, personatus, administratio vel officium seu talia mixtim fuerint. Et ad prioratum, praepositaram, praepositatum, dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si eis alias canonice conferantur aut eligantur, praesententur vel alias assumantur ad illa et instituantur in eis, recipere. Et saecularia in titulum, ac regulare in commendam sub eisdem tectis consistentia, videlicet, si singula illorum canonicatus et praebendae aut totidem dignitates, personatus, administrationes vel officia, ad annum a die habitae per eos illorum pacificae possessionis computandum dumtaxat; si vero alia fuerint, illa ac incompatibilia saecularia, necnon regularia beneficia huiusmodi, quoad vixerint, retinere, illaque omnia simul vel successive, simpliciter vel ex causa permutationis, quoties eis placuerit, dimittere et eidem commendae cedere, ac, loco dimissae vel

dimissorum, aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia, beneficium vel beneficia, ecclesiasticum vel ecclesiastica, quatuor dumtaxat curata seu alias invicem incompatibilia saecularia, aut cum uno vel duobus seu tribus ex cis, aut absque eis, unum, cum cura vel sine cura, Sancti Benedicti vel Augustini aut cuiusvis alterius, etiam Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis vel Frontisebrandi [1] Ordinis regulare, necnon tria alia similia vel dissimilia, sub singulis tribus tectis quarumcumque trium ecclesiarum consistentia, similiter recipere. Et insimul saecularia in titulum, ac regulare in commendam, sub eisdem tectis consistentia, si illorum singula canonicatus et praebendae aut totidem dignitates, personatus, administrationes vel officia, ad annum, ut praemittitur, computanda dumtaxat; si vero alia fuerint, illa ac incompatibilia saecularia necnon regulare beneficia huiusmodi, dummodo inter illa omnia, ultra quatuor incompatibilia, et inter ipsa incompatibilia saecularia, plures quam tres parochiales ecclesiae vel earum perpetuae vicariae; ac post dictum annum sub eisdem tectis consistentia, duo canonicatus et praebendae aut totidem dignitates, personatus, administrationes vel officia ac regulare beneficia huiusmodi dignitas conventualis seu officium claustrale existant, quoad vixerint retinere; necnon, debitis et consuetis ipsius regularis beneficii supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus et proventibus, sicut illud in titulum pro tempore obtinentes de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt (alienatione tamen quorumcumque illius bonorum immobilium et preciosorum mobilium eis penitus interdicta), disponere et ordinare libere et licite valeant. Quodque ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum curatorum seu alias, sacros, etiam presbyteratus, ordines, etiam ex statuto, fundatione, consuetudine, privilegio vel alias requirentium, per eos et eorum quemlibet nunc et pro tempore obtentorum, usque ad septennium a fine anni a iure praefixi computandum, ad aliquem ex dictis sacris, etiam presbyteratus, ordinibus se promoveri facere minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti compelli possint dispensamus.

In quibuscumque provinciis beneficia retinere possint ac si in illis nati essent.

§ 11. Ipsosque referendarios et alios infrascriptos et eorum singulos, omnium regnorum, dominiorum et provinciarum legitimos et naturales, ita quod ipsi, vel procuratores sui illorum nomine, in regnis, dominiis et provinciis huiusmodi, quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, etiam, ut praefertur, qualificata, etiam vigore gratiarum expectativarum, specialium vel generalium reservationum, illarumque collationum, mutationum, extensionum, revalidationum per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes et Sedem praedictam eis concessarum et concedendarum, acceptare, ac de illis sibi provideri facere, et illa, ac si regnorum, dominiorum et provinciarum eorumdem oriundi ac in illis nati essent, recipere et retinere libere et licite valeant, creamus, constituimus et deputamus.

Referendarii absentes iussione Pontificis aut studii occasione, fructus beneficiorum percipere valeant.

§ 12. Ac eisdem referendariis et aliis infrascriptis ac eorum singulis ut, quoad vixerint, in dicta Curia vel aliquo beneficiorum ecclesiasticorum, per eos pro tempore obtentorum, aut si contigerit ipsos per nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem ad aliquem locum destinare, in eo loco residendo, aut literarum Studio, in loco ubi illud vigeat generale, insistendo, omnes et singulos fructus, redditus et proventus quorumcumque bene-

[1] *Frontisebraldi*, gallice *Font-Evrault*, oppidulum Galliae in Andegavensi provincia, ubi percelebris erat virginum abbatia (R. T.).

ficiorum ecclesiasticorum per eos in quibusvis ecclesiis sive locis nunc et pro tempore obtentorum et obtinendorum, etiam si canonicatus et praebendae et alias, ut praefertur, qualificata fuerint, ac personalem residentiam ex statuto, fundatione aut consuetudine requirant, etiam si fructus, redditus et proventus unius beneficiorum huiusmodi, nonnisi in distributionibus quotidianis consistant, et aliorum omnium cum ea integritate (quotidianis distributionibus quoad alia dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent, si in eisdem ecclesiis sive locis personaliter residerent ac primam residentiam fecissent, ac, quoad unum ex beneficiis huiusmodi, divinis et omnibus aliis actibus interessent, et ad residendum interim in eisdem ecclesiis sive locis, in quibus beneficia ipsa fuerint, minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti coarctari valeant, percipere.

Indultum circa residentiam.

§ 13. Ac residendo ubi supra, eisdem beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus et regularibus, quae in eisdem ecclesiis sive locis in titulum vel commendam, ut praefertur, obtinent et in posterum obtinebunt, per cappellanos seu vicarios idoneos, ad eorum nutum amovibiles, in divinis deserviri, et animarum cura exerceri, et quaecumque ecclesiastica sacramenta ministrari facere libere et licite valeant, dioecesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita.

Confessorem sibi eligant referendarii, qui in casibus dictis, de quibus h'c, absolvere et vota hic non excepta commutare possunt.

§ 14. Necnon ut aliquem idoneum presbyterum saecularem vel cuiusvis Ordinis regularem in suum possint eligere confessorem, qui, vita eis comite, in casibus Sedi praedictae reservatis (praeterquam offensae ecclesiasticae libertatis, criminum baeresis, rebellionis aut conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis seu Sedem praedictam, falsitatis literarum apostolicarum, supplicationum et commissionum, invasionis, depraedationis, occupationis aut devastationis terrarum et maris Romanae Ecclesiae mediate vel immediatae subiectorum, offensae personalis in episcopum aut alium praelatum, prohibitionis devolutionis causarum ad Romanam Curiam, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium), semel dumtaxat in vita, in aliis vero quoties fuerit opportunum, confessionibus eorum diligenter auditis, pro commissis eis debitam absolutionem impendat, et iniungat poenitentiam salutarem. Necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum apostolorum Petri et Pauli, ac S. Iacobi in Compostella, necnon castitatis et Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat. Quodque confessor, quem duxerint eligendum, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, etiam semel in vita, et in mortis articulo, plenam remissionem eis in sinceritate fidei, unitate dictae Romanae Ecclesiae ac obedientia nostra et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, persistentium, auctoritate apostolica concedere possit. Sic tamen quod idem confessor do his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam illis, per eos, si supervixerint, vel per alios, si forsan tunc decesserint, faciendam iniungat, quam ipsi vel alii facere teneantur.

Facultas habendi altare portatile et celebrandi in locis interdicto suppositis.

§ 15. Liceatque eis habere altare portatile, super quo, in locis ad hoc congruentibus et honestis, sine iuris alieni praeiudicio, et quum qualitas negociorum pro tempore ingruentium id exegerit, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, si forsan eos ad loca ecclesiastico interdicto tam ordinaria quam apostolica auctoritate supposita eos declinare contingerit, in illis, clausis ianuis, non pulsatis campanis et submissa voce,

excommunicatis et interdictis exclusis, in sua et familiarium suorum domesticorum ac quatuor aliarum personarum utriusque sexus, per eos et quemlibet eorum eligendarum praesentia (dummodo ipsi et illi causam non dederint interdicto, aut eis vel illis contigerit specialiter interdici), possint per se ipsos, qui presbyteri fuerint, aut proprium vel alium sacerdotem idoneum, missas et alia divina officia celebrare seu celebrari facere, necnon tempore interdicti huiusmodi divinis interesse ac ecclesiastica sacramenta recipere, et ipsis dicto tempore decedentibus, eorum corpora ecclesiasticae, etiam cum funerali pompa, tradi possint sepulturae.

Indulgentias stationum Urbis referend. consequuntur visitando altaria per eos eligenda;

§ 16. Necnon singulis quadragesimalibus et aliis temporibus et diebus stationum basilicarum et ecclesiarum almae Urbis, et extra muros eius, duas ecclesias vel duo aut tria altaria, unius vel diversarum ecclesiarum, in locis ubi ipsos et eorum singulos pro tempore eligendos [1] seu eligenda, visitando, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur si, eisdem temporibus et diebus, stationum basilicas et ecclesias Urbis huiusmodi et extra muros eius ad id deputatas personaliter visitarent.

Carnibus vesci possunt diebus vetitis;

§ 17. Ac eisdem quadragesimalibus et aliis temporibus, quibus esus carnium, ovorum, casei et lacticiniorum de iure vel consuetudine est prohibitus, eisdem ovis, caseo, butyro et aliis lacticiniis, ac, de utriusque medici consilio, carnibus, absque conscientiae scrupulo, uti, frui et vesci.

Horasque canonicas postponeriis horis recitare possunt;

§ 18. Necnon etiam, quoad vixerint et quoties eis placuerit, per seipsos aut cum uno vel duobus amicis seu familiaribus suis, per eos pro tempore eligendis, horas canonicas, diurnas pariter et nocturnas, ac alia divina officia, secundum usum et morem dictae Romanae Ecclesiae, dicere et recitare libere et licite valeant, et ad alium usum super hoc observandum minime teneantur, nec ad id a quoquam, etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, inviti compelli possint, etiam indulgemus. Et ulterius referendariis et aliis infrascriptis ac eorum singulis utriusque sexus parochianos parochialium ecclesiarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque per eos et eorum singulos nunc et pro tempore obtentorum, ad eos, confessionis audiendae causa, pro tempore confluentes, confessionibus illorum per eos diligenter auditis, a quibusvis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, in omnibus et singulis casibus, in quibus ordinarii locorum de iure vel consuetudine absolvere possint, quoties opportunum fuerit, dioecesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, absolvere, et eis pro commissis poenitentiam salutarem iniungere.

Testarique etiam de bonis acquisitis ex beneficiis, prout auditores Rotae [1];

§ 19. Necnon ut de omnibus et singulis bonis mobilibus et semoventibus ac immobilibus, ubilibet consistentibus, necnon iuribus et actionibus, quae ad eos et eorum quemlibet, etiam archiepiscopos vel episcopos, etiam ratione suarum, quibus praeesse dignoscuntur, ac aliarum cathedralium ecclesiarum, etiam metropolitanarum, ad quas eos transferri contigerit, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, saecularium et regularium quorumcumque, obtentorum et obtinendorum, quomodolibet pertinent et pertinebunt, acquisitis et acquirendis, prout auditores Curiae causarum Palatii Apostolici ex privilegio apostolico, eis per nonnullos Romanos Pontifices praedecessores nostros et praesertim praefatum Iulium praedecessorem, per eius literas, quas nos vidisse, tenuisse

1 *Pro tempore esse contingerit, eligendos etc.*; ita partim cum Cherub. legimus (R. T.).

1 Auditorum Rotae facultatem istam habes in Clemente VII, constit. XIII, pag. 81 huius tomi.

et legisse etiam motu simili attestamur, etiam cum expressis clausulis derogatoriarum derogatoriis, concesso vel alias, disponere, erogare, testari, codicillari et convertere possint, tam in vita quam eorum ultima voluntate aut alio quocumque tempore, ac inter consanguineos et alias quascumque personas, etiam non notas, et loca, etiam causa mortis aut donationis inter vivos, necnon pro expensis funerum et remuneratione illorum, qui eis viventibus servierint, disponere, erogare, testari, codicillari et ordinare, ac illa in pios et quoscumque alios licitos usus, prout videbitur expedire, convertere, absque aliquo conscientiae scrupulo, libere et licite valeant.

Resignare et permutare beneficia.

§ 20. Et demum eis et illorum singulis, beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, quae, etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis, in titulum et commendam ac ut invicem, seu aliis beneficiis ad eorum vitam unita obtinent et in posterum obtinebunt, simul vel successive, simpliciter aut pro alio vel aliis, simili vel dissimili, aut similibus vel dissimilibus, beneficio seu beneficiis, ecclesiastico vel ecclesiasticis, cum quibusvis personis secum permutare volentibus, ex causa permutationis huiusmodi, in qua tamen nulla illicita pactio sive simoniaca pravitas interveniat, in ordinariorum locorum aut canonicorum metropolitanarum vel aliarum cathedralium ecclesiarum seu aliarum personarum in dignitate ecclesiastica constitutarum, ad id per eos vel procuratores suos legitimos eligendorum seu eligendarum, manibus, extra Romanam Curiam praefatam, eiusdem Apostolicae Sedis seu cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, quoties eis placuerit, resignandi, et commendis cedendi, necnon unionum huiusmodi dissolutioni consentiendi, ipsis ordinariis, canonicis et personis in dignitate ecclesiastica constitutis resignationes ab eisdem referendariis et aliis infrascriptis, simpliciter vel ex eadem causa et ab ipsis compermutantibus personis, ex dicta causa dumtaxat, et commendarum cessiones extra eamdem curiam recipiendi et admittendi, unionesque huiusmodi dissolvendi, necnon ea, quae ipsi referendarii et alii infrascripti simpliciter resignaverint, seu quorum commendis cesserint, aut unionum dissolutioni consenserint, idoneæ vel idoneis, ad id per eos seu procuratores praedictos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus et quae ex eadem causa secum permutantibus personis; quae vero ipsae compermutantes personae resignaverint beneficia huiusmodi, etiamsi, ut praefertur, qualificata et per eos pro tempore obtenta, ex personis ipsorum referendariorum et aliorum infrascriptorum vel quavis alia causa dispositioni apostolicae generaliter reservata, seu ex generali reservatione apostolica affecta fuerint (dummodo prioratus vel alia dignitas conventualis, aut in metropolitana vel aliis cathedralibus post pontificales maiores, seu collegiatis ecclesiis huiusmodi principales, ac compermutantium personarum similem facultatem non habentium beneficia huiusmodi dispositioni apostolicae generaliter reservata seu affecta non existant), eisdem referendariis et aliis infrascriptis, per eos, quoad vixerint, iuxta tenorem dispensationum eis pro tempore concessarum, in titulum vel commendam tenenda, conferendi, et de illis etiam providendi, omniaque et singula alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exequendi, etiam si dicti referendarii beneficiorum huiusmodi possessionem per quatuor menses non ob-

tinuerint, aut illam nondum assecuti fuerint, plenam et liberam facultatem concedimus.

Referendarii officium durat vita durante, et primo admissi praeferuntur.

§ 21. Decernentes semel admissum et receptum in referendarium, hactenus et in futurum, semper referendarium existere, ac eius officium quoad vixerit durare, et privilegiis aliis referendariis concessis pro tempore gaudere, et inter illos primo quandocumque admissum ceteris, quacumque, etiam pontificali, dignitate fungentibus, in officio referendariatus huiusmodi praeferri.

Decretum irritans.

§ 22. Sicque, pro praemissorum omnium validitate, efficacia et observatione, per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum Palatii huiusmodi auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter sententiandi, iudicandi et interpretandi facultate, sententiari, iudicari, interpretari et definiri debere, necnon irritum et inane quicquid desuper per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Defensores referendariorum.

§ 23. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Sipontino et episcopo Nuscano, ac dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Mediolanensis in spiritualibus generali, tenore praesentium committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit ac quoties pro parte referendariorum et aliorum infrascriptorum praedictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes literas et in eis contenta quaecumque firmiter observari, ac per referendarios et alios infrascriptos necnon singulos alios, quos ipsae praesentes literae concernunt, illis omnibus pacifice gaudere, ac fructus, redditus et proventus praedictos eisdem referendariis et aliis infrascriptis, iuxta huiusmodi nostrae concessionis de illis in absentia percipiendis continentiam et tenorem, integre ministrari. Non permittentes eos per archiepiscopos, episcopos, praelatos, ordinarios, vicarios, officiales, locatenentes, iudices et exactores praefatos ac dilectos filios ecclesiarum praedictarum capitula seu quoscumque alios, quacumque auctoritate fungentes, contra praemissa vel eorum aliquod aut praesentium tenorem quomodolibet molestari, inquietari, perturbari aut ad residendum in eisdem ecclesiis sive locis compelli. Contradictores, molestatores quoslibet et rebelles per censuras *etc.* Non obstantibus *etc.*

Declaratio circa beneficia

§ 24. Volumus autem quod incompatibilia saecularia et sub eisdem tectis consistentia, ac sacros ordines requirentia et alia saecularia necnon regularia beneficia huiusmodi, debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa imminebit, nullatenus negligatur, sed in eis, quorum fructus huiusmodi ipsos referendarios et alios infrascriptos in absentia percipere contingeret, per bonos et sufficientes vicarios, quibus de ipsorum beneficiorum proventibus necessaria congrue ministrentur, et diligenter exerceatur, et inserviatur inibi laudabiliter in divinis, ac sub eisdem tectis consistentium consueta et regularia beneficiorum praedictorum antedicta onera congrue supportentur. Ac quod ipsi referendarii et alii infrascripti, infra dictum annum, duo ex tribus praebendis aut totidem dignitatibus, personatibus, administrationibus vel officiis sub eisdem tectis consistentibus, quae maluerint, pro aliis beneficiis cum retentis canonicatibus permutare, alioquin illa duo, quae primo assecuti fuerint, ex tunc, dicto anno elapso, vacare decernimus, dimittere omnino teneantur.

§ 25. Et ne, quod absit, referendarii ipsi, propter huiusmodi gratiam vel concessionem eligendi confessorem, reddantur procliviores ad illicita in posterum committenda, etiam volumus quod si a sinceritate fidei, unitate dictae Romanae Ecclesiae ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum canonice intrantium destiterint, aut ex confidentia eiusdem concessionis vel remissionis aliqua forsan commiserint, concessio et remissio praedictae et, quoad illas dumtaxat, praesentes literae eis nullatenus suffragentur.

Et confessionale,

§ 26. Quodque indulto celebrandi seu celebrari faciendi ante diem parce utantur, quia, cum in altaris ministerio immoletur Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, qui candor est lucis aeternae, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce.

Et facultatem celebrandi ante diem,

§ 27. Ac quod dum eosdem referendarios divinis officiis in aliquibus ecclesiis contigerit interesse, illum morem, qui in eisdem ecclesiis observabitur circa huiusmodi horas canonicas dicendas, studeant observare.

Recitandique horas canonicas,

§ 28. Necnon ut, in eorumdem ecclesiasticorum dispositione bonorum, iuxta quantitatem residui, erga ecclesias, a quibus eadem perceperint, se liberales exhibeant, prout conscientia eis dictaverit et animarum suarum saluti viderint expedire; quodquo, si singulorum beneficiorum praedictorum simpliciter resignandorum seu quorum commendis dicti referendarii et alii infrascripti cesserint, aut dissolutioni unionum consenserint, fructus, redditus et proventus vigintiquatuor florenorum auri de Camera, secundum communem aestimationem, valorem annuum excedant, conferentes et illi, quibus conferentur, etsi ex dicta causa resignationes huiusmodi fiant, ac suorum et eis ex eadem causa collatorum beneficiorum huiusmodi fructus, redditus et proventus inaequales et maioris valoris fuerint, etiam si ipsa aequalitas vigintiquatuor florenorum similes, secundum aestimationem praedictam, non transcendat, similiter conferentes praedicti et illi, quibus beneficia maioris valoris huiusmodi collata fuerint, de nominibus et cognominibus personarum et beneficiorum eorumdem ac diebus factarum collationum huiusmodi gentes Camerae Apostolicae aut collectores vel subcollectores fructuum et proventuum eidem Camerae debitorum, in quibus illis pro tempore deputatos, infra unum, si citra, et tres menses, si ultra montes collationes ipsae factae fuerint, iuxta Sixti IV et Innocentii VIII praedictorum super hoc editas literas, certificare procurent, alioquin beneficia ipsa sic collata vacare censeantur eo ipso.

Dispensandique de bonis ecclesiasticis.

§ 29. Verum, quia difficile foret praesentes literas ad singula, in quibus de eis fides forsan facienda foret, loca deferre, similiter volumus et eadem auctoritate decernimus quod ipsarum transumptis, manu notarii publici subscriptis, *etc.*

Fides transumptorum.

Forma autem iuramenti, quod notarii, tabelliones et iudices, per dictos referendarios creandi, praestabunt, talis est.

§ 30. Ego N. ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro et S. R. E. et D. N. D. Paulo Papae III suisque successoribus canonice intrantibus; non ero in consilio cum alio, consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero quod mihi per se aut literas seu nuncium manifestabunt, et ad eorum damnum, scienter nemini pandam. Si vero aliquid ad mei notitiam pervenire contingat, quod in periculum Romani Pontificis aut Ecclesiae Romanae vergeret seu grave damnum, illud, pro posse, impediam; et

Forma iuramenti notariorum a referendariis creandorum.

† *In partibus*, Cherub. (R. T.).

si haec impedire non potero, procurabo bona fide id ad notitiam D. N. Papae perferre. Papatum Romanum, et regalia S. Petri ac iura ipsius ecclesiae, si qua eadem ecclesia in civitate vel terra, de qua sum oriundus, habeat, adiutor eis ero ad defendendum et recuperandum contra omnes homines. Tabellionatus officium fideliter exercebo. Contractus, in quibus exigitur consensus partium, fideliter faciam, nil addendo vel minuendo, sine voluntate partium, quod substantiam immutet. Verum in conficiendo aliquod instrumentum, unius solius partis si sit requirenda voluntas, hoc ipsum faciam. Instrumentum non conficiam de aliquo contractu, quo sciam intervenire vim vel fraudem. Contractus in protocollum redigam, et postquam redegero, malitiose non deferam, citra voluntatem illorum, quorum est contractus; super eo conficiam publicum instrumentum, ac solito meo iusto et consueto salario. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Moderatio privilegii circa gabellam vini.

§ 31. Volumus autem quod ii ex praenominatis, qui ex aliqua causa privilegio extrahendi gratis, ut praemittitur, vinum ex Ripa et Ripetibus utuntur, indulto, vigore praesentium, eis super extractione sex vegetum vini concesso, uti non debeant neque possint.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die trigesima iulii, millesimo quingentesimo quadragesimo, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 30 iulii 1540, pontif. anno VI.

XXXI.

Militibus de Calatrava et de Alcantara, ut, voto aliquo castitatis non emisso, ad instar militiae S. Iacobi de Spatha, matrimonia contrahere, atque in militiam ingredi possint, facultatem elargitur [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Romanus Pontifex, Christi in terris vicarius, praecipuum a Domino super gentes et regna obtinens principatum, circa statum, directionem et conservationem religiosarum personarum quarumlibet, praesertim sub regularibus militiis pro fidei catholicae defensione et infidelium depressione continue insudantium, diligenter intendens, illarum ritus et regularia instituta interdum immutat, moderatur et ampliat, et ut personae ipsae votivis perfruantur eventibus, meditationis suae curas diffusius interponit, prout eiusdem fidei cultorum, catholicorum regum et principum vota poscunt, et id, personarum earumdem conditione ac locorum et temporum qualitate pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Causae concedendi privilegii, de quo in summario

§ 1. Sane carissimus in Christo filius noster Carolus, Romanorum imperator semper augustus, qui etiam Castellae et Legionis rex, ac Sancti Iacobi de Spatha sub Regula Sancti Augustini, necnon de Calatrava et de Alcantara, Cisterciensis Ordinis, militiarum in Castellae et Legionis regnis institutarum perpetuus administrator in spiritualibus et temporalibus, per Sedem Apostolicam deputatus, existit, nobis nuper exponi fecit quod si praeceptoribus, commendatoribus nuncupatis, ac militibus et fratribus dictarum de Calatrava et de Alcantara militiarum, qui, in professionis regularis earumdem militiarum emissione, per singulos eorum pro tempore facta, inter cetera, perpetuae castitatis et continentiae votum, iuxta regularia instituta et diffinitiones seu stabilimenta militiarum et Cisterciensis Ordinis huiusmodi, emittere, et ad illam perpetuo et inviolabiliter observandam specialem promissionem facere consueverunt, concederetur quod, voto aliquo super castitate non emisso, de cetero matrimonium ad instar praeceptorum, militum et fratrum dictae militiae S. Iacobi de Spatha, quam ingredi volentes, etiam postquam coniugati fuerint, et prolem legitimam susce-

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

perint, etiam coniuge superstite, in illius fratres et milites, iuxta privilegia illi a dicta Sede concessa, quae in viridi observantia fuerunt et existunt, recipiuntur et admittuntur, contrahere possent, profecto plures, etiam magni nobiles dictorum regnorum, in quibus ipsarum de Calatrava et de Alcantara militiarum praeceptoriae atque loca pro maiori parte consistunt, ad ingrediendum easdem de Calatrava et de Alcantara militias et exponendum se ac eorum facultates pro debellatione infidelium christiani nominis inimicorum facilius invitarentur; ac eisdem de Calatrava et de Alcantara militiis, etiam ad exaltationem christianae religionis, plurimum incrementi, utilitatis et commodi, necnon eorumdem praeceptorum et militum ac fratrum, qui facilius pudicitiam coniugalem, quam perpetuam continentiam servarent, salus animarum proveniret.

Caroli V super hoc instantia.

§ 2. Quare praefatus Carolus, imperator, rex et administrator, nobis nuper exponi fecit ut, pro dictarum de Calatrava et de Alcantara militiarum conservatione, prospero statu et directione, ac christianae religionis augmento, super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio.

§ 3. Nos igitur, qui earumdem de Calatrava et de Alcantara militiarum et illarum personarum salubrem profectum et felicem successum sinceris exoptamus affectibus, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus quod omnes et singuli alii christifideles praesentes et futuri, quos de cetero perpetuis futuris temporibus de Calatrava et de Alcantara militias huiusmodi canonice ingredi contigerit, etiam illarum magistri, in regulari per eos, iuxta illorum instituta et stabilimenta praedicta, pro tempore emittenda professione, ad emittendum professionem voti perpetuae castitatis et continentiae huiusmodi minime teneantur, nec ad id inviti quoquo modo coarctari possint; sed, illius loco, votum coniugalis castitatis, iuxta instituta et stabilimenta militiae Sancti Iacobi praefatae, emittere debeant; etiam, perinde ac si id eis per instituta et stabilimenta de Alcantara et de Calatrava militiarum huiusmodi prohibitum non esset, matrimonium contrahere, et in illo, postquam contractum fuerit, in dictis de Calatrava et de Alcantara militiis remanere; et si aliqui fideles, etiam praesentes et futuri, coniugati fuerint, etiam coniuge superstite, prout milites et fratres militiae Sancti Iacobi huiusmodi possunt et consueverunt, etiam si prius matrimonium contraxerint, aut etiam iam contractum sit, aliquam ex eisdem de Calatrava et de Alcantara militiis ingredi et professionem voti coniugalis castitatis, alias, iuxta eorum instituta et stabilimenta praedicta, emittere voluerint, etiam si ex coniuge antea suscepta prolem tunc legitimam susceperint, in fratres et milites dictarum, de Calatrava et de Alcantara militiarum alias, iuxta statuta et stabilimenta militiarum huiusmodi, recipi et admitti ac in eis continuo permanere.

Et qui, secundum praesens indultum, militias de Alcantara et de Calatrava ingressi fuerint, omnibus et singulis privilegiis dictarum militiarum fruantur.

§ 4. Ipsique magistri, praeceptores, milites et fratres futuri, etiam postquam matrimonium, iuxta instituta et stabilimenta militiae Sancti Iacobi de Spatha praedictae, contraxerint, ut praefertur, omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, libertatibus, praerogativis, favoribus et indultis eis, antequam matrimonium huiusmodi contraherent, ratione illius ex de Calatrava aut de Alcantara militiis huiusmodi, quam professi fuerint, quomodolibet concessis, et quibus ante contractum matrimonium praedictum de iure vel consuetudine utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere poterant, in omnibus et per omnia, perinde ac si matrimonium

non contraxissent, uti, potiri et gaudere; omnesque et singuli, ut praemittitur, pro tempore coniugati, prout milites et fratres eiusdem militiae Sancti Iacobi, illius magistratus, praeceptorias, dignitates et officia recipere et retinere possunt et consueverunt, magistratus, praeceptorias, dignitates et officia quæcumque earumdem de Calatrava et de Alcantara militiarum alias canonice recipere et retinere; necnon, prout etiam praeceptores ac milites et fratres dictae militiae Sancti Iacobi, iuxta eorum instituta seu stabilimenta, possunt, de quibuscumque eorum rebus et bonis mobilibus et immobilibus, cuiuscumque qualitatis et conditionis existentibus, præsentibus et futuris, ad eos iure haereditario aut alias quomodolibet spectantibus et pertinentibus, et per eos, etiam intuitu seu respectu ipsarum militiarum et praeceptoriarum, seu alias quomodolibet licite acquisitis et acquirendis, libere testari, disponere et erogare; ac ipsorum liberi et haeredes, ex legitimo matrimonio geniti, prout liberi et haeredes dictorum praeceptorum et militum ac fratrum ipsius militiae Sancti Iacobi possunt, in illis et singulis succedere perpetuo in omnibus et per omnia, iuxta statuta et stabilimenta dictae militiae Sancti Iacobi, libere et licite valeant.

Matrimonia per milites contracta valida et licita, proles autem legitima declaratur.

§ 5. Decernentes matrimonium sic per ipsos et milites ac fratres pro tempore contractum canonicum fore, et proles cuiusque sexus ex illis iam forsan susceptas et pro tempore suscipiendas legitimas fore; et nihilominus privilegia, immunitates, exemptiones, gratias, libertates, praerogativas, favores et indulta praedicta, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, haberi volumus pro expressis, auctoritate apostolica et tenore praedictis approbamus et confirmamus; ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus; illaque perpetuae firmitatis robur obtinere et firmiter observari debere decernimus, ac ea de novo concedimus.

Capitulis generalibus harum militiarum data facultas novas edendi constitutiones, quae eo ipso auctoritate apostolica confirmatae censeantur.

§ 6. Et insuper capitulis generalibus dictarum de Calatrava et de Alcantara militiarum, diffinitiones et ordinationes ac statuta huiusmodi, prout melius convenire videbitur, reformandi, emendandi et limitandi, ac in toto vel in parte commutandi, et alia rationabilia et honesta, pro iurium et privilegiorum earumdem militiarum et personarum illarum conservatione opportuna et necessaria, faciendi, edendi et ordinandi, quae, postquam emendata, reformata, limitata, edita et ordinata ac apposita fuerint, eo ipso apostolica auctoritate confirmata censeantur, plenam et liberam facultatem concedimus.

Carolum aliosque quoscumque a qualibet poena, quam in hac concessione procuranda incurrere potuerunt, absolvit.

§ 7. Praeterea præfatum Carolum, imperatorem et regem ac dictarum militiarum magistrum, ac omnes et singulos praeceptores, necnon milites et fratres militiarum huiusmodi, ab omnibus et singulis excommunicationis et aliis censuris et poenis, quas, praemissa a nobis obtinere procurando, forsan, iuxta statuta et stabilimenta praedicta, aut alias quomodolibet incurrerunt, eisdem auctoritate et tenore absolvimus, et ab eis omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam, per eos propterea quomodolibet contractam, penitus et omnino abolemus.

Huic militiae privilegia omnia communicat militiae S. Iacobi de Spatha.

§ 8. Nec non eisdem magistris ac omnibus et singulis praeceptoribus, militibus et fratribus pro tempore existentibus, ut statutis, ordinatione, decreto et aliis praemissis ac praesentibus literis plenarie, necnon, tam illis quam aliis earumdem de Calatrava et de Alcantara militiarum personis, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, libertatibus, praerogativis, favoribus et literis apostolicis militiae Sancti Iacobi de Spatha huiusmodi, illiusque ma-

gistro, praeceptoribus, militibus, fratribus et aliis personis pro tempore existentibus, per quoscumque Romanos Pontifices ac forsan per nos, sub quibuscumque tenoribus et formis, concessis et concedendis, ac si praefatis militiis de Calatrava et Alcantara specialiter et nominatim concessa forent, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, de speciali gratia indulgemus.

Praesentium literarum firmitas et observantia.

§ 9. Decernentes praesentes literas de subreptionis vitio vel intentionis defectu notari non posse, sicque per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; nec non irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio exequutorum huiusmodi literarum.

§ 10. Quocirca dilectis filiis nostris Ioanni Sancti Ioannis ante Portam Latinam, ac Garciae Sanctae Susannae, et Petro Marozzi Sanctorum Ioannis et Pauli titulorum presbyteris cardinalibus, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties super hoc, pro parte magistrorum, praeceptorum, militum et fratrum praedictorum, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes literas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos ipsae praesentes literae concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque contra praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, ac censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 11. Non obstantibus praemissis ac piae memoriae Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis, ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere praesumant, et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, et quibusvis aliis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus: necnon de Calatrava et de Alcantara militiarum ac Cisterciensis Ordinis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, diffinitionibus, usibus et naturis: necnon quibusvis privilegiis et indultis apostolicis, illis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac consistorialiter et ex quibusvis causis, ac quavis etiam imperiali vel regia consideratione, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis: quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso ac forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus,

contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulae. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimo, tertio nonas augusti, pontificatus nostri anno VI.

Dat: die 3 augusti 1540, pontif. anno VI.

XXXII.

De appellationibus, non admittendis, non facto deposito poenae, in qua rei vel eorum fideiussores ad favorem R. Camerae Apostolicae aut eius fisci condemnantur.

Paulus Papa III, ad perpetuam rei memoriam.

Causa istius constitutionis. Cum, sicut ex plurimorum fide dignorum relatione accepimus, nonnulli civitatum, terrarum ac locorum S. R. E. mediate vel immediate subiectorum, et praesertim provinciae nostrae Romandiolae, ad evitandum seu differendum poenarum condemnationes et solutiones, ad appellationes plerumque, etiam frivolas, recurrant; causasque appellationum huiusmodi coram diversis iudicibus ordinariis vel delegatis, etiam in Romana Curia, per diversa rescripta nobis vel signatura nostra iustitiae extorta introduci procurent, contra formam diversarum constitutionum plurimorum Romanorum Pontificum et praesertim Iulii II, Leonis X, Clementis VII, praedecessorum nostrorum, quibus, inter alia, cautum fuit quod appellationes in causis condemnationum et fiscalibus, nisi facto deposito poenae, ad quam appellans foret condemnatus, admitti non possent, sed ad poenae huiusmodi exactionem procedi deberet, prout latius in constitutionibus huiusmodi, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, continetur.

Confirmatio huius Papae. § 1. Nos, praedecessorum nostrorum praedictorum vestigiis inhaerendo, indemnitati Camerae Apostolicae, in quantum possumus, providere cupientes, motu proprio et ex certa scientia, constitutiones praedictas et in eis contenta quaecumque tenore praesentium confirmamus et approbamus, illasque, in quantum opus sit, innovamus.

Ampliatio. § 2. Et nihilominus, motu, scientia et potestate similibus, de novo statuimus et ordinamus per praesentes quod nullae appellationes et provocationes in causis criminalibus seu mixtis ac fiscum et Cameram Apostolicam quomodolibet concernentibus, non facto deposito poenae, in qua delinquentes aut illi qui pro delinquentibus ipsis fideiussissent, vel ex contractu quoquomodo condemnandi venirent aut hactenus condemnati fuissent, recipi et admitti possint; sed appellationes et provocationes huiusmodi, tam hactenus in causis huiusmodi interpositas quam in futurum interponendas, ac appellantes ipsos reiici debere.

Annullatio commissionum signatarum absque dicto *facto deposito*. § 3. Illasque ac quaecumque rescripta et commissiones similium causarum, ad cuiusvis instantiam, per quemcumque, ad commissiones signaturae iustitiae signandas deputatum, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices hactenus signatas et in futurum signandas, non facto dicto deposito, nullius fore et esse roboris vel momenti; sed illis non obstantibus, ad ulteriora in causis ipsis, usque ad poenarum dictarum effectualem exactionem, procedi debere, prout procedi mandamus per praesentes.

Vel fisco aut thesaurar provinciae statuto. § 4. Et insuper, nullae commissiones, fiscum et Cameram Apostolicam quomo-

dolibet concernentes, per quemcumque, a nobis et Sede Apostolica ad commissiones in signatura iustitiae signandas, ut praefertur, deputatum, nec etiam per nos et successores nostros praedictos signari possint, nisi fisci et Camerae praefatae procuratore et thesaurario provinciae, de cuius etiam interesse ageretur, si in Romana Curia praesens fuerit, citatis; et aliter signatae nullius sint roboris vel momenti.

Clausula sublata. § 5. Et ita per quoscumque iudices, etiam Sedis Apostolicae ac de latere legatos, vicelegatos, praesidentes, gubernatores et quosvis alios, iudicari et definiri debere, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et definiendi facultate; irritumque et inane quicquid contra praesentium tenorem contigerit attentari.

Executorum huius constitutionis deputatio. § 6. Mandantes dilectis filiis camerario, thesaurario praesidentibusque et clericis Camerae Apostolicae quatenus praemissa, tam in dicta provincia quam aliis civitatibus, terris, locis S. R. E. mediate vel immediate subiectis, ac alma Urbe nostra, inviolabiliter observari mandent et faciant. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et alias, etiam pecuniarias et privatorias, poenas, de quibus eis videbitur, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio. § 7. Non obstantibus omnibus et singulis supradictis, privilegiis quoque et indultis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam rescriptis, commissionibus, etiam manu nostra, contra praemissorum tenorem, signatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 8. Volumus autem quod praesentium copiis, manu alicuius notarii *etc.*

Datum in nostra civitate Urbevetana, sub annulo Piscatoris, die decimatertia septembris, millesimo quingentesimo quadragesimo, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 13 septembris 1540, pont. an. VI.

XXXIII.

Approbatio instituti et Religionis Clericorum Regularium Societatis Iesu.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Regimini militantis Ecclesiae, meritis licet imparibus, disponente Domino, praesidentes, et animarum salutem, prout ex debito pastoralis officii tenemur, solicitis studiis exquirentes, fideles quoslibet, qui vota sua in id exponunt, apostolici favoris gratia confovemus, aliasque desuper disponimus, prout, temporum et locorum qualitate pensata, id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Ignatius de Loyola et alii hic nominati in unum convenerunt, ut Dei ac Romani Pontificis servitio se dedicarent pia opera hic expressa faciendo. § 1. Nuper siquidem accepimus quod dilecti filii Ignatius de Loyola et Petrus Faber ac Iacobus Laynez, necnon Claudius Iayus et Paschasius Broet ac Franciscus Xavier, necnon Alphonsus Salmeron et Simon Rodericus ac Ioannes Coduri et Nicolaus de Bobadilla, presbyteri Pampilonensis, Gebennensis, Seguntinae, Toletanensis, Visensis, Ebredunensis et Palentinae civitatum et dioecesum respective, in artibus magistri in Universitate Parisiensi graduati, et in theologicis studiis per plures annos exercitati, Spiritu Sancto (ut pie creditur) afflati, iamdudum, e diversis mundi regionibus descendentes, in unum convenerunt, et socii effecti, abdicatis huius saeculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini nostri Iesu Christi atque nostro et aliorum successorum nostrorum Romanorum Pontificum servitio dedicarunt, et iam quampluribus annis laudabiliter in vinea Domini se exercuerunt, verbum Dei, praevia sufficienti licentia, publice praedicando, fideles privatim ad bene beateque vivendum exhortando, et ad pias meditationes excitando, hospitalibus inserviendo, pueros et personas rudes ea, quae ad christianam hominis institutionem sunt necessaria, docendo, et demum omnia caritatis

officia et quae ad animarum consolationem faciunt, ubique terrarum, ubi peregrinati sunt, multa cum laude obeundo.

Et cum Romam venissent et certam vivendi Regulam instituissent, multi eorum vitae institutum laudarunt et secuti sunt.

§ 2. Cumque ad hanc almam Urbem se contulerint, et in caritatis vinculo persistentes, ad perficiendam et conservandam eorum societatis in Christo unionem, quamdam vivendi formulam, iuxta ea, quae ad propositum sibi finem conducere usu didicerunt, evangelicis consiliis et canonicis patrum sanctionibus conformem, ediderint, factum est ut ipsorum sociorum vitæ institutum, sub dicta formula comprehensum, non solum a multis probis viris et Deum zelantibus laudetur, verum etiam a quibusdam ita approbetur, ut illud etiam sequi velint.

Cuius instituti Regula hic inseritur,

§ 3. Formulae autem praedictae tenor sequitur et est talis:

Quae intendere debeat Societatem ingrediens.

§ 4. Quicumque in Societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare, et soli Domino atque Romano Pontifici, eius in terris vicario, servire, post solemne perpetuae castitatis votum, proponat sibi in animo se partem esse Societatis ad hoc potissimum institutae ut ad profectum animarum in vita et doctrina christiana, ad fidei propagationem per publicas praedicationes et verbi Dei ministerium, spiritualia exercitia et caritatis opera, et nominatim per puerorum ac rudium in christianismo institutionem, ac christifidelium in confessionibus audiendis spiritualem consolationem, præcipue intendat; curetque primo Deum, deinde huius sui instituti rationem, quae via quaedam est ad Illum, semper ante oculos habere, et finem hunc sibi a Deo propositum totis viribus assequi. Unusquisque tamen, secundum gratiam sibi a Spiritu Sancto subministratam et vocationis suae proprium gradum, ne quis forte zelo utatur, sed non secundum scientiam; cuius proprii cuiusque gradus iudicium et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu praepositi seu praelati per nos eligendi, ut congruus ordo servetur, in omni bene instituta communitate necessarius.

Praepositi munus.

§ 5. Qui quidem praepositus, de consilio consociorum, constitutiones, ad consecutionem huius propositi nobis finis conducentes, in consilio condendi auctoritatem habeat, maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente. Consilium vero intelligatur esse, in rebus quidem gravioribus ac perpetuis, maior pars totius Societatis, quae a praeposito commode convocari poterit; in levioribus autem et temporaneis, omnes illi, quos in loco, ubi praepositus noster residebit, praesentes esse contigerit; iubendi autem ius, totum penes praepositum erit.

Obedientia erga Romanum Pontificem.

§ 6. Sciant omnes socii, et non solum in primis professionis suae foribus, sed quoad vixerint quotidie animo volvant societatem hanc universam et singulos, sub sanctissimi domini nostri Papae et aliorum Romanorum Pontificum successorum eius fideli obedientia, Deo militare; et quamvis Evangelio doceamur, et fide orthodoxa cognoscamus ac firmiter profiteamur omnes christifideles Romano Pontifici, tamquam capiti ac Iesu Christi vicario, subesse, ad maiorem tamen nostrae Societatis humilitatem ac perfectam uniuscuiusque mortificationem et voluntatum nostrarum abnegationem, summopere conducere iudicavimus, singulos nos, ultra illud commune vinculum, speciali voto adstringi, ita ut quicquid modernus et alii Romani Pontifices pro tempore existentes iusserint, ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens, et ad quascumque provincias nos mittere voluerit, sine ulla tergiversatione aut excusatione, illico, quantum in nobis fuerit, exequi teneamur, sive miserit nos ad Turcas sive ad quoscumque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, existentes, sive ad quos-

cumque haereticos seu schismaticos seu etiam ad quosvis fideles. Quamobrem qui ad nos accessuri sunt et antequam huic oneri humeros supponant, diu multumque meditentur an tantum pecuniae spiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc, iuxta consilium dominicum, possint consummare; hoc est an Spiritus Sanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiae polliceatur ut huius vocationis pondus, Illo adiuvante, se laturos sperent; et postquam, Domino inspirante, huic Iesu Christi militiae nomen dederint, die noctuque succincti lumbos et ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt.

Missiones non procurandae nec vitandae

§ 7. Ne qua autem possit esse inter nos missionum ac provinciarum huiusecmodi aut ambitio vel detractio, profiteantur singuli se numquam, directe aut indirecte, de huiusmodi missionibus quicquam cum Romano Pontifice curaturos, sed omnem hanc curam Deo et ipsi Pontifici, tamquam eius vicario, et Societatis praeposito dimissuros. Qui praepositus, sicut ceteri, etiam profiteatur se nihil de sumet ipsius missione in alterutram partem, nisi de Societatis consilio, cum dicto Pontifice esse curaturum.

Praepositi auctoritas.

§ 8. Vovcant singuli se in omnibus, quae ad Regulae huius nostrae observationem faciunt, obedientes fore Societatis praeposito.

§ 9. Ille autem iubeat ea, quae ad constructionem propositi sibi a Deo et a Societate finis cognoverit esse opportuna. In praelatione autem sua, benignitatis ac mansuetudinis caritatisque Christi, Petri Paulique formulae semper sit memor, et tam ipse quam consilium ad normam hanc assidue spectent. Et nominatim commendatam habeant institutionem puerorum ac rudium in christiana doctrina decem praeceptorum, atque aliorum similium rudimentorum, quaecumque secundum circumstantias personarum, locorum ac temporum illis congrua videbuntur. Est enim maxime necessarium, circa providentiam huius rei, diligenter praepositum et consilium invigilare, cum et in proximis aedificium fidei sine fundamento non possit consurgere, et in nostris periculum sit ne, ut quisque erit doctior, ita provinciam hanc, tamquam primo aspectu minus speciosam, forsitan detrectare conetur, cum tamen revera nulla sit fructuosior vel proximis ad aedificationem, vel nostris ad caritatis et humilitatis simul officia exercenda. Subditi vero, tum propter [1] numquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium, praeposito in omnibus ad institutum Societatis pertinentibus parere semper teneantur, et in illo Christum veluti praesentem agnoscant et quantum decet venerentur.

Paupertatis votum.

§ 10. Cum autem experti fuerimus iucundiorem, puriorem et ad proximi aedificationem aptiorem esse vitam ab omni avaritiae contagione quam remotissimam, et evangelicae paupertati quam simillimam; cumque sciamus Dominum nostrum Iesum Christum servis suis regnum Dei solum inquirentibus necessaria ad victum et vestitum esse subministraturum, voveant singuli et universi perpetuam paupertatem, declarantes quod non solum privatim, sed neque etiam communiter, possint, pro societatis sustentatione aut usu, ad bona aliqua stabilia aut ad proventus seu introitus aliquos, ius aliquod civile acquirere, sed sint contenti usu tantum rerum sibi donatarum, ad necessaria sibi comparanda recipere.

Non tamen quoad collegia.

§ 11. Possint tamen habere in Universitatibus collegium seu collegia habentia reditus, census seu possessiones, usibus et necessariis [2] studentium applicandas, retenta penes praepositum et Societatem omnimoda gubernatione seu superintendentia super dicta collegia et praedictos studentes, quoad gubernatoris seu gu-

1 *Ingentes Ordinis utilitates, tum* hic addunt P. Mauh. et Inst. Soc. Ies. Pragae (1757) (R. T.).
2 *Usibus et necessitatibus*, Inst. S. I. (R. T.).

bernatorum ac studentium electionem ac eorumdem admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, statutorum [1] circa studentium instructionem, aedificationem ac correctionem, victus vestitusque eis ministrandi modum atque aliam omnimodam gubernationem, regimen ac curam. Sic tamen ut neque studentes dictis bonis abuti, neque Societas in proprios usus convertere possit, sed studentium necessitati subvenire. Qui quidem, post cognitum in spiritu et literis eorum profectum, et post sufficientem probationem, in Societatem nostram admitti possint.

Officium privatim recitandum.

§ 12. Socii omnes quicumque in sacris fuerint, quamvis beneficia ecclesiastica aut eorum reditus non habeant, teneantur tamen singuli, privatim ac particulariter et non communiter, ad dicendum officium secundum Ecclesiae ritum.

Finis dictae Regulae.

§ 13. Haec sunt quae, sub praefati domini nostri Pauli et Sedis Apostolicae beneplacito, de nostra professione typo quodam explicare potuimus; quod nunc fecimus ut summatim scriptione hac informaremus tum illos qui nos de nostro vitae instituto interrogant, tum etiam posteros nostros, si quos, Deo volente, imitatores umquam habebimus huius vitae; quam cum multas magnasque habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum iudicavimus etiam statuere ne quis in hac Societate recipiatur, nisi diu ac diligentissime fuerit probatus. Cumque prudens in Christo et vel doctrina seu vitae christianae puritate apparuerit conspicuus, tunc demum admittatur ad Iesu Christi militiam, qui tenuibus coeptis nostris favere dignetur, ad gloriam Dei Patris, cui soli sit semper decus et honor in saecula. Amen.

Papae confirmatio.

§ 14. Cum autem nil in praemissis reperiatur quod pium non sit aut sanctum, nos (ut iidem socii, qui nobis super hoc humillime supplicari fecerunt, in eorum pio vivendi proposito eo promptiores existant, quo se maiori Sedis Apostolicae gratia complecti cognoverint, et praemissa per nos approbari viderint) praemissa omnia et singula, tamquam ad spiritualem profectum eorumdem sociorum et reliqui christiani gregis opportuna, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa scientia approbamus, confirmamus et benedicimus, ac perpetuae firmitatis munimine roboramus; ipsosque socios sub nostra et huius sanctae Sedis Apostolicae protectione suscipimus, eis nihilominus concedentes quod particulares inter eos constitutiones, quas ad Societatis huiusmodi finem et Iesu Christi Domini nostri gloriam ac proximi utilitatem conformes esse iudicaverint, condere libere et licite valeant.

1 *Ordinationes* addit P. Matt. (R. T.).

Clausulae derogatoriae.

§ 15. Non obstantibus generalis concilii et felicis recordationis Gregorii Papae X, praedecessoris nostri, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Numerus sociorum.

§ 16. Volumus autem quod in Societate huiusmodi usque ad numerum sexaginta personarum, formulam vivendi huiusmodi profiteri cupientium, et non ultra, admitti et Societati praefatae aggregari dumtaxat valeant.

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimo, v kalendas octobris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 27 sept. 1540, pontif. anno VI.

XXXIV.

Approbatio confraternitatis nuper in Urbe institutae, ad pauperes orphanos pie educandos bonisque artibus instruendos, eiusque erectio in archiconfrater-

nitatem, cum privilegiorum elargitione, iurisdictioneque S. R. E. cardinalis eius protectoris ad eiusdem lites et causas cognoscendas.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Altitudo divinae providentiae, nullis praescripta limitibus nullisque terminis comprehensa, coelestia pariter et terrestria inscrutabili ratione disponit, et mortalium mentes ad ea caritatis opera exercendum frequenter excitat, per quae ipsi Deo acceptiores reddantur, et pauperum aliarumque miserabilium personarum, praesertim puerorum et puellarum parentibus orbatorum, per Urbem hinc inde vagantium, quos fames cruciat, et rerum omnium egestas consumit, necessitatibus succurratur, desiderataque plurimum salus proveniat animarum. Unde nos, quibus, meritis licet imparibus, universalis Ecclesiae regimen eadem est providentia creditum, iis, quae propterea facta fuisse comperimus, ut firma perpetuo et illibata permaneant, apostolici muniminis libenter adiicimus firmitatem, et singulorum fidelium, praesertim curialium nostrorum, vota, quae ad id pertinere noscuntur, pii patris affectione prosequimur, et, ut optatos sortiantur effectus, opem et operam, quantum cum Deo possumus, impendimus efficaces, et fideles ipsos ad opportuna iis suffragia exhibendum quibusdam quasi allectivis muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus, invitamus ut per temporalia bona, quae erogaverint, praemia consequantur salutis aeternae.

Confraternitas ad colligendum, pieque educandum orphanos in Urbe a curialibus instituta fuit. § 1. Dudum, sicut nobis innotuit, nonnulli probatae vitae curiales, caritate, omnium suprema virtute, circa pueros et puellas orphanos pauperesque et miserabiles personas, pudendas et infirmas, quas Redemptor noster potissime commendavit, moti, pie attendentes quod in Romana Curia, quae maxime forensium et ignotorum numero frequentatur, quamplures pueri pauperes parentibus orbati, claritate ingenii praediti ac dociles et idonei reperiebantur ut de magno illorum, tam in sacrae paginae quam utriusque iuris et aliis scientiis ac diversis exercitiis, profectu, si eis ad onera et impensas, ratione studiorum et exercitiorum huiusmodi incumbentia, supportanda sufficerent, spes certa verisimiliter conciperetur: cupientesque praemissis et aliis in dicta Curia necessitatibus et caritatis operibus providere, ac quod provisio huiusmodi perpetuo duraret atque vigeret, convocatis ad id quampluribus aliis curialibus et civibus Romanis, societatem inter se inierunt, et quamplures parentibus orbatos ac egenos pueros et puellas, hinc inde per Urbem dispersas, ac ostiatim victum quaerentes, in unum, in certo ad id deputato loco, convenerunt, et eorum expensis ac aliis christifidelium piis eleemosynis eisdem pueris, ut a malo retraherentur bonisque moribus imbuerentur et virtutibus ornarentur, de providis gubernatoribus et ministris [1] ac victu, vestitu et aliis necessariis providere curarunt. Necnon confraternitatem, in qua vigintiquatuor et ultra, quorum aliqui S. R. E. cardinales et episcopi ac alii praelati, aliqui eiusdem Curiae officiales et aliqui curiales, etiam cives Romani, existunt, instituerunt.

Quae ab isto Pontifice approbatur. § 2. Nos igitur, gratias Deo agentes quod nostro tempore a dictis curialibus tanta necessaria caritatis opera in ipsa urbe coeperint exerceri, cupientes ut ea perpetuo frequententur, et illis confratres huiusmodi animo hilari insistant, confratres praedictos eorumque singulos quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effe-

1 *Magistris* loco *ministris* legit Cherub. (R. T.).

ctum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon fructuum, reddituum et proventuum dictae confraternitatis verum annuum valorem praesentibus pro expressis habentes, ipsorum confratrum supplicationibus in hac parte inclinati, institutionem confraternitatis huiusmodi ac quaecumque statuta et ordinationes per eosdem confratres edita, auctoritate apostolica, tenore praesentium, ex certa nostra scientia approbamus et confirmamus, supplentes omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.

Et de novo instituitur.

§ 3. Ipsamque confraternitatem, sub Beatae Mariae Visitationis Orphanorum seu alia, de qua eisdem confratribus videbitur, invocatione, pro tot confratribus seu utriusque sexus personis, quot eam ingredi voluerint, de novo erigimus et instituimus.

In archiconfraternitatem erigitur.

§ 4. Illamque in archiconfraternitatem caputque omnium aliarum confraternitatum ac hospitalium, et aliorum quorumlibet locorum eorumdem orphanorum puerorum et puellarum ubilibet institutarum et instituendarum confraternitatum, ac erectorum et erigendorum hospitalium ac locorum puerorum et puellarum huiusmodi, auctoritate et tenore ac scientia praedictis 1, immediate subiicimus, et facimus membra ab archiconfraternitate huiusmodi dependentia. Ita quod confraternitates et hospitalia ac loca illis subiecta et ab eis dependentia huiusmodi ipsam confraternitatem uti eorum superiorem in aliquo saltem reverentiali obedientia singulis annis recognoscere teneantur.

Privilegia et indulgentiae aliorum locorum piorum Urbis, dictae archiconfraternit. eiusque personis conceduntur.

§ 5. Necnon archiconfraternitatis confratribus, ecclesiae, hospitalibus, domibus et monasteriis praedictis, illorumque administratoribus, gubernatoribus, rectoribus, oeconomis, familiaribus, ministris, pueris et puellis ac aliis personis in eis pro tempore existentibus, seu aliquam curam de archiconfraternitate, confratribus, ecclesia, hospitalibus, domibus et monasteriis ac illorum fabrica habentibus, necnon personis inibi pro tempore decedentibus seu de bonis suis pro dictis operibus aliquid relinquentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, etiam plenariis, et peccatorum remissionibus ac aliis gratiis spiritualibus et temporalibus, Imagini Sancti Salvatoris ad Sancta Sanctorum, ac Caritatis, archihospitali Sancti Iacobi, et hospitali Sancti Spiritus in Saxia, ac Corporis Christi, et Sacramenti, ac Campi Sancti et aliis confratribus confraternitatum de dicta urbe, necnon eisdem Imagini, et archihospitali Sancti Iacobi, et hospitali Sancti Spiritus, ac Campo Sancto, necnon fabricae basilicae Principis Apostolorum de eadem urbe, illiusque deputatis, eorumque, necnon Beatae Mariae de Populo, et Consolationis, ac Sancti Ioannis Florentinorum aliisque eiusdem urbis ecclesiis, ac illa et illas visitantibus vel eis benefacientibus, eorumque administratoribus, guardianis, rectoribus, familiaribus, oeconomis, gubernatoribus et aliis personis similem curam in eis sumentibus, ac pauperibus et infirmis eorum, etiam per nos et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros ac Sedem eamdem concessis et concedendis, et quibus illi, illae et illa utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, archiconfraternitas Beatae Mariae Visitationis Orphanorum illiusque confratres, ecclesia, hospitalis, domus et monasteria, administratores, rectores, servitores, familiares, ministri, oeconomi et gubernatores huiusmodi, aliaeque personae similem curam inibi sumentes ac illa visitantes vel eis benefacientes, ex nunc in perpetuum

1 Deest forte *erigimus ac ei immediate* etc. (R. T.).

utantur, potiantur et gaudeant, ac uti, potiri et gaudere libere et licite valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si eisdem archiconfraternitati Beatae Mariae Visitationis Orphanorum confratribus, ecclesiae, hospitalibus, gubernatoribus et aliis personis, ac illa visitantibus et benefacientibus pro tempore, specialiter et expresse concessa fuissent ac in futurum concederentur.

Celebrantibus in eius ecclesia alia datur indulgentia.

§ 6. Necnon quibusvis presbyteris, tam religiosis quam saecularibus, qui in ipsa ecclesia quocumque anni tempore celebraverint, et pro animabus christifidelium, qui in caritate Dei decesserint, ac pro quibus iidem presbyteri ibi celebraverint aut celebrari fecerint ac oraverint, easdem indulgentias et peccatorum remissiones, quae celebrantibus pro defunctis in cappella Scala Coeli nuncupata, monasterii Trium Fontium extra muros eiusdem urbis, aut in cappella in Praesepe Domini, sita in ecclesia eiusdem Beatae Mariae Maioris de dicta urbe, et animabus, pro quibus inibi celebratur et oratur, concedimus et indulgemus [1], gratias, privilegia, indulta, exemptiones, immunitates, libertates et alias concessiones ac remissiones, ad illos, illas et illa extendimus et prorogamus ac ampliamus. Et quod administratores, rectores, servitores, familiares, ministri, oeconomi et gubernatores huiusmodi, indulgentias, privilegia, indulta, exemptiones, immunitates, libertates et alias concessiones ac remissiones huiusmodi, ac dies et festa, in quibus et causas propter quas illas consequi debeant, ad eorum beneplacitum publicari facere.

Eleemosynas recipiendi et quaerendi licentias conceditur;

§ 7. Necnon eleemosynas ecclesiae, hospitalibus, domibus et monasteriis erigendis ac pueris et puellis praefatis concedendas, recipere, et ad illas recipiendas et quaerendas, ac indulgentias huiusmodi publicandas per dictam urbem seu alibi quaestores seu quascumque alias personas, dioecesani loci aut cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, deputare et mittere.

Statuta que condendi pro regimine opportuna;

§ 8. Necnon quaecumque statuta et ordinationes licita et honesta, tam circa regimen et tranquillum statum ecclesiae, hospitalium, domorum et monasteriorum praedictorum divinorumque celebrationem, quam numerum, qualitates ac aetatem puerorum et puellarum, cappellanorum et confratrum ac ministrorum, rectorum, oeconomorum, gubernatorum et familiarium praedictorum, illorumque personas ac ornamenta et bona mobilia et immobilia illorum, eorumque administrationem et alia praemissa concernentia, condere, alterare, mutare ac de novo edere et per eos hactenus facta reformare, quae, postquam condita, alterata et mutata ac edita et reformata fuerint, eo ipso dicta apostolica auctoritate confirmata sint et esse censeantur; ac quascumque poenas in contravenientes apponere.

Confessorem quoque eligendi;

§ 9. Quodque pro tempore existentes archiconfraternitatis Beatae Mariae Visitationis Orphanorum huiusmodi confratres, administratores, rectores, servitores, familiares, ministri, oeconomi et gubernatores praefati ac quilibet minister seu officialis aut persona ecclesiae, hospitalium, domorum et monasteriorum erigendorum huiusmodi, ipsique pueri et puellae quemcumque presbyterum saecularem vel cuiusvis Ordinum regularem in suum possint eligere confessorem, qui eos et eorum quemlibet a quibusvis casibus, etiam quantumcumque gravibus, ac etiam in forma quinterni Cancellariae Apostolicae et dictis literis expressis, absolvere; ac confessionale et altare portatile, iuxta formam et literas praedictas, habere valeant, licentiam et facultatem concedimus et indulgemus.

§ 10. Et ut confratres archiconfraternitatis Beatae Mariae Visitationis Orphano-

[1] Cherub. addit *ipsosque indulgentiis* (R. T.).

Protectoremque et iudicem causarum archiconfraternitatis eligendi;

rum huiusmodi ab indebitis molestiis releventur, unum ex S. R. E. cardinalibus, quem ipsi confratres ad id duxerint nominandum seu eligendum, in eorum protectorem ac iudicem ordinarium perpetuum, coram quo seu ab eo deputando quaevis, tam civiles et criminales ac mixtae, causae posthac contra confraternitatem illiusque administratores, rectores, confratres, servitores, familiares, ministros, oeconomos, gubernatores, cappellanos, officiales ac pueros et puellas ac personas praefatas, super bonis et rebus, cuiuscumque qualitatis existentibus, ad eas pertinentibus, motae et pro tempore movendae, iuxta ordinariam iurisdictionem seu facultatem Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori attributam, cum omnibus et singulis eorum dependentibus, annexis et connexis ac incidentibus, cognoscere et fine debito terminare debeant, constituimus et deputamus.

Qui summarie etc. eas cognoscat;

§ 11. Ipsique pro tempore protectori, per se vel alium seu alios quoscumque, quorum intererit aut interesse poterit, tam in dicta Curia quam extra eam, per edictum publicum, constito sibi summarie de non tuto accessu, ac quibusvis etiam eiusdem Curiae iudicibus et personis quibusvis et quoties opus fuerit, sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, de quibus eidem protectori videbitur, inhibendi; ac, in eventum non paritionis, ad declarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi, illarumque aggravationem ac alias, iuxta stylum et morem dicti auditoris in similibus servari solitum, procedendi; ac sententias executioni debitae demandandi seu demandari faciendi; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias et alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendi; ac etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocandi; omniaque et singula alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exequendi plenam et liberam licentiam et facultatem etiam concedimus.

Personasque dictae archiconfraternitatis et officiales ab aliorum iurisdictione exemptos corrigat.

§ 12. Necnon quod qui administratores, gubernatores, rectores, oeconomi, servitores, familiares, ministri et confratres archiconfraternitatis Beatae Mariae Visitationis Orphanorum huiusmodi, illiusque ac dictae ecclesiae cappellani seu officiales officia sua actu excercentes extiterint, durante eorum officio, a quorumcumque ordinariorum locorum eorumque vicariorum et officialium iurisdictione, correctione, visitatione et potestate penitus et omnino exempti et soli eidem protectori pro tempore existenti seu Sedi praedictae subiecti existant, eorumque correctioni et punitioni subiaceant, statuimus et ordinamus.

Clausula praeservativa.

§ 13. Quodque praemissa omnia et singula de subreptionis, obreptionis et nullitatis vitio seu intentionis defectu, etiam ex eo quod ea, quae super praemissis gesta fuerunt et emanarunt, plenarie expressa seu prout existunt narrata minime fuerunt, seu quovis alio praetextu, occasione vel causa, notari vel impugnari aut in aliquo annullari vel alterari non possint, neque notata seu impugnata, annullata aut alterata censeantur, sed valida et efficacia existant, ac si exprimenda de necessitate de verbo ad verbum inserta fuissent. Quodque praesentes literae sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus, repositionibus et exceptionibus similium literarum, gratiarum et indulgentiarum, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices ac Sedem praedictam vel eius legatos, ac etiam per regulas Cancellariae Apostolicae pro tempore factas, ac in favorem fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe et

expeditionis contra infideles nullatenus comprehendantur, sed semper ab illis penitus et omnino excepta sint, et esse censeantur; ac eisdem praesentibus per quascumque literas, etiam quasvis clausulas generales et speciales, etiam derogatorias, efficaciores et insolitas, ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione, in se continentes, nullatenus derogari possit, nec derogatum esse censeatur, nisi tenor illarum de verbo ad verbum, nihil omisso, insertus, et huiusmodi derogationes consistorialiter factae, etiam per trinas distinctas literas eumdem tenorem continentes, tribus similibus distinctis vicibus, administratoribus, gubernatoribus, rectoribus et oeconomis praedictis legitime intimatae et insinuatae fuerint, eorumque ad id expressus accedat assensus, et aliter factae derogationes nemini suffragentur.

Clausulae sublatae.

§ 14. Sicque per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, iudices et personas, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Indulgentia visitantium ecclesiam.

§ 15. Et nihilominus, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis seu confitendi propositum habentibus, qui in Visitatione eiusdem Beatae Mariae, seu alio per eosdem administratores, gubernatores, rectores et oeconomos ad id nominando, a primis vesperis usque ad occasum solis sequentis diei, parochialem ecclesiam praedictam devote visitaverint, ac pro praemissis operibus manus adiutrices, iuxta eorum arbitrium, porrexerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac iubilaeum et remissionem misericorditer in Domino elargimur.

Deputatio executorum.

§ 16. Quocirca Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori et dictae urbis gubernatori ac vicario nostro in dicta urbe in spiritualibus pro tempore existentibus, necnon universis et singulis venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis [1] ac dilectis filiis abbatibus aliisque in dignitate ecclesiastica constitutis personis, nec non metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum canonicis, ac dictorum archiepiscoporum et episcoporum officialibus ac vicariis in spiritualibus generalibus ubilibet constitutis, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut aliquis eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte protectoris, administratorum, gubernatorum, rectorum, oeconomorum, servitorum, familiarium, ministrorum, puerorum et puellarum ac personarum et officialium praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia et singula firmiter observari, ipsosque protectorem, administratores, gubernatores, rectores, oeconomos, servitores, familiares, ministros, pueros et puellas ac personas et officiales illis perpetuo pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per confraternitatem presbyterorum huiusmodi seu dictos presbyteros aut quoscumque alios, quavis auctoritate fungentes, quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias, eorum arbitrio moderandas, ac alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super iis habendis servatis processibus,

1 Cherub. adiungit *episcopis* (R. T.).

censuras et poenas ipsas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc auxilio brachii saecularis huiusmodi.

Derogatio contrariorum.

§ 17. Non obstantibus priori voluntate nostra ac aliis praemissis, ac Lateranensis concilii novissime celebrati *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimo primo, septimo idus februarii, pontificatus nostri anno VI [1].

Dat. die 7 februarii 1541, pontif. anno VII.

XXXV.

Excommunicationes S. Eleutherii nuncupatas de cetero concedi vel publicari prohibet, et concessas annullat.

Paulus Papa III, motu proprio, etc.

Causa latioe constitutionis

Licet nuper in consistorio nostro secreto, de fratrum nostrorum consilio, ad evitanda scandala et abusus, quae ex concessione et publicatione certarum excommunicationum S. Eleutherii nuncupatarum in diversis mundi partibus exoriebantur, huiusmodi excommunicationes deinceps minime fieri et publicari omnino decreverimus: ac propterea dilectus frater noster Bartholomaeus, presbyter cardinalis Guidicionus, cui, ratione ecclesiæ Aprutinæ, cui præesse dignoscitur, huiusmodi excommunicationes concedendi [2] competere asserebatur, ab illarum concessione, ut decebat, abstinuerit et abstineat de praesenti; nihilominus (non sine animi nostri displicentia) accepimus quod dilectus filius Pompeius Benenatus de Piccolhominibus, praepositus S. Eleutherii, sub praetextu quod facultas dictas excommunicationes concedendi, ratione præpositurae huiusmodi, sibi competat, illas passim, ubique locorum et forsan in alma Urbe concedere, imprimere et publicare, licet forsan monitus, non desistit.

Prohibitio expediendi, concedendi vel publicandi excommunicationes S. Eleutherii.

§ 1. Nos, decretum in consistorio nostro matura deliberatione factum omnino effectum sortiri et ab omnibus inviolabiliter observari volentes, ac omnes et singulas excommunicationes huiusmodi hactenus concessas et publicatas, aut in futurum contra praesentium tenorem, quod absit, forsan concedendas et publicandas, nullas et nullius roboris et momenti existere, nec aliquos illis ligari seu quomodolibet irretiri, et illis nullam fidem adhiberi debere decernentes.

Contravenientium poenae.

§ 2. Ac tam praefato Pompeio et eius successoribus praepositis S. Eleutherii huiusmodi, quam aliis quibuscumque, sub excommunicationis latae sententiae ac privationis omnium et singulorum beneficiorum et decem millium ducatorum auri Camerae Apostolicae applicandorum poenis, ne deinceps similes excommunicationes S. Eleutherii concedere vel publicare aut publicari, aut imprimere vel imprimi facere, seu illis quomodolibet uti audeant seu praesumant districtius inhibentes.

Executores istius constitutionis.

§ 3. Dilectoque filio Curiae causarum Cameræ Apostolicæ generali auditori committimus et mandamus quatenus decretum ac inhibitionem nostram huiusmodi ubique locorum publicet et publicari, ac sub praedictis et aliis, eius arbitrio applicandis et moderandis, poenis, tam a praefato Pompeio et successoribus quam aliis quibuscumque observari mandet et faciat cum effectu, cum potestate, si opus fuerit, tam Pompeium praefatum et successores, quam alios quoscumque, quacumque dignitate, etiam episcopali vel maiori aut mundana vel alia dignitate fungentes, sub poenis praedictis, etiam ad personaliter comparendum coram eo, si sibi videbitur, aut alias etiam per edictum citandi; ac contravenientes et rebelles, ut praefertur, mulctandi, corrigendi et puniendi, aliaque

[1] Legendum *anno* VII (R. T.). [2] Cherub. addit *ius* (R. T.).

faciendi, gerendi et exercendi in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus quacumque litis pendentia, super facultate huiusmodi excommunicationes concedendi, in Romana Curia, coram praefato aut aliis quibuscumque auditoribus seu iudicibus, inter praefatos cardinalem et praepositum, aut alios quoscumque, necnon constitutionibus[1] per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros et nos ipsos forsan emanatis, roboratis et innovatis, cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, quibus specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 5. Volumus insuper, motu et scientia similibus, quod praesentis nostri motus proprii sola signatura sufficiat et in iudicio et exra fidem faciat, regula contraria non obstante.

Placet, et ita motu proprio mandamus. A.

XXXVI.

De impetrationibus beneficiorum tamquam certo modo vacantium.

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Paulus divina providentia Papa tertius.

Pontifex iste per aliam const. decrevit impetrationes beneficiorum defuncti obtentas illo vivente et ceteras nullas esse;

Qui in crastino assumptionis suae ad summi apostolatus apicem, cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium beneficia, illorum praesertim, quibus, aut propter senium aut propter infirmitatem, imminebat vitae periculum, impetrabant, ut, illis decedentibus, tamquam collitigantes in illorum iuribus facilius subrogarentur, per quamdam eius constitutionem, inter alia, voluit ut deinceps nullus, in iure, vel ad ius, in beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus praemissis vel similibus impetravit, aliquo modo subrogetur, ac subrogatio et gratia si neutri, si nulli seu novae provisioni aut perinde valere, taliter impetranti nullatenus suffragaretur; quod etiam strictissime observari mandavit in impetrationibus beneficiorum per privationem et amotionem ex quibusvis criminibus et excessibus forsan perpetratis, etiam si usque ad definitivam sententiam, quae tamen in rem non transivisset iudicatam, processum foret.

Et per alias constitutiones statuit ut impetrantes beneficia ab aliis per eosdem possessa exprimerent quae hic habentur.

§ 1. Ac per alias constitutiones suas, seu Cancellariae Apostolicae regulas, voluit, statuit et ordinavit quod quicumque beneficium ecclesiasticum, tunc per annum immediate praecedentem pacifice possessum et quod certo modo vacare praetenderet, ex tunc deinceps impetraret, nomen, gradum et nobilitatem possessoris eiusdem[1], ex qua clare constare posset quod nullum ipsi possessori in dicto beneficio ius competeret, causarum[2] in huiusmodi impetratione exprimere et infra sex menses ipsum possessorem ad iudicium evocari facere, causamque ex nunc desuper, infra annum, usque ad sententiam definitivam, inclusive prosequi deberet et teneretur, alioquin impetratio praedicta et quaecumque inde secuta nullius existerent firmitatis, et idem impetrans de damnis et interesse possessorem praedictum propterea contingentibus ei satisfaceret. Et si possessorem ipsum iniuste, frivole et indebite molestasse repertus existeret, quinquaginta florenos auri persolvere Camerae Apostolicæ esset adstrictus, nec aliud quam praemissae vacationis modus, etiam per literas si neutri, aut subrogationis vel alias, sibi quoad hoc ut beneficium huiusmodi ea vice consequi vel obtinere valeret, quomodolibet suffragaretur, illudque nullatenus inantea litigiosum propterea censeretur.

Nihilominus multi impetrabant illa beneficia tamquam certo modo vacantia etc. Un-

§ 2. Et cui fide dignorum relatione innotuit quod, huiusmodi voluntate, statuto et ordinatione non obstantibus, multi, cæca cupiditate ducti, ad beneficia ecclesiastica

1 Cherub. *constitutionibus et ordinationibus apostolicis, quibusvis privilegiis et consuetudinibus per quoscumque etc.* (R. T.).

1 P. Matt. addit *et quot annis illud ipse possedisset, ac specificatam et determinatam, ex qua etc.* (R. T.). 2 *Causam*, Cherub. et Matt. (R. T.).

de malo b'c expressa oriebantur.

per alios, etiam quandocumque multo antea tempore canonice eis collata et possessa, quos valetudinarios seu senio confectos conspiciunt, aut alias certo modo cito defuncturos vel eorum beneficia dimissuros sperant, improbe ac per media illicita aspirantes, huiusmodi beneficia, tamquam certo modo vacantia et absque alio titulo seu minus canonico detenta, a Sede Apostolica impetrabant, et illorum possessoribus litem super dictis beneficiis sic possessis movebant, et causas huiusmodi contra eos committi faciebant, et alias illos, nunc titulos fingendo, nunc crimina impingendo, in ipsis beneficiis inquietabant et molestabant, nec causas ipsas (prout etiam, iuxta constitutionem praedictam, tenebantur) expediri facere curabant, sed in longum protrahebant, expectantes obitum dictorum possessorum, ut in iure eisdem possessoribus in dictis beneficiis vel ad illa competente subrogarentur. Sicque per indirectum eisdem impetrantibus votum captandae mortis dictorum possessorum praebebatur, ipsique possessores indebite vexabantur ac laboribus et expensis fatigabantur; et saepenumero vexationem huiusmodi illicitis mediis redimere cogebantur, et quandoque destituti seu desperati, in anxietatem ducebantur, eorumque beneficia resignare seu permutare, ac etiam illorum collatores, quominus de beneficiis, per obitum dictorum possessorum vacantibus, et propter lites huiusmodi, malitiose et fraudolenter motas seu confictas, libere disponere et sua ordinaria auctoritate in praemissis uti possent, impediebantur, in animarum ipsorum impetrantium periculum, et dictorum possessorum grave praeiudicium et ordinariae potestatis huiusmodi collatorum laesionem.

Pontifex ideo formam de cetero servandam

§ 3. Attendens malitiis hominum non esse indulgendum, sed potius obviandum, ac volens ipsorum beneficia obtinentium quieti et securitati providere, constitutionem praedictam innovando et ad impetrantes beneficia illorum, qui aliquo evidenti impedimento detinerentur, quamvis senio confecti aut infirmitate detenti non forent, extendendo, etiam voluit, statuit et ordinavit quod de cetero impetrantes beneficia ecclesiastica, cuiuscumque qualitatis, per privationem et amotionem vel alias propter commissa excessus et crimina, vacantia vel vacatura, in supplicatione desuper porrecta, excessus et crimina ipsa ac eorum qualitates, necnon modos et causas tales, ex quibus de iure privatio ipsa incursa aut facienda censeatur, et similiter impetrantes, etiam per modum devolutionis, beneficia tamquam certo modo vacantia et ab aliis, etiam non senio confectis nec infirmitate aut impedimento detentis, tamquam nullo seu minus canonico titulo possessa, modum vacationis illorum in supplicatione desuper porrecta specifice et determinate ac dispositive exprimere teneantur; et antequam decretum citationis a iudice, cui causa commissa fuerit, per se vel procuratorem eorum petant, coram eo iuramentum quod credunt ea, quae sic expresserunt, vera esse et posse ea probare, corporaliter praestare, et deinde excessus et crimina aut modum vacationis huiusmodi proponere et deducere, et intra octo dies observationem termini ad articulandum, per eum vel procuratorem suum, suo ordine et loco (ita quod si ipse terminus sic non servetur, dicti octo dies, post observationem termini secundo loco servati, quicumque is fuerit, cucurrisse censeantur) factam, immediate sequentes probare; necnon ex tunc infra annum, similiter a die impetrationis eorum computandum, causam contra eosdem possessores, usque ad definitivae sententiae prolationem, inclusive prosequi debeant et teneantur.

in impetrationibus beneficiorum ponit;

§ 4. Quodque impetrationes de benefi-

Et impetrationes aliter factas invalidas et nullas declarat;

ciis, tamquam per privationem et amotionem vel alias propter commissa excessus et crimina vacantibus vel vacaturis, absque causae seu causarum privationis et amotionis aut excessuum et criminum vacationem huiusmodi causantium, necnon tamquam de certo modo vacantibus, etiam per modum devolutionis, absque modi vacationis specifica expressione, etiam praetextu quarumcumque clausularum, quomodolibet implicitarum et quantumcumque praegnantium, etiam quod causae et excessus ac crimina, necnon modi vacationum huiusmodi, in literis pro expressis habeantur vel etiam dispositive exprimi possint disponentium, in supplicationibus insertarum, eisdem impetrantibus nullatenus suffragentur; et quaecumque subrogationes per ipsos impetrantes de beneficiis, quae etiam cum huiusmodi expressione impetraverint, tamquam litigiosis, in iure vel ad ius eorum, quos huiusmodi excessus et crimina perpetrasse, aut quorum beneficia per devolutionem aut alias certo modo vacasse narraverint, a Sede Apostolica vel legatis eius quomodolibet impetrandae seu etiam motu proprio concedendae, nisi quod impetrantes excessus et crimina aut modum vacationis huiusmodi intra dictos dies observationem dicti termini ad articulandum per ipsos impetrantes aut eorum procuratores, ut praefertur, non autem per eos aut ipsorum procuratores factam quoad excludendos, post dictos dies ipsos impetrantes a probatione excessuum seu criminum aut modi vacationis praedictorum nihil operari volumus contra possessores beneficiorum, quae impetraverint, probaverint, etiam si alia excessus et crimina, privatione aut privationis declaratione digna, etiam ante lapsum dictorum octo dierum, probaverint, nullius sint roboris vel momenti. Quodque subrogationes huiusmodi, si ii, contra quos huiusmodi impetrationes fient, in itinere propter id suscepto, quod post excommunicationem [1] citationis, etiam per edictum factae, etiam si de dictorum citatorum notitia aliter non apparuerit, propterea attentum [2] praesumatur, defuncti fuerint, etiam si senes aut valetudinarii seu impediti, ut praefertur, non extiterint, aut etiam ii, contra quos huiusmodi impetrationes fient, morte violenta decesserint, licet nullum penitus argumentum aut nulla coniectura habita fuerit quod collitigans id fecerit, aut de tali morte culpabilis seu conscius fuerit, locum non habeant. Et si post lapsum dicti anni vel etiam eo durante, et istis octo diebus, post dicti termini ad articulandum, absque probatione praedictorum excessuum seu criminum aut modi vacationis per ipsos impetrantes vel eorum procuratores observationem, elapsis, contingat possessores dictorum beneficiorum seu aliquos ex eis decedere, aut eorum beneficia simpliciter vel ex causa permutationis aut alias quomodolibet, in Romana Curia vel extra eam, vacare, non censeantur propterea beneficia ipsa litigiosa, de huiusmodi beneficiis sic vacantibus provideri et alias libere disponi possit in omnibus et per omnia, ac si contra dictos possessores aliqua lis modo praemisso mota non fuisset.

Impetrantibus poenas hic descriptas imponit.

§ 5. Et nihilominus impetrantes praedicti ad ambita beneficia huiusmodi obtinenda censeantur perpetuo inhabiles, necnon vexatae parti omnia damna, interesse et expensas persolvere teneantur, ac omnibus et singulis beneficiis ecclesiasticis per eosdem impetrantes obtentis, se triennio suspensos noverint. Qnibus, si se in eis propria temeritate iniecerint, ipso iure privati sint, ac calumnioso de periurio, iuxta canonicas sanctiones, puniantur. Decernens novas provisiones super impetrationibus praedictis pro tempore, etiam antequam dicti octo dies elapsi fuerint, iis, in quorum favorem emanave-

[1] *Executionem*, Matt. [2] *Attentatum*, Cherub. et Matt. (R. T.).

rint in fraudem huiusmodi constitutionis, non suffragari. Et si ii, qui impetrationes modo praedicto fecerint, beneficia sic impetrata resignaverint, quandocumque id fecerint, illos, quibus de beneficiis huiusmodi per resignationem de eis factam et admissam provisum fuerit, praesenti constitutioni subiacere, et in eodem statu, in quo dictus resignans tempore huiusmodi resignationis erat, quoad hoc censeri et esse.

Decretum irritans. § 6. Sicque in praemissis omnibus iudicandum fore, sublata, *etc.*; irritum quoque etc.

Placet, publicetur et describatur. A.

Lecta et publicata fuit in Cancellaria Apostolica die sabbati, vigesimaseptima augusti et successive undecima decembris, anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo.

Pub. die 11 decem. 1541, pontif. anno VIII.

XXXVII.

Innovatio literarum Bonifacii PP. VIII super solutione decimarum, cum declaratione quod de distributionibus quotidianis decima etiam solvi debeat [1].

Paulus Papa III, ad futuram rei memoriam.

Causae huius constitutionis. § 1. Cum, sicut accepimus, diversa capitula cathedralium ac collegiatarum ecclesiarum, sub praetextu quod earum massae seu mensae capitulares distributionibus quotidianis constent, de fructibus et redditibus certis earumdem decimas pro tempore impositas solvere differant, in magnum Camerae Apostolicae praeiudicium.

Declaratio (de qua in rubrica). § 2. Nos, attendentes quod felicis recordationis Bonifacius Papa VIII de distributionibus quotidianis decimam solvi debere declaravit, eiusdem Bonifacii, praedecessoris nostri, vestigiis inhaerentes, motu proprio et ex certa scientia volumus, decernimus et declaramus quod quaecumque capitula cathedralium et metropolitanarum ac collegiatarum ecclesiarum per totam Italiam, etiam in regno Siciliae, consistentia, de distributionibus quotidianis, in fructibus certis consistentibus, et alias, iuxta formam extravagantis Bonifacii praedecessoris huiusmodi, solvere, et ad id per censuras ecclesiasticas et alia opportuna iuris remedia, pro decimis penultimis ac ultimis per nos impositis quam in futurum imponendis, cogi et compelli debeant.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ac iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis ac literis apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus, illorum tenores, causas et effectus praesentibus pro sufficienter expressis habentes, harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attentari.

Fides transumptorum. § 4. Et insuper volumus et dicta apostolica auctoritate decernimus quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI novembris MDXLI, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 26 dec. 1541, pontif. anno VIII.

---

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic.

XXXVIII.

Spolia ecclesiasticarum personarum, sine testamento out facultate testandi decedentium, vel ultra quantitatem, de qua testari possunt, disponentium, ad Reverendam Cameram Apostolicam spectant.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumspecta, dubia, quae litium dispendia afferre possent, in suae declarationis arbitrio tollit, ac desuper statuit et ordinat, prout, rerum qualitate pensata, conspicit in Domino salubriter expedire.

Causa huius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, a nonnullis nimium curiosis, qui iura Camerae Apostolicae usurpare, ac Cameram praefatam illis defraudare vellent, in dubium redigatur an res et bona, spolia nuncupata, praelatorum, etiam pontificali vel alia maiori dignitate fulgentium, ceterarumque personarum ecclesiasticarum, saecularium et regularium, tempore obitus ipsorum remanentia, ex eo quod Romano Pontifici pro tempore existenti et Camerae praefatao reservata fore aliqua generali apostolica constitutione forsan non caveatur, ad Cameram praedictam iure legitimo spectare et pertinere debeant.

Declaratio quod spolia personarum ecclesiasticarum (de quibus in rubrica) spectant ad R. Cameram Apostolicam.

§ 2. Nos, etsi satis evidenter constet et appareat praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum et nostram indubiam intentionem et voluntatem semper fuisse ut spolia huiusmodi ad dictam Cameram et non ad alios spectarent et pertinerent, et quod pro eadem Camera exigerentur et recuperarentur, cum praedecessores praefati diversos dictorum spoliorum, ut ad Cameram praedictam spectantium et pertinentium, collectores et exactores in variis provinciis et locis deputaverint et constituerint, et nos deputaverimus et constituerimus; variae quoque literae ab eisdem praedecessoribus et a nobis super exactione aliquorum eorumdem spoliorum, in quibus spolia huiusmodi ad praefatam Cameram spectare expresse continebatur, emanaverint, ac semper de illis dicti praedecessores per plerasque alias literas, tamquam de rebus ad Cameram praedictam pertinentibus, donando vel transigendo, aut alias diversimode disposuerint, et nos disposuerimus; necnon ea, ab antiquissimo tempore citra, dictae Camerae nostrae nomine exacta et inter iura ipsius Camerae connumerata fuerint: ne tamen praemissorum veritas deprimi, et mendacium desuper, in praefatae Camerae praeiudicium, locum sibi vindicare valeant, attendentes quod iniquum esset si, ex Apostolicae Sedis benignitate vel alia rationabili causa, ad singula quaeque loca collectores non destinantur, iura ipsius Camerae propterea depereant, dubium huiusmodi enucleare, ac in praemissis opportune providere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, declaramus res et bona huiusmodi, spolia, ut praefertur, nuncupata, in quibusvis regnis ac dominiis, tam citra quam ultra montes et maria consistentia, quae pro tempore, post obitus praelatorum et personarum praedictarum, quantumcumque etiam, ut praefertur, vel alias quomodolibet qualificatarum, etiam cardinalatus honore fulgentium, qui, nullo condito testamento, vel absque sufficienti facultate, aut ultra quantitatem, de qua facultatem habuerint, condito, decesserunt, decedent, remanserunt, remanent et remanebunt, etiam quod ad illa recuperandum aliqui collectores deputati non fuerint, ad Cameram Apostolicam et non ad alios, etiam in quibusvis cathedralibus, etiam metropolitanis, et collegiatis ac aliis ecclesiis, monasteriis, ceterisque beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura,

saecularibus et quorumvis ordinum regularibus, utcumque qualificatis, successores, illa in titulum, commendam, administrationem et alias quomodolibet pro tempore obtinentes, etiam si ad illa, vigore prioris tituli, ius regrediendi seu accedendi vel ingrediendi concessum fuerit, spectasse et spectare, illaque, tamquam ad ipsam Cameram spectantia, perpetuo colligi et recuperari potuisse et posse, atque debere, ac ita, ut praefertur, eorumdem praedecessorum et nostram intentionem et voluntatem semper fuisse fidem facimus et attestamur per praesentes.

Ita et non alias iudicari debet. § 3. Decernentes sic et non aliter per quoscumque, tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fungentes, iudices et personas, ubique, in quacumque instantia, iudicari, definiri et decidi debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, interpretandi ac decidendi facultate; necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executorum deputatio. § 4. Quocirca dilecto filio Guidoni Ascanio Sfortiae, Sancti Eustachii diacono cardinali, camerario nostro, eiusque in camerariatus officio successoribus, committimus et mandamus quatenus exactioni et recuperationi spoliorum huiusmodi incumbant, et illa ad Cameram Apostolicam pervenire, ac praemissa ab omnibus inviolabiliter observari faciant, nec permittant Cameram ipsam vel eius agentes desuper modo aliquo molestari, impediri vel inquietari, contradictores *etc.* compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio. § 5. Non obstantibus praemissis et quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumcumque ecclesiarum et monasteriorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus, illorum tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 6. Volumus autem quod praesentes literae in Cancellaria Apostolica et Camera praedicta publicentur, et inter constitutiones extravagantes, ad perpetuam rei memoriam valiturae, conscribantur. Nulli ergo *etc.* Iussio publicandi.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, tertio nonas ianuarii, pontificatus nostri anno VIII. Registratio.

Anno a nativitate Domini MDXLII, die Lunae, vigesima martii, praesentes retroscriptae literae lectae et publicatae fuerunt in plena Camera Apostolica, et ex maturo ipsius decreto registratae in libro de curia *etc.*

Lecta et publicata fuit in Cancellaria Apostolica die XXIII martii MDXLII, anno pontificatus domini nostri VIII. Publicatio.

Dat. die 3 ianuarii 1542, pontif. anno VIII.

XXXIX.

Inquisitorum haereticae pravitatis facultas procedendi contra omnes, etiam regulares, praedicantes aut proponentes scandalosas propositiones, et a fide catholica discrepantes.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

In apostolici culminis specula, divinae gratiae munere, collocati, nihil magis esse Exordium.

nostri officii duximus, quam sedulo ac diligenter omnia circumspicere, quae catholici nobis commissi gregis custodiae ac conservationi conferant, illamque in primis curam suscipere, ut quae materiam scandali praebere possent, penitus succidantur, ac radicitus extirpentur, nec ea usque pullulare sinantur.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in nostrae Bononiae ac Mediolani et quamplurimis aliis Italiae civitatibus et locis, nonnulli saeculares, ac etiam religiosi, prætextu quorumdam indultorum ac concessionum seu privilegiorum et exemptionum a Sede Apostolica per ipsos obtentorum et ab inquisitoribus haereticae pravitatis, in eisdem civitatibus et locis per Sedem Apostolicam aut illius auctoritate deputatis, illorum iurisdictione exemptos se praetendentes, varias propositiones scandalosas et erroneas ac piarum mentium offensivas et quandoque etiam haeresim sapientes, ac catholicae fidei minus consonas, christianaeque pietati et bonis moribus minime conformes, publice proponere ac disputare et pro viribus sustinere, necnon populis praedicare, non sine magno christifidelium animarum periculo, ipsiusque fidei detrimento et totius religionis opprobrio, temere audeant et praesumant.

Concessio facultatis procedendi contra quascumque regulares et prælatos privilegiatos, non tamen episcopos.

§ 2. Nos, qui desideranter in votis gerimus ut fides praefata nostris prosperetur temporibus, et pravitas hæretica de finibus fidelium extirpetur, attendentes non ideo ab Apostolica Sede privilegia et exemptiones concedi solitas esse ut per ea scandala et fidei diminutio generentur, sed potius ad ea tollendum et ipsam fidem augendum; volentesque, ne de cetero, per propositiones et praedicationem [1], quod absit, animae fidelium prolabantur, obviare, et ne, exemptionum praedictarum praetextu, valeant talium praesumptores in eorum tam detestabili temeritate perdurare, eorumque iniquitas remaneat impunita, morbo huiusmodi necessariam adhibere medelam, motu proprio et ex nostra certa scientia volumus, statuimus et ordinamus quod inquisitores praefati in tota Italia et insula Chii deputati, et in posterum deputandi, contra omnes et singulos, tam saeculares quam religiosos, quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, professores, cuiuscumque sexus, gradus, status, conditionis, dignitatis et præeminentiae, non tamen episcopalis, existant, qui propositiones suspectas, scandalosas, periculosas, errores continentes, haeresim sapientes, ac alias catholicae fidei minus consonas, christianaeque pietati et bonis moribus minime conformes huiusmodi, vel earum quaslibet in posterum asserere, seu publice proponere et populis praedicare audeant vel praesumant, iuxta auctoritatem et potestatem eis inquisitoribus a iure aut alias quomodolibet traditam et concessam, procedere et inquirere, suamque iurisdictionem exercere debeant. Necnon eis contra illos, iuxta praedictam potestatem, ut praefertur, procedendi et inquirendi et iurisdictionis huiusmodi exercendae facultatem, quatenus opus sit, eadem auctoritate de novo concedimus.

Clausulae præservativae.

§ 3. Decernentes praesentibus nostris literis, nisi per signaturam manu nostra signatam, minime derogari posse, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Iussio obediendi inquisitoribus.

§ 4. Districtiusque inhibentes locorum ordinariis, sub interdicti ingressus ecclesiae et suspensionis a regimine et administratione suarum ecclesiarum, necnon civitatum et locorum quorumlibet dominis, gubernatoribus et rectoribus et aliis quibuscumque, sub excommunicationis latae sententiae ac bonorum suorum privationis poenis, eo ipso, si contra fecerint, incurrendis, ne inquisitores praefatos, quo-

1 Cherub. legit *per propositiones et praedicationes huiusmodi in perditionem, quod etc.* (R. T.).

minus contra propositiones praefatas vel earum quaslibet, sub indultorum, concessionum, privilegiorum et exemptionum eorumdem et quovis alio praetextu, asserentes, proponentes et praedicantes huiusmodi procedere, inquirere, eorumque iurisdictionem exercere libere possint et valeant, quovis modo, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, impedire praesumant.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis et apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon Ordinum eorumdem, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et exemptionibus praedictis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis per nos et Sedem Apostolicam concessis, confirmatis et innovatis, quibus, etsi, pro sufficienti illorum derogatione, de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda foret, tenores huiusmodi pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Et quia difficile foret *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV ianuarii, millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 14 ian. 1542, pontif. anno VIII.

XL.

Comprobatio gratiarum, iurisdictionum et indultorum collegii fabricae Beati Petri principis apostolorum de Urbe, cum aliorum privilegiorum concessione[1].

Paulus III, ad futuram rei memoriam.

Dum ad universas Urbis basilicas et orbis ecclesias, pro iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio, crebris vigiliis et assiduis studiis attendimus, ad sacram praecipue B. Petri apostoli de Urbe basilicam, eo libentius nostrae mentis oculos convertimus, quod basilica ipsa in nascentis Ecclesiae sancta institutione, ac primorum christianae religionis clericorum norma, traditionibusque et sacris institutis, ac divinis regulis eloquiisque praemunita extitit, et ab eius primaeva erectione variis virtutum meritis semper resplenduit. Quamobrem nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri innumeris basilicam ipsam privilegiis et dignitatum titulis decorarunt. Unde nos, eorum ducti exemplo, decet ut basilicam ipsam nostris etiam gratiarum muneribus muniamus, et his, quae pro ipsius basilicae augmento ac personarum inibi vota sua exolventium commoditate processerunt, ne in contentionis scrupulum labantur, sed firma et illibata persistant, nostri muniminis adiicimus firmitatem, ac ut dubia, quae in privilegiis et gratiis ipsis suboriri possent, nostrae declarationis adminiculo seponantur, libenter consulimus, ac desuper providemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Basilica Sancti Petri de Urbe diversis Pontificum indultis decorata fuit.

§ 1. Sane nobis nuper, pro parte venerabilium fratrum nostrorum Francisci Aleriensis, Pauli Nucerinensis, Petri Aquensis et Philippi Burgi S. Sepulcri episcoporum, ac dilectorum filiorum magistri Ioannis Baptistae Cicadae, notarii nostri et causarum Camerae Apostolicae generalis auditoris, necnon Raphaelis de Casalibus civis Romani, modernorum fabricae dictae basilicae deputatorum exhibita petitio continebat quod nuper, postquam felicis recordationis Iulius Papa II, praedecessor noster, qui antea, cum ad basilicae prae-

Iulius II pro subventione fabricae, his qui persona vel pecunia ei subvenerent intra annum a die suae concessionis, facultatem concessit

1 Hanc bullam iste Pontifex iterato confirmavit die 10 ianuarii 1547; et Paulus IV die 20 iunii 1555: ideo non est curandum de intermediis et respective praecedentibus suspensionibus et revocationibus. Videre tamen est const. III Clementis VII, quae incipit, *Admonet*, pag. 48 huius tomi.

dictae restaurationem operarias manus apposuisset, cognoscens fabricam huiusmodi, absque piis et largis fidelium erogationibus, ad finem optatum perduci non posse, universis christifidelibus utriusque sexus, qui, infra annum ex certo tempore tunc expresso computandum, in capsa ad id in dicta basilica collocanda, per se ipsos mitterent, vel alios mitti et poni facerent tantum quantum eorum pia devotio eis dictaret, in pecunia numerata aut rebus aliis, ad opus ipsum convertendis, vel circa dictum opus se personaliter exercerent, seu tunc generali thesaurario suo, se ad pie erogandum aliquid ad opus huiusmodi, iuxta eorum devotionem, efficaciter obligarent.

Confessorem eligendi, qui certis casibus eos absolveret;

§ 2. Ut idoneum possent eligere confessorem, qui eos a certis tunc expressis casibus absolvere, et super certis etiam tunc expressis in foro conscientiae dumtaxat dispensare posset, facultatem per quasdam concesserat.

Postea que, ut huius concessionis ultramontani etiam essent participes, dictum annum ad eius beneplacitum prorogavit, et commissarium citra montes ad colligendum eleemosynas deputavit;

§ 3. Et deinde, provide attendens difficile fore praedictas, infra annum a die illarum publicationis, ad notitiam christifidelium ultra montes consistentium pervenire posse, ipsas per alias ad sui beneplacitum prorogaverat. Cupiens nonnullarum provinciarum, totam Italiam, Siciliam ultra Pharum, Corsicam, Cretam, Cyprum, Rhodum usque Ierosolymam, Dalmatiam, Croatiam, Bosniam, Ungariam, Austriam, Bohemiam et Poloniam ac insulas maris Mediterranei continentium, personas, aut in eis degentes, quae, ob locorum distantiam personaliter ad dictam basilicam se conferendi, aut per alium pias eleemosynas pro huiusmodi fabrica in dictam capsam transmittendi omnimodam commoditatem non habebant, ipsarum indulgentiarum participes fieri, universis eisdem christifidelibus utriusque sexus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae existerent, etiam ecclesiasticis, religiosis ac aliis saecularibus, per universas provincias et insulas praedictas constitutis, vere poenitentibus et confessis, qui, infra annum, et deinde ad beneplacitum suum, a publicatione priorum literarum suarum praedictarum, in dictis provinciis et insulis facienda, computandum, ecclesias in dictis provinciis et insulis, quas quidam tunc ab eodem praedecessore deputatus commissarius nominasset, iuxta illius seu deputandi ab eo providam ordinationem super eo faciendam, devote visitassent, et in capsis, ad id in subsidium dictae fabricae deputandis, pias eleemosynas effectualiter ponerent, peccatorum remissiones et alia spiritualia dona concesserat et indulserat per quasdam alias.

Quo commissario vita functo, alium deputavit, et eleemosynas elargientibus plenariam peccatorum remissionem concessit 1;

§ 4. Et postea, eodem commissario vita functo, idem praedecessor alium deputando, universis christifidelibus utriusque sexus, tam saecularibus quam regularibus Ordinum quorumcumque, provinciarum et insularum praedictarum, qui, iuxta eiusdem commissarii aut deputati seu subdelegati aut deputandorum seu subdelegandorum ab eo providam ordinationem super eo faciendam, in capsis ad id deputandis, iuxta nuncii et commissarii, ac deputandorum et subdelegandorum praedictorum ordinationem et arbitrium, pias eleemosynas effectualiter posuissent, plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem consequerentur.

Confessorem quoque eligendi licentiam dedit, qui absolv. etc. 2.

§ 5. Et qui cum praefatis commissario seu delegandis et subdelegandis praedictis convenirent, ut idoneum possent eligere confessorem presbyterum saecularem

1 Tu scias omnes indulgentias pro quibus porrigendae sunt manus adiuditrices, revocatas esse a Pio V in eius constitutione, *Etsi dominici*. 2 Adverte quod confessionalia et similia indulta sunt reducta ad formam Concilii Tridentini a Pio IV in eius constitutione, *In principio*. Et confessorum eligendorum formam et facultatem declaravit Clemens VIII in eius bulla, *Quaecumque*.

vel cuiusvis Ordinis, etiam Mendicantium, regularem, qui, eorum confessione diligenter audita, pro commissis per eos delictis et excessibus ac peccatis quibuslibet, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam in Sedi praedictae reservatis casibus, ac censuris ecclesiasticis, etiam ab homine vel ad alicuius instantiam latis, de consensu partium, etiam ratione interdicti incursis, et quarum absolutio dictae Sedi reservata foret (praeterquam machinationis in personam Summi Pontificis, occisionis episcoporum aut aliorum superiorum praelatorum, et iniectionis manuum violentarum in illos aut alios praelatos, falsificationis bullarum et literarum Apostolicarum, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac sententiarum et censurarum, occasione aluminum Tulphae suae, ac de partibus fidelium ad infideles, contra prohibitionem suam delatorum [1]), semel in vita; et in non reservatis casibus, toties quoties id petiissent; et in mortis articulo, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem impendere, ac poenitentiam salutarem iniungere, et Eucharistiae sacramentum, praeterquam in die Paschatis et in mortis articulo, aliis anni temporibus ministrare. Nec non per eos emissa vota quaecumque (ultramarino, ingressus Religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare. Ac cum simoniae in ordinibus vel beneficiis commissae labe pollutis, ad ipsum opus contribuentibus, super irregularitate, si quam censuris huiusmodi ligati, missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, aut alias divinis se immiscendo, seu alias quomodolibet, etiam beneficia ecclesiastica, praemissorum occasione vel alias, indebite occupando, praeterquam ratione homicidii voluntarii et bigamiae, contraxissent, dispensare, eosque absolvere, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam ex his provenientem abolere, et ut in susceptis ordinibus ministrare, ac sic acquisita beneficia ecclesiastica, quae ex tunc eis de novo collata censerentur, et perceptos ex eis fructus, etiam ratione omissionis horarum canonicarum et divinorum officiorum, facta aliqua compositione cum eis, concedere.

§ 6. Necnon super male ablatis, incertis vel per usurariam pravitatem quaesitis, etiam certis, quae foenerator ab alio foeneratore extorsisset, et quae ipse requisitus usuras restituere paratus non esset, vel alicui privatae ecclesiae deberentur, in quibus tamen Romana Ecclesia de iure communi succedere posset, ac etiam bonis, quae ad alicuius manus pervenissent, et illa habentes, quibus restitui deberent ignorassent vel dubitassent, quamquam male ablata per eos non existerent, seu illa ad eos pervenirent; et similiter de his, quae pauperibus et a is piis locis, in genere et absque ulla spe iali determinatione, et propriis nominib personarum non expressis, relicta foren pro p·aeterito et futuro ex tunc tem oribus componere. Ita ut, soluta ali a quar titate pro dicta fabrica eidem nu cio vel commissario vel deputando vel ubdele‹ ando ab eo dumtaxat, in ipsis ca sis pon nda, a reliquorum sic relictorum et male ablatorum, ac per usurariam avitate ı extortorum, seu quae ad eos ias pervenissent, et cui ea restituere de nissent lubitabant vel ignorabant, ut p aefertur, restitutione absoluti existeren , ultra restituere minime tenerentur, e concedere; ac illa, quae ante publicatio em dictarum indulgentiarum suarum inex cta, etiam si illa ordinariis, pro ipsis tamen incertis, quoquo modo relicta, donata et quae eis quovis modo obveniebant;

Commissario dedit etiam potestatem componendi super male ablatis, incertis vel usurarie quaesitis et debitis ecclesiae, cui Romana succederet Ecclesia, dubiisque personae incertae vel ignoratae ac super legatis locis piis vel pauperibus incertis 1;

1 Cherub. addit *incursorum* (R. T.).

1 Nota quod si non sit compositio, integra debentur fabricae, ut mox infra disponitur.

Exigendique indebita ordinariis etc.,

§ 7. Necnon quae ab ipsis ordinariis, vel eorum nomine, post ipsam publicationem exacta, et eis quoquo modo soluta; ac etiam quae ante publicationem ipsam, pro ipsis tamen certis aut incertis personis et locis non debebantur, sed post publicationem praedictam deberi coeperunt, etiam si ea ordinariis, ut praemittitur, relicta, donata aut obventa, tamquam eis indebita, per ipsum commissarium et delegandos ac subdelegandos ab ipso, nomine dictae fabricae, libere exigi ac peti et assequi posse et debere, etiam sub censuris ecclesiasticis ac poenis pecuniariis, aliisque iuris remediis opportunis, invocato etiam ad hoc, si opus esset, auxilio brachii saecularis.

Dispensandi quoque in multis casibus.

§ 8. Ac quoscumque, qui ante aetatem legitimam ad sacros presbyteratus ordines, absque aliqua dispensatione, se promoveri fecissent, et in susceptis ordinibus etiam ministrassent; ac qui, ex quavis licita aut illicita cognatione provenientes, affinitate et consanguinitate aut cognatione, carnali vel spirituali, inter levatum et levantem, excepto simplici aut multiplici gradu; ac quoscumque qui publicae honestatis iustitiae impedimento, seu alias quomodolibet impediti, matrimonium, scienter vel ignoranter, in quarto vel in tertio, ac per copulam fornicariam, non tamen publicam, etiam in primo affinitatis gradu, contraxissent et carnali copula consummassent, si impedimentum huiusmodi in iudicium deductum non fuisset, vel scandalum generare non posset, ab excessu huiusmodi ac excommunicationis sententia, quam propterea incurrissent, iniuncta inde eis pro modo culpae poenitentia salutari, quae ad fabricam huiusmodi dirigeretur, et quod de cetero talia non committerent, nec committentibus auxilium, consilium vel favorem praestarent, et aliis, quae de iure forent iniungenda, absolvere, et ut de novo invicem matrimonium contrahere et in illo sic contracto similiter remanere libere et licite valerent. Prolem tunc susceptam ex huiusmodi matrimonio, si qua esset, et ex tunc de cetero suscipiendam, legitimam decernendo, in foro conscientiae dumtaxat, tam quoad alios quam quoad illos, qui, in tertio vel quarto consanguinitatis gradu existentes, matrimonium contraxissent, ut praefertur, quos in utroque foro absolvi, et matrimonium de novo, etiam publice, contrahere posse voluerat, et cum eisdem promotis super irregularitate, quam, etiam in dictis ordinibus ministrando, contraxissent, quodque in dictis ordinibus ministrare possent, dispensare.

Ampliavit etiam fabricae bona ecclesiastica indebite occupata;

§ 9. Ac cum quibuscumque, qui bona ecclesiarum, monasteriorum et ecclesiasticorum beneficiorum quorumlibet haberent, et iudicialiter, deficientibus probationibus, ad illorum restitutionem compelli non possent, etiam si per eos probari posset, et bona omnia ac quaecumque legata et alias quomodolibet, etiam haereditatis titulo, pro male ablatis restitutione, relicta hactenus et quae relinqui et legari contingeret in futurum, durante deputatione nuncii et commissarii huiusmodi, in quibuscumque testamentis, donationibus causa mortis, codicillis aut aliis ultimis voluntatibus per quoscumque et ubicumque factis, et quae durante huiusmodi deputatione factae forent quibuscumque incertis ecclesiis et piis locis, aut personis similiter incertis vel absentibus, taliter quod, propter ipsorum absentiam, merito ab eis notitia haberi non posset. Ac etiam quae restitutioni subiacerent, sed in eis vel ad ea personis, quibus illae fieri deberent, receptio non competeret; necnon quaecumque in testamentis, donationibus causa mortis, codicillis aut aliis ultimis voluntatibus pro redemptione captivorum, etiam si Beatae Mariae de Mercede et Sanctae Trinitatis Redemptionis captivo-

Relictaque pro male ablatis incertisve locis piis et personis;

Restituendaque et cui receptio non competit ac relicta vel debita Redempt. ni captivorum:

rum Ordinibus et Sanctae Eulaliae Barchinonensis relicta forent, ac haereditates et bona decedentium ab intestato clericorum et laicorum, etiam ex indulto apostolico aut alias, ad redemptionem praedictam captivorum dedicata, pertinere debuissent, facultate nunciis et commissariis concessa huiusmodi durante.

Itemque exponendas in conviviis et spectaculis publicis, tempore festivitatum.

§ 10. Necnon omnes et singulas pecunias et res alias, quae in prandiis et conviviis ac publicis spectaculis in aliquibus celebritatibus ex voto et statuto ac consuetudine in quibusvis locis exponi consueverant, et, facultate nuncii et commissarii huiusmodi durante, exponi debuissent, ad fabricam huiusmodi applicaverat, et sub restitutione bonorum ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi, competenti recepta portione vel quantitate pro eis, in fabricam huiusmodi convertenda, ipsos sic ea tenentes ab ulteriori eorum restitutione libere absolvere, et quod illa retinere libere possent in posterum eis etiam concedere.

Commissario praedicto idem Iulius II dedit facultatem interpretandi dubia exorienda in sibi commissis,

§ 11. Ipseque nuncius et commissarius et quibus vices suas in genere vel in specie duxisset committendas, possent dubietates quascumque, tam super qualitate personarum, quibus facultas eligendi confessorem concedi posset, etiam si comprehenderentur communia civitatum, universitates oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum et collegia, quae et illorum singulares personae absolutione a praemissis vel aliquo praemissorum ac dispensatione super eis vel aliquo eorum indiguissent, quam cetera alia dubia decidere, et summam pecuniariam pro consequenda indulgentia huiusmodi et aliis praemissis limitare et taxare, ac facultatem eligendi confessorem huiusmodi concedere.

Suspendendique indulgentias aliis concessas ut hic.

§ 12. Ac quascumque indulgentias, tam a dicto praedecessore quam a praedecessoribus suis et Sede praedicta vel eius auctoritate quibuscumque ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam nostro, tunc suo, Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, Ordinis Sancti Augustini, et aliis piis locis, universitatibus, confraternitatibus, cuiuscumque qualitatis et ad quemcumque usum, etiam laicorum et clericorum, institutis, et singularibus personis, etiam plenarias, in vita; ac quascumque facultates, quibusvis personis; cuiuscumque dignitatis, etiam cardinalatus honore aut legatione fungentibus, super praemissis vel aliquo praemissorum eatenus concessas (praeterquam ratione sustentationum pauperum et miserabilium personarum in Parisiensi et Sancti Iacobi de Galitia ac Portugalliae regni hospitalibus degentium, quas, quoad illorum usum, in provinciis, in quibus dicta hospitalia respective sita sunt, secundum Cancellariae nostrae morem, terminandis, et non in aliquibus aliis locis durare voluerat; ac expeditionis contra infideles et haereticos concessas), etiam quascumque clausulas praeservativas adversus revocationes et suspensiones earumdem in se continentes, quando et quoties et ad quod tempus nuncio et commissario praefato vel deputandis et subdelegandis ab eo videretur opportunum, suspendere, quas omnes et singulas idem praedecessor ad sui beneplacitum suspenderat, prohibens quaestas quascumque illarum occasione fieri solitas.

Et idem Iulius II easdem indulgentias animabus existentibus in purgatorio suffragari decrevit.

§ 13. Et ut animarum salus eo potius procuraretur quo magis aliorum egebant suffragiis, animabus in purgatorio existentibus, quae per caritatem ab hac luce Christo unitae decesserant, et quae, dum viverent, sibi ut huiusmodi indulgentia suffragaretur meruerant, succurrere cupiens, voluerat et concesserat ut, si qui parentes, amici aut ceteri christifideles, pietate commoti, pro ipsis animabus in purgatorio, pro expiatione poenarum eisdem secundum divinam iustitiam debita-

rum, retentis, durante commissione nuncii et commissarii, ad opus fabricae huiusmodi aliquam eleemosynam, iuxta eiusdem nuncii vel deputandi ab eo ordinationem, erogassent, ipsa plenissima indulgentia per modum suffragii animabus ipsis in purgatorio existentibus, pro quibus dictam eleemosynam pie erogavissent, ut praefertur, pro poenarum relaxatione suffragaretur. Ac omnes et singulos christifideles huiusmodi, de simili potestatis plenitudine et liberalitate, qui manus adiutrices ad opus fabricae huiusmodi porrexissent, ac omnes et singulos eorumdem parentes defunctos, benefactores, qui cum caritate decessissent, in omnibus precibus, suffragiis, eleemosynis, ieiuniis, orationibus, missis, horis canonicis, disciplinis, peregrinationibus et ceteris omnibus spiritualibus bonis, quae fiebant et fieri poterant in tota universali sacrosancta Ecclesia militanti et omnibus membris eiusdem, participes in perpetuum fierent.

Leo X praedicta omnia confirmavit, et notarios ad ostendendum legata praefata cogi posse decrevit;

§ 14. Et deinde piae memoriae Leo Papa X, etiam praedecessor noster, praemissa omnia, indulgentias et privilegia recensens, illaque motu proprio ac de apostolicae potestatis plenitudine approbans et confirmans, et de novo, quatenus opus esset, concedens, certis commissariis suis, in quibusdam provinciis et locis tunc expressis ad triennium ex tunc computandum deputatis, potestatem concesserat omnes et singulos, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis forent, relicta et applicata praedicta penes se quomodolibet detinentes, ad illorum restitutionem et solutionem; et notarios ac tabelliones quoscumque, de relictis praedictis rogatos, proposita illis competenti mercede, ad ostendendum eis, ad praemissorum effectum, toties quoties requisiti forent, eorum libros et protocolla, et dandum particulas, relicta et applicata concernentes, in publicam et authenticam formam, appellatione postposita, cogendi et compellendi.

Et commissario praedicto dedit facultatem componendi ad utilitatem fabricae super legatis certis infra annum non executis ad favorem certorum locorum vel personarum [1];

§ 15. Et quoniam, sicut dictus Leo praedecessor fide dignorum testimoniis acceperat, in locis praedictis quamplures existebant, qui etiam relicta certis locis et personis, sub aperta et speciali expressione et etiam ex voto, post annum illa solvere et exequi, etiam requisiti, contemnebant, contra defunctorum voluntatem, in animarum suarum [2] et locorum et personarum quibus relicta erant praeiudicium et iacturam; volens animabus ac locis et personis praedictis opportune consulere, eisdem commissariis in solidum etiam dederat in mandatis ut, requisiti ab executoribus testamentorum, seu locis et personis praedictis vel eorum nomine, facta aliqua compositione cum eis super certa parte, in quam convenirent, fabricae praedictae applicanda, in quam, quantum ad id, ipsorum testantium et relinquentium in favorem dictae fabricae, motu ac de plenitudine praedictis et ex certa scientia, voluntatem commutaverat, omnes et singulos dictorum sic relictorum detentores ad effectualem solutionem cogerent et compellerent; ac solventes de receptis quietandi et absolvendi, necnon ad id tot quot duxissent opportunum, cum simili aut limitata potestate, substituendi facultatem et potestatem; ipsisque solventibus ac quietantiam a dictis commissariis obtinentibus plenariam indulgentiam et remissionem omnium peccatorum suorum; et, si saeculares forent, quod possent ad usum censurarum praedictarum eligere sacerdotem idoneum, quem voluissent, concesserat; ac quod praefati deputati eisdem commissariis computum et rationem de receptis reddere tenerentur.

Bonaque stabilia vendendi, et mobilia ad

§ 16. Ac commissarii et deputati praedicti possent et valerent relicta et appli-

1 Tu scias quintam partem de his fabricae deberi, ut mox infra declaratur. 2 Cherub. omittit *suarum* (R. T.).

Urbem, absque solutione gabellae, transferendi;

cata praedicta, quae immobilia forent, per publica bannimenta plus offerenti vendere et perpetuo alienare; et mobilia, quae transferri commode possent, ad fabricam ipsam, absque solutione pedagii seu gabellae, transferre voluerat.

Exemitque fabricae commissarios a superioritate ordinariorum et aliorum;

§ 17. Et deputandos praedictos a potestate et iurisdictione quorumcumque legatorum ordinariorum omnium, tam ecclesiasticorum quam saecularium, et nulli alteri nisi ipsi Leoni praedecessori et certo tunc expresso iudici voluit subiacere, certis etiam adiectis in contrafacientes poenis, exemerat.

Et super votis et peregrinationibus a testatoribus relictis et non executis, eosdem commissarios fabricae componere posse voluit;

§ 18. Ac successive per eum accepto quod commissarii per eum deputati praedicti, in prosecutione praemissorum, multa invenerant vota, itinera sive peregrinationes diversis ecclesiis in testamentis et aliis ultimis voluntatibus relicta fuisse, et adhuc tunc inexecuta manere; quodque tam haeredes quam fideicommissarii huiusmodi votorum, ac aliae particulares personae et officiales commissioni sibi factae conabantur opponere et contraire, aliique complures pias testatorum dispositiones, avaritia obcaecati aut alia minus iusta causa, violare nitebantur, et in proprias sive aliorum utilitates convertere; ac quod quamplures presbyteri et clerici ac religiosi diversorum Ordinum ac piorum locorum, etiam saeculares, curam habentes, inveniebantur, qui non solum ad eosdem commissarios, ut ipsis presbyteris, clericis, religiosis et saecularibus ex dictorum locorum negotiis in exigendo relicta eis et eorum locis facta, commissarii ipsi faverent, et cum eis pro aliqua parte in usum dictae fabricae convertenda convenire non curabant, verum etiam requisiti ad id faciendum, aut dicebant illa nolle exigere et quemquam ad solutionem vexare, aut mentitis et confictis quietantiis debitorem absolvebant, in fraudem ipsius fabricae, ac ecclesiarum et locorum praedictorum praeiudicium; ac quod notarii et tabelliones conabantur ab eis, pro testamentorum et scripturarum ostensione, mercedem extorquere, declaraverat suae intentionis fuisse praefatos commissarios suos vota, itinera et visitationes praedicta, in testamentis et ultimis voluntatibus huiusmodi quomodolibet adnotata, in usum dictae fabricae commutare, ac quod dicti commissarii ipsa inquirere, petere et exigere possent.

Fraudemque contra fabricam circa exactionem committentes et officiales exigere volentes excommunicationi subiecit, et per commissarios puniri iussit;

§ 19. Decernentes omnes et singulos, cuiuscumque dignitatis, ordinis et religionis existentes, tam ecclesiasticos quam mundanos, fraudem et falsitatem aliquam committentes, aut quietantias vel scripturas aliquas machinantes aut facientes, propter quas praeiudicium ipsi fabricae aut impedimentum vel damnum oriri potuisset vel inferretur, et eos qui nolle exigere asseruissent, ut praefertur, maioris excommunicationis sententiae subiacerent. Et nihilominus eosdem commissarios suos contra suspectos in praemissis per viam inquisitionis, summarie, simpliciter et de plano, procedere, et repertos culpabiles condignis poenis afficere possent et valerent.

Notariosque cogi ad ostendendum libros, oblata mercede duorum cum dimidio pro centenario pecuniae exigendae;

§ 20. Notarios vero et tabelliones praefatos, pro eorum competenti mercede, de duobus cum dimidio, pro quolibet centenario, quod vigore instrumentorum suorum effectualiter exigerentur, contentos esse voluerat, et eos plus petere non posse; et tamen ad ostendendum libros et eorum protocolla teneri decreverat, quoties ab eis fuissent requisiti, absque alia expectatione mercedis, sub eadem poena excommunicationis.

Relicta etiam ante septennium dictae commissione Leonis X comprehendi voluit;

§ 21. Relicta vero eorum et aliorum, quibus non solum a septennio infra, sed etiam quocumque tempore ultra, facta forent, voluerat sub commissionibus suis comprehendi, et ipsi fabricae applicata esse, prout applicaverat.

Et super rata fabricae obvenienda componi posse;

§ 22. Ac voluerat super relictis, pro rata eidem fabricae obvenienda, etiam super haereditatibus, in quibus usufructuarii ad tempus seu ad vitam ipsorum aut deputati, et in quibus illa solvendi a testatoribus limitatum terminum fore reperirent, etiam ante annum a die obitus eorumdem testatorum computandum, ipsa relicta pro dicta fabrica exigere.

Exactaque penes quascumq. personas existentia fabricae vendicare;

§ 23. Ac relicta et alia dictae fabricae applicata, per ordinarios locorum vel eorum nomine catenus exacta, ab ipsis ordinariis, penes quascumque personas existentia, pro dicta fabrica vendicare.

Relictorumque certorum et infra annum non executor. quintam partem capere,

§ 24. Ac etiam relictorum certis personis factorum, et infra annum etiam non executorum, quintam partem pro ipsa fabrica, etiam si quibus relicta ipsa facta essent, voluerint illa inexacta relinquere, accipere possent et valerent.

Legataque incerta (si non sit compositio) integra idem Leo X fabricae deberi decrevit;

§ 25. Et quoniam in literis facultatum et indulgentiarum in favorem dictae fabricae co icessarum, et per dictum l conem prae lecessorem confirmatarum, i iter alia, cor inebatur ut nunc i et comm issarii ips rum facultatum et indu gentiarum et) ipsis deputa idi posser t cum retinenti us relicta fact in certis p ers nis vel abser bus, taliter qu d, propte eo um absentia , merito ab is notitia ha eri non poss t, recepta co ipe enti p rti ne vel quan tate, prout super us en rra ur, compone e ac eos abso vere. Et i non nulli ten ntes relicta h iusmodi negle tissent eat ius cum dictis comm issariis compone e, voluerat eti m ut illos sic ea tenentes el quomodolid t occupa tes ad consigna lum illa integr eisdem c mm issariis sui pro dicta fabrica cogere et compellere valerent summarie, simpliciter et de plano, sola facti veritate inspecta, ac omni tela iudiciaria posthabita, censuris et poenis ecclesiasticis et aliis pecuniariis, de quibus eis videretur, invocato etiam, si opus foret, auxilio brachii saecularis, super quibus omnibus et singulis plenam eis et eorum cuilibet in solidum concesserat facultatem et potestatem.

Commissariis dedit potestatem permittendi in locis sacris sepeliri mortuos absque confess. etc.;

§ 26. Et subsequenter idem Leo praedecessor per reliquas suas literas, ad certum similiter tempus duraturas, certis commissariis, deputandis seu nominandis, inter alias consimiles supra expressas facultates, in vigintiquinque provinciis et sub quibus provinciae supra expressae existebant, concesserat quod ipsi commissarii eis, qui sine confessione moriebantur, etiam si infra annum non fuissent confessi, dummodo in eis signa contritionis in articulo mortis apparuissent, ut in loco sacro sepeliri possent, concedere, et contradictores similes poenas incurrisse declarare, ac summam pecuniarum, pro consequenda indulgentia huiusmodi et aliis praemissis, ac facultatem eligendi confessorem limitare et taxare.

Altareque portatile presbyteris etc concedendi [1];

§ 27. Necnon nobilibus et presbyteris ac graduatis altare portatile, quod cum debitis reverentia et honore retinerent, et super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis, etiam non sacris, et ecclesiastico interdicto, generali vel speciali, tam apostolica quam ordinaria auctoritate, appositis, dummodo causam non dedissent huiusmodi interdicto, et antequam illucesceret dies, circa tamen diurnam lucem, in sua ac suorum familiarium domesticorum praesentia, iuxta formam capituli *Alma*, *De sententia excommunicationis* in VI, missas et alia divina officia per seipsos, qui presbyteri erant, aut pro tempore forent, celebrare, seu per alios sacerdotes celebrari facere; ac tempore interdicti huiusmodi divinis interesse ac Eucharistiam et alia ecclesiastica sacramenta, sine alicuius praeiudicio, praeterquam in die dominica Resurrectionis, ac-

[1] Ad hoc videndum est Concilium Tridentinum, sess. XXII, decretum *De observ. et evit. in cel. Missae* post Canones; et sess. XXV, cap. 12, *de Regular.*

cipere, et eorumdem corpora ecclesiasticae tradi possent sepulturae, sine tamen funerali pompa, concedere.

Iuramentaque obligationum ad effectum agendi, relaxandi;

§ 28. Nec non quaecumque iuramenta in quibusvis contractibus, instrumentis, obligationibus, praeterquam in forma Camerae appositis, ad effectum agendi dumtaxat, relaxare, et ab eis et a quocumque periurio, sine tamen tertii praeiudicio, absolvere.

Indulgentias locorum piorum et illas suspendendi etc.;

§ 29. Ac quascumque indulgentias, etiam illas a media quadragesima usque ad Pascha inclusive ab Ordinibus Mendicantium publicari solitas, tam ab eodem Leone quam a suis praedecessoribus, et a Sede praedicta vel eius auctoritate, quibuscumque ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam Sancti Spiritus praedicto et aliis piis locis, universitatibus, confraternitatibus, cuiuscumque qualitatis, et ad quemcumque usum, etiam laicorum et clericorum, institutis, et singularibus personis, cuiuscumque dignitatis, etiam cardinalatus honore aut legationis officio fungentibus, super praemissis vel aliquo praemissorum hactenus tunc concessas, ac expeditionis contra Turcas et haereticos, etiam quascumque regulas praeservativas adversus revocationes et suspensiones earumdem in se continentes, certis locis tunc exceptis, quando et quoties et ad quod tempus nuncio et commissario praefato vel deputandis et subdelegandis ab eo videretur opportunum, suspendere, prout idem Leo illas suspensas fore declaravit, ac processiones publice, ad effectum indulgentiarum publicationum fieri.

Processiones ad publicationem indulgentiarum indicendi;

§ 30. Et populum ac religiosos omnes, cuiuscumque Ordinis, etiam exemptos, pro huiusmodi operibus peragendis, ad sonum campanae evocari facere possent; dictique congregati tenerentur, sub excommunicationis poena, procedere, relicto digniori loco deputatis et subdelegatis ad ipsas indulgentias exequendas; et dicti commissarii a censuris et poenis praedictis, satisfactione praevia, absolvere, et illas remittere, ac suspensionem huiusmodi indulgentiarum relaxare [1].

Transumptisque commissarior. plenam fidem dari voluit.

§ 31. Quodque etiam transumptis et confessionalibus, in dictis provinciis, insulis et finibus, quibusvis personis per praefatum nuncium et commissarium ac deputandos et subdelegandos ab eo subscriptis et suo sigillo dumtaxat munitis, fides adhiberetur, apostolica auctoritate, per literas praedictas, licentiam et facultatem concesserat et voluerat atque mandaverat.

Clemens VII etiam in nota multa quoad dictam fabricam disposuit, ut supra.

§ 32. Et postremo recolendae memoriae Clemens Papa VII, similiter praedecessor noster, volens opus praedictum, quod per praedecessores praedictos perfici non potuerat, *etc.* [2].

Hic Pontifex Hadriani VI indulta dictae fabricae confirmavit.

§ 33. Et postmodum per nos etiam accepto quod a quampluribus in dubium revocabatur an revocationis per nos in crastinum nostrae assumptionis ad summi apostolatus apicem in genere factae vigore, indulgentias, facultates et privilegia, tam per praefatos quam Hadrianum Papam VI, praedecessores nostros, fabricae et collegio praefatis concessa, comprehendere intendissemus, nos, motu et scientia similibus, indulgentias, etiam plenarias, privilegia, facultates, praerogativas et indulta, per praefatos praedecessores eisdem fabricae et collegio concessa, cum omnibus et singulis literis [3] desuper confectis contentis, adversus revocationes et suspensiones huiusmodi, in pristinum statum, in quo ante easdem revocationes quomodolibet existebant, praefata auctoritate apostolica plenarie restitueramus, reposueramus et reintegraveramus, illasque, prout per dictos praedecessores concessa erant, in omnibus et per omnia, quatenus opus esset, de novo concesseramus.

1 Cherub. addit *valerent* (R. T.). 2 Omittitur residuum narrativae quia bullam ipsam Clementis VII habes superius, pag. 48. 3 Cherub legit *cum omnibus et singulis decretis et clausulis in singulis literis* etc. (R. T.).

Revocatisque omnibus commissariis, totum negotium collegio dictae fabricae remisit cum facultate praesertim

§ 34. Et nihilominus omnes et singulos fabricae praedictae commissarios, cuiuscumque dignitatis, etiam episcopalis, gradus vel conditionis existerent, eatenus quomodolibet per collegium dictae fabricae deputatos, necnon omnes commissiones et facultates eis concessas et factas revocantes, eosque ab huiusmodi commissionibus absolventes, collegio praefatis et quibusvis ab eis ad id deputatis alios commissarios idoneos, qui ecclesias, quae pro consequendis huiusmodi indulgentiis visitare deberent, declarare, necnon super publicatione ipsarum indulgentiarum inquirere et procedere, ac falsos quaestores, commissarios et procuratores debite punire.

Principibus dimittendi partem eleemosynarum pro reparandis ecclesiis in eorum dominiis,

§ 35. Necnon quibuscumque regibus, ducibus, principibus et aliis, tam saecularibus quam ecclesiasticis, personis, cuiuscumque gradus, praeeminentiae et conditionis existentibus, in quorum dominiis, districtibus et locis aliquae ecclesiae essent, quas ipsi ex eleemosynis ex dictis ecclesiis colligendis reparare cupiebant, partem eleemosynarum praedictarum, de qua cum dictis regibus et aliis personis praefatis convenissent, ad dictum effectum dare et assignare.

Componendique super ablatis in direptione Urbis,

§ 36. Necnon super bonis in direptione Urbis subtractis, si personae illae, quibus restitui debuissent, omnino ignorabantur, ad usum dictae fabricae componere, et ut illa detinentes, si debitam diligentiam pro inveniendis ipsorum bonorum dominis fecissent, et ipsos invenire non potuissent, soluta ea pecuniarum quantitate, de qua eisdem commissariis videretur, ad illorum restitutionem aliter non tenerentur, concedere licite et libere valerent.

Et cetera alia faciendi, iuxta formam literarum Rom. PP.,

§ 37. Deputandi facultates, et potestates praefatas in se etiam retinendi, ac omnia et singula in singulis literis singulorum praedecessorum et nostris huiusmodi contenta faciendi, procurandi, exercendi, ordinandi et exequendi, dummodo commissarii ad hoc deputandi personae essent ecclesiasticae, et speciales super eo a dicto collegio literas haberent, plenam et liberam facultatem concesseramus.

dummodo commissarii deputandi sint ecclesiastici.

Postea idem Paulus III societatem Principis Apostolorum erexit, et confratrib. multas gratias concessit,

§ 38. Ac etiam per alias, tam in dicta basilica quam in singulis civitatibus, castris, terris et locis per universum orbem consistentibus et illorum matricibus seu aliis ad id designandis ecclesiis, unam utriusque sexus christifidelium, tam ecclesiasticorum quam saecularium, societatem, sub invocatione dicti Principis Apostolorum erexeramus et ordinaveramus. In qua nos primo et deinde carissimos in Christo filios nostros, Carolum Romanorum imperatorem, et Franciscum Francorum regem ac quoscumque alios utriusque sexus, saeculares et ecclesiasticos, christifideles, cuiuscumque conditionis existerent, qui ex eorum bonis fabricam huiusmodi iuvarent, in ipsam confraternitatem descripseramus. Quibus, confraternitatem ipsam infra triennium a die publicationis ingredientibus et pro dicta fabrica de bonis sibi a Deo collatis, iuxta discretionem seu providam ordinationem commissariorum, desuper a nobis pro tempore deputatorum seu ab eisdem deputandorum, super eo faciendam, erogantibus, tam ipsis quam per modum suffragari [1] animabus defunctorum, quae in caritate decessissent, indulgentias et peccatorum remissiones, etiam plenarias, per praedictos praedecessores ac per nos, in genere vel in specie, ad fabricam praedictam manus adiutrices porrigentibus quomodolibet concessas, et quae visitantibus anno Iubilaei ecclesias ad id deputatas concedi consueverant; necnon illis, qui cum cordis contritione et oris confessione decesserint, etiam in mortis articulo, plenariam peccatorum suorum remissionem consequerentur, cum communicatione

[1] *Suffragii*, Cherub. (R. T.).

omnium spiritualium bonorum, quae fiebant et ex tunc in perpetuum fieri poterant in universali sacrosancta militanti Ecclesia, eosdem confratres quampluribus aliis spiritualibus bonis decorantes, concesseramus.

Hispanisque dictae confraternitatis confratribus eleemosynam fabricae porrigent. plenarias indulgentias elargitus est, cum potestate

§ 39. Ac postremo eiusdem Caroli imperatoris et regis, ut eidem primogenito Ecclesiae primum locum, ut par erat, daremus, subditis in Hispaniarum et illi annexis regnis, insulis et dominiis (excepto regno Siciliae citra Pharum) existentibus et in eis commorantibus, ac ad illa undecumque venientibus, utriusque sexus, tam saecularibus quam regularibus Ordinum quorumcumque dictae confraternitatis confratribus vere poenitentibus et confessis, seu confitendi statutis temporibus propositum habentibus, qui in Nativitatis et Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi ac beatorum Petri et Pauli apostolorum vel tribus aliis festivitatibus, per commissarium per nos deputandum, quolibet ex tribus annis designandis, aliquas ecclesias seu altaria, dicto triennio durante, visitarent, et in capsis ad id deputandis aliquam piam eleemosynam, iuxta eiusdem commissarii seu ab eo deputandi ordinationem, pro fabrica huiusmodi prosequenda, per se vel alium, effectualiter ponerent, plenissimam, etiam sacro Iubilaei centesimo anno ecclesias urbis Romae visitari solitas visitantibus, et ad recuperationem Terrae Sanctae, et sacrae orthodoxae fidei catholicae et dominicae crucis hostium expugnationem proficiscentibus, ac omnes et singulas gratias illis concessas et concedi solitas concesseramus.

Confessorem eligendi, qui absolvat etc.;

§ 40. Cum potestate eligendi sibi confessorem, qui, ad effectum indulgentias huiusmodi consequendi, confessionibus auditis, eos ab omnibus et singulis sententiis et censuris ecclesiasticis quomodocumque, a iure vel ab homine, in eos latis, necnon peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam si illorum absolutio Sedi Apostolicae reservata existeret, et praeterquam conspirationis in personam Romani Pontificis aut Statum Romanae Ecclesiae, occisionis vel verberationis episcoporum aut aliorum praelatorum, et iniectionis manuum violentarum in illos, falsificationis literarum apostolicarum, aut delationis armorum et aliorum prohibitorum ad infidelium partes, atque sententiarum et censurarum, occasione aluminum Tulphae nostrae, ac de partibus infidelium ad fideles, contra prohibitiones nostras, delatorum, necnon ecclesiasticae libertatis ac privilegiorum Sedi Apostolicae, etiam ex consuetudine, competentium, ac aliorum, id et executionem literarum et mandatorum apostolicorum, etiam in bulla in die Coenae Domini legi consueta ac aliis apostolicis constitutionibus comprehensorum, concernentia, quomodolibet violatorum, incursarum, semel tantum absolvat; et pro animabus defunctorum, cum communicatione bonorum spiritualium praedictorum et stationum Urbis indulgentiarum; nec non esus ovorum, butyri et lacticiniorum temporibus prohibitis, ad eorum libitum, et carnium, de utriusque medici consilio, licentia et concessione, et cum eisdem seu similibus facultatibus commissariis ad id deputatis seu ab illis subdeputandis, per praedictos praedecessores nostros seu ab eis deputari solitis, iuxta tenorem praenarratarum literarum, seriatim in nostris desuper expeditis literis, descriptis et adnotatis, concessione.

Commissariisque fabricae dedit potestatem dispensandi in casibus hic expressis.

§ 41. Necnon praedictis commissariis, ut praemittitur deputandis, quod eos, qui arctati forent, et vigesimumtertium suae aetatis annum attingerent, ut ad omnes sacros etiam presbyteratus ordines promoveri, et unum beneficium ecclesiasticum obtinere; necnon cum quibusvis re-

ligiosis, professis et non professis, quorumcumque Ordinum et quacumque licita facultate, et cum saecularibus clericis seu presbyteris, qui graduari velint, etiam in quacumque Universitate, etiam leges audire eisque studere, ac in ipsis graduari usque ad doctoratus gradum inclusive similiter valerent. Et cum eisdem religiosis, qui, relicto Religionis habitu, per saeculum vagantes, apostasiae notam seu irregularitatem contraxerint, et deinde, poenitentia ducti, ad cor redierint, quando inde verisimiliter scandalum expectari non posset; et cum his, qui de Ordine suo ad alium Ordinem parem vel strictiorem transferri cuperent; necnon cum ipsis ac etiam quibuscumque monialibus, cuiusvis qualitatis et Ordinis existerent, ut, de superiorum suorum licentia et ea durante, monasteria exire et cum parentibus et aliis ecclesiasticis personis seu saecularibus conversari; et corporalia et alia ecclesiae ornamenta, dummodo per presbyterum primo, vel per eas cum chirothecis abluerentur, abluere et mundare, toties quoties opus foret, licentiam et facultatem concedere. Quodque eos, qui moniales, etiam velatas, commatres, sorores, consanguineas carnaliter, damnabili et incestuoso coitu cognovissent, aut aliud quodcumque carnale crimen, cuiuscumque qualitatis existeret, commisissent, absolvere; ac eos, qui in quarto, vel tertio et quarto, si tamen ab eodem stipite penderent, et non alias, affinitatis vel consanguinitatis gradibus invicem coniuncti, ac quocumque impedimento publicae honestatis iustitiae, praeterquam inter levatum et levantem, etiam cognatione spirituali detenti, et etiam carnali copula subsecuta contraxissent, ac etiam qui huiusmodi matrimoniis, etiam clandestinis, intervenissent, seu praesentes et consentientes fuissent, a censuris propterea incursis absolvere, ac cum eis ut in sic contractis matrimoniis remanere, et cum his, qui in casibus praedictis contrahere voluissent, ut matrimonium ad invicem contrahere possent, dispensare valerent. Decernentes praemissa omnia, per eumdem commissarium sic facienda, in utroque foro valere, quibusvis contrariis nequaquam obstantibus.

Hic Pontifex collegio fabricae dedit potestatem procedendi contra quoscumque alios quaestores, comprehensos sub eius const. edita die IX augusti MDXLI, quam hic, uti superfluam, praetermisi;

§ 42. Cum nos per alias nostras literas similiter accepto per nos quod nonnulli hospitalium, etiam nostri Sancti Spiritus praefati et Sancti Ioannis Lateranensis, ac Sancti Iacobi Incurabilium de Urbe et monasteriorum Sancti Sebastiani extra muros dictae Urbis, ac Sancti Antonii Viennensis, Cisterciensis et Sancti Augustini Ordinum, ac Mercedis Redemptionis captivorum, etiam Sancti Helmi, Sancti Bovis, Sancti Bernardi, Sancti Leonardi, Sanctae Marthae, Sanctae Catherinae Montis Synai, Sancti Viti et Sanctae Mariae della Heremita quaestores et commissarii, non obstante suspensione privilegiorum super quaestis faciendis et confratribus describendis et indulgentiis publicandis concessorum, ac suppressione cappellarum sub invocatione Sancti Sebastiani, ac revocatione commissariorum, nunciorum et quaestorum, vigore privilegiorum praedictorum constitutorum, ac prohibitione faciendi quaestas, et indulgentias et alias gratias publicandi, ac confratres describendi et confessionalia concedendi, et in certis casibus matrimonialibus dispensandi, quaestas facere et alia praedicta exercere minime erubescant. Et successive, etiam non obstante alia prohibitione a nobis desuper narrata, nonnulli etiam quaestores et commissarii, tam praedictis quam aliis forsan nominibus, vigore privilegiorum praedictorum et forsan aliorum, etiam a nobis, licet contra mentem nostram, emanatorum, tam quaestas facere quam indulgentias et alia, ut praefertur, prohibita publicare et exercere,

ac diversas pecuniarum summas, res et bona exigere, et aliqui forsan sibi ipsis appropriare non destiterant, omnes et singulas pecuniarum summas, res et bona ex quaestis, eleemosynis et indulgentiis et aliis praedictis eatenus proventa, et penes quaestores et commissarios praefatos ac nuncios, ministros, thesaurarios, depositarios, loca, collegia et universitates existentia, quae eatenus hospitalibus, monasteriis et aliis locis praedictis minime incorporata fuerant, basilicae [1] et illius collegio et deputatis concessissemus et applicavissimus; omnesque quaestores, commissarios, nuncios et alios officiales praefatos revocavissemus; omnemque facultatem, potestatem et auctoritatem quaestuandi, indulgentias et alias gratias publicandi, confratres describendi, confessionalia concedendi, in gradibus matrimonialibus prohibitis dispensandi, ab homicidiis casualibus seu voluntariis ac simoniae labe absolvendi, ac vota commutandi, et forsan alia exercendi, a quaestoribus, commissariis, ministris, thesaurariis, depositariis et aliis praedictis, necnon guardianis, officialibus et aliis superioribus hospitalium, monasteriorum, etiam Redemptionis captivorum et aliorum locorum praedictorum, privilegia et facultates eos substituendi et deputandi habentibus abdicavissemus et amovissemus. Ita quod ex tunc de cetero, perpetuis futuris temporibus, quaestores et commissarii et alii officiales ad quaestas et alia praedicta exercenda ab aliquibus, etiam a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus, constitui et deputari non possent, nisi ipsis constitutioni et deputationi collegii deputatorum fabricae huiusmodi expressus accederet assensus, cum mandato universis et singulis praefatorum hospitalium, monasteriorum et aliorum praedictorum, ut pecunias, res et bona ex quaestis, indulgentiis et aliis praedictis acquisita, et, ut praefertur, dictae fabricae applicata et concessa, penes ipsos existentia, et nondum, ut praefertur, incorporata, praefatae fabricae, et pro ea praefatis collegio deputatorum et illorum officialibus, ad quos [1] et utilitatem dictae fabricae exponenda et convertenda persolverent et assignarent. Eisdem vero et pro tempore existentibus deputatis et [2] praefatis fabricae huiusmodi, ut quaestores, commissarios et alios officiales ac personas, penes quos pecuniae, res et bona huiusmodi existebant, sub poenis et censuris, de quibus eis videretur, tam posteriorum praedictorum quam aliorum privilegiorum dictae fabricae et illius deputatorum collegio concessorum vigore, ad solutionem et consignationem huiusmodi faciendam cogerent et compellerent, ac easdem posteriores literas et in eis contenta quaecumque inviolabiliter observari mandarent et facerent, inobedientes et rebelles ac contradictores quoslibet per poenas et censuras praedictas, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus esset, auxilio brachii saecularis. Ac, post publicationem posteriorum literarum nostrarum praedictarum, nonnulli locorum ordinarii, eorumque vicarii, officiales et alii ministri, lucri, ut creditur, cupiditate ducti, in contemptum literarum nostrarum earumdem et poenarum in illis contentarum, nonnullis hospitalium, monasteriorum et aliorum locorum praedictorum quaestoribus et commissariis quaestas praedictas faciendi, aliaque praedicta exercendi, ac diversas indulgentias publicandi, licentias per eorum patentes literas expresse concedere et impartiri non erubescerent, vel ipsos publice quaestuare permitterent seu dissimularent, in animarum suarum periculum, et perniciosum exemplum ac scandalum plurimorum.

1 *Fabricae*, Cherub. (R. T.).

1 Cherub. legit *opus* loco *quos* (R. T.). 2 Deest forsan *officialibus* (R. T.).

Ordinariisque quaestas etc. prohibet;

§ 43. Nos, circa praemissa providere cupientes, universis et singulis, tam locorum ordinariis eorumque vicariis, officialibus et ministris quam aliis quibuscumque ecclesiarum praelatis, sub [1] ingressus ecclesiae ac suspensionis a divinis, necnon excommunicationis maioris aliisque ecclesiasticis sententiis et duorum millium ducatorum auri de Camera dictae fabricae applicandorum poenis, per eos eo ipso, absque aliqua declaratione, quoties contravenirent, incurrendis, districte praecipiendo mandavimus quatenus ex tunc de cetero aliquas quaestuandi et indulgentias publicandi licentias, et desuper literas quibusvis quaestoribus et aliis personis, etiam praetextu cuiusvis antiquae consuetudinis vel possessionis, eisdem ordinariis similes licentias concedendi, et aliquam partem ex quaestis et indulgentiis huiusmodi exigendi et percipiendi, etiam vigore quorumcumque privilegiorum et indultorum ac literarum apostolicarum eis hactenus concessorum vel in posterum concedendorum, absque expressa licentia eiusdem fabricae deputatorum nullatenus concedere vel impartiri praesumerent, nec ipsos quaestores publice quaestuare permitterent seu tacendo dissimularent. Quinimmo eos ad parendum reverenter posterioribus literis nostris praedictis et in illis contentis quibuscumque omnino cogerent ac compellerent.

Collegio fabricae dat potestatem procedendi contra quoscumque quaestores, et quaesita per eos fabricae applicandi;

§ 44. Insuperque eisdem deputatis, eorumque commissariis contra eosdem ordinarios illorumque vicarios et ministros, necnon quoscumque alios ecclesiarum praelatos, superiores et personas, tam saeculares quam quorumvis, etiam Mendicantium, Ordinum regulares, quaestas facientes, in eventum contraventionis, ad declarationem incursus censurarum et poenarum praedictarum procedendi; necnon quaestores praefatos quaestas facientes, et indulgentias huiusmodi, absque ipsorum deputatorum expresso consensu, ubilibet publicantes capiendi et incarcerandi seu incarcerari faciendi; illosque tamquam inobedientes et rebelles mulctandi, et ad triremes perpetuo vel ad, de quo eis videretur, tempus relegandi; ac pecunias per eosdem quaestores, occasione dictarum indulgentiarum vel quaestarum quomodolibet acquisitas, eidem fabricae, ut praefertur, applicatas, ab eis et eorum singulis, etiam invitis et renitentibus, violenter auferendi; necnon, pro praemissis omnibus exequendis, auxilium brachii saecularis, quoties opus foret, invocandi, omnimodam concessimus facultatem. Quibuscumque nobis et eidem Sedi immediate subiectis, sub eisdem sententiis, censuris et poenis, tunc mandantes; alios vero nobis non subiectos iudices et personas saeculares in Domino hortantes ut, si et postquam pro parte dictorum deputatorum et commissariorum forent requisiti, in praemissis auxilium et favorem ac remedium opportunum praeberent, prout in singulis nostris et praedecessorum praedictorum literis, quarum singularum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, dicitur plenius contineri.

Declarat etiam dictum collegium omnibus praedictis praedecessorum indultis uti potuisse et posse ad utilitatem dictae fabricae;

§ 45. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, a nonnullis forte nimium scrupulosis dubitatum fuerit an privilegia, indulta et facultates per praedictos praedecessores commissariis et collegio praedictis concessa, per eosdem Franciscum, Paulum, Petrum, Philippum, episcopos, Ioannem Baptistam et Raphaelem, moderuos ad opus dictae fabricae deputatos, aut aliquos ex eis, sub nomine dicti collegii, hactenus exercere, vel eis uti potuerint et in futurum possint, hactenusque per eos, sub nomine dicti collegii, pro dicta fabrica gesta, valida existant, pro illorum parte, nobis fuit humiliter supplicatum ut

1 Deest aliquid, forte *interdicti* (R. T.).

desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, quibus, in sacra beati Petri Sede, meritis quamquam insufficientibus, collocatis, convenit opem et operam impendere efficaces ut eiusdem beati Petri basilicam ac illius fabricae rectores et ministros, necnon privilegia, facultates et indulta eis concessa, illaesa praeservare studeamus; considerantes diligentiam quam primo dicti Franciscus et alii deputati in opus dictae fabricae, quod dicti praedecessores, ut praedicitur, perficere non potuerunt, iuxta mentem nostram reassumendo, adhibuerunt, illudque omni conatu et totis viribus assidue prosequuntur. Quodque ad illius commodum et utilitatem, privilegiis, facultatibus et indultis ac gratiis huiusmodi in favorem dictae fabricae tantummodo utuntur; et ne christifideles ab elargitione et subsidiis retrahantur, sed ut ad illud promptiores reddantur, quo singula privilegia, facultates, concessiones et indulta praedicta noverint inviolabiliter observari, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex certa scientia et de potestatis plenitudine similibus, omnia et singula, quae per Franciscum et alios deputatos praedictos seu eorum aliquos, nomine dicti collegii ac vigore literarum patentium, eis per dictos deputatos concessarum, deputatos, commissarios et officiales, dicto nomine, earumdem literarum patentium et capitulorum forma servata, gesta, facta et executa fuerunt, fuisse et esse legitime facta, ac si privilegia, facultates et indulta, aliis commissariis per Iulium et Leonem, ac collegio praefatis per Clementem, praedecessores praedictos, respective concessa et per nos confirmata et innovata, ipsismet deputatis concessa fuissent, auctoritate apostolica, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus omnia et singula per primodictos deputatos aut eorum aliquos, seu ab eis, dicti collegii nomine, commissarios et officiales etiam deputatos gesta, dummodo commissarii et officiales hactenus, ut praefertur, deputati praedicti formam et ordinem eis, per eorum literas patentes huiusmodi sive capitula inter eos inita, [1] servaverint, approbamus et confirmamus, ac perpetuae firmitatis robur obtinere decernimus.

Itaque eidem collegio literato concedit;

§ 46. Et ut circa illa omne dubium et ambiguitas in futurum cessare debeant, ipsique deputati opus fabricae huiusmodi diligentius prosequi possint, ipsis aliisque dictae fabricae pro tempore deputatis, quod omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, facultatibus, iurisdictionibus, gratiis et indultis, tam commissariis per Iulium et Leonem, ac collegio praefatis per Clementem, praedecessores praedictos, ad commodum et utilitatem dictae fabricae, quam etiam per nos, per singulas literas praedictas, commissariisque et collegio praefatis per eosdem praedecessores ac nos, ut praemittitur, hactenus respective concessis, sub nomine collegii praefati, uti et illa exercere valeant, eisdem auctoritate et tenore concedimus et indulgemus, ac singulas nostras et praedecessorum nostrorum literas huiusmodi ad dictos etiam pro tempore deputatos et ad universas provincias in singulis literis praedictis expressas extendimus et ampliamus.

Et ad beneplacitum Sedis Apostolicae et sub revocationibus etc. non comprehen. decernit;

§ 47. Necnon praesentes literas ad nostrum et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium beneplacitum durare. Ac beneplacitum huiusmodi et praesentes literas per generalem revocationem seu Cancellariae Apostolicae regulas, etiam per successores nostros praedictos pro tempore edendas, aut alias etiam, nisi per alias nostras sub plumbo, cum praesentium de verbo ad verbum insertione, literas, minime revocari posse, sed quoties aliter, quam ut

[1] Deest forsan *praescriptos* (R. T.).

praemittitur, revocari contigerit, toties de novo concessas intelligi; sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam Palatii Apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in quavis instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari, sententiari et definiri debere, necnon quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Executores deputat;

§ 48. Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, necnon patriarchalium et metropolitanarum ac aliarum cathedralium ecclesiarum canonicis, eorumdem patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum officialibus et vicariis in spiritualibus et temporalibus ubilibet constitutis, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel per alium seu alios, praesentes literas ac omnia et singula in eis contenta, ubi et quando opus fuerit, ac quoties super hoc pro parte collegii seu deputatorum praedictorum seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes literas et in eis contenta huiusmodi, sub censuris et poenis ecclesiasticis, firmiter observari, ac collegium et deputatos officialesque praedictos illis pacifice gaudere, non permittentes collegium et deputatos ac officiales praedictos seu eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles, per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat.

§ 49. Non obstantibus praemissis et quibusvis dictae Cancellariae regulis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis et indultis, etiam Mari Magno nuncupatis, eisdem Ordinibus, illorumque personis, in genere vel in specie, sub quibusvis verborum formis et clausulis, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, forsan concessis, quibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de ipsis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua[1] exquisita forma servanda esset, illorum tenores pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, illaque cuiquam nolumus aliquatenus suffragari; ac omnibus et singulis, quae nos et praefati praedecessores nostri in singulis literis praedictis volumus respective non obstare, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Ceterum, quia difficile foret *etc.* Nulli ergo *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die tertia februarii, millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 3 febr. 1542, pontif. anno VIII.

1 *Alia* add. Cherub. (R. T.).

XLI.

Privilegia neophitorum sive iudaeorum et infidelium ad catholicam fidem se convertentium; ordinationesque circa eorum vivendi modum [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Infideles conversi non perdunt eorum bona.

Cupientes iudaeos et alios infideles quoslibet ad fidem catholicam converti, et praetextu bonorum per eos antea possessorum ab eadem fide non distrahi, motu proprio et ex certa nostra scientia, auctoritate apostolica, tenore praesentium, hac in posterum valitura constitutione sancimus quod cuicumque eorumdem iudaeorum et infidelium ad dictam fidem converti volenti, etiam si in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quaecumque, tam mobilia quam immobilia, intacta et illaesa permaneant. Ita ut etiam filiifamilias et in patria potestate, ut praefertur, constituti, legitima et quacumque portione bonorum patrimonialium aut maternorum, eis de iure seu successione bonorum eis alias debitorum, per eorum parentes fraudari aut privari non possint neque debeant, sed eis integre, etiam si contra voluntatem parentum suorum ad fidem ipsam conversi fuerint, etiam eorum parentibus viventibus, debeantur.

Male acquisita restituant, si personae damnificatae notae sint.

§ 1. Et si bona ipsa ex usura aut illicito quaestu fuerint acquisita, et notae sint personae, quibus eorum fuerit de iure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur male ablatum), illa eisdem personis omnino restituantur; personis vero non extantibus praedictis, quia bona ipsa essent per manus ecclesiae in pios usus convertenda, bona huiusmodi eisdem iudaeis et aliis infidelibus, in favorem suscepti baptismatis, tamquam in pium usum libere concedimus, eaque apud ipsos sic conversos iudaeos et alios infideles remanere decernimus. Interdicentes, sub divini anathematis poena, quibusvis tam ecclesiasticis quam saecularibus personis, ne ullam super bonis huiusmodi, quovis quaesito colore, molestiam inferant, ant inferri patiantur; sed magnum se fecisse lucrum existiment, dum tales Christo lucrati fuerint.

Piorum eleemosynis adiuvandi sunt, quatenus sint pauperes.

§ 2. Et quoniam, ut scriptum est, *Qui habuerit substantiam mundi huius et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in ipso?* si ipsi conversionis tempore inopes ant indigentes fuerint, omnes, tam ecclesiasticos quam saeculares, per viscera misericordiae Dei nostri exhortamur ut ipsis conversis manus porrigant adiutrices; ipsi quoque dioecesani non solum christianos ad subveniendum ipsis exhortentur, sed etiam, tam de redditibus ecclesiarum, prout poterunt, quam de his, quae ad pauperum usus per ipsos convertendos devolvuntur, huiusmodi neophitos sustentare non negligant, ipsosque a detractionibus et contumeliis paterna affectione defendant.

Cives efficiuntur loci in quo baptizantur.

§ 3. Et quoniam per gratiam baptismi cives sanctorum et domestici Dei efficiuntur, longeque dignius existit regnare spiritu, quam nasci carne, eadem constitutione statuimus ut civitatum et locorum, in quibus sancto baptismate pro tempore regenerabuntur, vere cives sint, et privilegiis ac libertatibus et immunitatibus, quae alii, ratione nativitatis et originis dumtaxat, consequuntur, gandeant.

In articulis fidei instruantur et cum infidelibus non conversentur.

§ 4. Curent insuper sacerdotes baptizantes et alii sacro fonte eos suscipientes, tam ante baptismum qnam post, illos in articulis fidei, ac legis novae praeceptis, catholicaeque ecclesiae ritibus diligenter

[1] Consonat extravag. II Ioann. XXII, in tit. *De Iud.*, inter communes.

instruere; et tam ipsi quam dioecesani operam dent ne cum aliis iudaeis seu infidelibus saltem per longum tempus conversentur, ne, sicut quandoque contingit, ab infirmitate curatis, modica occasio ad pristinam damnationem recidivam efficiat.

Cum christianis originariis matrimonium contrahere studeant.

§ 5. Et quoniam, experientia teste, compertum est mutuam ipsorum neophitorum inter se conversationem ipsos in fide nostra fragiliores reddere, ac saluti ipsorum plurimum officere, hortamur locorum ordinarios ut, quantum pro incremento fidei viderint expedire, curent et studeant neophitos ipsos cum originariis christianis matrimonio copulare.

Ritus antiquae sectae dimittant.

§ 6. Et prohibeant eisdem, sub gravibus poenis, ne mortuos more iudaeorum sepeliant, aut sabbata aliasque solemnitates, et antiquae sectae ritus quoquomodo observent, sed et ecclesias et praedicationes, prout alii catholici, frequentent, et in omnibus christianorum moribus se conformes reddant.

Contemptores praedictorum ab inquisitoribus coerceantur.

§ 7. Contemptores autem praedictorum, per sacerdotes, in quorum parochiis degent, aut alios, ad quos, de iure vel antiqua consuetudine, de talibus inquirere spectat, aut etiam per alios quoscumque, dioecesanis seu inquisitoribus haereticae pravitatis deferant, et invocato, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, per eos taliter puniantur, quod aliis transeat in exemplum. Et insuper de his omnibus in provincialibus et synodalibus conciliis diligens fiat inquisitio, et tam circa episcopos et sacerdotes in praemissis negligentes, quam ipsos neophitos et infideles praedictos contemptores, opportunum adhibeatur remedium.

Redeuntes ad vomitum ut haeretici puniantur.

§ 8. Si quis autem, cuiuscumque gradus vel praeeminentiae fuerit, huiusmodi neophitos, ne observationem ritus christiani et aliorum praedictorum complectantur, foverit aut defenderit, poenas contra fautores haereticorum promulgatas ipso facto incurrant; neophiti vero si se corrigere post monitionem canonicam neglexerint, et ad vomitum, iudaizantes, redire comperti sint, contra eos, tamquam perfidos haereticos, per ordinarios locorum, secundum sacrorum canonum instituta, procedatur.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis privilegiis, indultis et literis, etiam apostolicis, seu etiam regiis vel imperialibus eisdem iudaeis vel infidelibus quomodolibet concessis, quae, quatenus in detrimentum catholicae fidei, aut nominis christiani, seu aliquorum ex praemissis quomodolibet vergerent, et ad effectum praesentium, cassamus et irritamus, ac cassa et irrita esse decernimus, aliis decretis et constitutionibus apostolicis, quae super praemissis sunt condita, in suo robore duraturis.

Haec constitutio semel in anno in singulis ecclesiis publicetur.

§ 10. Et ut huiusmodi sanctae constitutionis iugis memoria habeatur, et ne quisquam ipsius ignorantiam praetendere possit, illam per singulas cathedrales et collegiatas ecclesias, aliaque pia loca, in quibus uberior erit fidelium concursus, semel in anno, ad minus, infra divina publicari volumus et decernimus.

Fides eius transumptis detur.

§ 11. Et quia difficile foret *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI martii, millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 21 martii 1542, pontif. anno VIII.

XLII.

Indictio sacri et oecumenici concilii Tridentini, ad kalendas octobris MDXLII [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei,

ad futuram rei memoriam.

Initio nostri huius pontificatus, quem non ob merita nostra sed propter suam ma-

[1] Bullam hanc integritati restituimus conferentes cum ea quae praemittitur *Canon. et Decret. Sacrosancti OEcum. Conc. Tridentini* (Romae, typ. S. C. de Prop. Fide, 1845) (R. T.).

Queritur hic Pontifex quod Ecclesia Dei haeresum et bellorum tempestate vexetur, et principes christiani inter se dissideant.

gnam bonitatem Dei omnipotentis providentia nobis commisit, cernentes iam tum in quas perturbationes temporum, quotque incommoda rerum fere omnium nostra pastoralis sollicitudo et vigilia esset vocata; cupiebamus quidem mederi christianae reipublicae malis, quibus illa iamdudum vexata et propemodum oppressa est; sed ipsi etiam, ut homines circumdati infirmitate, ad tantum onus tollendum impares vires nostras esse sentiebamus. Nam cum pace opus esse intelligeremus ad liberandam et conservandam a plurimis impendentibus periculis rempublicam, omnia invenimus odiis et dissentionibus plena, dissentientibus praesertim principibus iis inter se, quibus summa rerum pene omnis a Deo permissa est. Cum unum ovile et unum pastorem dominici esse gregis, ad integritatem christianae religionis et ad coelestium bonorum spem in nobis confirmandam, necessarium duceremus, schismatis dissidiis et haeresibus erat christiani nominis divulsa iam pene et lacerata unitas. Cum tutam atque munitam ab infidelium armis atque insidiis rempublicam optaremus, nostris erratis, nostraque cunctorum culpa, Dei videlicet ira peccatis nostris imminente, Rhodus fuerat amissa, Hungaria vexata, conceptum et meditatum contra Italiam, contraque Austriam et Illyricum, terra marique bellum; cum impius et immitis hostis noster Turca nullo tempore requiesceret, nostrorumque inter se odia et dissentiones suam bene gerendae rei occasionem duceret. Igitur, ut dicebamus, in tanta haeresum, dissentionum bellorumque tempestate, tantisque excitatis fluctibus, cum essemus ad moderandam et gubernandam Petri naviculam vocati, nec viribus ipsi nostris satis fideremus, primum coniecimus in Domino cogitatus nostros, ut Ipse nos nutriret, animumque nostrum firmitate et robore, mentem consilio sapientiaque instrueret.

Pontifex ideo, ut his malis mederi posset, concilium generale Mantuae celebrand. et x kal. iunii MDXXXVII inchoandum indixit per alias eius literas, quas hic non habes.

§ 1. Deinde animo repetentes maiores nostros, sapientia admirabili et sanctitate praeditos, saepe in summis christianae reipublicae periculis, remedium optimum atque opportunissimum, oecumenica concilia et episcoporum generales conventus, adhibuisse, ipsi quoque animum ad generale habendum concilium adiecimus; exquisitisque principum sententiis, quorum nobis videbatur utilis in primis et opportuna ad hanc rem esse consensio, cum eos tunc non alienos ab hoc tam sancto opere invenissemus, oecumenicum concilium et generalem eorum episcoporum aliorumque patrum, ad quos pertineret, conventum in civitate Mantuae indiximus, anno Incarnationis Domini (sicut literis et monumentis nostris testatum est) millesimo quingentesimo trigesimo septimo, pontificatus nostri tertio, ad decimum kalendarum iunii inchoandum; spem prope certam habentes fore ut, cum illic in nomine Domini essemus congregati, Ipse, sicut promisit, Dominus in medio nostrum affuturus, et bonitate ac misericordia sua omnes temporum procellas, omniaque pericula spiritu oris sui facile depulsurus esset.

Concilii tamen celebrat. prorogavit ad kal. novem. quia civitatem Mantuam habere non potuit.

§ 2. Sed ut semper insidiatur piis actionibus humani generis hostis, primum, contra omnem spem et expectationem nostram, denegata fuit nobis Mantuana civitas, nisi aliquas conditiones subiremus, ab institutis maiorum nostrorum et conditione temporum, nostraque ac huius sanctae Sedis ac nominis ecclesiastici dignitate libertateque prorsus alienas, quas in aliis nostris literis expressimus. Quapropter alium invenire locum, aliamque deligere civitatem necesse habuimus, quae cum non statim nobis occurreret idonea et apta, ad sequentes kalendas novembris prorogare concilii celebrationem fuimus coacti. Interim saevus et perpetuus hostis noster Turca, ingenti classe Italiam adortus,

aliquot oppida in litoribus Apuliae cepit, vastavit, diripuit, praedas hominum abegit.

Vincentiae civitatem domini Venetorum elegit, concilium distulit ad kal. maii.

§ 3. Nos, in maximo timore et periculo omnium, muniendis litoribus nostris, finitimisque auxilio iuvandis fuimus occupati; nec tamen interea destitimus consulere et hortari christianos principes ut de idoneo ad habendum concilium loco quid sentirent nobis exponerent; quorum cum essent incertae variaeque sententiae, tempusque diutius quam erat opus, videretur extrahi, nos optimo animo, atque (ut arbitramur) etiam consilio, Vincentiam elegimus, urbem copiosam, et Venetorum, qui eam nobis concedebant, virtute, auctoritate, potentia, cum aditum patentem, tum stationem omnibus liberam atque tutam in primis in se habentem. Sed cum iam tempus longius progressum esset, novaeque urbis electionem omnibus significari conveniret, iamque kalendae novembris appetentes facultatem huius divulgationis excluderent, hyemsque esset propinqua, rursus altera prorogatione tempus concilii differre in proximum sequens ver, maiique futuras kalendas compulsi fuimus.

Interim procuravit conciliare Carolum imperatorem et Franciscum regem Francorum, et ideo ipse et illi Niceam se contulerunt.

§ 4. Qua re firmiter constituta atque decreta, cum et nos ipsos et cetera omnia ad eum bene agendum, Deo iuvante, celebrandumque conventum pararemus, plurimum reputantes interesse eum celebrationis concilii, tum universae christianae reipublicae, christianos principes pace inter se et concordia consentire, carissimos in Christo filios nostros Carolum, Romanorum imperatorem semper augustum, et christianissimum regem Franciscum, duo praecipua christiani nominis firmamenta atque subsidia, orare atque obsecrare instituimus ut ad colloquium inter se et nobiscum una convenirent; quorum quidem apud utrumque literis, nunciis et a latere nostro missis, ex venerabilium fratrum nostrorum numero, legatis, saepissime egeramus ut, ex simultate et dissidiis, ambo in unum foedus et piam amicitiam vellent convenire, labentibusque succurrere christianis rebus; quarum servandarum cum esset illis potestas a Deo praecipue tributa, si id non agerent et ad commune christianorum bonum sua consilia non dirigerent, acris et severa ratio eidem Deo ab ipsis reddenda esset. Qui, aliquando precibus nostris annuentes, Nicæam se contulere, quo nos quoque longum iter et senili aetati nostrae vehementer contrarium, Dei et pacis conciliandae causa, suscepimus.

Interea legatos Vincentiam misit ut initium concilii facerent.

§ 5. Neque praetermisimus interea, cum tempus concilii praestitutum, kalendae videlicet maiae appropinquarent, tres legatos summae virtutis et auctoritatis a latere nostro, de numero eorumdem fratrum nostrorum sanctae Romanæ Ecclesiae cardinalium, Vincentiam mittere, qui initium concilii facerent, praelatosque undique venientes exciperent, et ea, quae iudicarent esse opus, agerent et tractarent, quoad nos, ab itinere et negocio pacis reversi, omnia accuratius dirigere possemus. Interim vero in illud sanctum opus maximeque necessarium, tractationem videlicet pacis inter principes, incubuimus, et quidem omni animi studio, omni pietate ac diligentia. Testis est nobis Deus, cuius freti clementia, nosmetipsos itineris et vitae periculo exposuimus. Nostra testis conscientia, quae nihil habet hac in re quidem, in quo nos arguat, aut praetermissae aut non quaesitae ad pacificandum occasionis. Principes ipsi testes, quos tam saepe, tamque vehementer nunciis, literis, legatis, monitis, hortatu precibusque omnibus obsecraveramus ut simultates deponerent, ut in societatem coirent, ut christianae reipublicae, in maximum et propinquum iam adductae discrimen, communibus studiis et subsidiis opitularentur. Iam vero testes illae vigiliæ

atque curae, illi diurni nocturnique animi nostri labores, gravesque sollicitudines, quas ob hanc rem et causam plurimas iam suscepimus, nec tamen ad optatum exitum nostra consilia et acta adhuc perducta sunt. Ita enim visum Domino Deo est, quem tamen non desperamus aliquando optata nostra benignius respecturum; ipsi quidem, quantum in nobis fuit, nihil, quod esset nostro pastorali officio debitum, in hac re omisimus. Quod si qui sunt, qui actiones pacis nostras in aliam interpretentur partem, dolemus quidem, sed tamen in dolore nostro gratias Deo omnipotenti agimus, qui, ad exemplum et doctrinam patientiae nostrae, suos voluit apostolos haberi dignos qui pro nomine Iesu, qui pax nostra est, contumeliam paterentur.

Induciae itaque decennales initae sunt inter imperatorem et regem mediante Pontif., ut hic.

§ 6. Verum in illo congressu colloquioque nostro, quod Nicææ habitum est, etsi, peccatis nostris impedientibus, inter duos principes vera et perpetua pax non potuit confici, induciae tamen decennales factae sunt; quarum opportunitate nos sperantes et sacrum concilium commodius celebratum iri, et deinde ex concilii auctoritate perfici posse pacem, apud principes institimus ut et ipsi venirent ad concilium et praelatos suos praesentes ducerent, absentesque accerserent. Qui cum de utroque se excusassent, quod et ipsis redire in regna sua tum necesse esset, et praelatos, quos secum habuissent, itinere atque impendiis fessos atque exhaustos, recreari et refici oporteret, nos hortati sunt ut aliam quoque prorogationem temporis habendi concilii decerneremus.

Concilium Pontifex prorogat ad festum Paschae ex rationibus hic assignatis.

§ 7. Qua in re concedenda cum essemus aliquantum difficiles, literas interim a legatis nostris, qui Vincentiae erant, accepimus, transacto iam et longius praeterito concilii ineundi die, unum vix aut alterum ex externis nationib. prælatum Vincentiam se contulisse. Quo nuncio accepto, cum videremus eo tempore nulla iam ratione haberi concilium posse, ipsis principibus concessimus ut differretur tempus agendi concilii usque ad sanctum Pascha, diemque festum futurae dominicae Resurrectionis. Cuius nostri praecepti expectationisque decretae literae Genuae anno Incarnationis Domini millesimo quingentesimo trigesimo octavo, quarto kalendas iulii, factae publicataeque sunt; atque hanc dilationem eo propensius fecimus quod pollicitus est nobis uterque princeps legatos suos Romam ad nos se missurum, ut ea, quae ad perfectionem pacis reliqua essent, neque Nicææ, ob brevitatem temporis, potuerant omnia confici, Romae commodius coram nobis agerentur et tractarentur; et, ob hanc rationem, etiam a nobis ambo petierunt ut haec pacificationis procuratio concilii celebrationi praeponeretur, cum ipsum concilium, pace facta, multo deinde utilius et salutarius christianae reipublicae futurum esset. Semper enim haec pacis spes nobis iniecta, principum nos voluntatibus assentiri hortata est. Quam spem vehementer auxit, post discessum a Nicæa nostrum, ipsorum duorum principum inter se benevola amicaque congressio, quae maxima nostra cum laetitia a nobis intellecta, confirmavit nos in bona spe, ut tandem aliquando nostras preces apud Deum exauditas, et vota pacis accepta esse crederemus.

Deinde ex causis, de quibus hic, concilium ad eius beneplacitum suspendit per quasdam eius literas, quas hic non habes.

§ 8. Hanc igitur pacis conclusionem cum et expectaremus et urgeremus, nec solum duobus antedictis principibus, verum etiam carissimo in Christo filio nostro Ferdinando, regi Romanorum, videretur actionem concilii, nisi pace facta, suscipi non oportere; cunctique a nobis per literas suosque oratores contenderent ut alias rursus temporis prorogationes faceremus, praecipue autem instaret serenissimus Caesar, promisisse se demon-

strans iis, qui a catholica unitate dissentiunt, se operam suam apud nos interpositurum ut aliqua concordiae ratio iniretur, quod, ante suam in Germaniam profectionem, apte non posset fieri. Nos, eadem semper spe pacis et tantorum principum voluntate adducti, cum praesertim cerneremus ne ad dictum quidem Resurrectionis festum alios praelatos Vincentiam convenisse, prorogationis nomen iam fugientes, quod tam saepe frustra fuerat repetitum, celebrationem generalis concilii ad nostrum et Sedi Apostolicae beneplacitum suspendere maluimus; itaque fecimus, et de suspensione huiusmodi literas ad singulos supradictorum principum decima die iunii, millesimo quingentesimo trigesimonono, dedimus, sicut ex illis perspicue potest intelligi. Ea itaque suspensione necessario per nos facta, dum tempus illud magis idoneum a nobis pacisque aliqua conclusio expectatur, quae et dignitatem postea frequentiamque concilio, et christianae reipublicæ praesentiorem salutem erat allatura, christianae interea res in deterius quotidie prolapsae sunt; Hungaris, rege ipsorum mortuo, Turcam vocantibus; Ferdinando rege bellum in eos movente; Belgis ad defectionem a Caesare ex parte quadam incitatis, cuius defectionis comprimendæ causa, per Galliam amicissime et cum rege christianissimo concordissime, magno benevolae inter eos voluntatis indicio, transiens in Belgas serenissimus Caesar, et illinc deinde in Germaniam profectus, conventus Germaniae principum et civitatum, tractandae eius, quam dixerat, concordiæ causa, habere coepit. Sed cum, spe pacis iam deficiente, ille quoque modus curandae in conventibus tractandaeque concordiae ad maiores potius discordias concitandas aptus esse videretur, inducti fuimus ad pristinum concilii generalis remedium reverti; idque per legatos nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales ipsi Caesari obtulimus. Quod etiam postremo et praecipue in Ratisbonensi conventu egimus, cum illic dilectus filius noster, Gaspar tituli Sanctae Praxedis cardinalis Contarenus, summa doctrina et integritate legatum nostrum ageret. Nam cum id, quod ne accideret antea veriti eramus, ex eius conventus sententia peteretur a nobis ut ab Ecclesia dissentientium quosdam articulos tolerandos declararemus, quoad per oecumenicum concilium illi excuterentur et deciderentur; idque nobis, ut concederemus, neque christiana et catholica veritas, neque nostra et Sedis Apostolicae dignitas permitteret, palam potius concilium, ut quamprimum fieret, proponi mandavimus. Neque vero in alia umquam sententia et voluntate fuimus, quam ut primo quoque tempore concilium oecumenicum et generale congregaretur; sperabamus enim ex eo et pacem populo christiano et christianae religionis integritatem posse recuperari; verumtamen id cum bona gratia et voluntate christianorum principum habere volebamus. Quam voluntatem dum expectamus, dum observamus tempus absconditum, tempus beneplaciti tui, o Deus, aliquando tandem decernere compulsi sumus omne esse tempus beneplacitum Deo, cum de rebus sanctis et ad christianam pietatem pertinentibus consilia ineuntur.

Cum autem res catholicae reipublicae quotidie in peius prolaberentur, concilium in Tridentina civitate celebrand. fore decrevit.

§ 9. Quapropter videntes, maximo quidem animi nostri cum dolore, rem christianam quotidie in peius ruere, Hungaria a Turcis oppressa, Germanis periclitantibus, ceteris omnibus metu moeroreque afflictis, nullius iam principis consensum expectare, sed tantum Dei omnipotentis voluntatem et christianae reipublicae utilitatem attendere constituimus. Itaque, cum Vincentiam amplius non haberemus, cuperemusque cum universae christianorum saluti, tum Germanicae nationis incommodis, in eligendo per nos novo con-

cilii habendi loco, consulere, aliquotque locis propositis, ipsam Tridentinam civitatem ab ipsis desiderari videremus; nos, etsi in citeriore Italia commodius omnia tractari posse iudicabamus, ad eorum tamen postulationes nostram voluntatem paterna charitate deflexiinus. Itaque Tridentum civitatem elegimus, qua in civitate oecumenicum concilium ad proxime venturas kalendas novembris haberetur, idoneum locum illum statuentes, quo ex Germania quidem, aliisque Germaniae finitimis nationibus facillime, ex Gallia, Hispania ceterisque provinciis remotioribus non difficiliter episcopi et praelati convenire possent. Dies autem concilii ea a nobis spectata est, quae spatium in se haberet et publicandi per christianas nationes nostri huius decreti, et facultatis omnibus praelatis ad veniendum tribuendae. Quo minus autem annum tempus praefiniremus mutando concilii loco, sicut quibusdam constitutionibus alias praescriptum est, ea res fuit in causa quod longius extrahi spem sanandae aliqua in parte christianae reipublicae, quae tot detrimentis et calamitatibus afflicta est, noluimus. Et tamen videmus tempora, agnoscimus difficultates, quid sperari possit ex consiliis nostris incertum esse intelligimus. Sed quia scriptum est: *Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet*, magis Dei clementiae et misericordiae confidere, quam nostrae imbecillitati diffidere constituimus. Saepe enim fit in bonis operibus incipiendis ut, quod humana consilia non valent, divina virtus efficiat.

§ 10. Huius igitur ipsius Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ac beatorum eius apostolorum Petri et Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti atque subnixi, de venerabilium item fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio et assensu, sublata amotaque suspensione, de qua supra commemoratum est, quam per praesentes tollimus et amovemus, sacrum oecumenicum et generale concilium in civitate Tridentina, loco commodo et libero, omnibusque nationibus opportuno, ad kalendas proximas novembris anni praesentis, ab Incarnatione Domini millesimi quingentesimi quadragesimi secundi, incipiendum, prosequendum et, eodem Domino adiuvante, ad ipsius gloriam atque laudem et christiani totius populi salutem, absolvendum perficiendumque indicimus, annunciamus, convocamus, statuimus atque decernimus.

Indictio sacri concilii Tridentini ad kal. novembris anni huius.

§ 11. Omnes omnibus ex locis, tam venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos et dilectos filios abbates, quam alios quoscumque, quibus iure aut privilegio in conciliis generalibus residendi, et sententias in eo dicendi permissa potestas est, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis vi iurisiurandi, quod nobis et huic sanctae Sedi praestiterunt, ac sanctae virtute obedientiae, aliisque sub poenis, iure aut consuetudine in celebrationibus conciliorum adversus non accedentes ferri et proponi solitis, mandantes arcteque praecipientes ut ipsimet, nisi forte iusto detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur, aut certe per suos legitimos procuratores et nuncios, sacro huic concilio omnino adesse et interesse debeant.

Monitio et praeceptum ut praelati accedant ad concilium.

§ 12. Supra autem dictos imperatorem regemque christianissimum, necnon ceteros reges, duces, principes, quorum praesentia, si alias umquam, hoc quidem tempore maxime sanctissimae Christi fidei et christianorum omnium futura est salutaris, rogantes atque obsecrantes per viscera misericordiae Dei et Domini nostri Iesu Christi, cuius fidei veritas et religio et intus et extra graviter iam op-

Hortatio ut imperator, reges et principes intersint concilio per se ipsos aut legatos.

pugnatur, ut, si salvam volunt christianam esse rempublicam, si se Domino obstrictos et obligatos, pro maximis Illius erga se beneficiis intelligunt, ne deserant ipsius Dei causam et negotium; ipsimet ad sacri concilii celebrationem veniant, in quo ipsorum pietas atque virtus communi utilitati salutique suae ac ceterorum, et temporali et aeternae, plurimum est profutura. Sin autem (id quod nollemus) accedere ipsi non poterunt, at graves saltem viros legatos cum auctoritate mittant, qui personam principis sui quisque et cum prudentia et cum dignitate possint in concilio referre. In primis vero ut id curent, quod ipsis facillimum est, ut ex suis cuiusque regnis ac provinciis episcopi et praelati, sine tergiversatione et mora, ad concilium proficiscantur. Quod maxime quidem a praelatis principibusque Germaniae Deum ipsum atque nos impetrare aequum est; ut, cum eorum praecipue causa ipsisque cupientibus concilium indictum sit, et in ea civitate indictum, quae ab eis est desiderata, non graventur ipsi sua cunctorum praesentia id celebrare et ornare, quo melius atque commodius, quae ad integritatem et veritatem christianae religionis, quae ad bonorum morum reductionem emendationemque malorum, quae ad christianorum inter se, tam principum quam populorum, pacem, unitatem concordiamque pertineant, et quae ad repellendos impetus barbarorum et infidelium, quibus illi universam christianitatem obruere moliuntur, sint necessaria, Deo nostris consultationibus praeeunte, et lumen sapientiae suae ac veritatis mentibus nostris praeferente, agi in dicto sacro oecumenico concilio et, conspirante omnium charitate, consuli, tractari, confici, ad optatosque exitus deduci quamprimum et quam optime possint.

§ 13. Atque ut nostrae hae literae et quae in eis continentur ad notitiam cunctorum, quorum oportet, perveniant, neve quis illorum ignorantiae excusationem praetendat, cum praesertim, etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illae essent intimandae, tutus forsitan pateat accessus; volumus et mandamus ut in basilica Vaticana Principis Apostolorum, et in ecclesia Lateranensi, cum ibi multitudo populi ad audiendam rem divinam congregari solita est, palam, clara voce, per Curiae nostrae cursores aut notarios aliquos publicos legantur, lectaeque in valvis dictarum ecclesiarum, itemque Cancellariae Apostolicae portis et Campi Florae solito loco affigantur, ubi ad lectionem et notitiam cunctorum aliquamdiu expositae pendeant; cumque inde amovebuntur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa.

Forma publicandi istam constitutionem.

§ 14. Nos enim per lectionem, publicationem affixionemque huiusmodi omnes et quoscumque, quos antedictae nostrae literae comprehendunt, post spatium duorum mensium a die literarum publicationis et affixionis, ita volumus obligatos esse atque adstrictos, ac si ipsismet illae coram lectae et intimatae essent; transumptis quidem earum, quae manu publici notarii scripta aut subscripta et sigillo personae alicuius ecclesiasticae in dignitate constitutae munita fuerint, ut fides certa et indubitata habeatur, mandamus atque decernimus.

Constitutio haec ligat post duos menses a die publicationis.

§ 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae indictionis, annunciationis, convocationis, statuti, decreti, mandati, praecepti et obsecrationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Sanctio poenalis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo

quingentesimo quadragesimo secundo, XI kal. iunii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 22 maii 1542, pontif. anno VIII.

XLIII.

Deputatio nonnullorum S. R. E. cardinalium generalium inquisitorum haereticae pravitatis, cum amplissima auctoritate.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium. Licet ab initio nostrae ad summi apostolatus apicem assumptionis id semper nobis cordi fixum institerit, ut fides catholica ubique floreret et augeretur, ac omnis haeretica pravitas a christifidelibus nostra diligentia procul pelleretur, necnon diabolica fraude seducti viam veritatis cognoscerent, et ad gremium et unitatem ecclesiae reducerentur; et si qui, animi perversitate ducti, in eorum damnato proposito persisterent, ita plecterentur, ut eorum poena aliis transiret in exemplum. Nihilominus sperantes quandoque eosdem sic seductos, tum Dei omnipotentis misericordia, tum fidelium orationibus, ac dictorum virorum praedicationibus, errores suos recogniturosct, illis abiuratis, ad sanctam Ecclesiam catholicam redituros, etsi id aliquantum differrent, auctoritate sacri oecumenici et generalis concilii, quod ad id in primis propediem celebrare sperabamus, deterritos, veram et catholicam fidem amplexuros, et ea mediante in semitis iustitiae ambulaturos fore, negocium inquisitionis haereticae pravitatis huiusmodi in hanc usque diem distulimus.

Causa huius constitutionis. § 1. Verum cum concilium huiusmodi ex diversis rationabilibus causis, et praesertim bellorum turbinibus, quae hactenus inter principes christianos viguerunt, nondum inchoari potuerit, et humani generis hoste procurante, fidelium animi novis haeresibus in dies magis polluantur, omniaque schismatis dissidiis repleantur, lacereturque fere christiani nominis unitas, inconsutilisque Christi tunica scindatur.

§ 2. Nos ne, dum dies concilii per nos novissime indicti expectatur, omnia in deterius labantur providere volentes, ac nequeuntes per nos solos, aliis etiam arduis occupatos curis, omnia exequi, dilectorumque filiorum nostrorum Ioannis Petri Sancti Clementis, Ioannis S. Sixti, Petri Pauli S. Balbinae, Bartholomaei S. Caesarei, Dionysii S. Marcelli, et Thomae S. Silvestri tituli presbyterorum cardinalium fidem, doctrinam et virtutem perspectas habentes, ac de eis plurimum in Domino confidentes, eosdem Ioannem Petrum et Ioannem ac Petrum Paulum et Bartholomaeum, necnon Dionysium et Thomam, cardinales, nostros et apostolicae Sedis in omnibus et singulis reipublicae christianae civitatibus, oppidis, terris et locis, tam citra quam ultra montes, ubilibet etiam in Italia consistentibus ac in Romana Curia, super negotio fidei, commissarios et inquisitores generales et generalissimos, auctoritate apostolica, tenore praesentium constituimus et deputamus. Institutio congregat. card. S. inquisitionis.

§ 3. Ac eis contra omnes et singulos a via Domini et fide catholica aberrantes, seu de eadem fide male sentientes, aut alias quomodolibet de haeresi suspectos, illorumque sequaces, fautores et defensores, ac eis auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, praestantes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae fuerint, etiam absque ordinariis locorum, etiam in causis, in quibus ipsi de iure intervenire habent, inquirendi; et per viam inquisitionis vel investigationis, seu alias, etiam ex officio, procedendi; ac cul- Iurisdictio et facultates dictae congregationis proceden. contra quoscumque in negotio fidei.

pabiles quoscumque seu suspectos praecedentibus inditiis, carceribus mancipandi; ac contra eos usque ad finalem sententiam inclusive procedendi, et culpabiles repertos, poenis, iuxta canonicas sanctiones debitis, puniendi; ac ultimo supplicio damnatorum bona, prout iuris fuerit, publicandi.

Officiales eligendi,

§ 4. Necnon, ad effectum praemissorum, procuratorem fiscalem et notarios publicos et alios officiales ad praemissa necessarios et opportunos, etiam clericos sive religiosos, cuiuscumque Ordinis fuerint, deputandi et constituendi.

Degradationem clericor. committendi,

§ 5. Et si necesse fuerit aliquos clericos saeculares, aut cuiuscumque Ordinis regulares, etiam in sacris et presbyteratus ordinibus constitutos, propter praemissa, degradari, per quemcumque catholicum antistitem, quem praedicti cardinales duxerint deputandum, convocatis et sibi ad hoc assistentibus duobus abbatibus, aut aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, ad actualem degradationem eorumdem clericorum, eorumque Curiae saeculari traditionem seu dimissionem, alias, prout etiam iuris fuerit, procedi faciendi.

Contradictores coercendi,

§ 6. Ac contradictores quoslibet et rebelles sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis ac privationis omnium et singulorum beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, necnon inhabilitationis ad illa et alia in posterum obtinenda, aliisque opportunis iuris remediis, appellationis diffugio semoto, compescendi.

Auxilium brachii saecularis invocandi etc.,

§ 7. Et auxilium brachii saecularis invocandi, omniaque et singula alia, quae praedicti cardinales, ad haereses et in fide huiusmodi errores, ad praesens in republica christiana ubilibet vigentes, reprimendos et radicitus extirpandos, necessaria fore cognoverint, et ad officium inquisitionis haereticae pravitatis de iure pertinent, faciendi, gerendi, ordinandi, exercendi et exequendi.

Inquisitores ubivis locorum deputandi,

§ 8. Necnon ad praemissa omnia et singula in quibusvis civitatibus, terris et locis, de quibus eisdem cardinalibus videbitur, et quoties ipsi cardinales opus esse cognoverint, alias personas ecclesiasticas idoneas, literatas et Deum timentes, in theologia magistros, seu in altero iurium doctores, licentiatos, baccalaureos, in aliqua Universitate Studii generalis graduatos, in trigesimo eorum aetatis anno ad minus constitutos, seu ecclesiarum cathedralium canonicos, vel alia dignitate ecclesiastica praeditos, cum simili aut limitata facultate, substituendi et subdelegandi; ac eos, in toto vel in parte, simul vel successive, ad eorumdem cardinalium libitum, etiam in negociis et causis per eos tunc incoeptis, revocandi et loco ipsorum alios similiter qualificatos deputandi, ita tamen quod praedicti cardinales et alii ab eis pro tempore deputati de absolutionibus et reconciliationibus reorum, qui ad veritatis lumen redire voluerint, quas nobis expresse reservamus, ac aliis, quam haeresis crimen sapientibus, delictis et excessibus se intromittere nequeant, plenam et omnimodam facultatem eisdem auctoritate et tenore concedimus.

Appellationes ab aliis inquisitoribus interpositas decidendi,

§ 9. Et nihilominus, auctoritate et tenore praemissis, statuimus et ordinamus quod omnes et singulae appellationes per eos, contra quos vigore praesentium procedi contigerit, a quibuscumque per ipsos cardinales deputatis pro tempore interponendae, ad eosdem cardinales devolvi debeant; ipsique cardinales causas appellationum huiusmodi, cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, audire, cognoscere et decidere.

Ac in quacumque instantia fuerint, fine debito terminare, ac executioni debitae demandare.

In Curia et extra citandi et inhibendi.

§ 10. Et tam in causis appellationum huiusmodi quam alias, ad effectum praemissorum omnium, quo opus fuerit, tam in dicta Curia quam extra eam et in partibus, etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto ad eos accessu, citare, ac quibus inhibendum fuerit, inhibere; et appellantes simpliciter vel ad cautelam a quibuscumque excommunicationis et aliis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis in eos latis absolvere possint, prout de iure fuerit faciendum. Decernentes quaecumque per ipsos cardinales, seu ab eis deputatos in praemissis quomodolibet pro tempore gesta, plenam roboris firmitatem obtinere et perpetuo inviolabiliter observari debere.

Clausula sublata.

§ 11. Et sic per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; nec non irritum et inane quidquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra civitatem suam vel dioecesim, nisi in certis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur; seu ne iudices, qui a Sede praedicta deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut aliis vices suas committere praesumant; et de duabus diaetis in concilio generali edita; ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque; aut si personis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibusvis aliis privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, per quae praesentium literarum, et iurisdictionis ipsorum cardinalium in praemissis executio impediri quomodolibet vel differri possit, quae, quoad hoc, ipsis aut alicui eorum minime suffragari posse vel debere decernimus.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, deputationis, reservationis, concessionis, statuti, ordinationis et decreti infringere *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae MDXLII, XII kalendas augusti, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 21 iulii 1542, pontif. anno VIII.

XLIV.

Iurisdictio cardinalis archipresbyteri et iudicis causarum capituli canonicorum et aliarum personarum ecclesiae S. Petri principis apostolorum de Urbe vel eorum interesse concernentium [1].

Paulus Papa III, motu proprio, etc.

Hic Pontifex archipresbytero ecclesiae S. Mariae Maioris iurisdictionem dedit, de qua sup. in constitutione Cum sicut,

Cum dilectus filius Alexander, S. Laurentii in Damaso diaconus cardinalis Farnesius, S. R. E. vice-cancellarius, secundum carnem nepos noster, archipresbyteratum Principis Apostolorum de Urbe, tunc certo modo vacantem, assecutus fuerit; et nos eidem Alexandro, dum alias archipresbyteratum S. Mariae Maioris de Urbe obtineret, ne canonici et capitulum ac cappellani dictae ecclesiae S. Mariae Ma-

[1] Hanc iurisdictionem ampliavit Sixtus V constitutione *Cum ex debito:* ideo praetermisi aliam bullam Pii IV, editam die XXII septembris MDLXV, quae istam confirmabat.

ioris, pro rebus et negotiis suis et dictae ecclesiae, coram diversis Urbis iudicibus litigare et conveniri contingeret, ac laboribus et expensis fatigarentur, omnes et singulas causas, tunc praesentes et futuras, tam contra [1] quascumque personas, quovis nomine nuncupatas, collegium, capitulum et universitatem motas et movendas, etiam civiles et criminales, etiam super quibuscumque pecuniarum summis, censibus, canonibus, responsionibus, etiam instrumentales, etiam ex obligationibus in ampliori forma Camerae Apostolicae orientes, coram quibuscumque Urbis iudicibus, et S. R. E. cardinalibus et Rotae auditoribus ad nos advocantes, illas praedicto Alexandro cardinali, etiam similiter summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, et quatenus opus esset, extraiudicialiter audiendas et decidendas commisissemus, prout in aliis diversis rescriptis, etiam motu proprio *etc.* manu nostra signatis, quas et illorum tenores totos et compendia, ac si de verbo ad verbum praesenti inserta forent, pro sufficienter expressis et insertis haberi volumus; ipseque Alexander cardinalis et archipresbyter in dicta basilica venerabilem fratrem nostrum Franciscum Sfondratum vicarium suum constituerit et deputaverit.

Eundem modo tribuit archipresbytero S. Petri.

§ 1. Nos, qui dictam basilicam S. Petri et illius canonicos, beneficiatos et clericos, et dictae basilicae proprios cappellanos, ac alios in eadem basilica deservientes non minori dilectione quam praedictam basilicam Sanctae Mariae Maioris prosequimur, paremque etiam respectum ad dictum Alexandrum cardinalem et archipresbyterum habentes, omnes et singulas iurisdictiones, potestates, auctoritates et facultates, sibi alias, tamquam de basilicae Sanctae Mariae Maioris archipresbytero, concessas, ad eumdem Alexandrum cardinalem, ad praesens basilicae praedictae archipresbyterum, suosque in dicta basilica successores extendimus et ampliamus.

Immo de novo concedit.

§ 2. Et nihilominus, motu et scientia similibus, omnes et singulas causas, etiam beneficiales, profanas et mixtas et compromissas, tam civiles quam criminales, inter dictos canonicos et capitulum ac beneficiatos et clericos atque cappellanos respective seu quemcumque eorum ex una, et quascumque personas alias, loca, collegia vel universitates, quam inter dictos capitulum et canonicos vel eorum quemlibet et beneficiatos clericos seu cappellanos praefatos, vel quemcumque eorum, coram quibuscumque iudicibus ordinariis, commissariis et executoribus, etiam S. R. E. cardinalibus et Rotae auditoribus et locatenentibus, super quibuscumque rebus, bonis et pecuniarum summis vertentes et pendentes, partibus ex altera, respective ad nos per præsentes avocantes, illamque et illas in statu et terminis, in quibus ad praesens reperiuntur, et quas in futurum moveri etiam de novo contigerit, tam active quam passive, per priores, canonicos, capitulum, beneficiatos, clericos, cappellanos seu eorum quemlibet beneficiatos clericos, contra quascumque personas, quovis nomine nuncupatas, collegium, capitulum et universitatem, societates, hospitalia et loca quaecumque, quantumcumque respective privilegiatos et privilegiata, etiam per praedictos canonicos et capitulum contra beneficiatos, clericos, cappellanos praedictos, super quibuscumque pecuniarum summis, beneficiis ecclesiasticis, censibus, responsionibus, etiam vinearum, rebusque et bonis, ad quamcumque summam pecuniarum, numerum, quantitatem et valorem ascendentibus, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis et deducendis, et illorum occasione, cum omnibus et singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus,

[1] Adde *ipsos, quam per ipsos contra* Cherub. (R. T.).

annexis et connexis, eidem Alexandro archipresbytero et praefato vicario, necnon eiusdem Alexandri successoribus, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, et quatenus opus sit, executive, etiam manu regia, absque terminis substantialibus et alicuius telae iudiciariae observatione, sine confectione registri sive extractus, quacumque appellatione postposita, etiam non frivola, audienda, cognoscenda, decidenda fineque debito terminanda, tenore praesentium de novo committimus et mandamus perpetuis temporibus duraturarum.

Cum potestate citandi in Curia et extra etc.;

§ 3. Cum potestate dictas partes respective et omnes alios, quos opus sit et sua communiter vel divisim interesse putantes, in executione citationum nominandos in Romana Curia et extra eam, etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, citandi; ac eisdem omnibus et singulis iudicibus supradictis, et quibus et quoties opus fuerit, etiam sub censuris ecclesiasticis et pecuniariis poenis, suo arbitrio moderandis et applicandis, etiam per simile edictum, inhibendi; et in eventum non paritionis, poenas et censuras praedictas damnabiliter incurrisse et incidisse declarandi, aggravandi, reaggravandi, interdicendi et brachii saecularis auxilium invocandi, locoque sententiae seu sententiarum prolatarum, mandatum et mandata executiva in forma solita et consueta decernendi; illudque vel illa et quicquid per eos vel alterum vestrum iudicatum fuerit exequendi; expensas quascumque taxandi, moderandi; in causisque et omnibus et singulis praedictis vel eorum quolibet, seu quolibet praemissorum, etiam singulis diebus et horis, praeterquam in honorem Dei feriatis, procedendi.

§ 4. Necnon canonicos et capitulum ac beneficiatos clericos et cappellanos praedictos, sive eorum quemlibet a vinculo iuramenti, ad effectum agendi, aliisque censuris ecclesiasticis et poenis, quatenus oportuerit, absolvendi; omniaque alia et singula faciendi, gerendi et exercendi in praemissis necessaria, seu quomodolibet opportuna.

Iuramentoque personarum dictae basilicae ad effectum agendi etc. relaxandi.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stylo Palatii, regula Cancellariae Apostolicae prohibentis mandata executiva alias quam sub plumbo expediri non possint, facultatibus et iurisdictionibus cardinalibus et quibuscumque Urbis iudicibus, sub quavis verborum forma et regula urgentissimis, per nos eisdem concessis et innovatis, quas etiam et illarum tenores, ac si de verbo ad verbum specialis mentio facta foret, pro expressis habentes, ceterisque contrariis quibuscumque. Statum *etc.* et merita causae et causarum praedictarum, nominaque et cognomina, qualitates partium et personarum praedictarum, necnon rerum collegii et capituli *etc.*, praemissorumque omnium singulorum ac aliorum de necessitate exprimendos tenores pro insertis et sufficienter expressis habentes. Et quod praesentium sola signatura sufficiat et ubique fidem faciat.

Fiat motu proprio. A.

(Papae subscriptio).

Et quod praesentis motus proprii sola signatura sufficiat, et ubique, in iudicio et extra, fidem faciat, regula contraria edita non obstante, et de extensione et nova commissione et mandato praedictis ad vitam praedicti reverendissimi Alexandri seu quamdiu archipresbyteratum basilicae Sancti Petri obtinuerit tantum.

Declaratio iurisdictionis.

§ 6. Et quoad causas criminales, citra tamen poenam sanguinis et corporum afflictivam, et quoad causas pendentes inter alias quam ipsius basilicae personas, pro rebus canonicos et capitulum ac be-

neficiatos Sancti Petri huiusmodi tangentibus dumtaxat.

Datum Romae apud S. Petrum, kalendis novembris, anno IX.

Dat. die 1 nov. 1542, pontif. anno IX.

XLV.

Iurisdictio et facultates vicarii Summi Pontificis in alma Urbe eiusque districtu [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Philippo, episcopo Burgi S. Sepulcri, in nostra urbe ac eius suburbiis et districtu nostro in spiritualibus vicario, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Licet ecclesiarum omnium universalis cura et populi christiani regimen ad vigilantiam nos inducat, Romana tamen urbs inclyta, quam caput orbis divina clementia stabilivit, mentem nostram sollicitat ut de ipsius ecclesiarum statu prospero et salubri attentius et diligentius ita procuremus, ut spiritualiter et temporaliter feliciuribus successibus congruum suscipiant incrementum.

Deputatio vicarii cum facultatibus

§ 1. De tua ergo laudabili vita, morum gravitate, probata fide et circumspectione aliisque virtutum donis, quibus personam tuam, etiam familiari experientia, praeditam esse, iamdudum etiam in magnis almae Urbis nostrae gubernio, ac fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe negociis, et arduis causis tibi commissis percepimus, firmam in Domino spem gerentes, et sperantes quod ea, quae tibi committenda duxerimus, prudenter et fideliter exequeris, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia, te, qui etiam cappellanus praelatus domesticus et in utraque signatura referendarius noster, ac ad eamdem basilicam per nos deputatus, existis, necnon unum ex officiis scriptoriae literarum apostolicarum ex indulto apostolico obtines, in praefata urbe eiusque suburbiis et districtu vicarium nostrum in spiritualibus, quamdiu vixeris, cum honoribus, oneribus, redditibus et emolumentis consuetis, auctoritate apostolica, tenore praesentium constituimus et deputamus.

Monasteria et religiosos visitandi et corrigendi;

§ 2. Tibique omnia et singula ecclesias, monasteria, etiam monialium, et alia loca ecclesiastica, saecularia et regularia, Ordinum quorumcumque Urbis et eius districtus, et religiosos quoscumque utriusque sexus in illis commorantes et ad dictam urbem confluentes pro tempore, ac etiam ecclesias Sancti Anastasii et Sebastiani, Sancti Pauli et ad Tres Fontes, Sanctae Agnetis, Sancti Laurentii et Sancti Sabbae ac alia monasteria quaecumque, exempta et non exempta, eorumque personas visitandi, ac in capite et membris reformandi, necnon earum et cuiuslibet ipsarum excessus et crimina mulctandi, corrigendi et puniendi, prout secundum Deum videris expedire; necnon aedificia, quae in ecclesiis per te visitandis videbis ruinis supposita, auctoritate propria demoliendi et demoliri faciendi, et rectores

[1] Habet etiam vicarius cognitionem causarum puellarum despersarum noncupatarum, in Urbe, ex bulla Clementis VIII, *Debitum*; necnon causarum hospitalis S. Spiritus, ut in dicti Clementis constitutione *Cum sicut*; et pariter causarum collegii scholarum S. Hieronymi ex bulla Pauli V, *Altitudo*. — De hac iurisdictione aliquid vide in const. I Pauli II, *Licet*, tom V, pag. 182, et constitutione XXXV Iulii II, *Decet*, ibid., pag. 511. Et circa lites movendas ab uxoribus contra maritos, habes const. *Cum sicut*, pag. 256 huius tomi. Quo vero ad causas hebraeorum, necnon et clericorum ac obligationum in forma Camerae, declarata est haec iurisdictio a Iulio III infra, in constitutione *Cum sicut*, et a Pio V in constitutione *Considerantes*, et a Clemente VIII in constitutione *In conferendis*, et postremo a Paulo V in constitutione *Universi*, § 4 et 7.

ad ecclesiarum reparationem per fructuum subtractionem vel alias, prout tibi videbitur, cogendi, mulctasque ipsas, prout etiam tibi videbitur, moderandi et Camerae Apostolicae applicandi.

Causas LX flor. et mercedum summarie et alias, iuxta stylum Curiae, et commissarias, iuxta commission. cognoscendi.

§ 3. Ac causas civiles et ordinarias, eas videlicet in quibus non agitur de maiori summa redditus LX flor. auri de Camera, aut illius summae valorem, secundum existimationem communem, non excedente, etiam de locatione et evacuatione ac pensione, responsione et devolutione casalium, praediorum et domorum, ac ratione vinearum, et mercedibus, etiam cuiuscumque summae et valoris existant, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu[1] iudicii, sola facti veritate inspecta, cum aliquali petitione verbali, apud acta tamen redacta seu per viam monitorii, nullis terminis servatis, etiam qui de stylo seu ordinatione dicti Palatii Apostolici servari soliti sunt, alias vero more solito et iuxta stylum et consuetudinem Curiae officii vicariatus huiusmodi; ac alias commissiones iuxta illarum commissionum tenores et formas; ac etiam crimina per te, vel per te pro tempore deputatum auditorem, audiendi, decidendi et fine debito terminandi.

Appellationem a quinque infra reiciendi.

§ 4. Hoc etiam adiecto, ad lites abbreviandum, et partes a laboribus et expensis relevandum, quod a processibus et sententiis a quinque ducatis infra, auditis et intellectis partibus, et cuiuslibet ipsarum iuribus, in principali negotio non possit per aliquem quomodolibet appellari, seu de nullitate dici, et appellatione et nullitate praedictis ac omnibus aliis inde secutis non obstantibus, servatis aliis servandis, ad executionem dictarum sententiarum libere procedere possis.

Causas miserabilium et alias non exced. duc. LX summarie cognoscendi.

§ 5. Necnon omnes et singulas causas alimentorum et alias miserabilium personarum, ac etiam aliorum quorumcumque, quae non excedunt summam sexaginta ducatorum auri de Camera, summarie, simpliciter et de plano, sola facti veritate inspecta, manu regia, sine confectione registri, sicut tibi visum fuerit, cognoscendi, iudicandi et fine debito terminandi.

Moratorias in eis denegandi.

§ 6. Dilationes moratorias quascumque, etiam quinquennales, in causis mercedum et alimentorum, censuum, pensionum, responsionum, et in causis miserabilium personarum, viduarum, pupillorum, ecclesiarum et piorum locorum ac obligationum iuratoriarum reiiciendi, et illis reiectis (nisi causa cognita concessae fuerint, aut aliter a nobis, motu proprio et ex certa scientia, rescriptum fuerit), debitores ad solvendum, remediis opportunis, etiam per censuras ecclesiasticas vel via executiva, prout tibi videbitur, compellendi.

Carceres visitandi.

§ 7. Carceres quoque visitandi, votum dandi, ac de carceratorum liberatione vel condemnatione ac pecuniarum solutionem cum ceteris visitantibus statuendi et ordinandi.

Iudaeorum causas et alias iudicandi.

§ 8. Iudaeos omnes, etiam usurarios, bancarios, quoscumque clericos et beneficiatos Urbis ac eius districtus, religiosos, etiam Mendicantes, ac regulares omnes utriusque sexus, fraternitates, etiam laicorum, hospitalarios omnesque in ecclesiis et monasteriis beneficiatos ac deservientes, eorumque omnium res et bona iudicandi, et, tam civiliter quam criminaliter, coercendi et puniendi.

Usurarias et alias causas iudicandi.

§ 9. Usurarum excessus, etiam dictis iudaeis toleratos, ad honestissimum modum reducendi; matrimoniorum causas omnesque alias, quae de iure ad vicarium nostrum dignoscuntur pertinere, audiendi et fine debito terminandi.

Synodum congregandi.

§ 10. Synodum in Romano clero, pro correctione malorum morum et pro necessitate, iuxta temporum opportunitates in clero occurrentes, ubi et quando libuerit, celebrandi et congregandi; statuta

[1] *Et figura* add. Cherub. (N. T.).

et ordinationes seu constitutiones pro tempore observanda edendi.

Ordines conferendi; § 11. Necnon per te vel aliquem catholicum antistitem, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentem, quem ad hoc, cum opus fuerit, duxeris eligendum et deputandum, ordines conferendi temporibus a iure statutis ac alia ecclesiastica sacramenta.

Ecclesias consecrandi; § 12. Ecclesias Urbis ac illius districtus praedictorum, illorumque coemeteria consecrandi, ac polluta (aqua tamen prius per te vel eumdem vel alium antistitem, similes communionem et gratiam habentes, benedicta) reconciliandi.

Vetita exercitia puniendi; § 13. Ac eos, qui festivis diebus vetita a iure exercitia fecerint, compescendi et puniendi.

Blasphematores et alios coercendi; § 14. Blasphematores, usurarios, iudaeos, periuros et quoscumque alios committentes crimen, quod ad ecclesiasticum forum et ad Curiam et iurisdictionem vicarii nostri, etiam iuxta facultates tibi et praedecessoribus tuis concessas, simpliciter vel mixtim, de iure vel consuetudine seu statuto, pertineat, non obstantibus quibuscumque significationibus ab aliis iudicibus factis seu faciendis, cognoscendi et puniendi.

Poenas piis operibus applicandi; § 15. Ac tam pro vasis, vestibus, tunicellis, planetis et similibus, quae de necessitate ad divinum honorem requiruntur, tam pro ordinibus sacris celebrandis, quam pro sustentatione episcopi ordinantis ministrorumque eius ac notariorum, qui, ut accepimus, pro sigillo nihil accipiunt, saltem pro meris laboribus persolvendis, et aliis, quae de necessitate ad curam et regimen tui officii fieri debere videbuntur, de poenis in dicta Curia disponendi.

Omnia ad officium spectantia exequendi; § 16. Omniaque alia et singula faciendi, gerendi, disponendi, ordinandi, mandandi et exequendi, quae ad huiusmodi vicariatus officium de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet pertinere dignoscuntur, et quae omnes alii vicarii Urbis de iure, consuetudine vel privilegio facere, dicere et ordinare potuerunt.

Inobedientes coercendi; § 17. Necnon contradictores et facultati potestatique tuae huiusmodi contravenientes et illam perturbantes, ac rebelles quoscumque, quavis auctoritate fungentes, per ecclesiasticas et alias pecuniarias poenas, tuo arbitrio infligendas et moderandas, etiam per represalias, ubi et quando opus fuerit, correctionemque personalem, iuris remedio opportuno, appellatione postposita, compescendo, plenam, liberam et omnimodam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, facultatem concedimus.

Causas civiles et criminales b cindicatas cognoscendi, § 18. Et insuper quamvis, ut accepimus, huiusmodi vicariatus officii vigore, vicario pro tempore existenti, tam in civilibus quam in criminalibus clericorum Urbis et eius districtus matrimoniorum spiritualium illorumque connexorum, iudaeorum quoque ac hospitalium et hospitalariorum, necnon confraternitatum laicorum quorumcumque ac collegiorum ecclesiasticorum et aliorum quorumvis, etiam forensium, ac quorumcumque in quibuscumque ecclesiis, monasteriis et cappellis Urbis praedictae deservientium, et residentium, locorum piorum et religiosorum quorumcumque, utriusque sexus, fratrum, monacorum, etiam Mendicantium quorumcumque, tam in dicta urbe commorantium quam ad illam pro tempore confluentium, causis, iurisdictio attributa fuerit; nihilominus super praemissis seu aliquibus eorum, per gubernatorem necnon senatorem Urbis ac auditorem causarum Curiae Camerae Apostolicae generalem, conservatores Camerae Urbis, et diversos alios iudices et officiales pro tempore existentes, dictum vicariatus officium pro tempore obtinentes, quam [1] saepe, nonnullarum, ut ipsi asserunt, per Sedem Apostolicam eis concessarum literarum praetextu, perturbari et impediri contigit,

[1] Cherub. legit *quod* loco *quam* (R. T.).

et aliquas ex huiusmodi causis ad se appropriare nituntur, in gravem dicti vicariatus officii iacturam ac damnum; nos iis occurrere et obviare ac dicti vicariatus officii indemnitati providere volentes, motu simili, in praemissis, etiam active et passive, tibi et pro tempore existenti vicario iurisdictionem huiusmodi hactenus semper competiisse et competere.

Alienationumque et permutationum de bonis ecclesiasticis.

§ 19. Ac te in singulis venditionis, permutationis et alienationis rerum et bonorum ecclesiasticorum causis, etiam per supplicationem apostolicam commissis et committendis, tam in Urbe quam illius districtu praedictis, iudicem et executorem, quamdiu vixeris, fore et esse; ac venditiones, permutationes et alienationes huiusmodi, sine cognitione et approbatione tuis, pro tempore factas, minime valere decernimus et declaramus.

Vicarius in his causis iudex est ordinarius.

§ 20. Ac, pro potiori cautela, te successoresque tuos in dicto vicariatus officio vicarios, in praemissis causis et circa praemissa, competentem iudicem, quamdiu vixeris, ut praefertur, constituimus et deputamus; et in eventum in quem per nos vel Sedem praedictam huiusmodi tua iurisdictio in praemissis, per praeoccupationem vel alias, tibi diminuta et abdicata, ac illa praefatis gubernatori aut senatori vel auditori, conservatoribus et quibuscumque aliis iudicibus et officialibus, quacumque auctoritate fungentibus, attributa fuisset, ex nunc illam motu simili restituimus et plenarie reintegramus. Ac omnes et singulos processus et sententias, quos et quas in gubernatorem vel senatorem seu auditorem, conservatores seu quoscumque iudices et officiales praefatos, in praeiudicium attributae et concessae tibi iurisdictionis praedictae, haberi vel promulgari contigerit, nullos et nullas nulliusque roboris vel momenti fore et esse. Ac res et personas, sub tua et tui vicariatus officii iurisdictione constitutas, alicui alteri iudici, quacumque auctoritate, etiam cardinalatus honore, fulgenti, ex quacumque occasione, causa vel contractu, sub quavis forma celebrato, minime subesse nec subiici posse. Et ita per quoscumque iudices, etiam causarum dicti Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales interpretari, sententiari et declarari debere, sublata eis et cuilibet ipsorum quavis aliter interpretandi, sententiandi et indicandi facultate et auctoritate; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane, eisdem motu et scientia, decernimus et statuimus per praesentes.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 21. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis privilegiis, indultis et literis apostolicis super praemissis, in praeiudicium dictae, ut praemittitur, per nos tibi attributae iurisdictionis aut coertionis, eisdem gubernatori, senatori, auditori, conservatoribus et aliis iudicibus et officialibus praefatis, ac quibuscumque aliis personis, sub iurisdictione vicariatus huiusmodi existentibus, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, per nos aut praedecessores nostros et Sedem praefatam concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, pro illorum sufficienti derogatione, specifica et expressa ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes, sed de verbo ad verbum habenda mentio foret, eorum tenores pro sufficienter expressis habentes, harum serie specialiter et expresse, motu simili derogamus, et aliis praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque; aut si aliquibus personis aut ecclesiis, monasteriis vel Ordinibus, aut quibusvis aliis a praedicta sit Sede indultum quod capi, detineri et interdici, suspendi et excommunicari aut

visitari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indultis et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, et nostra propria manu non fuerint subscripta, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, quae, quod ad praemissa, cuiquam nolumus aliquatenus suffragari. Irritum quoque et inane quidquid contra praemissa vel aliquod praemissorum attentari contigerit decernentes.

Ilique omnes in praedictis obediant.

§ 22. Et ut officium praedictum melius et liberius prosequi valeas, mandamus omnibus et singulis ad quos spectat, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existant, quatenus tibi in exequendis iis, quae ad officium tuum praedictum pertinere dignoscuntur, omnibus possibilibus auxiliis, consiliis ac favoribus opportunis assistant, tibique pariter obediant, prout nobis.

Iussio officium sollicite administrandi.

§ 23. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta motu simili mandamus quatenus, officium vicariatus huiusmodi devote suscipiens, illud sic prudenter, sollicite et fideliter exequaris, quod exinde optati fructus proveniant quos speramus; tuque, praeter aeternae retributionis praemium, nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis.

Datum anno Incarnationis dominicae [1], pontificatus nostri anno IX.

Dat. an. 1542, pontif. IX.

---

1 Deest *annus* forte typographi vitio, qui, ut cum aliis siglis chronologicis congruat, esse debet MDXLII (n. T.).

XLVI.

Institutio hospitalis et monasterii in Urbe pro neophytis cathecumenis iudaeisque et infidelibus ad catholicam fidem se convertentibus; et erectio archiconfraternitatis pro eorum regimine; iurisdictioque S. R. E. cardinalis protectoris et iudicis causarum, eorum interesse concernentium [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Illius, qui pro dominici gregis redemptione in ara crucis in pretium immolari non cruluit, quique post eius mortem et a mortuis resurrectionem, praeordinatis testibus saepe saepius apparens, tandem ascensurus ad Patrem, suos nolens discipulos relinquere orphanos, Spiritus Sancti paracliti consolatione visitavit, et eos hospitales ad invicem fore debere, caritatisque dona, quae omnes alias virtutes superat, exorare praeceperat, nos, quamquam immeriti, vices in terris gerentes, quamvis ex debito pastoralis officii mens nostra, rerum pro tempore ingruentium occasione, ad multiplices cogitatus se divertat, incessanter curis affligimur assiduis, ut iudaei et infideles ex eorum hebraica caecitate ad veri luminis agnitionem converti, ac conversi in catholica fide instrui, et ad id hospitalia deputataque loca ad salubrem statum et hospitalitatis observantiam provenire valeant, et ut ad praemissa cunctorum christifidelium vota concurrant, fideles ipsos per confraternitatis spiritualis, tamquam membra suo capiti adhaerentia, nexum, quibusdam spiritualibus et alle-

1 Huiusmodi infidelibus se convertentibus ubique locorum, indulta et privilegia hic idem Pontifex elargitus est, ordinationesque circa eorum vivendi modum praefinivit in constitut. XLI, *Cupientes*, pag. 336 huius tomi. Et pro virginibus neophytis dictum monasterium in Urbe aedificari iussit Pius IV, et illud Pius V translulit ad ecclesiam S. Basilii in regione Montium.

cturis muneribus prosequimur, ut exinde gratiae divinae reddantur aptiores.

Petitio facultatis erigendi hospitale et monasterium pro iudaeis conversis.

§ 1. Sane, pro parte dilecti filii Ioannis de Iorano, rectoris parochialis ecclesiae S. Ioannis de Mercato, regionis Campitelli de Urbe, nobis nuper exhibita petitio continebat quod, cum ad omnipotentis Dei et totius curiae coelestis laudem et gloriam et orthodoxae fidei exaltationem ac augmentum nonnulli hebraei seu iudaei divinitus inspirati, tenebrosam caecitatem, qua tunc detinebantur, abiecerint, et ad veri luminis agnitionem se converterint, ac lavacro baptismatis baptizati fuerint; et ob diversa munera et gratias ex Sedis Apostolicae benignitate eis concessa, quamplurimi alii hebraei et iudaei, simili desiderio accensi, eamdem caecitatem abiicere et ipsum verum lumen agnoscere cupiant, et in dicta Urbe nullus locus existat, in quo ipsi iudaei et infideles ex iudaica caecitate ad fidem Christi conversi recipi possint, pro parte dicti Ioannis nobis fuit humiliter supplicatum ut sibi prope dictam ecclesiam unum monasterium pro puellis, et unum hospitale pro viris iudaeis conversis construi faciendi licentiam concedere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio dictae facultatis.

§ 2. Nos igitur temporibus nostris tantam gratiam ab Altissimo divino miraculo nobis, meritis licet imparibus, allatam fuisse reputantes, ac desuper eas, quas valemus, gratias eidem Altissimo agentes, ac de fide et integritate, necnon bonorum operum zelo praefati Ioannis in Domino plurimum confidentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefato Ioanni facultatem erigendi monasterium et hospitale prope dictam ecclesiam, in loco ad id designato, unum monasterium pro puellis, et unum hospitale sub S. Ioseph seu alia, de qua eidem Ioanni videbitur, invocatione, pro viris iudaeis ac infidelibus quibuscumque volentibus se sponte et libere ad eamdem fidem convertere, in quibus recipi et caritative tractari possint, ex bonis eidem Ioanni a Deo collatis, ac christifidelium eleemosynis ad id concessis et concedendis construendi et aedificari faciendi, auctoritate apostolica, tenore praesentium, ex certa nostra scientia, de apostolicae potestatis plenitudine, licentiam et facultatem concedimus. Illaque, postquam constructa fuerint, in monasterium et hospitale eorumdem iudaeorum conversorum, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus, illisque pro eorum dote bona quaecumque illis eroganda et relinquenda perpetuo applicamus et appropriamus.

Institutio archiconfraternitatis in dicto hospitali.

§ 3. Ac in monasterio et hospitali praedictis unam archiconfraternitatem [1], quae caput omnium aliarum confraternitatum et hospitalium et monasteriorum et aliorum quorumcumque locorum eorumdem iudaeorum et hebraeorum et infidelium conversorum ubilibet institutarum et instituendarum confraternitatum, erectorum et erigendorum monasteriorum, hospitalium et locorum iudaeorum et hebraeorum huiusmodi [2] immediate subiicimus et facimus membra ab eis dependentia. Ita quod confraternitates, monasteria, hospitalia et loca illis subiecta et ab eis dependentia huiusmodi ipsam confraternitatem uti illorum [3] in aliqua saltem reverentia singulis annis cognoscere teneantur. Cuius archiconfraternitatis praefatus Ioannes, quoad vixerit, et eo vita functo, unus ex confratribus clericis, per eos tantum de triennio in triennium eligendus, caput seu rector, praepositus nuncupandus, ac duodecim clerici seu presbyteri saeculares, exemplaris vitae et religionis zelatores, quos praefatus Ioannes ac ipsius confraternitatis praepositus pro tempore existens duxerit eligendos, esse debeant, erigimus et instituimus, et quod de numero eorumdem ele-

1 Supple *erigimus, quae sit*. 2 Deest aliquid, forsitan *quibus illa*. 3 Supple *caput* (R. T.).

ricorum, seu presbyterorum confratrum nullus praelatus, seu alicuius Ordinis professor esse possit. Ipsique clerici seu presbyteri, Ioanni ac pro tempore existenti praeposito praedicto omnimodam et plenariam obedientiam et reverentiam, uti eorum superiori, praestare, illumque in cura et administratione monasterii et hospitalis praedictorum coadiuvare; ipsique duodecim presbyteri seu clerici, ut circa praemissa liberius attendere valeant, nulli alteri confraternitati seu societati aggregari, seu ad illam admitti valeant: ac, praefato Ioanne vita functo, praepositus archiconfraternitatis huiusmodi per confratres praedictos clericos tantum de triennio in triennium ex eorum gremio eligi, eorumque officium per triennium et non ultra durare debeat.

Ad eius gubernium et curam infideles se convertentium.

§ 4. Et ipsi confratres quoscumque iudaeos seu hebraeos et infideles quoscumque ad fidem catholicam converti volentes, recipere, illisque victum et vestitum ex ipsius hospitalis bonis assignare; et ipsi iudaei seu hebraei et infideles quicumque ante eius conversionem per unum [1] seu aliud tempus, de quo eidem praeposito videbitur, in ipso monasterio et hospitali cathecumeni manere, ac in dicta ecclesia, uti eorum parochia, missas et alia divina officia audire, et dominico et aliis festivis diebus solemnibus in ipsa ecclesia ad effectum audiendi verbum divinum accedere teneantur, et nulla saecularis seu cuiuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis vel conditionis existens et quavis auctoritate fungens persona in monasterio et hospitali praedictis, illorumque bonis et rebus atque administratione, absque confratrum praedictorum expresso consensu, se intromittere, aut in illis aliquam auctoritatem seu iurisdictionem exercere possit et valeat. Et si pro tempore contigerit quod in ipsis monasterio et hospitali, caritatis opera non exerceantur, illorum fructus archihospitali incurabilium S. Iacobi in Augusta eo ipso applicata sint et esse censeantur; ipsumque archihospitale illiusque rectores seu guardiani bonorum praedictorum fructus, redditus et proventus, uti eorum et dicti archihospitalis S. Iacobi bona percipere, ac de illis in illius pauperum et non alios usus disponere libere et licite valeant, nec ad id desuper per quoscumque molestari, perturbari aut inquietari possint, eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo, statuimus et ordinamus. Necnon eidem Ioanni mappas, tovalias et reliqua altarium paramenta sacerdotalia et vestimenta quaecumque necessaria benedicendi licentiam et facultatem similiter concedimus.

Confratribus et benefactoribus gratias et indulgentias concedit;

§ 5. Necnon confratribus monasterii, hospitali construendo ac ecclesiae praedictis, illorumque administratoribus, gubernatoribus, rectoribus, oeconomis, servitoribus, familiaribus, ministris et conversis ac aliis personis in eis pro tempore existentibus, seu aliquam curam de illis ac hospitalis et monasterii praedictorum fabrica habentibus, necnon personis inibi pro tempore decedentibus, seu aliquid de bonis suis pro dictis operibus relinquentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, etiam plenariis, ac peccatorum remissionibus et aliis gratiis spiritualibus, Imagini S. Salvatoris de Sancta Sanctorum, et Caritatis, ac eidem archihospitali S. Iacobi in Augusta, et S. Spiritus hospitalibus, ac Corporis Christi, et Sacramenti, ac Campi Sancti et aliis confratribus confraternitatum de Urbe, necnon eisdem Imagini, et hospitali Sancti Spiritus, ac Campo Sancto, necnon fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, illiusque deputatis, eorumque necnon B. Mariae de Populo et Consolationis ac S. Ioannis Baptistae Florentinorum aliisque eiusdem urbis ecclesiis, ac illa et illas vi-

[1] *Annum* subdit Cherub. (R. T.).

sitantibus vel benefacientibus, eorumque administratoribus et guardianis, rectoribus, occonomis generalibus, aliis personis similem curam in eis sumentibus, ac iudaeis et conversis, ac quibuscumque eorum, etiam per nos et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et successores, ac Sedem eamdem concessis et concedendis (quae omnia et literas desuper confectas haberi volumus pro expressis), et quibus illæ, illi et illa utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, archiconfraternitas illiusque confratres, monasterium construendum, hospitale, ecclesia, illorumque administratores, rectores, familiares, ministri, oeconomi et aliae personae similem curam inibi sumentes et illa visitantes ac eis benefacientes, ex nunc et in perpetuum utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si monasterio et hospitali ac ecclesiae et confratribus praedictis, illorumque rectoribus, administratoribus, gubernatoribus, oeconomis, servitoribus, familiaribus, ministris et conversis ac aliis personis, ac illa visitantibus et benefacientibus pro tempore specialiter et expresse concessa fuissent et in futurum concederentur. Necnon presbyteris praedictis, qui in monasterio seu hospitali aut ecclesia praedictis quocumque anni tempore celebraverint, et pro quibus iidem presbyteri inibi celebraverint et oraverint, easdem indulgentias et peccatorum remissiones, quae celebrantibus in Scala Cœli nuncupata, monasterii Trium Fontium extra muros Urbis, Cisterciensis Ordinis, aut in Cappella in Praesepe Domini, sita in ecclesia B. Mariae Maioris de Urbe; ac animabus, pro quibus inibi iidem presbyteri celebraverint et oraverint, eisdem auctoritate et tenore concedimus et indulgemus; ac indulgentias, privilegia, indulta, exemptiones, immunitates et alias concessiones ac remissiones huiusmodi, ad illos, illas et illa extendimus et prorogamus ac ampliamus. Et quod Ioannes ac pro tempore praepositus et administrator, rector, gubernator, oeconomus, servitores, familiares, ministri et conversi ac aliae personae praefatae indulgentias, gratias, privilegia, indulta, exemptiones, immunitates, libertates et alias concessiones et remissiones huiusmodi ac dies et festa in quibus ac causas propter quas illa consequi debeant ad eorum beneplacitum publicare facere. Necnon eleemosynas monasterio et hospitali ac conversis seu alias concedendas recipere, et ad illas recipiendas et quaerendas, ac indulgentias huiusmodi publicandas per dictam Urbem et alibi eosdem presbyteros seu clericos aut alios quaestores seu quascumque alias personas, cuiusvis licentia minime requisita, deputare et mittere. Et Ioannes ac, eo vita functo, pro tempore praepositus praedictus quaecumque statuta et ordinationes licita et honesta tamen, tam circa regimen et tranquillum statum monasterii, hospitalis, confratrum, presbyterorum, iudaeorum, hebraeorum et conversorum, ac divinorum celebrationem, quam numerum et qualitates, aetates cappellanorum, confratrum ac ministrorum, et habitum iudaeorum ac conversorum praedictorum, eorumque personas, et monasterii et hospitalis praedictorum ornamenta ac bona mobilia et immobilia, eorumque administrationes et alia praemissa concernentia condere et alterare, mutare ac de novo edere, quae, postquam condita, alterata, mutata et reformata fuerint, eo ipso apostolica auctoritate confirmata sint et esse censeantur, ac quascumque poenas in contravenientes apponere.

§ 6. Ac quilibet confrater, minister seu officiales et personae archiconfraternitatis, monasterii et hospitalis huiusmodi quem- *Personis archiconfraternitatis, hospitalis et monasterii,*

confessorem eligendi concedit facultatem;

cumque presbyterum saecularem in suum possint eligere confessorem, qui eos et eorum quemlibet a quibuscumque casibus, quantumcumque gravibus, etiam in quinterno Cancellariae Apostolicae, in dictis literis expressis [1]; ac confessionale et altare portatile, iuxta formam et literas praedictas, habere possint, licentiam et facultatem concedimus et indulgemus.

Protectori et iudici causas eorum cognoscendi iurisdictionem tribuit

§ 7. Ac ut ipsi confratres et rectores, administratores, oeconomi et aliae personae ab indebitis molestiis releventur, unum ex sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, quem ipsi ad id duxerint admittendum seu eligendum, in eorum protectorem et iudicem, cui et nulli alii subiecti existant, et coram quo seu ab eo deputando quaevis, tam civiles quam criminales, causae, per et contra archiconfraternitatem, illorum administratores, rectores, gubernatores, ministros, familiares, oeconomos et alias personas praefatas, super bonis et rebus, cuiuscumque qualitatis existentibus, ad archiconfraternitatem, monasterium et hospitale praedicta pertinentibus motae et pro tempore movendae, et iuxta ordinariam iurisdictionem seu facultatem Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori attributam, cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, annexis et connexis, cognosci ac fine debito terminari valeant et debeant, constituimus et deputamus. Ipseque pro tempore protector, per se vel alium seu alios, quoscumque, quorum intererit vel interesse poterit, tam in Romana Curia quam extra eam, etiam per edictum publicum, constito sibi summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, ac quibusvis etiam in dicta Curia iudicibus et personis, quibus et quoties, sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis ac etiam pecuniariis, de quibus eidem protectori videbitur, inhibendi; et in eventum non paritionis, ad declarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi, illarumque aggravationem ac alias, iuxta stylum et morem Curiae dicti auditoris in similibus servari solitum procedendi; ac sententias executioni debitae demandandi seu demandari faciendi. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, ac omnia et singula alia in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi et exequendi, plenam et liberam licentiam et facultatem concedimus.

Clausulae huius concessionis praeservativae.

§ 8. Decernentes praesentes literas ac indulgentiam infrascriptam, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus, repositionibus et exceptionibus similium literarum, gratiarum et indulgentiarum, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices ac Sedem eamdem vel eius legatos, ac etiam per regulas Cancellariae Apostolicae pro tempore factas, etiam in favorem fabricae Apostolorum Principis de Urbe, et expeditionis contra infideles nullatenus comprehensas, sed semper ab illis et omnino exceptas esse et censeri, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas et reintegratas fore, ac eisdem praesentibus literis, per quascumque literas et quasvis clausulas generales vel speciales, etiam derogatorias, efficaciores et insolitas, ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum expressione, in se continentes nullatenus derogari posse, nisi tenor illarum de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, et huiusmodi derogationes consistorialiter, etiam per trinas distinctas literas eumdem tenorem continentes, tribus similiter distinctis vicibus praeposito, confratribus et administratori-

[1] Cherub. *ac etiam Apostolicae Sedi reservatis, absolvere, ac etc.* (R. T.).

bus praedictis legitime intimatae et insinuatae fuerint, eorumque expressus ad id accedat assensus, et aliter factas derogationes nemini suffragari.

Decretum irritans. § 9. Sicque per quoscumque iudices et personas, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Alia indulgentia pro confratribus. § 10. Et nihilominus de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, universis et singulis eiusdem archiconfraternitatis confratribus pro tempore existentibus vere poenitentibus et confessis seu confitendi propositum habentibus, qui in eiusdem Sancti Ioseph et Nativitatis Domini nostri Iesu Christi seu aliis, per eosdem praepositum, rectores, administratores et gubernatores ad id nominandis festis seu diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis sequentis diei, monasterium et hospitale ac ecclesiam huiusmodi devote visitaverint, et pro praemissis operibus manus adiutrices, iuxta eorum arbitrium, porrexerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac iubilaeum et remissionem in Domino elargimur.

Deputatio executorum huius constitutionis. § 11. Mandantes nihilominus dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, aliisque in dignitate ecclesiastica constitutis personis, necnon metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum canonicis ac venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum vicariis in spiritualibus generalibus et officialibus ubilibet constitutis, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ioannis ac pro tempore existentis praepositi et administratoris et rectoris et gubernatoris praedictorum seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac eis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, eos et eorum quemlibet ac alios, quos praesentes literae concernunt, illis pacifice frui et gaudere *etc.*

§ 12. Non obstantibus de non concedendis indulgentiis ad instar ac aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

§ 13. Volumus autem quod praesentium literarum ac privilegiorum, indultorum, exemptionum, indulgentiarum ac aliarum huiusmodi transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis *etc.* Fides exemplorum.

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimotertio, undecimo kalendas martii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 19 februarii 1543, pontif. anno IX.

XLVII.

De electione prioris generalis et aliorum priorum congregationis monachorum Silvestrinorum, Ordinis Sancti Benedicti, ad triennium tantum, eiusque auctoritate circa regimen dictae congregationis [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Exposcit debitum pastoralis officii, cui, disponente Domino, praesidemus, ut ad ea

1 Istam congregationem approbavit Innoc. IV in sua constitutione XII, *Religiosam*, tom. III, pag. 525, et eidem communicavit privilegia omnium Mendicantium Paulus V, die 25 novembris 1606, constitutione quae incipit *Sanctorum*.

sollicite intendamus, per quae monasteria et alia religiosa loca, per nostrae operationis ministerium, salubriter dirigantur, et in eis regularis disciplinae norma servetur, ac omnis bene vivendi institutio cum aeternae vitae praemio salubriter adimpleatur.

Congregatio in priorem generalem elegit Hieronymum Pacificum ad vitam.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Hieronymi Pacifici de Saxoferrato monachi, et universorum modernorum definitorum Ordinis Sancti Benedicti, congregationis Silvestrinorum, ac priorum et rectorum prioratuum et beneficiorum eorumdem Ordinis et congregationis, petitio continebat quod alias, prioratu Eremi Montisfani, Camerinensis dioecesis, eorumdem Ordinis et congregationis, tunc certo modo vacante, tunc definitores, priores et rectores prioratuum et beneficiorum praedictorum aut eorum maior pars Romae, in praesentia venerabilis fratris nostri Ioannis Dominici, episcopi Ostiensis, ipsius congregationis protectoris, de mandato nostro capitulariter super hoc congregati, praefatum Hieronymum Ordinem ipsum expresse professum, in eorum et dicti prioratus priorem ad eius vitam, iuxta privilegia et indulta apostolica illis seu eorum Ordini desuper concessa aut alias, elegerunt et deputarunt, ac forsan alias et alia fecerunt, prout in eorum patentibus literis desuper confectis dicitur plenius contineri; ipseque Hieronymus postmodum, electionis et deputationis huiusmodi vigore, ipsius prioratus possessionem forsan assecutus fuit.

Sed postea utilior visa fuit electio ad triennium dicti prioris, cum prohibitione reeligendi durantibus aliis duobus trienniis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, a nonnullis de viribus electionis huiusmodi haesitetur, et asseratur prioratum ipsum forsan alias quam ut praemittitur vacavisse et vacare; et si electio et deputatio praedictae ad triennium revocarentur et reducerentur, ac illae quoad triennium tantum approbarentur et confirmarentur; ac in dicto prioratu, qui conventualis existit, et cuius prior pro tempore existens perpetuus et generalis Ordinis et congregationis praedictorum esse consuevit, titulus perpetui prioris supprimeretur et extingueretur, ac ille per priorem triennalem regeretur et gubernaretur; ac quod praefati definitores, priores et rectores in dicto eorum capitulo generali, ad hoc propterea celebrando, unum religiosum eiusdem Ordinis, Ordinem ipsum expresse professum, quem pro ipsius Ordinis prosperis successibus utiliorem fore putarent, in priorem generalem dicti prioratus de triennio in triennium eligere possint, ita quod sic electus, lapso huiusmodi triennio, reeligi non posset, donec duo alia triennia elapsa forent; quodque priores et rectores prioratuum et aliorum beneficiorum Ordinis et congregationis huiusmodi, ultra triennium in eisdem prioratibus et beneficiis per eosdem capitulum confirmari non possint, statueretur et ordinaretur, et hoc profecto feliciori Ordinis et prioratuum et beneficiorum eorumdem, necnon illorum personarum statui, in spiritualibus et temporalibus salubriter consuleretur, et praedictus Ordo augmentum cum animarum salute susciperet.

Idemque congregatio supplicavit huic Pontifici pro opportuna provisione.

§ 3. Quare, pro parte dictorum modernorum definitorum, priorum et rectorum nobis fuit humiliter supplicatum ut pro ipsius Ordinis salubri directione super iis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Qui propterea dictam electionem Hieronymi ad triennium reducit,

§ 4. Nos igitur, qui monasteriorum omnium et in illis Domino famulantium personarum salubrem statum et regularis observantiae augmentum sinceris exoptamus affectibus, eosdem modernos definitores, priores, rectores ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure

vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; verumque et ultimum dicti prioratus vacationis modum, etiam si ex illo quaevis generalis reservatio in corpore iuris clausa resultet, pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, electionem et deputationem in priorem generalem praefati prioratus de dicto Hieronymo ad vitam factas praedictas ad triennium, ita quod, finito triennio, idem Hieronymus ab huiusmodi prioratus et generalatus officio libere amoveri possit, auctoritate apostolica, tenore praesentium revocamus, reducimus, illasque sic revocatas et reductas, ac prout illas concernunt, omnia et singula alia in dictis literis contenta et inde secuta quaecumque, licita tamen et honesta, quoad huiusmodi triennium dumtaxat, ex certa scientia approbamus et confirmamus, ac illis plenum firmitatis robur adiicimus.

Et ad triennium iterato illum deputat,

§ 5. Et nihilominus eumdem Hieronymum in priorem dicti prioratus ad triennium dumtaxat constituimus et deputamus; necnon in dicto prioratu, cuius fructus, redditus et proventus ad sexaginta tres florenos auri in libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur, nomen et titulum perpetui prioris, ita quod numquam illius, nisi ad effectum triennalis electionis, vacatio occurrat, etiam ex nunc perpetuo penitus et omnino, auctoritate et tenore praedictis, supprimimus et extinguimus, ac suppressa et extincta esse, et censeri.

Annatamque de dicto prioratu de quindennio in quindennium Camerae Apostolicae solvi iubet;

§ 6. Et propterea annatam dicti prioratus, occurrente illius pro tempore vacatione, Camerae Apostolicae aut quibusvis aliis debitam, nisi de quindecim annis in quindecim annos minime solvi, et ipsius prioratus pro tempore existentes priores ad illius solutionem alias quam ut praefertur non teneri, nec ad id cogi, aut propterea aliquibus censuris innodari posse et debere decernimus.

Triennale prioratum consumi decernit.

§ 7. Necnon quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, prioratus ipse per priorem triennalem dumtaxat, per solam capituli huiusmodi electionem de triennio in triennium deputandum, regatur et gubernetur, ac regi et gubernari debeat.

Prioris electionem ad capitulum generale remittit, prohibens reeligi in priorem durante secundo successive triennio;

§ 8. Quodque huiusmodi electio, postquam per capitulum praefatos facta fuerit, apostolica auctoritate approbata et confirmata sit et esse censeatur eo ipso; nullusque inibi in priorem ultra triennium eligi aut deputari possit, sed is, qui uno triennio in priorem ipsius prioratus praefuerit, ultimo ipsius triennii die prior esse desinat, ac in eiusdem prioratus priorem immediate de novo per ipsos capitulum reeligi seu reassumi non possit, donec duo triennia elapsa sint; et, si ante illorum lapsum eligatur, electio huiusmodi nulla sit. Et nihilominus sic scienter eligentes, sententiam excommunicationis incurrant, nec etiam ipsum triennium prorogari valeat.

Auctoritatem prioris durante triennio totalem esse affirmat;

§ 9. Quodque praefatus Hieronymus et alii dicti prioratus priores taliter electi et confirmati, durante triennio, ac prioratus et illius conventus huiusmodi, omnibus et singulis potestate, auctoritate et facultate, etiam conferendi beneficia et officia, ac immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, honoribus, privilegiis, indulgentiis, praerogativis, gratiis, favoribus et indultis, in spiritualibus et temporalibus, quibus alii perpetui eiusdem prioratus priores, qui pro tempore fuerunt, uti, potiri et gaudere potuerunt, seu etiam debuerunt, ac possent et deberent quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere; ipseque pro tempore prior existens, finito eius triennio, eius successori in priorem electo, ac duobus per capitulum

praefatos nominatis et deputatis, reservata sibi annua pensione vigintiquinque scutorum pro vestimentis et aliis suis necessariis, deductis expensis, sibi per præfatos Ioannem cardinalem et protectorem ac capitulum assignata, rationem de reliquis per eum, durante triennio huiusmodi, administratis, reddere teneantur.

Omnium priorum confirmationem ultra triennium prohibet,

§ 10. Quodque priores aut rectores prioratuum et beneficiorum Ordinis et congregationis huiusmodi ultra triennium in eorum prioratibus et beneficiis confirmari nullatenus possint, perpetuo statuimus et ordinamus.

Dictum prioratum de cetero cuicumque, etiam S. R. E. cardinali, commendari interdicit,

§ 11. Et insuper ex nunc quascumque collationes et provisiones seu commendas, et quasvis alias dispositiones, de quibusvis personis, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, de dicto prioratu, etiam per Sedem Apostolicam, pro tempore factas, nullius roboris vel momenti existere; et sic per quoscumque iudiees, etiam eiusdem sanctae Romanae Ecclesiæ cardinales, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, iudicari et definiri debere, necnon quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, eontigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Executores huius constitutionis deputat;

§ 12. Quocirca dilectis filiis abbati monasterii Sancti Blasii et Sancti Venantii ac Sancti Nicolai de Fabriano, Camerinensis dioecesis, [1] saecularium et collegiatarum ecclesiarum existentium definitorum et priorum ac rectorum eorumdem Ordinis et congregationis seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra revocationem, reductionem, approbationem, confirmationem, suppressionem, statutum, ordinationem et decretum praedicta firmiter observari, ac singulos, quos praesentes concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Contrariis derogat.

§ 13. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac prioratus et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, necnon quibusvis privilegiis, indultis ac literis apostolicis eidem Ordini et illius locis et personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis, etiam quod illis per quascumque literas apostolicas, quasvis etiam derogatoriarum derogatorias et insolitas clausulas in se eontinentes, derogari, nec derogatum censeri nullatenus possit, nisi modis et formis in eisdem contentis derogatio huiusmodi facta fuerit, disponentibus. Quibus omnibus, etiamsi, pro eorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas

[1] Addendum hic forte *quoties pro parte* (R. T.).

apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimotertio, duodecimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 21 martii 1543, pontif. anno IX.

XLVIII.

Prorogatio celebrationis generalis concilii Tridentini usque ad bellorum sedationem [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Etsi cunctis quidem in rebus conficiendis, si illae statuto tempore terminari nequeunt, temporis opportunitatem attendere expedit; id tamen in gravioribus reipublicae christianae causis et negociis, et per Romanum Pontificem, cum ad eum ipsorum negociorum explicatio pertinet, maxime convenit observari, ut per opportunitatem ipsam eadem negocia prosperum valeant habere successum.

Animi sui sollicitudinem cogendi concilium generale et pacem inter christianos principes conciliandi alias demonstratam exponit Pontifex,

§ 1. Quod [2] enixe nos semper oecumenici et generalis concilii celebrationem concupiverimus, et quo propterea studio et animi solicitudine huic rei ac inter christianos principes paci et concordiae incubuerimus, tot labores per nos, praesertim cum ea de causa Nicæam nos contulimus, suscepti, tot nuncii et legati ad eosdem principes propterea a nobis missi, tot super ea re a nobis ad illos datae literae, toties per nos denique indictum concilium huiusmodi, totque praelatis et aliis, qui ad illud venire tenentur, ut omnino accederent, transmissa mandata et hortationes, reddunt testimonium veritatis.

Eosdem principes una cum episcopis etc. ad concilium huiusmodi se invitasse;

Concilium [1] ipsum Mantuae primo, deinde Vincentiae, ad quam propterea tres a latere nostro, ex venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium numero, legatos misimus, et novissime Tridenti, per nostras literas sub datum Romae apud Sanctum Petrum, undecimo kalendas iunii, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimosecundo, in quibus, ne idem repetamus, cur in Mantuana et Vincentina civitatibus praedictis concilium huiusmodi celebrari nulla ratione valuerit explicavimus, ad kalendas novembris, quae proxime praeterierunt, incipiendum et prosequendum et, Domino adiuvante, ad ipsius gloriam et laudem ac christiani totius populi salutem absolvendum, indiximus, annunciavimus, et convocavimus omnes ex omnibus locis, tam venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos quam dilectos filios abbates et alios quoscumque, quibus iure aut privilegio in conciliis generalibus residendi, et sententias in eo dicendi permissa potestas est, requirentes, hortantes et admonentes, ac eis in vim iuramenti nobis et Sedi Apostolicae praestiti, et in virtute sanctæ obedientiae, ac sub certis tunc expressis poenis mandantes ut ipsimet, nisi forte iusto detinerentur impedimento, aut per suos procuratores et nuncios, huic sacro concilio omnino adesse et interesse deberent; necnon charissimos in Christo filios nostros Carolum, imperatorem semper augustum, et Franciscum, Francorum regem christianissimum, ceterosque reges, duces et principes christianos, ne Dei causam et negocium desererent, sed ipsimet ad sacri huiusmodi concilii celebrationem venirent, et si venire non possent, saltem graves viros legatos cum auctoritate, qui

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic. — Huiusmodi Concilii indictionem vide supra in constitut. XLIII, pag. 337. 2 P. Matth. legit *Quam* loco *Quod* (R. T.).

1 *Enim* add. P. Matth. (R. T.).

personam principis sui et prudentia et dignitate possent in concilio referre, mitterent, curarentque ut ex suis cuiusque regnis et provinciis episcopi et praelati, sine tergiversatione et mora, ad concilium proficiscerentur, rogavimus et obsecravimus, sperantes oecumenici concilii celebrationem huiusmodi, ad quam pro agri dominici purgatione saepe antea devenire, ut praefertur, frustra conati eramus, eo saltem tempore, Dei benignitate ac clementia, omnino successuram esse.

Carolum imp. et Franciscum Franc. regem, missis ad eos legatis, hortatum esse ad pacem;

§ 2. Literisque nostris praedictis publicatis, cum, postquam nuncios nostros speciales pro pace inter dictos principes tractanda destinaveramus, odia et simultates inter eosdem principes augeri, et iam cum ab unoquoque eorum per alterum ab induciis nostro interventu Nicææ inter eos factis discessum esse praetenderetur, arma tractari et bellum moveri cerneremus, duos summae authoritatis viros, inter cetera animi ornamenta, pacis studiosissimos, S. R. E. cardinales a latere legatos ad eosdem Carolum imperatorem et Franciscum regem misimus. Qui ipsis nostro nomine, in quae pericula ex eorum discordiis universa respublica christiana brevi esset ventura, exponerent, eosque per viscera D. N. I. C. ad pacem inter se mutuo complectendam et rempublicam christianam a tot tantisque imminentibus periculis liberandam, quam maxime possent, hortarentur.

Misisse quoque legatos Tridentum qui concilio praesiderent;

§ 3. Ac appetente iam die pro qua (ut praefertur) concilium indixeramus, cum in eodem proposito et desiderio illud omnino celebrandi persisteremus, dilectos filios nostros Petrum Paulum Sanctae Balbinae Parisium, et Ioannem Sancti Vitalis Moronum titulorum presbyteros, ac Reginaldum Sanctae Mariae in Cosmedin, tunc Sanctorum Nerei et Achillei diaconum, Populum[1] nuncupatos, S. R. E. cardinales, nostros et dictae Sedis legatos de latere, summae virtutis, doctrinae et authoritatis viros ad ipsam civitatem Tridentinam, ut episcopos, praelatos et alios ad concilium venientes exciperent, atque ea, quae ad concilii celebrationem huiusmodi necessaria essent seu opportuna facerent, destinavimus. Necnon quam plures ex eisdem praelatis, singulis ad illos nostris datis literis admonuimus ut frequentes concilio huiusmodi interesse vellent.

Se Bononiam profectum ut, habito cum Carolo et Francisco colloquio, huiusmodi rebus consuleret, adiunctis etiam adhortationibus ad episcopos ut Tridentum venirent.

§ 4. Demum cum spe pacis per dictos legatos nostros inter eos componendae, ex iis, quae ab eisdem legatis acceperamus, destitueremur[1], ne quod reliquum erat in facultate nostra omitteremus, praefatos Carolum imperatorem et Franciscum regem diversis nostris ad eos datis literis hortati sumus ut pro concilianda inter eos aliqua concordia nobiscum in aliquo commodo loco, ad quem aetati nostrae non parcentes nos profecturos esse pollicebamur, convenirent; utque desiderium nostrum pacis, colloquii et concilii celebrationis huiusmodi re ipsa comprobaremus, e nostra propria Sede profecti Bononiam venimus, ut, motis (quod sperabamus, per appropinquationem nostram) ipsorum principum animis, concordiae, statui celebrationique ipsius concilii securius et ferventius instari, et fluctuanti reipublicae christianae aliquod salutare remedium afferri posset. Iterumque, post adventum nostrum huiusmodi, praelatos praedictos per diversas alias nostras literas admonuimus, ut exemplo quamplurium praelatorum, qui ex Urbe nostra ad locum concilii de mandato nostro se contulerant, ad illud accedere amplius non tardarent.

Sed cum haec omnia incassum cessserint, ac, propter bella, itinera non omnia tuta sint, Turcicaq. classis ipsi Italiae incursiones mi-

§ 5. Cum autem dicti Carolus imperator et Franciscus rex, suorum regnorum et dominiorum tuitioni intenti, cui se, propter vigentia inter ipsos bella vacare oportere asserebant, nobiscum convenire recusaverint: ac licet postmodum Petrus

1. *Polum*, P. Matth. (R. T.).

1 *Fere destitueremur*, P. Matth. (R. T.).

...sicetur, concilii celebrationem ad commodius tempus in posterum declarandum differt;

Paulus et Ioannes ac Reginaldus, cardinales et legati praedicti, pro praedicto concilio ad ipsam civitatem accesserint, ac inibi sex menses et ultra, non sine aliqua dictae Sedis indignitate, expectando permanserint, nihilominus praeter eos, qui ex alma Urbe (ut praefertur) venerant, admodum pauci praelati inibi convenerint: quinimo, sicut provinciarum diversitas affert, diversimode se excusaverint, et alii bellorum motus, alii itinera non tuta ac viarum pericula, alii diversa alia impedimenta attulerint. Nos propterea praedictos Petrum Paulum et Reginaldum cardinales et legatos, ut ab eis, quo in statu res essent et quid super celebratione concilii sperari posset, intelligeremus, accersivimus; cumque eumdem Carolum imperatorem Germaniam petere et per Italiam iter facturum esse intelligeremus; nos apud eumdem Carolum imperatorem, cum quo in oppido Busseti convenimus, tam per nos ipsos quam per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales, qui tunc nobiscum aderant, pro pace huiusmodi omni cura et diligentia, quod etiam cum praefato Francisco rege non minori studio antea pluribus literis egeramus, institimus. Cum vero nihil hactenus proficere potuerimus et a Petro Paulo et Reginaldo, cardinalibus et legatis praedictis, ac ex praefati Ioannis cardinalis et legati, necnon ceterorum praelatorum in dicta civitate Tridentina existentium literis (quorum fere singulorum super ea re sententiam exquisivimus) cognoverimus, et nos ipsi clare perspiciamus, vigentibus tot in locis inter eosdem principes bellis, ac immanissimo Turcarum tyranno cum validissimo exercitu Hungariae regnum invadente, eiusque copiosa et munitissima classe iam mare inferum ingressa, cuius conatibus, quantum vires nostrae (licet impares) suppetent, resistere (ut tenemur) intendimus, non posse ad praesens (Domino forsan, ob peccata nostra, sic permittente) nostram super huiusmodi concilio intentionem impleri. Quinimo eandem actionem concilii in aliud opportunius et commodius tempus, quo dignitas et frequentia concilio, et reipublicae christianae praesentior salus afferri possit, differendam esse. Sperantes ex Dei bonitate et misericordia post tenebras lucem, et aliquando tandem, quod brevi futurum speramus et optamus, concilium ipsum celebrari posse. Volentes interim generalem christianorum defensionem a periculis (propter infidelium mare et terram infestantium impetus) imminentibus, quantum in nobis erit, procurare, et almae Urbi, Sedi nostrae ac orbis capiti omniumque perfugio, quae, nobis ab ea diutius absentibus, ob ipsorum infidelium incursiones, non leve periculum subire posset, nostra praesentia, quod necesse est, ceterisque praesidiis succurrere, ac conscientiis et commoditatibus praelatorum, qui ad ipsum concilium venire tenentur, ne propter ipsius concilii celebrationis incertitudinem molestia aut incommodo afficiantur, paterna charitate consulere, habita super his cum eiisdem fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio et assensu, celebrationem concilii huiusmodi, usque ad aliud opportunius et commodius tempus per nos declarandum apostolica authoritate, tenore praesentium suspendimus, et suspensum esse nunciamus; ac poenas contra patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates et alios in posterioribus literis indictionis concilii huiusmodi comprehensos inflictas, usque ad tempus praedictum, quo concilium ipsum omnino prosequi intendimus, relaxamus.

§ 6. Necnon eosdem Petrum Paulum et Reginaldum cardinales legatos ac Ioannem cardinalem et legatum praefatum ab eodem concilio ad nos et Sedem praedictam *Legatos S. Sedis Romam revocat;*

revocamus; ac praelatis in eadem civitate occasione concilii huiusmodi existentibus, inde, usque ad tempus per nos declarandum praedictum, quo eosdem patriarchas, archiepiscopos, episcopos et abbates ac alios in literis posterioris indictionis concilii huiusmodi comprehensos, sub periurii ac aliis in eisdem literis contentis poenis, concilio praedicto, iuxta formam ipsarum literarum, adesse et interesse voluimus, recedendi licentiam concedimus, decernentes ex nunc irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis authoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Decretum publicationis huiusmodi suspensionis.

§ 8. Nos enim, ut hae nostrae literae et in eis contenta quaecumque ad notitiam omnium (quorum interest) perveniant, sciantque cuncti se ad tempus declarandum praedictum, quo concilium huiusmodi prosequi et continuare ac, dante Domino, perficere intendimus, praesto esse debere, et ad id sub poenis praedictis teneri, ne aliquis illorum ignorantiae excusationem praetendere possit, volumus et mandamus ut in basilica Sancti Petri de Urbe (cum inibi populi multitudo ad divina audienda convenerit) palam, clara voce, per Curiae nostrae cursores aut notarios aliquos publicos legantur, lectaeque, in dictae basilicae necnon Cancellariae Apostolicae valvis affigantur, ubi ad lectionem et notitiam cunctorum aliquandiu expositæ pendeant. Cumque inde amovebuntur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa; transumptis quoque earum, quae manu publici notarii scripta aut subscripta et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita fuerint, ut fides certa et indubitata habeatur, pariter mandamus atque decernimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum suspensionis, nunciationis, relaxationis, revocationis, concessionis, decreti, voluntatis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Bononiae, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, pridie nonas iulii, pontificatus nostri anno IX [1].

Dat. die 6 iulii 1543, pontif. anno IX.

XLIX.

Impositio annui subsidii trecentorum millium scutorum, a subditis Status Ecclesiastici annis singulis, quacumque exemptione non obstante, ad triennium, Reverendae Camerae Apostolicae persolvendi, omnibus extraordinariis exactionibus interim interdictis [2].

Paulus Papa III, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decens esse censemus ut ii, qui, speciali privilegio donati, ceteros antecellunt, in supportatione onerum illos adiuvent qui forte inferiores existunt, praesertim dum urgens necessitas imminet, et exinde publica utilitas resultare dignoscitur.

Impositio (ut in rubrica).

§ 1. Nuper siquidem, ad sustinendam expensarum molem hoc tempore, pro orthodoxae fidei ac status S. R. E. tutela, nobis incumbentem, subsidium CCC millium scutorum auri in auro, annis singulis, per dilectos filios subditos dictae Romanae Ecclesiae ad tres annos proxime futuros Camerae Apostolicae persolvendos, exigere, et interim ab augmento salis ac

1 In ed. Lugduensi 1589 *Sum. const.* etc. P. Matthaei habetur cursorum Pontif. declaratio de latione, publicatione affixioneque harum apostolicarum litterarum facta die XIII septembris eiusdem anni (R. T.). 2 Exemptiones omnes a solutione onerum cameralium revocatae fuerunt a multis Pontificibus et postremo a Paulo V in sua constitutione, *In maximis*.

omnibus aliis extraordinariis exactionibus abstinendum decernimus. Provinciaeque nostrae Romandiolae, exarcatus Ravennae, Marchiae, Umbriae, Perusiae et Patrimonii onus huiusmodi cum summa alacritate ac fidei observantia acceptaverunt.

Revocantur quaecumque exemptiones.

§ 2. Et quia publice interest exactionem huiusmodi fieri, volentes illam facilitare, ac reliquos subditos dictae Romanae Ecclesiae ad illud solvendum promptiores reddere, motu proprio et ex certa nostra scientia, tenore praesentium, statuimus et ordinamus quod, durante triennali contributione trecentorum millium scutorum huiusmodi, omnes et singuli S. R. E. subditi saeculares, etiam si regimini civitatum et locorum praesint, ac marchiones, barones, feudatarii, personae et officiales et quivis alii, quacumque dignitate et excellentia praediti, et quantumcumque exempti et privilegiati fuerint, ad solvendum ratam dictae contributionis eis tangentem omnino teneantur, et ad id cogi et compelli possint. Nos enim quaecumque privilegia, exemptiones et indulta illis concessa, ac consuetudines et iuris communis dispositiones in eorum favorem facientes, per triennium praefatum, quoad contributionem eamdem, illis alias in suo robore permansuris, omnino suspendimus ac illis suffragari minime posse volumus.

Clausula sublata etc.

§ 3. Decernentes sic per quoscumque, tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fungentes, iudices, personas, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac dictae Romanae Ecclesiae cardinales, ubique iudicari, cognosci ac decidi debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate; necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio executorum.

§ 4. Quocirca dilecto filio Guidoni Ascanio Sfortiae Sancti Eustachii, diacono cardinali de Sancta Flora, camerario nostro, quem super praemissis, ultra ordinariam sui camerariatus officii facultatem, commissarium et executorem nostrum generalem facimus, constituimus et deputamus, per praesentes committimus et mandamus quatenus easdem praesentes et in eis contenta quaecumque plenum effectum sortiri, et inviolabiliter observari mandet et faciat. Contradictores, renitentes et rebelles per censuras ecclesiasticas et poenas, etiam pecuniarias, arbitrio suo infligendas et applicandas, et alia iuris remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis ac literis apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Mareni, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die II septembris, millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 2 septembris 1543, pontif. an. IX.

Sequitur declaratio dictae constitutionis quoad exemptiones.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Relatio supradictae impositionis

Ex debito pastoralis officii ad ea, ut debemus, libenter intendimus, per quae provide ordinata serventur, et, ut plenum sortiantur effectum, opem et operam impendimus efficaces. Dudum siquidem, pro

nostris et Apostolicae Sedis necessitatibus, ac subditis nostris ab extorsionibus et aliis gravaminibus, quae per commissarios collectores onerum pro tempore impositorum eis passim inferebantur, opportune sublevandis, subsidium trecentorum millium scutorum auri in auro, annuatim nobis et Camerae Apostolicae, triennio tantum durante, per subditos ipsos persolvendorum, imposuimus; et interim ab exactione augmenti pretii salis ac quorumcumque aliorum onerum extraordinariorum abstineri decrevimus. Et ut facilius subditi ipsi subsidium huiusmodi praestare possent, per alias nostras in forma brevis literas voluimus et ordinavimus quod omnes et singuli exempti et privilegiati saeculares, utcumque qualificati, ad contributionem subsidii huiusmodi omnino tenerentur, prout in dictis literis plenius continetur.

Declaratio quoad personas et bona exempta et non exempta.

§ 1. Cum autem postmodum, sicut accepimus, nonnulli ex privilegiatis et exemptis praefatis, solutionem subsidii huiusmodi fugere volentes, causam et causas in auditorio Rotae ac S. R. E. cardinalibus et forsan aliis iudicibus et personis, in Romana Curia et extra eam, certis sub praetextibus, committi obtinuerint, et hoc modo subditos alios devote et faciliter solventes, contra mentem nostram, litibus involvi [1], illosque [2], gratia per nos eis concessa, quod exempti in praestatione subsidii huiusmodi, pro communibus necessitatibus, ut nos et nostros subditos praefatos a catholicae fidei hostibus, quos ita propinquos habemus, defendere possimus, impositi, contra publicam utilitatem, retardatur; ac volentes, ut par est, in praemissis opportune providere, motu proprio et ex certa scientia, apostolica auctoritate, tenore praesentium, quascumque causas desuper pendentes ad nos advocamus, et lites penitus extinguimus, quoad ea quae contributionem subsidii huiusmodi tangunt dumtaxat; ac volumus quod omnes et singuli exempti, et quantumcumque privilegiati saeculares, etiam si curiales civitatis nostrae Maceratensis existant, et regimini civitatum praesint, ac almae Urbis et quorumcumque aliarum civitatum, oppidorum et locorum cives, vel quicumque nobiles, barones, feudatarii aut alias, etiam privilegio iuris in corpore clauso, exempti, et capitulum, collegium vel universitates [1] aut communitas sint, contributionem subsidii huiusmodi simpliciter et omnino; clerici vero, pro bonis ad eos ex parentum et propinquorum vel aliorum successione delatis, vel per eos acquisitis; ac clerici ipsi et religiosi, pro fructibus et bonis mobilibus seque moventibus ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum quorumcumque, saecularium vel regularium, etiam si archiepiscopali, episcopali aut alia maiori dignitate praefulgeant, in gabellis, ad iuvandum et facilitandum solutionem subsidii huiusmodi, pro aliqua honesta parte dicti subsidii, universaliter impositis, vel imponi aut augere permissis, dicto triennio durante, contribuere teneantur, et ad id cogi et compelli iuris et facti remediis necessariis et opportunis possint et debeant, quibusvis exemptorum, clericorum et religiosorum huiusmodi privilegiis, exemptionibus, concessionibus, favoribus, declarationibus, sententiis, gratiis et indultis alias in suo robore permansuris.

Clausula sublata etc.

§ 2. Decernentes sic et non aliter per quoscumque, etiam dictae Romanae Ecclesiae cardinales et Rotae auditores, tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fungentes, iudices et personas, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, ubique iudicari et definiri debere. Nos enim status huiusmodi et quarumcumque aliarum, etiam ante impositionem huiusmodi subsidii quomodolibet introductarum, litium

1 Cherub. *involvant* (R. T.). 2 *Illosque ad aliud iudicium trahendo gratia* etc. ita legit *Bullarium Can. Reg. Congr. S. Salvat.* Romae 1730. (R. T.).

1 *Univeritas*, l. c. (R. T.).

et causarum ac privilegiorum, indultorum, literarum et scripturarum quarumcumque, occasione praemissorum quomodolibet confectorum, tenores, causas et effectus, nomina et cognomina iudicum et collitigantium, aliaque, etiam si maiora sint expressis, de necessitate exprimenda, praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, irritum et inane decernimus quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus vel in posterum contigerit attentari.

Deputatio executorum.

§ 3. Quocirca dilecto filio Guidoni Ascanio Sfortiae Sancti Eustachii, diacono cardinali de Sancta Flora, S. R. E. camerario, quem, ultra sui camerariatus officii facultatem, super praemissis executorem generalem, cum plena et libera auctoritate et potestate quoscumque citandi, ac illis, quoties opus fuerit, etiam sub censuris et poenis, etiam pecuniariis, arbitrio suo infligendis et applicandis, inhibendi, ac quaecumque dubia et difficultates circa praemissa vel eorum aliquod ac illa vel subsidium huiusmodi concernentia, et ultra praesentium et aliarum literarum nostrarum praedictarum tenores, tollendi et removendi et inviolabiliter observari faciendi, facimus, creamus, constituimus ac deputamus, tenore praesentium committimus et mandamus quatenus praesentes literas et alias praedictas et in eis contenta quaecumque solemniter publicando, faciat illa plenum effectum sortiri et inviolabiliter observari, nec permittat quemquam contra illarum tenores vel mentem nostram praefatam quomodolibet perturbari, impediri aut inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles, per praedicta et alia, de quibus ei videbitur, iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis et apostolicis ac provincialibus et synodalibus constitutionibus et ordinationibus, statutis et consuetudinibus et novis reformationibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, etiam per viam legis et statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus editis, concessis, confirmatis et innovatis contrariis quibuscumque; aut si aliquibus *etc. ut in praecedenti*.

Sanctio poenalis.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae advocationis, extinctionis, voluntatis, decreti, factionis, creationis, constitutionis, deputationis, commissionis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, pontificatus nostri anno IX [1].

L.

De celebratione capituli generalis congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum et de iis, quae observari debent in electione praelatorum [2].

Paulus Papa III, ad futuram rei memoriam.

Fraudem dolumque in electionibus committentes vel committi consentientes incurrunt poenam excommun. reservatae Romano Pontifici.

§ 1. Ut electiones dilectorum filiorum rectoris generalis, visitatorum, priorum, sociorum, capitularium et aliorum officialium congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum, quas pro tempore fieri contigerit, omni qua decet sinceritate et puritate celebrentur, pro pastoralis officii debito providere volentes, apostolica au-

1 Cherub. et Bull. s. c. an. X (R. T.) 2 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

ctoritate, tenore praesentium statuimus et ordinamus quod omnes et singuli in electionibus huiusmodi vocem habentes aut in eis quomodolibet intervenientes, cuiuscumque gradus, status vel conditionis fuerint, qui in electionibus ipsis seu [1] publicandis, quam alias quomodocumque et qualitercumque fraudem, falsitatem, dolum, malitiam vel corruptelam scienter commiserint, seu committentibus adhaeserint, seu desuper consenserint, aut fraudem, falsitatem, malitiam, dolum vel corruptelam huiusmodi non revelaverint, ultra alias censuras et poenas, tam a iure quam per constitutiones seu privilegia eiusdem congregationis seu alias in tales latas et promulgatas seu inflictas, excommunicationis sententiam, a qua, nonnisi a Romano Pontifice, praeter quam in mortis articulo, absolvi possint, eo ipso incurrant; et nihilominus ab eorum superioribus arbitrio suo mulctari et puniri possint et debeant.

Publicatio huiusce constitutionis in capitulis facienda.

§ 2. Mandantes modernis dictae congregationis priori generali et visitatoribus huiusmodi quatenus praesentes literas in eorum capitulis, ut ad omnium, quos concernunt, notitiam devenire possint, publicent, seu publicari faciant: non obstantibus apostolicis ac dictae congregationis constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis concessis, approbatis et innovatis, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXII septembris MDXLIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 22 sept. 1543, pontif. anno IX.

[1] Locum hunc ita supplet Tomasinus: *seu circa illas vel illarum circumstantias, tam in scrutinio et nominationibus faciendis seu etc.* Annales Can. Saecul. S. Georgii in Alga. Utini 1642 (R. T.).

LI.

Quod causae tam civiles quam criminales et mixtae provinciae Marchiae Anconitanae, coram iudicibus ordinariis pro tempore motae, donec in prima instantia pependerint, non possint avocari praetextu literarum auditoris Camerae vel appellationis, et dummodo causae civiles biscentum ducatos non excedant [1].

Paulus Papa III, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Decet Romanum Pontificem, in suprema iustitiae sede constitutum, ad ea diligenter intendere, per quae personis quibuslibet, praesertim nobis et Romanae Ecclesiae immediate subiectis, iustitia celeriter administretur, et delicta, quae per easdem personas in dies committuntur, debite puniantur, ut exinde unicuique ius, quod suum est, tribuatur, et qui se intra limites iustitiae continere negligunt, si non virtutis amore, saltem formidine poenae ab illicitis abstinere discant.

Causa ferendae huiusce constitutionis.

§ 1. Sane cum, sicut nuper accepimus, in provincia nostra Marchiae Anconitanae diversi litigantes, iniustam causam fovere cognoscentes, ut causas, inter eos et adversarios suos indecisas pendentes, immortales reddant, et alii, diversa delicta et excessus in dies perpetrantes, ut punitionem delictorum per eos pro tempore commissorum effugiant seu differant vel minuant, sub praetextu quod in partibus litigare perhorrescant, seu a iudicibus, de causis huiusmodi in prima instantia cognoscentibus, in aliquo gravati fuerint, causas ipsas de partibus avocari, et in Romana Curia aut alibi extra ipsam provinciam committi procurent, ac adversarios suos ad litigandum in causis huiusmodi extra eorum domicilium trahant, et exinde fiat ut quandoque qui in causis civi-

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic.

libus trahuntur, taedio laborum et expensarum, quos, extra provinciam litigando, subire coguntur, affecti, potius a prosecutione iuris sui desistere, quam expensas et labores huiusmodi subire eligant, et procuratores fisci nostri in eadem provincia, ne propria pro alienis deserere cogantur, causas ipsas ulterius non prosequantur, sicque iustitiae locus non sit, et delicta impunita remaneant; ac alii, praetextu praemissorum inducti, ad delinquendum audacius prosiliant, in provincialium provinciae huiusmodi grave detrimentum.

Declaratio (de qua in rubrica)

§ 2. Nos, praemissis occurrere cupientes, motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium statuimus et ordinamus quod de cetero tam civiles quam criminales aut mixtae causae, in dicta provincia hactenus ortae, vel in posterum oriturae, a quibusvis personis, etiam dicti fisci procuratoribus, vel pro eodem fisco agentibus, tam active quam passive, pro tempore motae, cuiuscumque qualitatis fuerint, dummodo civiles causae huiusmodi summam seu valorem cc ducatorum auri non excedant, donec in prima instantia pependerint, etiam praetextu literarum moderni et pro tempore existentis Curiae causarum Camerae Apostolicae generalis auditoris, vel cuiusvis commissionis vel appellationis, a quocumque gravamine, nisi tale sit quod per definitivam sententiam reparari non possit, ab earum iudicibus ordinariis seu venerabili fratre Marco episcopo Senogalliensi, moderno pro tempore existente dictae provinciae gubernatore, avocari, aut ante primae sententiae, in eis per eosdem iudices ordinarios, seu Marcum episcopum modernum et pro tempore existentem gubernatorem praedictum ferendæ, prolationem, extra eamdem provinciam in Romana Curia vel alibi committi non possint; sed omnes et singulae causae provinciae huiusmodi, in quibus forum causarum iudicum ordinariorum pro tempore declinabitur, seu alias quovis modo extra dictam provinciam commissae fuerint, per eosdem iudices ordinarios seu Marcum episcopum modernum et pro tempore existentem gubernatorem dictae provinciae, commissionibus causarum huiusmodi extra dictam provinciam pro tempore factis, et illarum vigore, a iudicibus, coram quibus reperientur, emanandis inhibitionibus non obstantibus, cognosci, decidi et fine debito terminari debeant.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes statuto et ordinationi nostris huiusmodi quovis modo derogari, aut illa revocari, tolli seu suspendi non posse; ac ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon stylo Palatii et quibusvis commissionibus pro tempore signatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III martii MDXLIV, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 3 martii 1544, pontif. anno X.

LII.

De falsi et decupli aliisque poenis ministrorum Reverendae Camerae Apostolicae et aliorum rationes integre et fideliter non reddentium.

Paulus Papa III, motu proprio, etc.

Causa istius constitutionis.

Cum, sicut accepimus, nonnulli provinciarum Status Ecclesiastici thesaurarii, vice-thesaurarii, mercatores et nostrae seu Camerae Apostolicae ministri aliaeque personae, computa administrationum, locationum, affictuum, partitarum et exactionum reddere debentes, integra

computa non exhibeant, partem introituum et exactorum, sub diversis praetextibus et coloribus, retinentes, putantes nil peius eis contingere posse, quam, re detecta, id, quod penes eos fuerit, restituere.

Ministri Reverendae Camerae Apostolicae et alii integre computa reddere tenentur.

§ 1. Nos, malitiae huiusmodi occurrere, ac indemnitati Camerae opportune providere volentes, et ut praefati fideliter, si non virtute, saltem poenae timore procedere discant, motu proprio *etc.* perpetuo statuimus et ordinamus quod omnes et singuli praenominati et alii quicumque, in Camera Apostolica computa reddere debentes, computa huiusmodi integre, videlicet integrum debitum et integrum creditum, describere debeant, nec audeant aliquid penes se vel eorum ministros aut ab eis dependentes retinere, seu retineri facere, directe vel indirecte, quovis quaesito colore. Et si contingeret eos cogi per Cameram Apostolicam ad reddendum rationem de exactis vel administratis ante tempus finitum vel durante exactione, debeant totum id, quod tempore dationis rationis seu computorum ad eorum vel ministrorum aut agentium suorum manus pervenit, integre describere, et tandem omnia diligenter ac fideliter gerere et adimplere.

Contrafacientium poenae

§ 2. Et si secus factum fuerit, in praemissis vel aliquo praemissorum contrafacientes excommunicationis maioris, a qua, nisi per nos vel Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant, ac periurii et falsi, necnon decupli cuiuslibet partitae crediti Camerae omissae seu non solutae irremissibiliter exigendae et dictae Camerae applicandae, necnon alias nostri arbitrii poenas ipso facto incurrant, et ad decupli huiusmodi solutionem prius et ante omnia, etiam non finitis vel solidatis computis, tamquam de re[1] minime compensanda, iuris et facti remediis cogi et compelli debeant; nec adversus praemissa excusationem aliquam eis suffragari volumus; cum nulla excusatio locum habeat in casu, in quo quis tenetur integra computa dare, et totum receptum, vel ad manus eius vel pro eo agentis delatum, in computis non describit.

Decretum irritans.

§ 3. Et sic per quoscumque *etc.* iudicari *etc.*, sublata *etc.*; necnon irritum *etc.*, decernimus.

Sola signatura sufficit.

§ 4. Ac volumus quod praesentium sola signatura sufficiat, et ubique, tam in iudicio quam extra, fidem faciat, absque alia literarum expeditione.

Publicatio in Camera arctet omnes.

§ 5. Quodque pro lege habeantur et sint, et postquam praesentes vel illarum transumptum in valvis Camerae Apostolicae affixae et publicatae fuerint, omnes arctent ac si eis personaliter intimatae fuissent.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus, etiam iuramento *etc.* roboratis, privilegiis quoque, indultis ac literis apostolicis, stylo Camerae, contrariis usibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Placet, motu proprio. A.

Die XXI aprilis MDXLIV suprascriptae literae affixae fuerunt in Camera Apostolica per me Nicolaum de Matthaeis, cursorem; et die XXI aprilis MDXLIV suprascriptus motus proprius admissus fuit in plena Camera Apostolica, publicatus et registratus ad perpetuam rei memoriam.

Michaelangelus Collatinus.

Pub. die 21 aprilis 1544, pont. an. x.

LIII.

De ordine et ratione sedendi in Camera Apostolica per D. camerarium et clericos aliosque officiales eiusdem servandis [1].

Paulus Papa III, motu proprio, etc.

§ 1. Cum, sicut accepimus, alias felicis recordationis Eugenius PP. IV, praedecessor

[1] Cherub. hic addit *liquida cum alia re* (a. r.).

[1] Ex Regest. in Archiv. Vat.

Eugenius IV ordinem sedendi officialibus Camerae praescripsit.

noster, nonnulla statuta, ordinationes et capitula per tunc gentes Camerae Apostolicae ad laudabile sincerumque ac prosperum regimen dictae Camerae edita, et per eumdem praedecessorem tunc visa et lecta ac diligenter examinata, in quibus, inter alia, ad tollendam confusionem, quae deficiente ordine, in eadem Camera oriri poterat, quo pacto in loco Camerae sedendum esset dispositum et ordinatum erat, per suas sub plumbo literas confirmavit et approbavit (prout plenius in literis continetur, ac statutis, ordinationibus et capitulis praefatis contineri dicitur).

Hunc ordinem confirmat et designat Paul III;

§ 2. Nos, literarum, statutorum, ordinationum et capitulorum huiusmodi tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, ac exprimi et de verbo ad verbum inseri posse decernentes, nec non praefati praedecessoris vestigiis inhaerentes, ut omnem confusionem, quae circa modum sedendi huiusmodi inter dilectos filios Camerae Apostolicae decanum et clericum ex una, ac dictae Camerae auditorem modernos orta est, tollamus, desuperque opportune provideamus, motu proprio *etc.* et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac praesenti nostra in perpetuum valitura constitutione, sancimus et ordinamus quod deinceps, perpetuis futuris temporibus, in tribunali dictae Camerae, et ubi gentes eiusdem ad negocia cameralia pertractanda convenire contigerit, dilectus filius noster et S. R. E. camerarius modernus et pro tempore existens, aut illius substitutus vice-camerarius, in primo et digniori loco; latere vero versus parietem, decanus et reliqui clerici Camerae Apostolicae, qui personas proponentes et ad Cameram ipsam recurrentes in faciem videre possint: e regione vero dilectus filius thesaurarius noster generalis, cum ii omnes personam nostram repraesentent; post vero auditor Camerae; collegialiter successive autem reliqui camerales (prout hactenus sedere consueverunt) respective consideant. Eumdemque ordinem ubi gentes dictae Camerae collegialiter convenire contigerit servent. In celebrandis vero instrumentis, circa nominationem personarum cameralium in eis intervenientium, etiam quoad personam dicti auditoris quod hactenus servatum fuit, servetur.

Hunc ordinem perpetuo servari iubet;

§ 3. Decernentes motu, scientia et potestate similibus loca camerario, illius vice-camerario, e regione thesaurario, ac versus parietem (ut praefertur) decano et reliquis dictae Camerae clericis nunc et pro tempore existentibus, ut praefertur, assignata, digniora loca dictae Camerae fore et esse, ac pro dignioribus locis nuncupari et reputari; ac praesentem nostram constitutionem ab omnibus et singulis praefatis et pro tempore existentibus camerario, vice-camerario, thesaurario, decano et reliquis clericis ac auditore et aliis cameralibus praefatis, et ad quos quomodolibet spectat, aut spectare poterit quomodolibet in futurum, sub indignationis nostrae poena, inviolabiliter servari. Sicque per quoscumque iudices *etc.*, sublata *etc.*, reputari, censeri et iudicari debere; ac irritum *etc.*

Derogat obstantibus;

§ 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis, indultis et literis apostolicis in favorem quorumcumque, etiam moderni praefati, aut cuiusvis alterius, qui hactenus fuerit, auditoris Camerae contra praesentium tenorem hactenus quomodolibet, etiam per nos et Sedem Apostolicam, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu proprio, editis et concessis. Quæ omnia, in quantum contra præsentem constitutionem nostram faciant, ad effectum validitatis praesentis constitutionis nostrae, harum serie cassamus et annullamus; ac eis omnibus et singulis, illo-

rum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis in reliquis illaesis et intactis remanentibus, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium solo signatura obligat.

§ 5. Decernentes praesentium nostrarum literarum solam signaturam sufficere, et ubique, tam in iudicio quam extra, fidem facere, regula in contrarium edita non obstante, ac praesentes literas in libris Camerae Apostolicae, ad perpetuam rei memoriam, registrari debere.

Placet, motu proprio. A.

LIV.

Quod omnes officiales Urbis et ditionis ecclesiasticae mandatis cardinalis S. R. E. camerarii omnino parere debeant.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis praecellens auctoritas, S. R. E. cardinales, illos praesertim quibus eius Romanae Ecclesiae cura specialiter est commissa, ampliori favore prosequitur, ac desuper providet et disponit, prout, temporum qualitate pensata, conspicit in Domino salubriter expedire.

Camerarius rerum Camerae Apostolicae curam gerit et Romani Pontificis personam repraesentat;

§ 1. Sane considerantes quod iurium ac rerum Camerae Apostolicae cura illius camerario pro tempore existenti specialiter est commissa, ipseque camerarius nostrum et Romani Pontificis pro tempore existentis vivae vocis oraculum habet, nostramque et dicti Pontificis personam in his repraesentat, et propterea convenit ut tam almae Urbis gubernator, auditor Camerae ac vicarius et iudices ordinarii, quam quicumque alii in Romana Curia ac ditione eiusdem S. R. E. constituti, eiusdem camerarii ordinibus et mandatis pareant et obediant, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine:

Eius iussionibus ab omnibus ditionis ecclesiasticae officialibus obediri mandat;

§ 2. Volumus, statuimus et ordinamus quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, tam almae Urbis gubernator, auditor Camerae, vicarius, iudices ordinarii, quam alii quicumque Romanae Curiae ac ditionis eiusdem Romanae Ecclesiae, dilecto filio nostro Guidoni Ascanio Sfortiae, S. Eustachii diacono cardinali, moderno et pro tempore existenti camerario nostro, eiusque ordinationibus et mandatis, perinde ac si a nobis vel Romano Pontifice pro tempore existente emanassent, omnino parere debeant, et adversus illa, directe vel indirecte, modo aliquo venire nullatenus possint.

Quibus officialibus, in casu contraventionis poenas infligit;

§ 3. Inhibentes dilectis filiis, modernis et pro tempore existentibus, eiusdem almae Urbis gubernatori, auditori Camerae, vicario et aliis iudicibus praedictis, sub excommunicationis ac privationis officiorum ac beneficiorum per eos pro temporo obtentorum, necnon aliis arbitrio nostro ipso facto, si secus egerint, incurrendis poenis, ne contra praesentium tenorem modo aliquo venire aut facere vel attentare audeant seu praesumant.

Camerario in praemissis plenissimam facultatem concedit.

§ 4. Ac mandantes eidem Guidoni Ascanio cardinali et camerario ut, pro praemissorum observatione, executione et implemento, omnibus et singulis praedictis et quibus opus fuerit praecipiat, mandet et inhibeat, illosque citet, cogat et compellat; ac contra eos, etiam manu regia et alias, prout sibi videbitur, procedat; ceteraque alia in praemissis et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciat et exequatur. Nos enim, motu, scientia et potestate similibus, eidem Guidoni Ascanio cardinali et camerario, ultra eius potestatem et auctoritatem, in praemissis plenissimam licentiam et facultatem concedimus.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac provincialibus et synodalibus constitutionibus et ordinationibus ac statutis et con-

suetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis ac literis apostolicis gubernatori, auditori Camerae, vicario et aliis iudicibus praedictis, illorumque officiis [1], vel quibusvis aliis, in genere vel in specie, quomodolibet, etiam motu proprio et scientia similibus, etiam contra praesentium tenorem, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, etiam disponentibus quod illis, nonnisi sub certis modo et forma, derogari possit, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, septimo kal. decembris, pontif. nostri anno XI.

Dat. die 25 nov. 1544, pontif. anno XI.

LV.

Prohibitio occupandi bona naufragantium in locis maritimis S. R. E., praemiique designatio illa recuperantibus vel auxilium praestantibus [2].

[1] Legendum forte *officialibus* (R. T.).

[2] Hoc specialiter statuit, quoad loca maritima S. R. E., Iulius II constitutione XXV, *Romanus*, tom. V, pag. 476, et contra huiusmodi occupatores rerum christianorum naufragantium legitur quotannis bulla in Coena Domini.

Paulus Papa III, ad perpetuam rei memoriam.

Accepimus nuper quod dudum, cum felicis recordationis Iulius Papa II, praedecessor noster, plurimorum lamentabili querela didicisset quibus christifideles maris periculis se et eorum merces exponebant, ut Curiae Romanae et illius curialium commodis, ex mercibus per eos ad eamdem Curiam mari advectis, provideretur *etc* [1]. — *Iulii II constitutio est hic indicata.*

§ 1. Cum autem (sicut ex plurimorum Ripae et Ripettae almae Urbis nostrae mercatorum ac etiam nautarum [2], non sine lamentabili querela ac nostra molestia, intelleximus) praeinsertae literae, a Iulio praefato praedecessore nostro editae, in abusum, et non modicum, tam ipsorum mercatorum et nautarum quam civium Romanorum et curialium et dictam Urbem incolentium, damnum transiverint. Quamobrem nos, vestigiis eiusdem Iulii praedecessoris nostri inhaerere volentes, motu, scientia et potestate similibus, tenore praesentium, praefati Iulii praedecessoris nostri literas in omnibus et per omnia, ac sub poenis et censuris de quibus in ipsis literis et prout in eis continetur, quatenus opus sit, confirmantes et innovantes, illas ab omnibus, ad quos quomodolibet spectat et pertinet ac spectare et pertinere poterit in futurum, sub poenis, de quibus in eis, inviolabiliter observari mandamus. — *Quae ab isto Pontifice innovatur.*

§ 2. Et nihilominus dilectis filiis nostris Guidoni Ascanio, S. R. E. cardinali de Sancta Flora nuncupato, camerario nostro, necnon praesidentibus et clericis Camerae Apostolicae ac Dominico de Nigris, ad praesens dictae Ripae praesidenti seu camerario, modernisque et pro tempore existentibus, quatenus literas Iulii praedecessoris nostri praefati inviolabiliter, prout in eis continetur, ab omnibus ad — *Observantiaeque demandatur.*

[1] Residuum praeterivi, quia bulla Iulii II est ut supra in nota. [2] Deest forte *relatione* (R. T.).

quos spectat, illas per edictum publicum denuo publicantes et publicari in locis eis visis mandantes, inviolabiliter observari mandent et faciant. Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis aut dignitatis fuerint, per poenas et censuras, de quibus in eis, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis et indultis quibusvis personis contra tenorem literarum Iulii praedecessoris huiusmodi forsan concessis, confirmatis et innovatis, quibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, quoad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII martii millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 13 martii 1545, pontif. anno XI.

Sequitur declaratio huius bullae.

Paulus Papa III, motu proprio, etc.

Statuta Ripae disponunt quod recuperat. aut auxilium praestantes recuperationi bonorum naufragor., lucrentur quartam partem illorum.

Accepimus per statuta nostrae Ripae salubrem dispositionem factam extitisse, tenoris quod si pro tempore mercatores seu nautae mari navigantes, et eorum naves et barcas vinis et aliis mercibus, rebus et bonis, pro usu curialium, oneratas versus nostram almam Urbem seu dictam Ripam ducentes, et miserabiliter, casu inopinato, naves et barcae huiusmodi sic oneratae naufragium paterentur, navesque et barcas huiusmodi naufragas, seu bona in eis existentia, aliqui ab eorum dominis et patronis ad id requisiti, per se ipsos recuperaverint, vel in recuperatione auxilium praestiterint, tales recuperatores et auxiliatores quartam partem bonorum et rerum mercantilium huiusmodi in dictis navibus et barcis sic naufragium passis existentium, eorum ope et auxilio recuperatorum, lucrarentur, et aliae tres quartae remanentes ad dominos et patronos dictarum navium et barcarum spectarent et pertinerent; et hoc quidem per felicis recordationis Nicolaum V, prout in suis literis desuper confectis, et in libris statutorum dictae Ripae registratis plenius continetur, concessum fuisse.

Et domini locorum, ad quae naves naufragium patientes perveniebant, bona occupabant, et ideo nautae ad Ripam venire recusabant.

§ 1. Accepimus etiam quod temporis diuturnitate statutum et gratia huiusmodi in dissuetudinem abierunt, et domini locorum et terrarum, sive temporales sive ecclesiastici, ad quorum terras et loca naves et barcae huiusmodi propter naufragium perveniebant, illas ad se ipsos appropriabant, et illorum domini bonis propriis privabantur, propter quod mercatores et nautae [1] eorum mercibus ad dictam Ripam venire se retrahebant, et sic nostrae almae Urbi et illius curialibus non modicum praeiudicium inferri videbamus.

Ideo hic Pontifex bullam hic insertam edidit,

§ 2. Propterea huiusmodi inconvenientiis per aliam nostram gratiam proxime praeinsertam opportune providimus, per quam, si aliquam ex dictis barcis naufragium pati, vel, propter violentiam maris, ad loca praedicta casu pervenire, vel iactum bonorum, alleviandae navis gratia, fieri pro tempore contingat, illis tantummodo, qui a dominis navium et barcarum illarum personis curam et gubernium tantum habentibus super tali naufragio in auxilium vocati fuerint, huiusmodi personis sic vocatis, si ab imminentis et præsentanei naufragii periculo, aut bona iam deperdita recuperaverint, his casibus quartam partem bonorum et rerum in huiusmodi barcis existentibus, et illorum auxilio sive opera sic recuperatorum, concessimus et donavimus.

1 *Cum* addit P. Math. (R. T.).

Ubi quartam bonorum recuperatorum auxiliatorib. concessit;

§ 3. Sed quia in dicta praeinserta gratia nostra non fit mentio specifica de dicta quarta parte bonorum, sed quod dictae personae sic vocatae tantum statuta et consuetudinem allegare possint continetur. Et propterea etiam accepimus quod nonnulli iudicant, et dictam nostram gratiam prave intelligentes, ad personas etiam non vocatas extendunt, et sic intelligi debere praetendunt, et illam non habere locum, nisi in casibus meri naufragii et iactus; sed si naves et barcae huiusmodi integre vi tempestatis ad litus maris pervenerint, et terram dominorum aliquorum pervenerint et attigerint, maxime si pro officialium ipsorum praesentium, et iussu eorum dominorum nomine sit illis auxilium praestitum, tunc praestari debere loci consuetudine allegant, et sic intelligi debere satagunt.

Et modo dictam concessionem declarat;

§ 4. Nos, volentes inconvenientiis huiusmodi obviare, motu proprio et ex certa scientia ac plenitudine potestatis declaramus nostrae intentionis in concessione praeinsertae nostrae gratiae fuisse et esse quod tantummodo vocati et requisiti ab illis dominis et personis pro praedictorum recuperatione quartam partem, pro modo bonorum et rerum recuperatorum in dictis navibus sive barcis, sic naufragium passis, alleviatis, sive aliter ad litus integre perventis et arenae commissis, vel alio inopinato casu deperditis, existentium, et eorum opera et industria ac auxilio, cum praedictis mercibus recuperatis, lucrentur, si tamen praedictae recuperationi actualiter cum eorum personis, non per praesentiam tantum, incubuerint et recuperaverint (aliis personis sive dominis locorum, quocumque titulo nuncupatis, sive cardinales S. R. E. et praedictorum locorum officiales, et aliae quaecumque personae privatae, sive ecclesiasticae sive saeculares sint vel pro tempore fuerint, penitus exclusis); alias autem tres quartas remanentes, fuisse et esse, ac restitui et remanere debere ipsorum dominorum, ut prius fuerant. Et pro pleniori firmamento, de novo talibus personis tantummodo, et forma quibus supra et non aliter, quartam illam pro modo et rata bonorum recuperatorum, a die dictae praeinsertae gratiae naufragium passorum sive alleviatorum, vel aliter integre ad litus perventorum et in futurum pervenieudorum, alleviandorum et naufragium patiendorum, quoquo modo donamus, ac capiendi facultatem concedimus.

Occupatores autem puniri iubet.

§ 5. Alias vero personas modo et forma praemissis non vocatas, quacumque dignitate, etiam cardinalatus honore et dignitate fulgentes, et ecclesiastica dignitate insignitas, quorumcumque locorum vel terrarum, mediate vel immediate S. R. E. subiectorum, fures, raptores, latrones et rebelles sacrosanctae Romanae Ecclesiae esse censemus, ac poenis et censuris, iuxta seriem et tenorem praeinsertae gratiae aliarum literarum puniri mandamus, decernentes irritum et inane quidquid in contrarium attentari contigerit in futurum.

Clausulae praeservativae.

§ 6. Volumus etiam quod praesenti nostro motui proprio per quamcumque nostram signaturam, etiam motu proprio emanatam et in futurum emanandam, etiam si de eorum clausulis derogatoriis mentio fiat, nisi illius expressa mentio de verbo ad verbum habeatur, nullatenus derogatum censeatur.

Executorum deputatio.

§ 7. Praecipientes clericis Camerae Apostolicae, gubernatori, auditoribus sacri Palatii, senatori Urbis, Cameraeque nostrae auditori, ac quibuscumque officialibus et iudicibus, quavis auctoritate fungentibus, quatenus in praemissis, dominis et patronis seu nautis navium et barcarum, sic naufragio oppressarum, adversus quascumque personas, etiam ecclesiasticas,

aliter quam ut praefertur se gerentes, assistant, et poenis dictis afficiant, cum invocatione brachii saecularis, quatenus opus fuerit.

Clausula derogatoria. § 8. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis et indultis ipsorum locorum, statutis et consuetudinibus, quas tamquam corruptelas et abusus iudicamus, indultisque quibuscumque personis specialiter concessis quibuscumque, aliisque in contrarium facientibus non obstantibus, omnium praemissorum tenores et formas pro expressis habentes.

Fiat ut petitur. A.

Sola signatura sufficit. § 9. Et quod praesentis motus proprii sola signatura sufficiat, et ipsius simplex exhibitio et allegatio sufficiat, ac si esset in corpore iuris et aliarum iuris canonici constitutionum clausa, attento quod in favorem Ripae et illius mercatorum [1].

Datum Romae apud Sanctum Marcum, idibus martii, anno nostri pontificatus XV.

Visa. Iulius, Camerae Apostolicae decanus et Riparum praesidens.

LVI.

Familiares et servitores praelatorum Romanae Curiae, salarium et stipendium pro biennio tantum et infra annum a die obitus illorum petere possint.

Paulus Papa III, motu proprio, etc.

Causae constitutionis. Cum, sicut nobis nuper innotuit, saepius contingat ut, decedentibus cardinalibus et venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis referendariis nostris, necnon causarum Palatii Apostolici auditoribus et clericis Camerae Apostolicae praesidentibus ac literarum apostolicarum de maiori praesidentia abbreviatoribus, qui ut plurimum notabilem familiarium et servitorum numerum tenere consueverunt, familiares et servitores praefati, contra eorum patronos iam defunctos insurgentes, salaria et stipendia eorum familiaritatis et servitutis pro toto tempore, quo eorum familiares extiterint seu illis inserviverint, etiam quod de eis sibi satisfactum sit, etiam longo tempore post obitum ipsorum patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, referendariorum, auditorum, clericorum, praesidentium et abbreviatorum, petant et efflagitent, ac quandoque eorum haeredes, qui ut plurimum de his non sunt informati, super salariis et stipendiis huiusmodi, etiam iudicialiter, impetant et molestent, in ipsorum haeredum perturbationem et non modicum detrimentum.

Sanctio (de qua in rubrica). § 1. Nos, attendentes patriarchas, archiepiscopos, episcopos, referendarios, auditores, clericos, praesidentes et abbreviatores praefatos, utpote aliis maioribus negotiis distractos, ut plurimum rationes et computa salariorum et stipendiorum familiarium et servitorum suorum in scriptis non redigere, et propterea eos non facile, sed difficile eorum haeredes de solutione salariorum et stipendiorum huiusmodi fidem facere posse; et insuper verisimile non esse ut qui pro mensuali salario et stipendio aliis inserviunt, exactionem eorum salariorum et stipendiorum ultra integrum annum differant; volentes fraudibus, quae in praemissis fieri possent, occurrere, motu proprio *etc.* statuimus et ordinamus quod de cetero nemo, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existat, ab haeredibus cardinalis alicuius, patriarchae, archiepiscopi, episcopi, referendarii, auditoris, clerici, praesidentis vel abbreviatoris defuncti, cuius familiaris extiterit, seu cui inserviverit, salarium seu stipendium familiaritatis seu servitutis suae plusquam pro integro biennio, post annum a die obitus eius patroni, petere aut exigere, seu desuper haeredes praefatos quovis modo,

1 Cherub. addit *Fiat. A.* (R. T.).

in iudicio vel extra, impetere vel molestare possit.

Contra quam iudicari minime posse decernit.

§ 2. Districtius inhibentes modernis et pro tempore existentibus almae Urbis gubernatori et Curiae causarum dictae Camerae auditori, ac nostro in eadem Urbe et eius districtu in spiritualibus vicario generali, necnon senatori ac quibusvis aliis, tam dictae Urbis quam quarumcumque aliarum civitatum, terrarum et locorum, iudicibus et officialibus, ne familiares et servitores praefatos super exactione salariorum et stipendiorum huiusmodi biennii, post annum a die obitus ipsius defuncti lapsum, audire, aut ad eorum instantiam contra haeredes praefatos quovis modo procedere aut ius dicere praesumant. Ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Urbis, civitatum, terrarum et locorum huiusmodi, etiam iuramento *etc.*, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Placet, motu proprio. A.

Lectum et publicatum fuit statutum et ordinatio Romae in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimoquinto, die vero Martis, vigesimaprima mensis aprilis, pontificatus praelibati sanctissimi domini nostri Papae anno XI.

Pub. die 21 aprilis 1545, pontif. anno XI.

LVII.

Quod donationes spoliorum factae inter vivos per praelatos Hispaniae non valeant, nisi donatores per viginti dies supervixerint [1].

Paulus Papa III, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Cura pastoralis officii admonemur ut abusibus et fraudibus illis, praesertim per quos Camera Apostolica, cuius iura defendere tenemur, defraudatur et laeditur, opportunis remediis obviemur.

Praelati, praetextu donationis, spolia ad Cameram Apostolicam pertinentia distrahebant.

§ 1. Cum itaque, sicut ad auditum nostrum pervenit, saepe contingat ut archiepiscopi et episcopi ac alii praelati in regnis Hispaniarum constituti, aegritudine et in extremis laborantes, scientes se de bonis per eos ex fructibus, redditibus et proventibus ecclesiarum et monasteriorum, quibus praesunt, ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quae obtinent, aut illorum intuitu acquisitis, testari aut alias per viam ultimae voluntatis disponere non posse, ut, quod legitime facere non valent, per indirectas et fraudolentas vias efficiant, omnia res et bona per eos ex fructibus acquisita huiusmodi, quae ut plurimum, propter opulentiam ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum praedictorum, maximi valoris et momenti existunt, per viam simulatae inter vivos donationis, inter diversas personas et in diversos usus distribuant seu potius distrahant, in dictae Camerae Apostolicae, ad quam bona ipsa, tamquam ipsorum praelatorum spolia, pervenire deberent, maximum damnum et praeiudicium.

Nullae sint huiusmodi donationes, nisi donantes per viginti dies supervixerint.

§ 2. Nos, his fraudibus opportunum remedium adhibere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia volumus et auctoritate apostolica per praesentes statuimus et ordinamus quod donationes per archiepiscopos, episcopos et prælatos prædictos in infirmitate constitutos, de bonis huiusmodi de cetero faciendae, nisi post donationes ipsas illi, qui eas fecerint, per viginti dies supervixerint, nullius sint roboris vel momenti, et pro penitus infectis habeantur, et ex eis illis, in quorum favorem factae extiterint, nullum ius seu titulus vel commodum acquiratur, sed omni illarum commodo et effectu careant.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes sic in praemissis per quoscumque iudices et commissarios, qua-

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic.

cumque auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores huius constitutionis assignati.

§ 4. Ac mandantes dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, et in dictis regnis moderno ac pro tempore existenti Apostolicae Sedis nuncio, quatenus ipsi vel eorum alter, per se vel alium seu alios, ubi, quando et quoties opus fuerit, praesentes solemniter publicantes, illas inviolabiliter observari ac suum effectum sortiri faciant, non permittentes aliquid contra earum tenorem per quoscumque quomodolibet attentari, contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, gradus vel conditionis fuerint, etiamsi episcopali, archiepiscopali, patriarchali vel alia maiori dignitate praefulserint, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ipsasque censuras et poenas, legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, ac interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis, indultis et literis apostolicis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis concessis, confirmatis et innovatis, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter aut divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum in nostra civitate Perusii, sub annulo Piscatoris, die decimanona septembris, anno millesimo quingentesimo quadragesimoquinto, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 19 sept. 1545, pontif. anno XI.

LVIII.

Prohibitio immutandi, alterandi vel innovandi stylum Camerae Apostolicae vel Cancellariae in expeditionibus, cum poenarum assignatione [1].

Paulus Papa III, motu proprio, etc.

Narrat abusus in expeditionib. molefactis in Cancellaria vel Camera Apost. exortos.

§ 1. Cum gravissimae querelae nobis nuper super eo allatae fuerint quod, licet ab immemorabili tempore citra in expeditionibus literarum apostolicarum, quae per Cancellariam Apostolicam fiunt, quaedam forma rigorem continens, ac certus stylus iure communi innitens, longe diversus ab eis, qui in expeditionibus literarum apostolicarum earumdem per Cameram Apostolicam, latiorem facultatem circa id habentem, servantur, teneri et servari consueverint; nihilominus, a nonnullis mensibus citra, dilecti filii dictarum literarum abbreviatores maioris praesidentiae, ab eorum praedecessoribus ipsarum literarum abbreviatoribus, viris doctissimis, et in exercitio expediendarum literarum huiusmodi peritissimis, qui stylum et formam huiusmodi, cum summa diligentia et rigore ac maxima eorum laude, inconcusse observarunt, declinantes, ac ipsos stylum et formam transgredientes, diversas literas apostolicas, quae, secundum stylum Cancellariae huiusmodi, per eos expediri non poterant, sed per dictam Cameram expediri debebant, quampluribus officialibus ex expeditionibus per dictam Cameram fieri solitis taxam vel emolumentum capientibus, qui eorum

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

iuribus et emolumentis defraudati sunt et defraudantur, damnum et praeiudicium faciendo, propria auctoritate expedire ausi sunt et audent; ac similes et alias stylo et formae huiusmodi repugnantes literas, quae per dictam Cameram dumtaxat expediri consueverunt, instar ipsius Camerae in posterum expedire et facere velle nituntur et iactant; et, inter cetera, gratias expectativas in prima illarum expeditione, ac commendarum cessiones in manibus nostris pro tempore factas, et collationes beneficiorum ecclesiasticorum iurispatronatus apud Sedem Apostolicam vacantium in forma gratiosa faciendas, necnon reservationes fructuum et regressus et accessus, etiam si literae apostolicae super resignationibus vel cessionibus, ex quarum causa fructus et regressus ac accessus ipsi reservantur, confectae non fuerint, ac coadiutorum deputationes cum futura successione, et creationes in canonicum ac expressiones fructuum, iuxta taxam in libris dictae Camerae annotatam. Quod si fieri contigerit, praeter confusiones ac dissensiones et scandala, quae inde maxima orirentur, in perpetuum damnum et praeiudicium etiam nostrum et Sedis Apostolicae, ac dictorum officialium et illorum officiorum omnimodam fere destitutionem cederet.

Rei huiusmodi delicti temporalibus et spiritualibus poenis subiiciuntur.

§ 2. Nos igitur, scientes nec aequum nec expediens esse ut aliquid in praemissis per dictos abbreviatores innovetur, et ea, quae certam et antiquam formam semper habuerunt, in aliorum praesertim praeiudicium immutanda non esse; ac propterea damno et praeiudicio huiusmodi, ac litibus et expensis, quae inde facile oriri possent, occurrere, ipsasque lites recidere, aliasque in praemissis, prout ad nostrum spectat officium, provideri volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia volumus et apostolica auctoritate decernimus quod praedicti abbreviatores aliquas literas apostolicas in superius expressis et aliis quibuscumque casibus, in quibus, iuxta Cancellariae stylum huiusmodi, literae ipsae per eos expediri non consueverunt, nullatenus expedire, aut stylum praedictum alias quomodolibet ampliare, extendere vel immutare possint aut valeant; sed stylum ipsum inviolabiliter observare debeant, et contrafacientibus consentientes vel votum praestantes sententia excommunicationis, a qua, non nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, eo ipso incurrant; et literas per eos contra praesentium tenores expeditas et quae expediri contigerit, nullius roboris vel momenti, neque alicui suffragari debere, atque penes quoscumque Romanos officiales et quoscumque alios, apud quos repertae fuerint, arrestari, et ad datarium nostrum, qui earum plumbum scindere et amovere teneatur, deferri possint et debeant; et nihilominus dicti abbreviatores, in eventum expeditionis huiusmodi, ad refectionem omnium damnorum et interesse, tam partibus, ad quarum instantiam seu pro quibus literae ipsae expeditae fuerint, quam officialibus, taxam et emolumentum capientibus praedictis, omnino teneantur, et ad id manu regia, per quoscumque dictae Curiae iudices, cogi et compelli possint.

Derogatio contrariorum

§ 3. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon sub viginti octo septembris et altera decimaseptima octobris diebus, pontificatus nostri anno XI, in Cancellaria praedicta publicatis, ac aliis dictae Cancellariae regulis a nobis forsan in contrarium editis, quas, earum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, harum serie revocamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Public. huius constitutionis.

§ 4. Volumus autem praesentes in dicta Cancellaria, ut moris est, publicari et

in illius quinterno inter alias extravagantes, ad perpetuam rei memoriam, describi ac perpetuo et inviolabiliter observari.

LIX.

Contra fratres Conventuales extra Ordinem, absque Sedis Apostolicae licentia, vagantes procedendi facultas praelatis eorum tribuitur [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis modernis magistro generali et provincialibus Ordinis fratrum Minorum S. Francisci, Conventualium nuncupatorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Meditatio cordis nostri assidua hoc, inter cetera, concernit specialiter ut personae religiosae, quae ceteris modestiae et sanctitatis exemplo esse debent, a rectitudinis tramite deviantes, in semitis iustitiae et veritatis dirigantur, et ad debitam vivendi normam reducantur.

Scandala derivantia ex divagatione fratrum sub variis praetextibus exponit. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, complures Ordinis vestri fratrum Minorum Sancti Francisci, Conventualium nuncupatorum, professores ad vetita prosiliant, et excessibus se immergere, eaque detestabiliter committere non contremiscant, quorum nonnulli ad praedicationem apostolicam, etiam pro ministerio praedicandi indulgentias cruciatae contra infideles in subsidium Terrae Sanctae, electi, alii vero ad quaerendum subsidia pro fabrica basilicae Principis Apostolorum de Urbe constituti, ac complures ad alicuius ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus seu principis vel alterius domini temporalis sive etiam unius patriarchae, archiepiscopi, episcopi vel alterius inferioris praelati familiaritatem recepti et admissi, quarum praetextu, tamquam Religionis laxatis habenis, ab obedientia et iurisdictione suorum praelatorum et dicti Ordinis superiorum se exemptos fore, et ita ab illis, si quae commiserint, minime puniri posse praetendunt, in animarum suarum perniciem et Religionis opprobrium, perniciosumque exemplum et scandalum plurimorum.

Superioribus regularibus in eos procedendi facultatem facit. § 2. Nos, qui (ut, excussis his quae religiosorum huiusmodi debitam offuscant decentiam, salutares fructus et exemplares mores superinducantur) providere, prout nostro pastorali incumbit officio, exoptamus, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, vobis ut omnes et singulos praedictae conditionis et qualitatis fratres vestri Ordinis huiusmodi in domibus seu conventibus permanentes et in communi viventes, seu extra domos et conventus huiusmodi, absque nostra et Sedis Apostolicae licentia, vagantes, qui nefaria committere non verentur, cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis fuerint, quomodolibet culpabiles et qualitercumque privilegiatos ac exemptos, auctoritate nostra visitare, et contra illos, etiam per viam inquisitionis vel investigationis, vel alias ex officio, aut per viam appellationis, procedere, eosque debita animadversione punire, et ad observationem regularium institutorum ac vestrarum constitutionum in viridi observantia existentium per censuras et poenas ecclesiasticas, necnon privationis ab officiis ab eis pro tempore obtentis, cogere et compellere, ac in praemissis, nostra et dictae Sedis auctoritate, procedere et iudicare, ac omnia alia et singula necessaria seu quomodolibet desuper opportuna facere et exequi; necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, per easdem sententias, censuras et poenas, sublato ap-

[1] Ex continuat. Annal. Ord. Minor., tom. XVIII, pag. 430.

pellationis seu alterius diffugii obstaculo, appellatione remota, compescendo, et, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocare libere et licite valeatis, plenam, liberam et omnimodam facultatem, licentiam et potestatem, auctoritate praedicta, tenore praesentium concedimus.

Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

§ 3. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibuscumque privilegiis, indultis et literis apostolicis dictis fratribus, tam sub plumbo quam sub annulo Piscatoris aut etiam per Poenitentiariam nostram, seu alias quomodolibet hactenus in contrarium, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, aut etiam per nos, ut praefertur, sub quibuscumque tenoribus et formis ac etiam sub irritativis, annullativis, exceptivis, praeservativis, restitutivis, declarativis ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, concessis, ac saepius innovatis et confirmatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ac nemini adversus praemissa suffragari posse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 4. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die VII ian. MDXLVII, pontificatus nostri anno XIII.

Dat. die 7 ianuarii 1547, pontif. anno XIII.

LX.

Personae ecclesiasticae testandi licentiam a Sede Apostolica non habentes, decimam tantummodo partem locis piis relinquere et donare possint [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, qui ex assueta Sedis Apostolicae benignitate, in favorem ecclesiarum, hospitalium et aliorum piorum locorum, diversa privilegia concedere consuevit, si processu temporis tendunt in abusum, illa moderari ac desuper opportune providere solet, prout, rerum et temporum qualitate pensata, conspicit in Domino salubriter expedire.

Praelati quidam, testandi facultatem non habentes, instituebant haeredes quaedam loca pia, quae ex indulto poterant consequi huiusmodi bona et insuper multa legata faciebant in favorem eorum ad quos bona devenire non poterant.

§ 1. Sane, non absque animi molestia, accepimus quod nonnulli archiepiscopi, episcopi et praelati aliaeque personae ecclesiasticae, tam saeculares quam diversorum Ordinum et militiarum regulares, non habentes de eorum rebus ac bonis testandi et disponendi facultatem, ecclesias, hospitalia et alia pia loca, quibus a dicta Sede Apostolica capiendi res et bona ex testamento vel alia dispositione illorum, qui alias de rebus et bonis eorum disponere non possent, facultas est concessa, haeredes instituunt, et in testamentis sive eorum dispositionibus plura legata seu ordinationes in favorem diversarum personarum ac alios usus, in quos bona et res huiusmodi transmittere non possent,

[1] De spoliis vide constitutionem XXXVIII huiusce Pontificis, pag. 317 huius tomi.

faciunt, hospitaliaque, ecclesiae et loca pia huiusmodi, sive eorum rectores, fidem testantium seu disponentium insequentes, legata ipsa, et in testamentis seu aliis, etiam inter vivos, dispositionibus ordinata adimplent, ex quo Camera Apostolica circa res et bona, spolia nuncupata, per obitum archiepiscoporum, episcoporum, praelatorum et aliarum personarum ecclesiasticarum huiusmodi, absque testandi et disponendi facultate decedentium, remanentia, in suis iuribus detrimentum patitur et iacturam.

Hic ideo Pontifex decimam partem tantum sic relinqui posse declarat

§ 2. Et quia nostrum est in praemissis taliter providere quod ipsius Camerae iurium debita ratio habeatur, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, omnia et singula privilegia, facultates, gratias, literas et indulta quibusvis ecclesiis, etiam metropolitanis, monasteriis, hospitalibus, etiam ab archihospitali Sancti Iacobi in Augusta de Urbe dependentibus, seu causam habentibus, ac aliis piis locis ubilibet constitutis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praefatam, super capiendis seu acquirendis haereditatibus, rebus ac bonis, ex testamento, donatione inter vivos vel alia quacumque dispositione, quorumcumque archiepiscoporum, episcoporum, praelatorum et aliarum personarum ecclesiasticarum, saecularium vel regularium, utcumque etiam, ut praefertur, qualificatarum, et quacumque praeeminentia ac dignitate et auctoritate fulgentium, etiam si S. R. E. cardinales fuerint, de haereditatibus, rebus et bonis huiusmodi facultatem disponendi non habentium, vel alias quomodolibet concessa, etiam si usu recepta sint, moderantes, volumus, decernimus et declaramus quod archiepiscopi, episcopi, praelati et personae huiusmodi, de rebus ac bonis eorum a nobis vel a dicta Sede facultatem testandi seu disponendi non habentes, decimam partem tantum rerum et bonorum eorumdem, mobilium et immobilium et semoventium, ac pecuniarum ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et piis locis, capiendi et aquirendi facultatem huiusmodi habentibus, tantum per viam institutionis haeredum seu donationis vel legati, in vita seu in morte, relinquere, et ecclesiae, monasteria, hospitalia et pia loca huiusmodi seu illorum rectores nonnisi decimam partem huiusmodi capere seu acquirere possint; et ad hoc ecclesiarum et hospitalium ac aliorum piorum locorum huiusmodi privilegia, facultates, concessiones, gratias, literas et indulta quaecumque reducimus ac moderamur. Decernentes sic *etc.* Non obstantibus *etc.* Contrariorum derogatio.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII mensis martii millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 28 martii 1548, pontif. anno XIV.

LXI.

Causarum tam criminalium quam mixtarum cognitionem provinciarum Campaniae et Maritimae ad eumdem rectorem tantummodo spectare, ab eoque decidi et definiri debere decernit [1].

Paulus Papa III, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniunctum nobis desuper apostolicae servitutis officium, quo sumus unicuique in administranda iustitia debitores, nos excitat et inducit ut ad ea, per quae administrationi iustitiae huiusmodi, et Camerae nostrae Apostolicae indemnitati consulitur, nostrae vigilantiae partes propensius impartiamur.

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Causa huius legendae constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut nuper accepimus, licet nos in provincia nostra Campaniae, Maritimae et Latii unum S. R. E. cardinalem, nostrum et Apostolicae Sedis legatum de latere, seu alium praelatum vel gubernatorem, qui provinciam ipsam salubriter regat et gubernet, habere consueverimus, ac illius populos prospere dirigat; nihilominus causas ipsius provinciae, praesertim interesse dictae Camerae tangentes, per partes ipsas, earum causas immortales facere affectantes, quandoque sub praetextu gravaminis, quandoque vero per viam avocationis, de partibus ad Romanam Curiam trahi, et ut plurimum coram pro tempore existenti Curiae causarum dictae Camerae Apostolicae generali auditore, seu eius locumtenente, etiam tamquam ordinario, introduci, et exinde dictam Cameram et pro ea agentes gravioribus laboribus et expensis fatigari, ac causas ipsas in longum plus debito differre; et interdum pro eadem Camera agentes praefatos, laboribus et expensis fatigatos, easdem causas deserere saepe contingat, cum gravi ipsius Camerae iactura et iustitiae neglectu.

Declaratio (de qua in rubrica).

§ 2. Nos, quorum interest dictae Camerae dispendiis, quantum cum Deo possumus, occurrere, in praemissis opportune providere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, statuimus et ordinamus quod omnes et singulae causae, tam criminales quam mixtae, de cetero, perpetuis futuris temporibus, infra limites dictae provinciae pro tempore exortae, in eadem provincia per legatum, vice-legatum, gubernatorem seu alios iudices et officiales pro tempore existentes audiri, cognosci, decidi et terminari debeant, nec quovis praetextu ad dictam Curiam, contra continentiam tenorum, etiam vigore ordinariae facultatis praefati auditoris, seu quarumvis commissionum, in eadem Curia finiri, decidi, terminari, trahi seu ad illam avocari vel in ea committi possint.

Clausulae irritantes.

§ 3. Decernentes nihilominus ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac provincialibus et synodalibus constitutionibus, ac Curiae causarum Camerae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ac facultatibus eidem auditori ac locumtenenti sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XII iunii MDXLVIII, pontificatus nostri anno XIV.

Dat. die 12 iunii 1548, pontif. anno XIV.

LXII.

Iurisdictio ac facultates praelatorum et officialium visitationis carcerum almae Urbis, et ordinationes ab eis observandae [1].

Paulus Papa III, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ad onus apostolicae servitutis superna dispositione vocati, si omnium [2] personarum iura illibata servari et ab omni gravamine et dispendio illaesa fore cupimus, et ad id libenter nostrae solicitudinis stu-

1 Horum carceratorum subventionem curat archiconfraternitas Caritatis, de qua in constitutione XLII Leonis X, *Illius*, tom. V, pag. 739. — Quoad gubernatorem Urbis attende Leonem X in constitutione IX, *Etsi pro*, ibidem, pag. 618. 2 *Omnium christifidelium, et praecipue pauperum ac miserabilium personarum* etc., Cherub. (R. T.).

dium adhibemus, multo magis equidem, pro carceratis et pauperibus in alma Urbe nostra commorantibus protegendis, ex iniuncti nobis officii debito, apostolicae provisionis partes tenemur impendere, ne indebitorum onerum et gravaminum iniurias subeant et detrimenta patiantur.

Statuta inserta ex causis hic expressis hic Pontifex servari iubet.

§ 1. Pravas itaque, detestabiles illicitas improborum cupiditates, ex quibus nostris subditis et pauperibus damnosa possent provenire dispendia, tollere cupientes, leges, decreta et statuta infrascripta, quorum aliqua per felicis recordationis Clementem, praedecessorem nostrum, pro eorumdem pauperum et carceratorum commodo, ad perpetuam rei memoriam, motu proprio, ex certa scientia et potestatis plenitudine, provisa et salubriter edita fuerunt, motu, scientia et potestate similibus, in omnibus et per omnia, ut inferius describuntur, observari debere hac in perpetuum valitura lege statuimus et mandamus. Decernentes irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Contrariis etiam privilegiis et constitutionibus (illorum omnium tenores pro latissime expressis habentes) non obstantibus quibuscumque. Quae intimari et in locis publicis appendi volumus.

Carcerati quando gratis relaxandi.

§ 2. In primis quod, quoties aliquis, sine mandato officialium, ad quos spectat, capitur, praeterquam si in flagranti crimine reperiatur, vel etiam si cum mandato captus, si culpabilis non sit repertus, vel indicia purgaverit, vel si iudici, qui eum capi fecit, etiam extra visitam, aut si praesidentibus visitae ex aliqua causa rationabili videretur, gratis, sine aliqua capturae et carceris solutione et sine manu executorum, libere relaxetur. Et si ad alicuius instantiam iniuste captus reperiatur, ipsius expensis captura et carceris solutio fiat; et si a barisello vel executoribus contra praemissa aliquid exactum fuerit, capto restituatur ad omnem eius petitionem. Et in omnibus praedictis casibus iudices in mandatis de relaxando, sub maioris excommunicationis poena ipso facto incurrenda, debeant apponere ut gratis ubique relaxetur. Neque possit aliquid a carceratis praefatis exigi sub praetextu quod ab his, qui eos iniuste capi fecerunt, recuperare poterunt. Sed executores et carcerum custodes debitas sibi mercedes ab illis exigant, qui iniuste carceratos detineri procurarunt. Dictique iudices omnes impensas, etiam pro alimentis per praefatos carceratos factas, eis, etiam manu regia, ab eisdem, qui eos indebite capi et detineri institerunt, restitui et refici faciant.

Capti tamquam testes quomodo relaxandi.

§ 3. Capti, etiam pro informatione curiæ, tamquam testes nihil capientibus solvant, nec in carceribus publicis aut secretis aliquo modo ponantur, sed incontinenti per iudices examinentur; examinati, ad sua negotia facienda relaxentur, alioquin iudices pro qualibet vice poena decem ducatorum, pro subventione carceratorum tantum applicandorum, mulctentur, nisi gubernatori, auditori, vicario vel senatori eos carcerandos fore videretur ex causa, quam visitatoribus iustificare teneantur. Et praedictis alimenta necessaria, quamdiu in carceribus detinebuntur, 1 vel fisco praestentur.

Carcerati infra triduum examinentur, et deinde vel dimittantur, vel ponantur ad largam.

§ 4. Dictique iudices captum pro quovis crimine in secretis carceribus ultra triduum antequam examinetur retinere nullo modo possint, sed infra triduum carceratum huiusmodi examinent, et iuxta iuris dispositionem, aut relaxent, si innocens reperiatur, vel ponant ad largam, vel in dictis secretis carceribus, prout facti qualitas expostulat, retineant; alioquin custos in prima visita id visitatoribus manifestare teneatur, sub poena decem ducatorum applicandorum ut est supra scriptum; nisi de mandato nostro aliter fuerit ordinatum, de quo mandato ipsi iudices visitatoribus

1 *Ab instigatore vel fisco*, Cherub. (n. T.).

fidem facere teneantur; vel si dicti iudices ex aliqua iusta causa aliter faciendum visitatoribus notificaverint.

Sine indiciis nemo capiatur nisi de mandato gubernatoris.

§ 5. Iudices praedicti, sine legitimis indiciis praecedentibus, neminem capi mandent, nisi gubernatori ex legitima causa aliter visum fuerit, et tunc si capiendus sine indiciis sit aliquis, ducatur ad praesentiam eiusdem. Qui gubernator instigatorem faciat cavere de damnis, iniuriis et interesse, et, prout qualitas personae carcerandae expostulat, vel cogat eum ad cavendum de se praesentando vel mittat ad carceres arbitrio suo. Verum si infra biduum indicia non supervenerint, relaxetur.

Indiciorum copia detur ante torturam, nisi in criminib. exceptis.

§ 6. Captum vero quemcumque, ante torturam seu antequam torturae subiiciant, ad purgandum indicia contra eum laborantia legitime admittant, data indiciorum copia in forma boni extractus et non registri, cum expressione nominum testium, ad hoc ut inquisitus possit se defendere, praeterquam in crimine haeresis et aliis criminibus a iure exceptis, iuxta tamen iuris dispositionem. Et si indicia purgata non fuerint (super quo tamen prius audiatur advocatus pauperum vel alius quicumque ad libitum ipsius rei), tunc torquendum continuato actu torturae, non autem in tortura per longum temporis spatium unius aut plurium horarum, aut ad extraneos actus, etiam prandii aut coenae, divertendo, detineant, sed, prout facti et torquendae personae qualitas expostulat, incontinenti expediant: et examinatores claris verbis utantur ad reperiendam veritatem, non ad implicandum constituti intellectum.

Et nemo torqueatur non legitimo processu.

§ 7. Et nullus torqueatur nisi legitimatis prius indiciis, et testibus pro indiciis examinatis repetitis, carceratis et procuratore pauperum in legitimatione et repetitione citatis, et pauperibus arbitrio iudicum, de quorum mandato detinebuntur, indiciorum copia gratis tradatur, vel processus cum indiciis advocato pauperum, sine aliqua impensa, ostendatur. Et si procurator fiscalis, ad dandum interrogatoria citatus, illa infra terminum in citationibus contentum non dederit, testes pro carceratorum defensione examinari sine interrogatoriis debeant.

Captus pro uno crimine, non interrogetur super aliis sine indiciis.

§ 8. Iidem iudices captum pro uno crimine, super aliis, de quibus indicia aliqua non habent, nullo modo interrogare praesumant; sed tam in his, quam alias in omnibus occurrentibus iuris communis dispositionem servare teneantur et debeant, ac iudices qui processerunt, dum causas in vita[1] proponent, habeant secum processus, ut visitatores intelligant et videant carceratum minus vel plus debito non gravari.

Verba rei scribantur per notarium in illo idiomate, in quo prolata fuerunt.

§ 9. Ac insuper ne literarum ignari ex mala notariorum in latinum translatione, quandoque indebite damnum patiantur, decernimus quod verba super quibus interrogatur reus, eo modo quo ipse illa profert, in latinum, si latine proferat, vel vulgari sermone per notarium scribantur; et si reus loquatur in vulgari, adhibeatur notarius illius linguae vel idiomatis cuius est reus, vel cum interprete illius linguae.

Indiciorum copiae dentur in modum extractus.

§ 10. Et si contingat reum indiciorum copiam petere velle, iidem notarii per modum extractus et non regestri, et literis minutis et currentibus, et pro quolibet margine pleno triginta versus continente, tradant, ac pro quolibet centenario cartarum scriptarum non plusquam quinque ducatos recipiant, et sic pro rata in minori vel maiori cartarum numero, sub poena praedicta irremissibiliter exigenda et applicanda, ut praemittitur.

Regestrum fiat actorum transportatorum.

§ 11. Si vero ad alium iudicem acta forent transportanda, tunc fiat regestrum et solvatur prout in curia eadem solvi consuevit pro quolibet centenario foliorum regestri.

§ 12. Et si aliquis carceratus innocens

[1] *In visita*, Cherub. (R. T.).

Innocens nihil solvat.

reperiatur, et pro sua innocentia debeat relaxari, nihil ab eo in aliqua curia, etiam occasione cuiusvis assettamenti, exigatur.

Custodes carcerum servent decreta Camerae.

§ 13. Custodes vero carcerum decreta Camerae alias edita servare teneantur: Turris Nonae, pro quolibet clerico, ultra carlenos veteres sex; pro laico, ultra tres: custos Turris de Sabellis, ultra duos carlenos similes indifferenter, tam pro clerico quam pro laico, etiam pro excarceratione vel liberatione, non exigat. Et si ultra mensem, sine culpa carceratorum, ibi detineantur, nullo modo duplicatio fiat, prout hactenus observatum fuit.

Executores idem faciant.

§ 14. Simili modo barisellus, marescalli et executores, pro mercede suae executionis decreta dictae Camerae servare teneantur, sub poena vigintiquinque ducatorum pro qualibet vice incurrenda, et ut supra applicanda.

Carceratorum cibatio.

§ 15. Pro honesta cibatione, ultra unum carlenum similem non exigant, ita tamen quod, pro qualibet vice cibandi, ultra dimidium carlenum non capiant, ut si de mane tantum cibatus fuerit, vel de sero dimidium, ut præmittitur. Verum pro temporis qualitate solvatur minus vel plus, dummodo non excedatur unus grossus pro qualibet vice cibandi. Si vero nullo modo cibati fuerint, etiam si in carceribus aliquibus diebus in secretis detenti sint, nihil exigatur. Detentus vero in larga faciat sibi expensas modo suo, et carcerum custodes non possint carceratos, alimentorum expensas non solventes, ultra quinque dies in cameris detinere; quibus elapsis, in publicis carceribus ponant.

Custodes praesentent visitatoribus detentos in publicis, et notificent detentos in secretis.

§ 16. Teneantur dicti custodes tempore visitae omnes carceratos, nemine excepto, visitatoribus praesentare, et in secretis detentos nunciare in scriptis; et postquam fuerint examinati, finito examine, praesententur, et hoc sub poena praemissa decem ducatorum pro qualibet vice contraventionis.

Arresta deniur per iudicem, de cuius mandato est aliquis carceratus.

§ 17. Et insuper dicti iudices carceratos per alios non arrestent in carceribus, sed si aliam causam habent contra carceratum, significetur iudici, de cuius commissione fuit carceratus, et ille in omnibus procedat contra carceratum; praeter gubernatorem, qui possit arrestare ex causa delationis armorum. Item, si aliquis iudicum commisisset mandatum de capiendo aliquem, antequam gubernator vel alius ex dictis iudicibus illud commiserit, nullus alius iudex possit de illo se impedire, dummodo in libro actorum constet de commissione talis mandati, et sub eadem die.

Significationes serventur per duos menses.

§ 18. Item, significationes factae per gubernatorem vel alios iudices, data idonea cautione, serventur per omnes per duos menses; lapsis duobus mensibus, non serventur.

Pro eadem causa novus iudex carceret.

§ 19. Item, carceratus pro aliqua causa per unum iudicem, eo relaxato, possit per alios iudices pro nova causa carcerari, sed non pro eadem, nisi de mandato nostro aut camerarii.

Visitatio singulis hebdomadis fiat.

§ 20. Item, quod singulis hebdomadis visitatores carcerum visitent omnes carceres semel in hebdomada, vel saltem bis in hebdomada duos carceres, nisi impediti fuerint, et relaxandos relaxari faciant statim ante recessum a visita.

Visitatorum resolutiones attendantur.

§ 21. Item, id quod per commune visitatorum votum deliberatum fuerit, semper observetur et executioni mandetur, et custos carcerum eis parere debeat, sub poena decem ducatorum, ut praefertur applicanda, non obstantibus tertii contradictione vel inhibitione, nec contradicenti et alleganti post praestita vota fore mandatum nostrum vel camerarii, nisi illud exhibeat, credatur, sed omnino relaxatio fiat.

Relaxandi ex decreto visitat. non possunt arrestari.

§ 22. Item, quod, facto decreto de relaxando, custodes non retineant carceratum vigore alicuius arresti, nisi fuerit sub-

scriptum ad minus manu duorum visitatorum.

Compositionum pecuniae deponantur.

§ 23. Item, facta compositione, omnes poenae consignentur penes depositarium nostrum, distribuendae [1] per mandatum nostrum vel dicti camerarii.

Eleemosynae quomodo distribuantur.

§ 24. Item, quod custodes carcerum non possint aperire capsas eleemosynarum pauperum carceratorum sine praesentia alterius ex procuratoribus dictorum pauperum, et illae pecuniae non dentur magistris domus carceris, sed dispensentur inter illos, qui non habent modum vivendi, per eumdem magistrum, cum interventu capitanei carcerum, et unius ex procuratoribus pauperum.

Capti omnes ad carcerem publicum ducantur.

§ 25. Item, capti ex cuiusvis mandato non ducantur ad alium locum, nisi ad publicos carceres, ad quos visitatores causa visitae accedere solent, aut ad castrum Sancti Angeli de speciali mandato nostro.

Significat. concessae a Rev. Cam. serventur.

§ 26. Habentes significationes sive moratorias, a Camera Apostolica concessas propter paupertatem, et praestita cautione, etiamsi sint obligati in forma Camerae, ad instantiam quarumvis personarum privatarum non molestentur auctoritate seu mandato alicuius iudicis, sub poena arbitrio Camerae declaranda.

Infirmi pro debito carcerati quando relaxandi.

§ 27. Infirmi carcerati, si pro debito civili detinentur, facta fide per duos medicos de infirmitate gravi, ita quod sit periculum vitae, praestita cautione de redeundo recuperata sanitate, relaxentur. Si vero pro causa criminali, ex qua veniret imponenda poena mortis, si iam sit confessus vel convictus, vel pro aliis criminibus minoribus, praestita cautione idonea, liberetur ut supra. Et si sit pauper, qui eam non reperiat, consignetur hospitalis guardiano, qui quamprimum convalescet praesentare teneatur.

Bona reperta penes carceratum custodienda.

§ 28. Bona vel pecuniae, quae reperiuntur in posse carceratorum, consignentur, cum inventario facto in præsentia carcerati et coram duobus testibus, custodi carcerum, qui teneatur restituere integre ad mandatum iudicis, qui eum capi fecit.

Custodes quid ab arrestantibus recipiant.

§ 29. Custodes carcerum non exigant nec sponte recipiant ab arrestantibus carceratos, ultra quam exigatur a carcerato pro relaxatione.

Barisellus nil petat pro exploratoribus.

§ 30. Barisellus non exigat aliquid a carceratis ratione expensarum, quas dicit se fecisse pro exploratoribus.

Triremes bis in anno visitandae.

§ 31. Triremes visitentur bis in anno, et facta visitatione, fiat verbum nobis vel Pontifici pro tempore; et relaxandi ex mandato visitatorum sine mora per capitaneum triremium relaxentur, sub poena amissionis salarii.

Aliae custodum obligationes.

§ 32. Carcerum custodes carceratos ad alios carceres sine iudicum, de quorum mandato detinentur, licentia, transferre, nec a carceratis aliquid exigere, dum, pro stipulanda aliqua obligatione per carceratos facienda, eos a carceribus extrahunt, vel a compedibus liberant, non possint.

Executorum merces.

§ 33. Mareschalchi ceterique executores in causis civilibus et criminalibus Capitolii tabulam observent. Et pro quibusvis executionibus, realibus et personalibus, usque ad summam quinque ducatorum, carlenum unum; usque ad decem, duos; usque ad quinquaginta, quinque; et ab inde supra, quaecumque fuerit summa, ducatum unum, et non ultra, exigant. In executoribus [1] vero poenae capitalis vel sanguinis, ducatum unum. In casibus vero, in quibus eis quarta pars poenarum secundum statuta debetur, si ex gratia poenae moderentur, etiam si post executionem gratiam fieri contingat, quartam tantum eius recipiant, quod ex gratia solvitur. Barisellus vero in civilibus etiam illam observet. In criminalibus autem, et extra Urbem in civilibus et criminalibus, id tantum capiat, quod per Cameram Apostolicam seu gubernatorem fuerit ordinatum, ubi inter

1 *Vel solvendae* addit Cherub. (R. T.).

1 Legendum videtur *executionibus* loco *executoribus* (R. T.).

eum et partes dissensio super hoc foret. Pro mandato de relaxando in curia gubernatoris, in causis criminalibus, non tamen gravioribus, solvatur notario tertia pars unius iulii; et pro sigillo, carlenus unus.

Sine processuum copia nil solvitur; § 34. Carcerati qui non acceperunt copiam processuum non teneantur aliquid pro carceribus solvere.

Nemo pro iniuriis etc. carceretur. § 35. Pro iniuriis verbalibus et altercationibus sine armis vel sanguine factis, et in causis civilibus, non excedentibus summam quinque ducatorum, et in similibus aliis rebus minimis, nemo carceribus mancipetur.

Pauperes vel condemnati non solvant propinas. § 36. Pauperes, qui per sententiam absolvuntur, et divites, qui condemnati fuerint, pro nota sententiae, nec pro iudicum propinis nec quibusvis iuribus fiscalibus aliquid solvere teneantur.

Carcerati Ripae et Burgi ubi visitandi. § 37. Carcerati in Ripa, in visitatione Capitolii; carcerati vero in Burgo, in visitatione Turris Nonae, praesententur. Et visitationes camerario Ripae et iudici Burgi per procuratores pauperum Capitolii et Turris Nonae intimentur.

Placet, et ita mandamus. A.

Sequitur deputatio executoris praecedentis constitutionis.

Paulus Papa III, motu proprio etc.

Cum alias nos *etc.* [1].

Executor constitutionis clericus deputatur, qui pro tempore est carcerum praelatus. §1. Et pro praemissorum omnium et singulorum observatione et executione committimus et mandamus episcopo Torcellanensi, Camerae Apostolicae clerico, et ad praesens carcerum praefatae Urbis visitatori, et pro tempore earumdem carcerum alteri clerico, per eamdem Cameram deputando, ut decreta praedicta per quoscumque eiusdem Urbis iudices, notarios, executores, carcerum custodes et alios, ad quos pertinet, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari mandet et faciat cum effectu, ac contravenientes et inobedientes quoscumque, per censuras ecclesiasticas et pecuniarias, ac privationis seu suspensionis ab officio, necnon carceris, et alias etiam personales, de quibus ei videbitur, poenas, illas etiam aggravando et reaggravando, mandata executiva desuper decernendo, ac brachium saeculare exercendo, quacumque appellatione postposita, coerceat et compescat, poenasque praedictas exigat et imponat, ac exigi et imponi faciat et mandet, tam ex eius officio quam ad instantiam advocati et procuratoris pauperum pro tempore existentium, cum facultate citandi et inhibendi, aliaque faciendi et exequendi, quae in praemissis et circa praemissa fuerint necessaria et opportuna.

§ 2. Praemissis, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque et indultis quomodolibet, etiam vim contractus habentibus, et ex causa quantumcumque onerosa concessis et confirmatis, quorum tenores pro expressis haberi volumus, perinde ac si de verbo ad verbum de illis individua mentio facta esset, quibus specialiter et expresse derogamus, quatenus praemissis decretis et ordinationibus obstent, ceterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Clausulae derogatoriae.

Placet, motu proprio. D [1].

Videat reverendiss. card. camerarius. A.

Approbatae fuerunt a camerario, et approbatae in Camera die IV iulii MDXLVIII, pontificatus SS. D. N. Pauli, divina providentia Papae III, anno decimoquarto. Approbatio camerarii et Camerae.

Appr. die 4 iulii, pontif. anno XIV.

[1] Omittitur residuum constitutionis, quia tota est quae praecedit.

[1] Chereb. *A.*, scilicet *Alexander. Diplomatibus enim huiusce speciei Summus Pontifex nomen quod ipsi erat ante pontificatum ascribit manu propria* ait Ripoll (n. T.).

LXIII.

Indulta mercatorum utriusque Ripae Urbis, circa prioritatem et potioritatem suorum creditorum ripalium, et circa dilationes et moratorias eorum debitoribus non concedendas [1].

Paulus Papa III, motu proprio etc.

Plures Pontifices dederunt constitutiones in quibus contra debitoribus ripalibus dilationes non concedi.

Cum, postquam per fel. recor. Innocentium octavum, Leonem decimum, Clementem septimum, Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos etiam publicam utilitatem prae oculis habentes, mercatores in Ripa et Ripetta Urbis commercia exercentes promptiores ad vinum, frumentum et alias merces, pro usu et commodo incolarum et curialium Urbis necessarias, per mare et terram ad eamdem Urbem adducendas, et convehi faciendas reddere studentes, eis, inter alia privilegia, indultum ac concessum fuit ne, sub praetextu moratoriarum, salinariarum, cessionis bonorum, dilationis quinquennalis aut quarumvis commissionum, etiam a nobis desuper diversis Romanae Curiae iudicibus extortarum per debitores ipsorum, occasione huiusmodi commerciorum venditorum, crediti sui et pretii inde provenientis exactio retardaretur, seu quomodolibet impediretur, expresseque camerario Ripae et Ripettae praefatae pro tempore mandatum ut, moratoriis et aliis praemissis non obstantibus, debitores sic morosos ad satisfaciendum et solvendum praefatis mercatoribus compelleret, aliaque faceret, et prout in diversis desuper signatis motibus propriis, quorum tenores et compendia veriora pro plene expressis hic haberi volumus, latius continetur.

§ 1. Accepimus nuper nonnullos cavillosiores debitores, quod una via reperitur prohibitum, alia extorquere satagentes, clericos seu alios magis privilegiatos existentes, contra se praemissa indulta et privilegia locum non habere praetendentes, beneficium decretalis *Pervenit*, seu decretalis *Odoardus* impetrasse quotidie, praetextuque commissionum a nobis desuper exortarum, ac admissionum sibi illarum vigore concessarum, per diversorum Romanae Curiæ iudicum sententias, quæ etiam in rem transivisse iudicatam dicuntur, et beneficia praefata, defraudasse eosdem mercatores, quo fit ut alibi etiam quam coram dicto camerario, ordinario eorum iudice, propter fraudes has excogitatas, ad diversa tribunalia huiusmodi, contra formam dictae Ripae constitutionum, pro credito suo litigare coguntur. Necnon quod, etsi laudabili hactenus et inveterata consuetudine fori eiusdem Ripae introductum fuit quod mercatoribus eisdem, qui mercimonia praedicta, ut plurimum pretio minime praesenti interveniente, sed ad diem solvendo vendentes, notariosque præsto non habentes, seu alias, pro maiori ipsorum commodo, merces sic venditas aliter describi curare, etsi in eorum et proxenetarum ripalium libris conscripti non sunt, scriptura et adnotatio, ad probandum et consequendum creditum eorum, in iudicio et extra sufficiant; nihilominus a certo tempore circa, ob frequentes debitorum decoctiones, ortis litibus et quaestionibus inter dictos mercatores ac alios eorumdem debitorum decoctorum creditores, instrumenta publica, etiam in ampliori forma Camerae Apostolicae, habentes, super discussione ac prioritate in bonis debitorum, coram variis iudicibus, adversus consuetudinem huiusmodi, in dubium revocant, in grave ipsorum mercatorum praeiudicium, qui tempus, quod in exercenda mercatura consumpturi essent, in eorum creditis recuperandis conterere cogantur, ac Urbis

Quidam privilegiati hoc indultum eis non obesse praetendebant.

[1] Iurisdictionem iudicum Riparum habes bis sup. in constitutione VII, *Cum nobis*, pag. 194 huius tomi; et Clem. VII constit. IV, *Nuper*, ibidem, pag. 55.

maximum incommodum, cuius ubertas propterea non parum minuitur.

Hic ideo Pont. indultum hoc validat contra quoscumque.

§ 2. Nos, quibus indemnitas dictorum mercatorum, ac almae Urbis nostrae commodum non minori curae nunc sunt quam alias fuerint, inconvenientibus huiusmodi occurrere volentes, praesentium vigore, quas vim perpetuae constitutionis habere decernimus, motu proprio ad praedictos beneficia praefata extendentes, omnes et singulas commissiones, etiam expressam mentionem de rebus ripalibus continentes, et a nobis, illarum vigore, seu alias quomodolibet, inhibitiones, significationes, decreta et admissiones ad beneficia praefata quibusvis dictorum mercatorum, occasione rerum ripalium, debitoribus etiam dictis, quantumcumque privilegiatis, per quoscumque iudices in posterum concedenda et emananda, eisdem debitoribus nullatenus, ad effugiendum vel differendum solutionem debiti occasione praefati sic contracti suffragari debere decernimus.

Mercatorum ripalium libris, iunctis libr. proxenetarum, credi iubet.

§ 3. Et insuper eisdem mercatoribus, ut ad probandum plene, in iudicio et extra, qualitatem et quantitatem mercium praedictarum ab eis venditarum pro tempore, adnotatio et descriptio de illis in ipsorum ac proxenetarum praemissorum libris, in iudicio et extra, plene probent, ac fidem indubiam faciant, executionemque habeant, perinde ac si esset obligatio in forma Camerae Apostolicae, et alias exequatur iudex, prout in curia Ripae et Ripettae executioni mandantur.

Ipsique in rebus eorum extantibus praeferantur omnibus;

§ 4. Decernentes insuper quod si mercator, ut supra, ripalis reperiat aliquando vel in aliquo loco bona quae sua esse praetendat, illa ad se pertinere et sua esse intelligatur plene et sufficienter probasse, si per testes docuerit aut per proxenetam, medio iuramento eiusdem proxenetae, et alium idoneum testem, aut alias legitime probaverit, iuxta consuetudinem dictae Ripae et Ripettae. Et sic observari volumus et mandamus, contra quoscumque iuxta praefatam consuetudinem; mercatoresque praefatos in mercibus sic venditis penes debitores existentibus, etiam a quibusvis detentis, quibuscumque aliis creditoribus, etiam expressam et anteriorem hypothecam, instrumenta publica in ampliori forma Camerae Apostolicae confecta et stipulata, creditum suum probantia, habentibus, etiam clericis, S. R. E. cardinalibus et aliis quibusvis, cuiuscumque gradus vel conditionis existant, praeferri.

In aliis vero habeant hypothecam et concurrant cum obligationibus contrahentium.

§ 5. In aliis vero quibuscumque debitorum bonis, cum ceteris creditoribus hypothecam expressam seu tacitam habentibus concurrere, occasione debitorum propter merces ripales venditas dumtaxat contentarum[1]; ac a duabus sententiis conformibus, per camerarium ac praesidentem pro tempore dictae Ripae et Ripettae latis, nullatenus appellari vel provocari, etiam ad nos et Sedem Apostolicam, quae effectum rei iudicatae habere debere volumus; et sic per quoscumque indices, etiam S. R. E. cardinales ac causarum Palatii Apostolici auditores, in quibusvis causis, negociis et controversiis sententiari, iudicari et definiri debere; irritum quoque *etc.* decernimus.

Officiales etiam debitores eadem observent.

§ 6. Mandantes propterea moderno et pro tempore camerario praefato quatenus debitores ex causa praemissa obligatos, decretis, significationibus, admissionibus et aliis praedictis non obstantibus, ad satisfaciendum mercatoribus antedictis de debitis sic contractis, ac eorumdem debitorum bona detinentes ad illa sibi dimittendum, ad effectu consequendum satisfactionem integralem, iuris opportunis remediis ac alias, iuxta stylum curiae suae, compellat. Dantes eidem facultatem ac omnimodam potestatem quibusvis iudicibus, saecularibus et ecclesiasticis, ac omnibus Romanae Curiae tribunalibus, etiam

[1] Fortasse *contractorum* (R. T.).

sub censuris et poenis pecuniariis, suo moderandis arbitrio, ne exactionem debitorum ex causa praeinserta contractorum quomodolibet impediant, in illisve quovis quaesito colore, et mercatoribus praedictis praecipientes ne solvere debentes alibi quam coram se intromittant, inhibentes. Et si aliquas inhibitiones per alios quoscumque iudices Urbis ad[1] uxorum dictorum debitorum aut aliarum quarumcumque personarum, dominium vel hypothecam seu quodlibet aliud ius in bonis in domibus dictorum debitorum existentibus, seu per dictos debitores quovis modo possessis, habere praetendentium, factas, per quas executio, ad instantias dictorum mercatorum decreta in dictis bonis, fieri prohiberetur invenerit, ne ex hoc facultas bona huiusmodi occultandi detur, eisdem inhibitionibus non obstantibus, bona praefata describi, et de illis inventarium confici, et penes aliquam idoneam personam deponi, quousque de iuribus partium discutiatur, faciendi. Et si aliqui ex dictis debitoribus de Urbe abfuerint, literas rogatorias eis, qui in eis locis, ubi dicti debitores moram traxerint, iustitiae ministrandae praefuerint, directas, ut eosdem debitores ad satisfaciendum dictis mercatoribus compellant, cum comminatione represaliarum, nisi id facient, decernentes, mittentes, et illarum præsentationis relatione habita, neque infra terminum in illis praefixum iustitia ministrata fuerit, represalias contra homines dictorum locorum, illorumque res et bona, iuxta stylum in Urbe solitum, decernentes et exequentes, mandantes et facientes.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stylo Palatii, statutis et novis reformationibus Urbis, privilegiisque, indultis et facultatibus praedictis, debitoribus et aliis, et pro tempore auditori Camerae Apostolicae, gubernatori, vicario, senatori, quibusvis aliis iudicibus Urbis, eorum curiis etiam per nos concessis, innovatis et approbatis, et concedendis, quibus omnibus, ac si eorum tenores *etc.*, latissime hac vice dumtaxat derogamus. Praesentemque nostram constitutionem, cui non derogatur per quamcumque signaturam, ac in qua omnia et singula decreta[1] et clausulas, in motibus propriis praedictis contentas et descriptas et repetitas, censeri debere volumus, in volumine statutorum dictae curiae Ripae et Ripettae describi et registrari, cui sola signatura, in iudicio et extra, sufficiat, regula contraria non obstante, mandamus.

Placet, et ita mandamus. A.

Die XXVI augusti MDXLVIII admissa fuit cedula dicti motus proprii ex decreto, et collationata concordat lib. V, fol. CXVIII. Hieronymus de Tarano.

Visa. Iulius Gom., Camerae Apostolicae decanus et Ripae praesidens.

1 Deest forsitan *instantiam* (R. T.).

LXIV.

De electione vicarii generalis congregationis Eremi Camaldulensis ac S. Michaelis de Murano, monachorum Ordinis S. Benedicti [2].

Paulus Papa III dilectis filiis vicario generali et visitatoribus congregationis Camaldulensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa huius constitutionis.

Exponi nobis nuper fecistis quod licet ab antiquo tempore citra, morte pro tempore existentis generalis totius Ordinis et congregationis Camaldulensis advenienti, duo visitatores et totidem praelati eiusdem Ordinis, loco in quo eumdemmet generalem decedere contingebat magis propinquo, alium congregationis huius-

1 *Formas* addit Cherub. (R. T.). 2 De hac Eremo vide etiam hic in constitutione I, *Rationi*, pag. 175 huius tomi.

modi generalem infra annum semper eligere consueverint, nihilominus generalem huiusmodi, quoties eum decedere aut illius officium cessare contigerit, si vobis et aliis eiusdem Ordinis praelatis infrascriptis eligendi licentia et facultas concederetur, profecto in evidentius totius Ordinis emolumentum et decus cederet. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum ut dicti Ordinis commodo et decori consulere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Qui possint eligere generalem infra mensem, si eius officium vacet.

§ 1. Nos igitur, qui personarum quarumlibet, praesertim Religionis iugo dedicatarum, votis libenter annuimus, vos ac praelatos infrascriptos utrumque et singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis auctoritate vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis ac maiori sacrae Camaldulensis Eremi et Classensi, Ravennatensi, necnon Sancti Michaelis de Murano, ac Sanctae Mariae ad Careeres, et Vallis Castri abbatibus, necnon per priores gubernari solitorum Sancti Matthiae de Murano, ac Angelorum Florentiae dicti Ordinis monasteriorum prioribus pro tempore existentibus, quod de cetero ipsi et vos ac pro tempore existentes dicti Ordinis visitatores, in unum in dicto monasterio Classensi, aut alio convenienti loco, de omnium seu maioris partis vestrum consensu eligendo, congregati, generalem congregationis et Ordinis huiusmodi, quoties eum decedere contigerit, infra mensem a die obitus pro tempore existentis generalis huiusmodi computandum, usque ad futurum capitulum, singulis annis, iuxta eiusdem statuta, fieri solitum, eligere possitis et valeatis, auctoritate apostolica, tenore praesentium de speciali gratia indulgemus. Decernentes electionem per vos ac abbates et priores huiusmodi faciendam validam et efficacem fore, ac quascumque alias aliter pro tempore factas in generalem huiusmodi electiones [1] nullas et invalidas existere.

Quid si eo post elapsum mensem.

§ 2. Ac volentes quod, si vos ac abbates et priores praefatos ad generalem huiusmodi infra unum mensem eligendum discordes esse contigerit, quod, mense huiusmodi elapso, omnes totius Ordinis et congregationis huiusmodi praelati, pro electione huiusmodi facienda, in unum congregari et convocari, ac unum in generalem Ordinis praedicti, invocato desuper divino auxilio, eligere debeant et studeant.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac congregationis et Ordinis huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, congregationi et Ordini huiusmodi, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis in praemissorum contrarium forsan concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

[1] *In generalis huiusmodi electione*. Mittarelli et Costadoni, *Annal. Camaldul.*, Venetiis 1773 (R. T.).

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die decimanona iunii, millesimo quingentesimo quadragesimo nono, pontificatus nostri anno XIV [1].

Dat. die 19 iunii 1549, pontif. anno XV

LXV

Explicatio muneris et auctoritatis praepositi generalis Clericorum Regularium Societatis Iesu, cum diversarum gratiarum concessione, ordinationumque pro eius bono regimine constitutione [2].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Licet debitum pastoralis officii omnibus regularem vitam ducentibus, ut in suis disciplinis et laudabilibus institutis conserventur et augeantur, nos reddat favorabiles et benignos, ad Societatem vero de Iesu, per nos institutam et approbatam, cuius specimen, veluti ager fertilis in Domino, multiplices atque uberes fructus animarum, ad summi Regis laudem et fidei incrementum, attulit et affert quotidie verbo et exemplo in populo christiano, dirigentes praecipue, velut pius pater, oculos mentis nostrae, dignum censemus ut ipsam Societatem eiusque in odorem suavitatis Altissimo deservientes personas specialibus favoribus prosequamur, illaque sibi favorabiliter concedamus, per quae Societas ipsa utiliter regi et prospere dirigi, ac ad animarum auxilium fideliter in Domino procedere valeat.

Praepositi generalis libera est administratio et perpetua. § 1. Hinc est quod nos, dilectorum filiorum Ignatii de Loyola, moderni praepositi generalis, et aliorum sociorum eiusdem Ordinis supplicationibus inclinati, sibi ut praepositus generalis dictae Societatis pro tempore existens, cum primum, iuxta constitutiones eiusdem Societatis, in illius praepositum electus fuerit, eo ipso verus ipsius Religionis generalis praepositus, cum libera, generali et omnimoda cura et administratione omnium et singulorum ad felix regimen et prosperam directionem dictae Societatis spectantium et pertinentium, sit et esse censeatur, ac suum praepositi officium in omnibus exercere incipiat, ac plenam in universos eiusdem Societatis socios et personas, sub eius obedientia degentes, ubilibet commorantes, etiam exemptos, etiam quascumque facultates habentes, suam iurisdictionem exerceat.

Certis tamen casibus removeri potest. § 2. Possitque et debeat dictus praepositus, per personas ad id a dicta Societate facultatem habentes et ad id deputatas, in certis casibus, iuxta dictas constitutiones, amoveri, et alius ipsius loco per easdem personas substitui, et alias, prout personae deputatae praedictae id in Domino conspexerint salubriter expedire.

Praepositi circa missiones potestas. § 3. Ac ipsemet praepositus pro tempore existens ire, et suos quocumque locorum, etiam inter infideles, cum expedire in Domino iudicabit, mittere ac revocare, et per nos ac successores nostros ad locum aliquem missos sine temporis certi limitatione, cum id expedire ad Dei gloriam et animarum auxilium visum erit (super quo conscientiam dicti praepositi oneramus), ad alia loca transmittere libere et licite valeat; qui, ubicumque morari contingat, ad nutum nostrum et Romani Pontificis pro tempore existentis, ad Sedem Apostolicam, seu quo oportuerit et sibi per dictam Sedem iniunctum fuerit, iuxta ipsius Societatis professionem, venire debeat, concedimus.

Dignitas a sociis absque consensu praepositi, et a praeposito, absque § 4. Ac volumus, statuimus et ordinamus quod praepositus, absque Societatis, et aliquis ex locis [1] huiusmodi, absque dicti praepositi consensu et expressa licentia,

1 Annus pontificatus est XV (R. T.). (2) De his omnibus et aliis vide hic in constitutione XXXIII, *Regimini*, pag. 503.

1 *Sociis* legit *Inst. S. I.* s. c. pag. 503 (R. T.).

assensu Societatis, acceptari non potest

electioni seu provisioni de illius persona in episcopum, archiepiscopum aut aliam quamcumque dignitatem, per quemcumque principem vel quodcumque capitulum, aut alias quascumque personas, ad id auctoritatem habentes, pro tempore factae, consentire, aut ad illam admitti, seu alicuius praelationis et dignitatis in eadem Societate, si eam occulta aut manifesta ambitione quaesisse convincetur, capax esse nullatenus possit.

Appellatio a correctione Regulae non datur.

§ 5. Quodque a correctione Regulae Societatis huiusmodi secundum ordinationes facta (ut vigor disciplinae melius conservetur) appellari, aut talis appellatio per ullum iudicem admitti, seu ab officiis absolutio aut privatio peti non possint.

Superiores non tenentur aliquem ad praelaturam admittere seu deputare.

§ 6. Et tam generalis quam alii inferiores praepositi eiusdem Societatis fratres seu socios dictae Societatis, patriarchis, archiepiscopis, episcopis seu aliis ecclesiarum praelatis et personis, in socios aut alias ad ullum eorum ministerium deputare minime teneantur, nisi auctoritate literarum eiusdem Sedis, de Societate et indulto huiusmodi expressam facientium mentionem; et si quos deputare contigerit, nihilominus sub Ordinis correctione existant, et cum expedire iudicabunt, eosdem removere possint.

Deputati ad negotia, a praepositis transferri possunt.

§ 7. Illos vero ex fratribus seu sociis praedictis, qui ad praedicandum Crucem, vel ad inquirendum contra haereticam pravitatem, seu ad alia similia negocia deputati fuerint, Ignatius et alii illius successores, praepositi generales dictae Societatis pro tempore existentes, removere seu revocare et transferre, ipsisque quod supersedeant iniungere, ac alios illorum loco substituere, cum expedire viderint, libere et licite valeant.

Praepositus per se vel alios potest omnes suos absolvere,

§ 8. Ac eisdem Ignatio et aliis generalibus praepositis pro tempore existentibus ut per se vel alios ad id per eos pro tempore deputatos, omnesque et singulos eiusdem Societatis socios et personas, sub eorum obedientia, disciplina et correctione pro tempore degentes, ab omnibus et singulis eorum peccatis, ante vel post ingressum in dictam Societatem per eos commissis, necnon a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis et saecularibus sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quomodolibet latis et promulgatis, et huiusmodi sententiis innodatos, aut in locis suppositis ecclesiastico interdicto divina officia celebrantes, et suscipientes ordines sic ligatos et propterea irregularitatem incurrentes absolvere; ac cum eis, cum dispensatione eguerint, dispensare possint, nisi excessus absolvendorum et dispensandorum huiusmodi adeo graves et enormes fuerint, quod sint ad Sedem Apostolicam merito remittendi, et ne saepe in dubium revocetur qui sint ad Sedem praedictam destinandi, declarationem in ea parte, per felicis recordationis Sixtum Papam IV, praedecessorem nostrum, in bulla, quam *Mare Magnum* vocant, factam, confirmamus.

et circa irregularitates dispensare, nisi sint casus enormes iuxta bull. Sixti IV 1.

In censuras reincidunt absoluti, nisi mox intrent Societatem, et vota emittere parati sint.

§ 9. Volumus autem quod, postquam Societati et consortio huiusmodi aggregari volentes absoluti, et cum eis, ut praefertur, dispensatum fuerit, nisi mox Ordinem intrare, et peractis experientiis, secundum constitutiones dictae Societatis, vota emittere parati sint, etiam si super hoc induciae eis a praelatis eiusdem Societatis concedantur, eo ipso in pristinas sententias, a quibus eos totaliter absolvi contigerit, relabantur et reincidant.

Personae Societatis cui debeant confiteri.

§ 10. Necnon quod quilibet ex sociis Societatis huiusmodi peccata sua proprio praeposito, vel ab eo deputato seu deputatis, et alias secundum ordinationes Societatis praedictae designatis, confiteri debeat, nisi super hoc a dicto praeposito

1 Haec bulla Sixti, *Regimini*, est in tomo V, pag. 217.

alium confessorem eligendi facultatem habuerit.

Qui vota emiserint, alium Ordinem, praeter Carthusiensium, ingredi non possunt.

§ 11. Ac inhibemus ne quis, post emissa vota secundum constitutiones praedictas, sivo professus sive scholaris sive coadiutor Societatis huiusmodi sit, ad quemvis alium Ordinem, etiam per Sedem praedictam approbatum, Carthusiensium dumtaxat excepto, nisi de expressa ipsius praepositi aut dictae Sedis licentia, transferri; egressi vero alias quam ut praefertur de Ordine seu consortio huiusmodi, in nullo alio, praeterquam Carthusiensium praefato Ordine, admitti, recipi vel retineri possint.

Apostatae et insolentes coerceri possunt a praepositis.

§ 12. Ipsique generalis et alii inferiores praepositi, per se vel alios, illos sic egressos ac alios quoscumque dictae Societatis apostatas, ut etiam alios quosvis insolentes et qui id mereri videbuntur, in quocumque habitu apostatas praedictos contigerit inveniri, excommunicare, capere, incarcerare et alias suae disciplinae submittere, et ad id, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocare, libere et licite valeant.

Exempti a superioritate ordinariorum.

§ 13. Ipsamque Societatem et universos illius socios et personas, illorumque bona quaecumque ab omni superioritate, iurisdictione, correctione quorumcumque ordinariorum eximimus et liberamus, ac sub nostra et praefatae Sedis protectione suscipimus.

Facultas celebrandi super altari portatili et tempore interdicti.

§ 14. Liceatque praepositis, et de eorum etiam facultate, universis fratribus et sociis Societati huiusmodi in presbyteratus ordine constitutis, in locis, in quibus degunt, et eos pro tempore morari contigerit, habere oratoria, et in eis ac quocumque alio honesto et congruenti loco, in altari portatili, cum debitis reverentia et honore, etiam tempore interdicti, quavis, etiam apostolica, auctoritate appositi, ianuis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, submissa voce, missas et alia divina officia celebrare, ac ecclesiastica sacramenta recipere et aliis ministrare, dummodo ipsi causam non dederint interdicto, nec contingat id ipsis specialiter interdici.

Familiaribusque Societatis possunt ministrare sacramenta et sepulturam.

§ 15. Iis vero, qui in ipsorum praepositorum et sociorum morantur obsequiis, cuncta libere ministrare possint ecclesiastica sacramenta; et ipsos, cum decedunt, in eorum coemeteriis sepelire.

Interdicti tempore divina possunt audire familiares, procuratores et operarii Societatis.

§ 16. Si quando in terris, in quibus socii praedicti vel eorum aliqui pro tempore resederint, vel in earum personas excommunicationis seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri seu familiares, eorumdem sociorum servitiis deputati, ac eorum et Societatis huiusmodi negociorum procuratores et operarii, huiusmodi sententiis obnoxii minime habeantur; ibique possint audire divina, nisi eisdem causam dederint, vel specialiter excommunicari seu interdici contigerit eosdem.

Contra privilegia censurae ferri non possunt ab ullis praelatis, nec dari eorum interpretatio.

§ 17. Nec ullis praelatis contra aliquem de praedicta Societate vel contra alios eorum aliquam excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam, contra eiusdem Societatis privilegia per nos concessa (quorum interpretationem nobis et Apostolicae Sedi reservamus), ferre liceat; et si tulerint, eo ipso irrita nulliusque roboris vel momenti sit et esse censeatur.

Qui Societatis concionibus intersunt, missas audire et sacramenta ibidem recipere possunt.

§ 18. Ac omnes et singuli alii christifideles, cuiuscumque conditionis existant, qui verbi Dei concionibus seu praedicationibus sociorum seu fratrum Societatis huiusmodi, in ecclesiis, ubi ipsi concionabuntur, interfuerint, diebus huiusmodi missas et alia divina officia audire et ecclesiastica sacramenta ibidem recipere libere et licite valeant, nec ad id ad proprias parochiales ecclesias accedere teneantur.

Volente praeposito, possunt a quolibet an-

§ 19. Et quia eiusdem Societatis fratres et socios de locis ad loca transferri con-

tiotio in sacris promoveri.

tingit, propter quod stabilem et continuam in certis et determinatis domibus mansionem habere non possunt, et in ipsa Societate idoneos tantum et comprobatos ad sacros ordines promoveri intelleximus, eidem praeposito generali, quod ordinandos socios et fratres huiusmodi Societatis quibuscumque maluerit catholicis antistitibus, gratiam et communionem dictae Sedis habentibus, praesentare; ipsisque antistitibus praesentatos huiusmodi, absque omni promissione vel obligatione ipsorum ordinandorum fratrum et sociorum, ad omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines promovere.

In terris infidelium et haereticorum licet commorari de praepositi generalis licentia.

§ 20. Et cum ipsi socii, magnam patientes pro Christi nomine paupertatem, exhortationis pio studio bonos ad potiora dirigant, et errantes ad rectitudinis semitam laudabiliter revocare procurent, concedimus ut in excommunicatorum et haereticorum vel schismaticorum vel infidelium terris libere commorari et cum eisdem conversari, de licentia tamen praepositi generalis; et ab eis, tunc et etiam quando per ipsas illos transire contigerit, necessaria vitae deposcere ac recipere valeant.

Non tenentur aliena suscipere visitation., iustitias ministrationem, curamque monialium.

§ 21. Quodque nulli ipsorum correctionis seu visitationis vel inquisitionis officium monasteriis vel ecclesiis seu quibuscumque personis impendere, vel ad cognitiones causarum, citationes partium et denunciationes sententiarum interdicti vel excommunicationum procedere, aut curam monialium seu religiosarum quarumlibet personarum recipere teneantur, per literas apostolicas impetratas, vel in posterum impetrandas, nisi de hoc indulto et Ordine sociorum huiusmodi expressam facientes mentionem, auctoritate et tenore praedictis, de speciali gratia indulgemus.

Non tenentur solvere bonorum suorum decimam vel aliam dare contributionem seu procurationem.

§ 22. Concedentes ipsis sociis ut de iis quae in ornamentis, aut pro eis aut libris, fabrica, luminaribus, seu pro victu vel indumentis eorum, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquae domus Societatis praedictae obligatae forsan existant; ac de domibus et collegiis, ac eorum praediis, hortis aliisque locis, eisdem sociis, iuxta eorum vivendi institutum, haberi concessis; aut de iis, quae sibi, pro huiusmodi rebus, domibus, collegiis, praediis et locis et hortis emendis, per quascumque personas pro tempore legari aut relinqui contigerit, et aliis bonis quibuscumque per praedictam Societatem et ipsius collegia possessis et obtentis, aliquam decimam, etiam papalem, solvere, seu canonicam portionem exhibere, seu ad praestationem procurationum legatorum praedictae Sedis vel nunciorum ipsius, aut ordinariorum locorum, aut exactionum, collectarum seu subditorum [1] vel provisionum quorumcumque minime teneantur, nec ad id per literas eiusdem Sedis aut legatorum vel nunciorum seu dioecesanorum praedictorum, cuiuscumque tenoris fuerint, ullo umquam tempore compelli possint, nisi ipsae literae apostolicae plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto et concessione huiusmodi ac de eorum Ordine mentionem fecerint. Et si forte per nos vel dictam Sedem, de piis legatis dispositis et relictis in genere vel specie, decima vel alia portio seu quarta alteri piae vel non piae causae quomodolibet hactenus concessa fuerit, vel illam in posterum concedi seu solvi aut dari et mandari contigerit, socios praefatos et illorum domos et bona quaecumque, ac eis legata et relicta aut alias in eorum favorem disposita, in concessionibus et mandatis huiusmodi decernimus et volumus minime comprehendi, nisi de ipsis ac praesenti decreto et voluntate nostra, non per clausulas generales idem importantes, sed vera, expressa et specifica mentio fiat in eisdem.

[1] *Subsidiorum*, l. c. (R. T.).

Domos vel collegia Societati donata seu relicta ex ipsa auctoritate apostolica censeantur erecta

§ 23. Et insuper si contingat socios ipsos ut, adiuvante aliquo principe, duce, marchione, comite vel communitate, vel quavis ad id potenti et facultatibus abundanti persona, aliquam domum, ecclesiam aut collegium Societati praedictae aedificent et construant, seu id per alicuius similis personae testamentum mandari. vel quovis modo eis offerri domum, ecclesias seu collegia huiusmodi, cum omnibus ad id necessariis et opportunis, construi et aedificari, ac locum pro huiusmodi constructione oblatum recipi posse; ipsasque domos, ecclesias, collegia, cellas, oratoria, ubilibet per dictus socios pro tempore constructa vel eis donata, eo ipso quod aedificata vel donata fuerint, apostolica auctoritate praedicta erecta, approbata et confirmata.

Bona Societati donata pro collegiorum sustentatione etiam auctoritate apostolica reputantur applicata etc.

§ 24. Ac bona quaecumque, pro collegiorum dote, seu scholarium inibi pro tempore commorantium sustentatione per quoscumque christifideles pro tempore donata, relicta et legata, eo ipso praedicta apostolica auctoritate perpetuo applicata et appropriata esse et censeri, nisi alias ad collationem Sedis praedictae pertinerent.

Ecclesiae benedici et consecrari possunt a quolibet episcopo etc.

§ 25. Et ecclesias praedictas, cum coemeteriis, benedicei aut consecrari facere ac primum lapidem poni per quoscumque episcopos (si dioecesani ultra quatuor menses id facere distulerint) posse decernimus.

Et de novo ubique construi.

§ 26. Inhibentes omnibus et singulis archiepiscopis, episcopis aliisque ecclesiarum praelatis et locorum ordinariis, ac quibusvis aliis potestatibus ecclesiasticis et saecularibus, illis nihilominus mandantes ne ipsos socios, aut eorum domos, ecclesias aut collegia huiusmodi, ad aliquorum requisitionem, ex propria eorum voluntate, si id in Domino expediens fuerit, aedificare volentes, quoquomodo huiusmodi constructionibus impediant, perturbent aut molestent.

Superiores possunt cum sociis dispensare

§ 27. Et ut Societatis huiusmodi professoribus omnis vagandi occasio, et ad Apostolicam Sedem praedictam recurrendi subtrahatur. pro posse, necessitas, generali. et de eius licentia. provincialibus praepositis dictae Societatis pro tempore existentibus et illorum vicariis et locatenentibus, ut cum eiusdem Societatis personis defectum natalium, ex adulterio, sacrilegio, incestu et quovis alio nefario et illicito coitu provenientem, patientibus; necnon cum iis, qui ex quavis causa (praeterquam homicidii voluntarii. bigamiae et mutilationis membrorum) irregulares fuerint, postquam in Ordine ipso vota emiserint, ut, defectu et irregularitate huiusmodi non obstantibus, ad quoscumque, etiam sacros et presbyteratus, ordines promoveri, et in illis, etiam in altari, ministrare [1], et irregulares defectum natalium patientes praedicti ad quascumque administrationes et officia dictae Societatis eligi, recipi et assumi, illaque gerere et exercere libere et licite valeant, dispensare possint, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus.

Confessores possunt confessiones audire.

§ 28. Praeterea cum intellexerimus populos civitatum, terrarum et locorum, apud quae habitationem iidem socii habent, vel ubi eosdem versari aut transire contingit, exemplo allectos et inductos religiosae vitae, quam, Domino concedente, ducunt, libenter ad confitendum eisdem et sacratissimam Communionem de manibus eorum accipiendum confluere, ut illis sic confluentibus satisfacere valeant, universis utriusque sexus christifidelibus, ut cuilibet de Societate praedicta confiteri possint, rectoris sui licentia minime requisita, cui non teneantur eadem peccata, de quibus confessi et absoluti fuerint, rursus confiteri.

Sacramentaq. ecclesiast. ministrare, praeterquam tem-

§ 29. Necnon omnibus et singulis christifidelibus, tam forensibus quam in civitatibus et locis, in quibus socii praedi-

[1] *In altaris ministerio ministrare*, l. c. (R. T.).

pore Paschatis et in articulo mortis

cti consistunt, commorantibus, aut illac transeuntibus, Eucharistiae sacramentum (quod in suis ecclesiis decenter tenere socios praefatos volumus) quocumque anni tempore, praeterquam in festo Paschatis Resurrectionis Dominicae, et mortis articulo, nisi necessitas urgeret, eorumdem fidelium parochialium ecclesiarum rectorum licentia minime requisita, accipere libere et licite valeant.

Visitantibus ecclesias Societatis indulgentias concedit

§ 30. Necnon animarum profectui providere volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus ubilibet commorantibus, vere poenitentibus et confessis, seu temporibus a iure statutis confitendi propositum habentibus, qui aliquam ecclesiam aut alium pium locum dictae Societatis semel singulis annis, praeter annum Iubilaei, in die per pro tempore existentem dictae Societatis praepositum eligendo, a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei inclusive, devote visitaverint, et inibi Orationem Dominicam ac Salutationem Angelicam recitaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem in forma Iubilaei, auctoritate apostolica, tenore praesentium, misericorditer concedimus et elargimur.

Certis anni diebus

§ 31. Et insuper quatuor aliis, scilicet Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Corporis Christi festivitatum, necnon veneris et dominicis et quadragesimalibus diebus singulorum annorum, usque ad octavam Paschatis, ecclesias et alia pia loca dictae Societatis devote visitaverint, et inibi Orationem et Salutationem praedictas similiter recitaverint, ac verbum Dei, si in illis praedicetur, devote audierint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Praep. gen. lectores theologiae etc deputat

§ 32. Ac praeposito generali eiusdem Societatis ut, quos de suis idoneos in Domino indicaverit, ad lectiones theologiae et aliarum facultatum, alterius licentia ad id minime requisita, ubilibet deputare possit.

In terris infidelium et partibus remotissimis socii absolvere possunt etiam a casibus in bulla Coenae Domini reservatis.

§ 33. Et ut, cum aliquos ex fratribus seu sociis Societatis huiusmodi in Saracenorum et paganorum aliorumque infidelium terras et provincias alias remotissimas, a quibus non potest adiri Sedes Apostolica, miserit, possit eis, auctoritate nostra, facultatem concedere ut christianos ibidem commorantes, confessione peccatorum suorum audita et poenitentia salutari iniuncta, eos et eorum quemlibet ab omnibus et singulis eorum peccatis, etiam in bulla Coenae Domini reservatis, et a consequentibus censuris et poenis, absolvere.

Et dispensare quoad infidelium matrimonia;

§ 34. Et cum iis qui ab infidelitate convertentur tantum et in locis remotissimis, qui prius in gradibus non licitis, tamen lege divina non prohibitis, matrimonia contraxerant, ut in eisdem manere possint dispensare.

Erigere ecclesias, paramenta benedicere, etc.

§ 35. Ac in locis praedictis remotissimis, quaecumque ecclesias, hospitalia et alia pia loca, prout expediens fuerit, erigere, ac nunc et pro tempore erecta reformare, sine alicuius praeiudicio, et vestes sacerdotales, pallas, corporalia, calices, altaria, coemeteria (si episcopus, qui ea faciat, catholicus inibi non adsit) benedicere, ac profanatas ecclesias reconciliare possint, et quaecumque statuta et ordinationes desuper necessaria facere, illaque, postquam facta fuerint, mutare, alterare, ac illis addere et detrahere.

Decedente praeposito provinciali, electionem alterius facere

§ 36. Ac praeposito provinciali, in illis longinquis partibus residente, decedente, interim, dum alius per generalem praepositum mittitur, loco praepositi sic decedentis, alium eligere libere et licite valeant.

§ 37. Et quia in numerosis populis il-

Missam bis in die quandoque celebrent.

larum regionum tanta est sacerdotum raritas, ut unus plurium curam populorum suscipere debeat, ut bis eodem die missam celebrare diversis in locis valeant.

Privilegia omnia confirmantur.

§ 38. Et insuper attenta meditatione pensantes quantum utilitatis ad exaltationem christianae fidei et evangelicae veritatis, Societatis praedictae professores afferant et afferre valeant, omnia et singula gratias, immunitates, concessiones, privilegia et indulta, antea per nos eidem Societati et illius sociis et personis quomodolibet concessa, quae hic pro specificatis haberi volumus, approbantes, innovantes et confirmantes.

Professio ubique emitti possit de licentia praepositi generalis.

§ 39. Quod socii dictae Societatis, qui alibi quam in urbe Roma professionem emittere non possunt, literis apostolicis ab ipsa Societate ad id ob aliquas causas ad tempus impetratis non obstantibus, eisdem, de licentia praepositi generalis praedicti, ut professionem ipsam ubilibet emittere libere et licite valeant concedimus et indulgemus.

Coadiutores sine certo numero admitti possunt a praeposito praedicto.

§ 40. Necnon Ignatio et aliis successoribus suis praepositis generalibus dictae Societatis pro tempore existentibus ut indultum alias per nos eidem Societati, super habendis viginti coadiutoribus, concessum, ad alios quoscumque, quos idoneos fore censuerint, sub eorum obedientia degentes, extendere.

Praepositus etiam per alios exercet munus suum.

§ 41. Et quascumque gratias, concessiones et indulta eisdem generalibus dictae Societatis praepositis pro tempore existentibus per nos concessa, per eorum vicarios aut personas ad id sibi bene visas, praesertim in Indiarum et aliis partibus remotis pro tempore substitutas, exercere libere et licite valeant.

Clausula praeservativa istarum gratiarum.

§ 42. Ac praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ex quavis causa, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu notari vel impugnari nullatenus posse, ac sub quibusvis suspensionibus, derogationibus, limitationibus et aliis quibusvis contrariis dispositionibus et gratiarum ac indulgentiarum concessarum derogatoriis seu revocatoriis, etiam per nos et Sedem eamdem pro tempore concessis, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas existere, ac suos plenarios effectus sortiri.

Transumptis habeatur fides.

§ 43. Et illarum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius canonici metropolitanae vel alterius cathedralis ecclesiae, seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem prorsus fidem, quae adhiberetur eisdem originalibus literis, si forent exhibitae vel ostensae, ubique, in iudicio et extra, adhiberi debere.

Sublata est aliter iudicandi facultas.

§ 44. Et sic per quoscumque iudices et commissarios, quavis etiam apostolica auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Societas eiusque personae principibus ac praelatis commendantur.

§ 45. Ac dilectis in Christo filiis, illustribus et nobilibus viris, principibus ac dominis temporalibus et venerabilibus fratribus praelatis ecclesiasticis, in quavis dignitate constitutis, praedictam Societatem ac singulos illius socios plurimum in Domino commendantes, non solum ne eos inquietari aut eorum privilegia violari permittant, sed ut benigne et cum caritate, ut decet, suscipiant exhortamur atque in Domino rogamus.

Conservatores et assertores huius constitutionis deputantur.

§ 46. Et nihilominus universis et singulis venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, necnon metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum canonicis, ac eorumdem

archiepiscoporum et episcoporum officialibus et vicariis generalibus ubilibet constitutis, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi ac quilibet eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta huiusmodi, ubi[1] opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum sociorum vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdemque sociis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, eosdem socios literis et in eis contentis huiusmodi pacifice gaudere; non permittentes eos aut eorum aliquem super praemissis aut quibusvis aliis rebus et causis per locorum ordinarios aut quoscumque alios quomodolibet indebite molestari, sed eos contra quoscumque, cuiuscumque conditionis vel qualitatis existentes, et quavis, etiam patriarchali, archiepiscopali vel episcopali aut mundana dignitate ac exemptione fungentes et munitos, in quibusvis causis institiae complementum ministrantes, id, quod per eos ordinatum fuerit, ad executionem debitam perduci faciant, illosque, quos censuras vel poenas praedictas incurrisse constiterit, excommunicatos ac interdictos declarent, ac faciant et mandent publice nunciari, ac ab omnibus arctius evitari, et, legitimis super his habitis et habendis processibus servatis, illos, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggravare procurent; contradictores, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae contrariorum derogatoriae apponuntur.

§ 47. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus, ac iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, necnon privilegiis, indultis et literis apostolicis Sancti Benedicti et Sancti Francisci ac Mendicantium et aliis Ordinibus supradictis, illorumque praelatis et personis, etiam super non communicandis gratiis, sibi concessis, et alias quomodolibet per nos et Sedem praefatam concessis, confirmatis ac etiam iteratis vicibus innovatis, etiam *Mari Magno, Bulla Aurea* et alias quomodolibet nuncupatis, quibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

[1] *Ubi et quando*, l. s. c. (R. T.).

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimo nono, decimoquinto kalendas novembris, pontificatus nostri anno XV.

Dat. die 18 octobris 1549, pontif. anno XV.

IULIUS III

PAPA CCXXIII

Anno Domini MDL.

Die VIII februarii MDL electus est in Romanum Pontificem Ioannes Maria de Monte, Aretinus, antea Sipontinus archiepiscopus, mox S. R. E. presbyter cardinalis S. Vitalis tituli Vestinae, qui die XXII mensis eiusdem sacri imperii diademate coronatus est. Sedit in pontificatu annos V, mensem unum, dies XVI, imperante Carolo V, et quatuor habitis promotionibus, XX cardinales creavit. Obiit die XXIII martii anno MDLV, et sepultus est ad Vaticanum. Vacavit Sedes dies XVII.

I.

De auctoritate et potestate summi poenitentiarii, ex indulto Sixti IV et Pauli III [1].

Iulius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Rationi congruit et convenit [2] ut ea, quae de Romani Pontificis gratia proces-

[1] De hac vide in constitutione XXVIII Sixti IV, *Quoniam*, tom. V, pag. 292. [2] *Convenit honestati*, Cherub. (R. T.).

serunt, licet, eius superveniente obitu, literae apostolicae super illis confectae non fuerint, suum consequantur effectum.

Sixtus IV edidit constit. cit. in nota praecedenti

§ 1. Dudum siquidem postquam a felicis recordationis Sixto Papa IV, praedecessore nostro, emanaverant literae tenoris subsequentis [1].

Paulus III, eam approbavit.

§ 2. Licet, sicut felicis recordationis Paulus Papa III, praedecessor noster, acceperat, ab inde citra literae eiusdem Sixti praedecessoris, absque ulla exceptione, per universum orbem observarentur [2], et ea, quae a Sede Apostolica emanasse dignoscebantur, plenam roboris firmitatem obtinerent; cum tamen Romanus Pontifex illa libenter approbaret et innovaret, ut ea firmius perpetuo illibata persisterent, et iuxta ipsius Romani Pontificis intentionem, sublatis quibusvis litium et calumniarum occasionibus, suum debitum sortirentur effectum, firmiterque ab omnibus observarentur, ac ea firmiora censerentur, quae apostolicae confirmationis munimine saepius corroborarentur, praefatus Paulus, sub data videlicet tertio nonas iulii, pontificatus sui anno quintodecimo, motu proprio, non ad dilecti filii nostri, tunc sui, Raynutii, tituli Sancti Angeli presbyteri cardinalis, nostri, tunc sui, maioris poenitentiarii, seu alterius pro eo eidem praedecessori super eo oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate et ex certa scientia sua, ac de apostolicae potestatis plenitudine, decreta, declarationes, mandatum, voluntatem et statutum, ac, cum omnibus et singulis contentis in eis clausulis, literas Sixti praedecessoris huiusmodi auctoritate apostolica approbavit et innovavit, ac perpetuae firmitatis robur obtinere et sub eisdem censuris et poenis ubilibet observari debere.

§ 3. Illaque non observantes, seu illa aut eorum validitatem, seu praefati Raynutii, moderni et pro tempore existentis dictae Sedis maioris poenitentiarii, super praemissis aut eorum aliquibus potestatem seu auctoritatem vel facultatem in dubium revocantes, seu eorumdem Raynutii et pro tempore existentis maioris poenitentiarii literarum executionem qualitercumque impedientes, aut quominus dictae literae, iuxta illarum formam et tenorem, debitae executioni demandarentur, impedimentum, consilium, auxilium vel favorem quomodolibet praestantes, praedictas ac omnes et singulas alias contra impedientes literarum apostolicarum executionem in bulla, quae quotannis in Coena Domini legi consuevit, contentas et latas sententias, censuras et poenas, eo ipso, absque aliqua alia declaratione desuper perficienda, incurrisse et incurrere debere decrevit ac declaravit.

Et inobedientibus ac poenitentiarii literarum executionem impedientibus infligit poenas contentas in bulla Coenae Domini.

Poenitentiarii literas apertas in utroque foro suffragari statuit.

§ 4. Et nihilominus, potiori pro cautela, praemissa omnia et singula, prout per eumdem Sixtum praedecessorem declarata, decreta, mandata, statuta fuerant, eisdem modo et forma, ac motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, de novo decrevit, declaravit et statuit, ac sub eisdem censuris et poenis, ac inhabilitate, privatione et confiscatione observari mandavit Raynutii et pro tempore existentis maioris poenitentiarii praefati iuxta stylum praedictum expeditas literas, quae clausae et confessoribus directae, in foro conscientiae tantum; quae vero apertae et sigillo praedicto, ut praefertur, pendente expeditae fuerant, et in posterum expedirentur, nisi in eis verba *foro conscientiae tantum* apposita essent, in utroque, tam poenitentiali quam iudiciali et contentioso foro, intelligi et interpretari, ac illis, quibus pro tempore concederentur, suffragari.

Decretum irritans apponit.

§ 5. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque, quavis auctori-

[1] Hic omittitur, quia ipsam bullam habes in tomo v, pag. 292. [2] Cherub., *observatae fuissent, et tunc observarentur* (R. T.).

tate fungentes, iudices et personas, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari atque definiri debere, necnon irritum et inane, si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, similiter decrevit ac declaravit.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis et quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ac partium illarum pragmaticis sanctionibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis concessis, approbatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, idem Paulus praedecessor, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, pro sufficienter expressis et insertis habens, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat, specialiter et expresse derogavit, illaque adversus praemissa nullatenus suffragari posse decrevit; necnon omnibus illis, quae idem Sixtus praedecessor in dictis literis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iussit.

§ 7. Et insuper, quia difficile foret literas desuper conficiendas ad singula quaeque loca, in quibus de eis forsan fides facienda foret, deferre, idem Paulus praedecessor voluit, ac motu, scientia et potestatis plenitudine praemissis pariter decrevit quod earumdem literarum desuper conficiendarum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigilli alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae impressione munitis, in iudicio et alibi, ubi opus foret, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem desuper conficiendis literis, si forent exhibitae vel ostensae.

Literae tempore Pauli III ob eius mortem non expeditae fuerunt, et ideo ab isto Pontifice eduntur;

§ 8. Ne autem de approbatione, innovatione, decretis, declarationibus, nova concessione, statuto, mandato et voluntate Pauli praedecessoris huiusmodi pro eo quod super illis ipsius Pauli praedecessoris, eius superveniente obitu, literae confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, et ii, quorum interest, aut intererit quomodolibet in futurum, illorum frustrentur effectu, volumus et similiter apostolica auctoritate decernimus quod approbatio, innovatio, decreta, declarationes, voluntas, nova concessio, statutum mandatumque Pauli praedecessoris huiusmodi perinde a dicta die tertio nonas iulii sumn sortiantur effectum, ac si super illis ipsius praedecessoris literae sub eiusdem diei data confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes literae ad probandum plene approbationem, innovationem, decreta, declarationes, novam concessionem, statutum, mandatum et voluntatem Pauli praedecessoris huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Executoresque deputantur,

§ 9. Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, necnon metropolitanarum et aliarum cathedralium ecclesiarum canonicis, ac modernis et pro tempore existentibus causarum Camerae Apostolicae auditori et nostro in alma Urbe et illius districtu vicario, ac eorumdem archiepisco-

porum et episcoporum vicariis seu officialibus in spiritualibus generalibus, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac pro parte illorum aut alicuius eorum, quos ipsae literae concernunt et concernent, solemniter publicantes, eisque et eorum cuilibet in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, omnes et singulos, quos praesentes literae quomodolibet concernunt et concernent, ut praefertur, illis et in eis contentis quibuscumque pacifice frui et gaudere. Non permittentes eorum aliquem desuper per locorum ordinarios seu alios quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari et inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per praedictas et quascumque alias sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, illorum arbitrio moderandas et applicandas aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; ac censuras et poenas praedictas, legitimis super iis habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 10. Non obstantibus omnibus supradictis, aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. *Clausulae derogatoriae.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo, octavo kalendas martii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 februarii 1550, pontif. anno I.

II.

Iurisdictio vicarii Papae in causis hebraeorum de Urbe.

Iulius Papa III, motu proprio etc.

Cum, sicut accepimus, universitas hebraeorum Urbis et homines illius particulares, contra omnem iuris ordinem ac bullas et privilegia dilecto fratri nostro Philippo Archinto, Salutiarum episcopo, nostrae Urbis ac illius districtus vicario generali, in praefatos hebraeos privativae iurisdictionis per felicis recordationis Paulum Papam tertium, praedecessorem nostrum, concessa, et per nos confirmata, diversimode, sine iurisdictione et de facto, coram aliis tribunalibus, tam per universitates quam particulares, plerumque ex officio Curiae, et ad querelam ac petitionem vel hebraeorum seu christianorum respective molestantur, inquietantur, perturbantur, quo fit ut iustitia, non solum circa civiles, verum etiam criminales causas suum debitum non sortiatur effectum, et iurisdictio eiusdem vicarii ab aliis indebite usurpetur, cum active et passive praefati hebraei iurisdictioni dicti vicarii Urbis subiiciantur. *Causa constitutionis.*

§ 1. Idcirco, volentes, sicut ordo iuris et aequitatis suadet, ut dicta iurisdictio hebraeorum sit eiusdem vicarii et ab aliis, praeter mentem nostram, non usurpetur, motu simili et ex certa nostra scientia, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, ac de apostolicae potestatis plenitudine, dictas bullas et privilegia sic, ut praemittitur, praefecto fratri nostro Philippo vicario in hebraeos concessa, active et passive inter ipsos, inter alios passive tantum, confirmamus et approbamus, ac roboris firmitatem, quatenus opus sit, adiicimus. *Confirmatio facultatum vicario concessarum circa causas iudaeorum.*

§ 2. Mandantes nunc et pro tempore existentibus almae Urbis gubernatori, auditori Camerae, senatori, Camerae Apo- *Inhibitio iudicibus Urbis ne in causis iudaeorum se intromittant.*

stolicae praesidentibus et clericis, omnibusque aliis Urbis iudicibus, tam ordinariis quam delegatis, quacunque iurisdictione et auctoritate fungentibus et functuris, ne in causis hebraeorum, tam universitatis quam particularium, civilibus et criminalibus ac mixtis, se de cetero intromittant; immo illas ad eumdem vicarium nostrum, iuxta formam dictarum facultatum ac privilegiorum, remittant; inhibitionesque ac significationes, per alios quam a dicto vicario a praefatis hebraeis obtentas, et in posterum obtinendas, per praesentes annullamus, ac pro nullis haberi volumus et mandamus.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus facultatibus ac privilegiis et bullis ac literis apostolicis seu motibus propriis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos dictis gubernatori, auditori Camerae, senatori, praesidentibus et clericis Camerae Apostolicae, omnibusque aliis, tam delegatis quam ordinariis, iudicibus, circa iurisdictionem concessis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Facultates vicarii pro observatione istius constitutionis.

§ 4. Cum facultate praefatis gubernatori, auditori Camerae, senatori, clericis et praesidentibus Camerae Apostolicae, et omnibus aliis Urbis nostrae iudicibus, universitati praedictae ac particularibus illius hominibus et personis, barisello ac omnibus aliis Urbis executoribus et subexecutoribus, sub poenis pecuniariis et censuris ecclesiasticis imponendis et applicandis, inhibendi; illasque, in eventum contraventionis, tam per dictos iudices quam executores et institiae ministros ac quoscumque alios incurrisse declarandi, aggravandi, interdicendi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, ceteraque omnia et singula in praemissis et praemissorum quolibet faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et plenarie exequendi.

Decretum irritans.

§ 5. Ac quidquid secus factum seu innovatum vel attentatum per dictos iudices et quoscumque fuerit, irritum et inane decernentes, cum clausulis necessariis et opportunis.

Placet. I. 1.

III.

Innovatio et nova concessio privilegiorum cardinalis S. R. E. camerarii, et signanter circa eius interventum in Camera Apostolica, dum agitur de contractibus eius consanguineorum, et circa expeditiones a clericis dictae Camerae sub ipsius nomine et sigillo signandas.

Iulius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Guidoni Ascanio, S. Eustachii cardinali, nostro et S. R. E. camerario, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa constitutionis

§ 1. Licet ea quae a Sede Apostolica emanasse dignoscuntur plenam roboris firmitatem obtineant, nonnumquam tamen Romanus Pontifex illa, praesertim sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus concessa, libenter approbat et innovat, ut, iuxta ipsius Pontificis intentionem, suum debitum (ut par est) consequantur effectum, firmiterque observentur ab omnibus.

Paulus III (cuius bulla hic non habetur) offic. camerariat. Sedis Apostolicae Guidoni Ascanio, cardinali S. Eustachii, contulit;

§ 2. Dudum siquidem felicis recordationis Paulus Papa tertius, praedecessor noster, officium camerariatus nostri, tunc sui, et eiusdem Ecclesiae, quod bonae memoriae Augustinus, tituli Sancti Apollinaris presbyter cardinalis, suus et eiusdem S. R. E. camerarius, dum viveret obtinebat et exercebat, per obitum eiusdem Augustini cardinalis et camerarii, qui apud Sedem praedictam debitum naturae persolverat, vacans, cum omnibus et singulis illius honoribus, oneribus, iuribus et emolumentis consuetis, tibi, qui eiusdem praedecessoris, secundum carnem, nepos existebas, per te, quoad viveres, tenendum

1 Scilicet *Ioannes*, nomen cardinalis Del Monte, qui et Iulius III (R. T.).

et exercendum, motu proprio et de fratrum suorum consilio, concessit et assignavit, ac te in locum dicti Augustini cardinalis, quoad huiusmodi effectum, substituit et subrogavit. Necnon te suum et dictae Ecclesiae camerarium fecit, constituit et deputavit.

Iurisdictionesque et proventus hic enunciatas dedit;

§ 3. Tibique, suo et praedictae Ecclesiae nomine, Camerae Apostolicae praesidenti, omnes et singulos fructus, redditus et proventus ad ipsum et praedictam Ecclesiam pertinentes, ad Cameram ipsam pervenire faciendi, et de illis debita eiusdem Camerae solvendi; officiales quoscumque in civitatibus, terris et locis iurisdictionis temporalis praefatae Ecclesiae deputandi, et ab eorum officiis, cum expediens fuerit, amovendi, et alios eorum loco subrogandi, gentes armigeras suo et dictae Ecclesiae statui fideles et devotos conducendi, et illis convenientia de eiusdem Camerae proventibus promittendi, et promissa solvendi, et generaliter omnia et singula, quae in iurisdictionibus et aliis quibuscumque negotiis et causis ad ipsum camerariatus officium de iure vel de consuetudine quomodolibet pertinebant, et quae praefatae Ecclesiae camerarii facere, emendare, ordinare, administrare et exequi soliti erant, faciendi, emendandi, administrandi et exequendi, plenam et liberam concessit facultatem.

Ac decretum Iulii II editum contra ministr. et clericos Camerae in eius contractib. participantes confirmavit.

§ 4. Et deinde, cum statutum et ordinationem piae memoriae Iulii Papae II, etiam praedecessoris nostri, disponentia quod praesidentes et clerici Camerae Apostolicae et quaecumque persona in dicta Camera et loco camerali intervenientes, etiam si episcopali et archiepiscopali aut maiori dignitate fulgerent, dohanas, thesaurarias et alios introitus et res ad dictam Cameram spectantes, per se vel alium seu alios, in toto vel in parte, conducere, aut cum illorum conductoribus ipsi quomodolibet participare non possent, ac eisdem praesidentibus, clericis et personis, sub excommunicationis latae sententiae et privationis quorumcumque officiorum per ipsos obtentorum poenis ipso facto incurrendis, ne contra praemissa quomodolibet venire praesumerent, inhibendo, innovasset et approbasset.

Illudque extendit ad intervenientes in Camera, dum agitur de contractibus suorum affinium vel consanguineorum.

§ 5. Ac statutum et decretum huiusmodi, ad hoc ut clerici, praesidentes et personae praefatae, quorum consanguinei et affines dictas dohanas, thesaurarias, salarias et introitus conducebant, seu conducere volebant, in eisdem Camera et loco camerali, dum de locationibus ipsis et negotiis illas concernentibus discuterent aut tractarent, intervenire non possent per eius literas extendisset et ampliasset.

Sed idem Paulus III (cuius constitutio hic non habetur) cardinalem camerarium non ligare declaravit;

§ 6. Quod Iulii praedecessoris ac suis literis huiusmodi non obstantibus, etiam in futurum locationibus et aliis praemissis, absque alicuius poenae seu censurae incursu, interesse libere et licite valeres statuit, decrevit et declaravit. Quodque sub statuto et ordinatione Iulii praedecessoris huiusmodi ac literis suis praefatis nullatenus comprehensus, sed ab illis prorsus exceptus esses et esse censereris, prout ex tunc te excepit in omnibus et per omnia, perinde ac si statutum et ordinatio ac literae suae huiusmodi quoad te nullatenus emanassent, decrevit.

Omnesque iudices ditionis ecclesiast. mandatis camerarii subiecit,

§ 7. Ac successive quod de cetero perpetuis futuris temporibus, tam almae Urbis gubernator, auditor Camerae, vicarius, iudices ordinarii, quam alii quicumque Romanae Curiae ac ditionis eiusdem Romanae Ecclesiae tibi tuisque ordinationibus et mandatis, perinde ac si ab eo vel Romano Pontifice pro tempore existente emanassent, omnino parere deberent, et adversus illa, directe vel indirecte, modo aliquo venire nullatenus possent, voluit et ordinavit; ac tunc et pro tempore existentibus eiusdem almae Urbis gubernatori, auditori Camerae, vicario et

aliis iudicibus praefatis, sub excommunicationis et privationis officiorum et beneficiorum per eos pro tempore obtentorum, necnon aliis arbitrio suo, ipso facto, si secus agerent, incurrendis pœnis, ne contra praemissa modo aliquo venire aut facere vel attentare auderent seu praesumerent inhibuit. Ac tibi ut, pro praemissorum observatione, executione vel implemento, omnibus et singulis prædictis et quibus opus esset praeciperes, mandares et inhiberes, illosque citares, cogeres et compelleres, ac contra eos manu regia et alias, prout tibi videretur, procederes, ceteraque alia in praemissis et circa ea necessaria quomodolibet opportuna faceres et exequereris mandavit, tibique, ultra tuam potestatem et auctoritatem in praemissis, plenissimam licentiam et facultatem concessit.

Facultates et privilegia omnia, aliis camerariis quomodolibet concessa, innovavit;

§ 8. Necnon etiam omnia et singula privilegia, iura, iurisdictiones, potestates, auctoritates, facultates, literas et indulta retroactis temporibus camerariis dictae Ecclesiae, qui eatenus fuerunt, et camerariatus officio huiusmodi, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos ac ipsum et Sedem praedictam, etiam super concedendis salvis conductibus et fidantiis, causis civilibus, criminalibus et mixtis, necnon moratoriis, dilationibus, salinaribus et quibusvis aliis securitatibus, vel alias quomodolibet concessa, confirmata et innovata, quorum omnium tenores, causas et effectus pro sufficienter expressis haberi voluit, etiam si maiora expressis, approbavit et confirmavit, ac ea omnia tibi de novo concessit, supplendo omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem; ac illa perpetuae firmitatis robur obtinere, inviolabiliter observari, ac tibi tuisque in dicto camerariatus officio successoribus suffragari, ac eos praemissis omnibus et singulis uti, frui, potiri et gaudere debere, nec desuper per quoscumque, tam apostolica quam ordinaria et mixta auctoritate fungentes, iudices et personas, etiam dictae Romanae Ecclesiae cardinales, impediri aut molestari posse decrevit.

Expeditiones camerales omnes, a clericis sub nomine camerarii expediri iussit;

§ 9. Et insuper considerando quod cura iurium et rerum Camerae Apostolicae camerario pro tempore existenti erat commissa, ipseque camerarius suum et Romani Pontificis pro tempore existentis vivae vocis oraculum habebat, suamque et dicti Pontificis personam in his repraesentabat, et propterea non conveniebat ut res camerales..... per decanum et clericos dictae Camerae, qui quicquid in dicta Camera agebant, nomine eiusdem camerarii agebant, expedirentur, quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, decanus et clerici Camerae huiusmodi, expeditiones aliquas camerales, gratiam vel iustitiam concernentes seu mixtas aut ab illis dependentes, alias quam sub nomine camerarii ac sigillo penes ipsum camerarium existente facere et expedire nequirent; et si aliter fierent, ex libris cassari et deleri deberent statuit et ordinavit, et ex tunc illas cassavit et annullavit et viribus evacuavit, ac pro penitus infectis haberi voluit, inhibendo decano et clericis praedictis, sub excommunicationis latae sententiae et privationis officiorum et beneficiorum per eos pro tempore obtentorum, aliisque arbitrio suo poenis ipso facto, si secus agerent, incurrendis, ne praemissis contravenire, aut contra eorum tenorem quovis modo facere vel attentare auderent seu praesumerent, ac irritum et inane, si secus fieri contingeret, decrevit. Ac tibi mandavit ut, pro praemissorum observatione, executione et implemento, omnibus et singulis praedictis, et quibus opus esset, praeciperes et mandares illisque inhiberes, ac eos citares, rogares et compelleres, ac manu

regia et alias, prout tibi videretur, contra eos procederes, ceteraque alia faceres et exequereris, quae in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna essent, et tibi viderentur. Ac etiam tibi, ultra tuam potestatem et auctoritatem in praemissis, plenissimam licentiam et facultatem concessit, prout in eiusdem Pauli praedecessoris, tam sub plumbo quam in forma brevis desuper confectis literis plenius continetur.

Hic modo Pontifex dictas concessiones Pauli III confirmat et innovat;

§ 10. Nos, circumspectionem tuam, quam divina clementia magnis illustravit gratiarum muneribus, non minoribus quam dictus Paulus praedecessor prosequebatur favoribus et gratiarum praerogativis prosequi volentes; ac singularum et aliarum quarumcumque literarum et concessionum tibi et aliis eiusdem Ecclesiae camerariis praedecessoribus tuis quomodolibet concessarum et factarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, concessionem, assignationem, substitutionem, subrogationem, constitutionem, deputationem, statutum, decreta, declarationem, voluntatem, ordinationes, inhibitiones, mandata, approbationem, confirmationem ac, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis, literas [1], praedicta auctoritate apos., tenore praesentium, approbamus et confirmamus et innovamus. Et nihilominus tibi, potiori pro cautela, concessiones, assignationes, substitutionem, subrogationem, constitutionem, deputationem, statuta, decreta, declarationem, voluntatem, ordinationem, inhibitiones, mandata, approbationem et confirmationem praefatas, modo et forma praemissis de novo concedimus et respective facimus, statuimus, decernimus, declaramus, volumus, ordinamus, inhibemus, mandamus, approbamus et confirmamus.

Clericosque sigillo camerariatus uti debere praecipit;

§ 11. Ac etiam tibi, quod sigillum huiusmodi officii camerariatus, solus et in solidum, absque eo quod clerici et praesidentes seu decanus Camerae huiusmodi, aliquod aliud sigillum penes se vel eorum aliquem retinere possint aut debeant, retinere possis et valeas concedimus et indulgemus.

Clausulas praeservativas huic bullae apponit;

§ 12. Praemissaque omnia et singula, sub quibusvis reformationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus ac Cancellariae Apostolicae regulis, per nos editis et in futurum quomodolibet edendis nullatenus comprehensa vel revocata esse aut posse decernimus, et quotiescumque comprehensa vel revocata viderentur, illa toties in pristinum statum restituta et de novo concessa, etiam ex nunc, prout ex tunc, fuisse et esse. Teque super praemissis et illorum occasione, a nobis seu successoribus vel aliis quibuscumque molestari, inquietari vel perturbari nullatenus posse neque debere; ac praesentes, ad eorumdem praemissorum omnium et singulorum probationem verificationemque, in iudicio et extra sufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri, nec contrarium probari, vel ullam probationem recipi seu admitti, ac de subreptionis, obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis vel alio forsan maiori defectu, aut alio quovis praetextu, notari seu impugnari aut in aliquo alterari nullatenus posse; sicque per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, iudices et personas, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari atque decidi debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis au-

1 *Literas praedictas*, Cherub. (R. T.).

ctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus ac statuimus et ordinamus, supplentes omnes et singulos, tam iuris quam facti ac omissionis cuiuscumque solemnitatis et consensus, etiam substantiales, defectus, etiam hic forsan de necessitate exprimendos, si qui forsan intervenerint in eisdem.

Executores eiusdem deputat;

§ 13. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Caesenatensi et Imolensi episcopis, ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, per apostolica scripta, motu simili mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, tibi et aliis, quorum intererit, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, ac praemissa omnia et singula, ubi et quoties expedierit, fuerintque desuper requisiti, solemniter publicantes, non permittant vos contra praemissa per quoscumque Camerae Apostolicae clericos aut praesidentes, advocatos et procuratores fiscales aut alias quasvis personas, quavis auctoritate fungentes, directe vel indirecte, quomodolibet impediri seu molestari. Contradictores, molestatores quoslibet et rebelles, per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras ac poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis omnibus derogat.

§ 14. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon de iure quaesito non tollendo, ac aliis Cancellariae Apostolicae regulis editis et edendis, ac privilegiis, indultis et literis apostolicis quibusvis, ac sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu simili, concessis, confirmatis et innovatis, quibus, illorum omnium formas et tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse, motu et scientia similibus, derogamus; necnon omnibus illis, quae dictus Paulus praedecessor in eius literis praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si clericis, praesidentibus et aliis personis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo, octavo kalendas martii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 februarii 1550, pontif. anno I.

IV.

Iurisdictio et potestas gubernatoris utriusque Burgi almae Urbis et generalis capitanei custodiae Romani Pontificis.

Iulius Papa III.

Dilecte fili, salutem et apost. benedictionem.

Deputatio Ascanii de Cornea in gubernatorem Burgi S. Petri et capitaneum custodiae sanctissimi.

Ad fidei constantiam et animi magnitudinem ceterasque virtutum dotes, qui in nostro [1] et Sedis Apostolicae fulgere dignosceris, nostrae considerationis intuitum extendentes, et propterea volentes te, qui secundum carnem noster nepos existis, condignis favoribus et gratiis sublimare, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, te militum custodiae corporis nostri, tam peditum quam equitum, capitaneum generalem, cum omnibus et singulis honoribus, oneribus, provisionibus, stipendiis, emolumentis, privilegiis, praerogativis, iuri-

[1] *In conspectu nostro et Sedis* etc., Cherub. (R. T.).

bus, pertinentiis, facultatibus et iurisdictionibus ad capitaneatus huiusmodi officium quomodolibet de iure aut ex speciali gratia, tibi etiam praesentium vigore facta, spectantibus et pertinentibus, auctoritate apostolica, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus.

Facultates eiusdem cognoscendi causas civiles et criminales in prima instantia habitatorum Burgi privative quoad alios iudices.

§ 1. Necnon tibi, per te ipsum vel alium seu alios, aut iudicem seu iudices per te pro tempore deputatos vel deputandos, omnimodam in temporalibus civilem et criminalem iurisdictionem, ordinariam seu etiam delegatam, ac merum et mixtum imperium, gladiique potestatem, etiam Sede vacante duraturam, in dilectos filios incolas et abitatores utriusque Burgi nostri S. Petri, citato prius in causis criminalibus pro tempore existente iurisdictionis nostrae huiusmodi Burgi procuratore fiscali. Ita tamen quod nullus deinceps ex quibusvis almae Urbis nostrae iudicibus, tam ordinariis quam extraordinariis, aliquam superioritatem aut superintendentiam in te aut curiam ipsius Burgi, seu pro tempore per te deputatos et deputandos illius iudices, notarios, barisellos, executores, subexecutores, etiam praetextu facultatum, privilegiorum et indultorum apostolicorum, etiam per nos aut praedecessores nostros, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu simili, quomodolibet hactenus concessorum, habere, aut per se vel executores suos, de quibusvis, tam civilibus quam criminalibus, dictae curiae Burgi causis, in prima instantia pro tempore indecisis pendentibus, ante latam in eis definitivam sententiam, quovis alio quaesito colore, se intromittere.

Executores cuiuscumq. curiae, absque licentia iudicis, in Burgo non exequantur.

§ 2. Aut barisellus dictae curiae, seu cuiuscumque alterius curiae eiusdem Urbis executores pro tempore existentes, quodcumque mandatum executivum, per eosdem iudices contra quascumque personas in ipso Burgo pro tempore habitantes et degentes, aut illorum res et bona quaecumque decretum seu relaxatum, aut pro tempore decernendum et relaxandum, sine tua aut iudicis dictae curiae Burgi pro tempore existentis expressa licentia sive consensu, exequi non possint.

Iidem habitantes alibi non conveniantur.

§ 3. Nullusque nullave, cuiusvis status, gradus et conditionis existat, incolas et habitatores Burgi huiusmodi, seu in eo et illius iurisdictione hospitantes, aut moram trahentes, convenire aut molestare, nec conveniri vel molestari, neque ad [1] iudicium sive tribunal trahere, seu trahi facere active vel passive, ex quavis causa aut actione, personali, reali, civili, criminali aut mixta, durante prima instantia, praeterquam solum et dumtaxat in iudicio et coram iudice dictae curiae Burgi pro tempore existenti, sub poenis contentis in bannis in iurisdictione praefati Burgi publicatis, seu in futurum, quando opus fuerit, publicandis, audeat vel praesumat; sed tu iurisdictionem et potestatem tuas praedictas ab omni et quacumque superioritate, auctoritate seu gladii quacumque potestate maiori, atque etiam a quocumque Urbis praedictae iudice seu superiore sive magistratu et commissario, cuiuscumque auctoritatis et in quocumque tribunali ac officio dictae Urbis pro tempore existenti, seu etiam quibuscumque stratarum magistratibus et aliis iudicibus, etiam commissariis, ipsius Urbis, per nos pro tempore deputatis, praeterquam nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis superioritate, auctoritate seu potestate, liberam, immunem et exemptam habeas. Ac eisdem et quibuscumque aliis [2] pro tempore opus fuerit, etiam sub sententiis et censuris ecclesiasticis ac aliis, etiam pecuniariis, tuo seu dictae curiae Burgi iudicis arbitrio imponendis, moderandis et applicandis, ne de praemissis causis, tam civilibus quam criminalibus, in eadem prima instantia, donec sententia definitiva per praefatum iudicem curiae

1 *Ad aliud iudicium*, Cherub. (n. t.). 2 *Aliis, quibus etc.*, Cherub. (n. t.).

Burgi pro tempore existentem lata fuerit, quoquomodo se intromittant, seu in eis procedere, aut se intromittere quomodolibet audeant seu praesumant, inhibendi, eamque in eos exercendi.

Facultas dicti iudicis civiliter et criminaliter procedendi.

§ 4. Ac inter et contra ipsos civiliter et, citato dictae nostrae iurisdictionis Burgi procuratore fiscali, criminaliter procedendi ac iusdicendi, statuendi et ordinandi; ipsosque et eorum quemlibet iuxta eorum demerita puniendi et mulctandi; ac delinquentes, qui ex eorum culpa et demeritis urgentibus ultimo supplicio ac poena capitali affici meruerint, condemnandi, et in eodem Burgo seu illius iurisdictione et pertinentiis dictae curiae, morti standi [1] faciendi, seu illis indulgendi, ac ipsos absolvendi et liberandi.

Facultas dicti gubernatoris iudicem, procuratorem fiscalem, notarios et barisellos Burgi deputandi;

§ 5. Necnon omnes et singulos iudices, procuratorem fiscalem, notarios, barisellos et executores ac subexecutores, quoscumque commissarios ipsius curiae Burgi, cum honoribus, oneribus, emolumentis, salariis et aliis regalibus sibi propterea debitis et exhiberi solitis et consuetis, ita quod, tam iudex procurator fiscalis, notarius, barisellus et alii executores et subexecutores, ac commissarii eorum officia per loca quaecumque dicti Burgi libere et licite, absque conditione, resistentia, oppositione quibuslibet, sub praetextu locorum quomodolibet reservatorum, libere et licite exercere possint et debeant, ponendi et deputandi.

Custodesque portarum Burgi eligendi etc.;

§ 6. Et insuper quoscumque, tam portanarios omnium et singularum portarum dicti Burgi custodes, ad capitaneatus officium huiusmodi spectantes et pertinentes, quomodolibet ad tuum nutum amovibiles, quam dictos ac commissarios ad tui libitum et voluntatem ponendi etiam atque revocandi, restituendi et amovendi, ac quando et quoties tibi videbitur, alios illorum loco, cum honoribus, oneribus et emolumentis solitis et consuetis, ut praefertur, simul et successive substituendi, subrogandi et etiam deputandi.

Bannimenta in Burgo publicandi et cetera alia necessaria faciendi.

§ 7. Ceterum tibi quaecumque banna et alia desuper necessaria et opportuna in ipso Burgo, per quemcumque tibicinem aut bannitorem, per te aut tuos officiales eligendum, publicandi et publicari faciendi, ac omnia et singula, tam per te quam per iudicem, notarium, barisellum, commissarios et alios officiales tuos praedictos hactenus deputatos, nunc et pro tempore existentes, ac quos pro tempore deputari contigerit, et quae circa iurisdictionem dictae curiae Burgi et alias per eos seu eorum quemlibet hactenus facta, gesta, dicta et exequuta fuerint, valida et efficacia existant, vobisque et collitigantibus in curia Burgi huiusmodi perinde valeant et suffragentur, ac si praesentes literae a die assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem emanatae extitissent, gratiamque praesentem tunc a nobis reportassent, cetera alia in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, gerendi et [1] exequi faciendi plenam et liberam ac omnimodam, merique et mixti imperii, ac etiam gladii potestatem, facultatem, auctoritatem concedimus atque pariter indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, Cameraeque Apostolicae, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, necnon Urbis, generalibus vel specialibus ac etiam particularibus, et Camerae praedictae decretis, contractibus, consuetudinibus, etiam ab immemorabili observatis, necnon etiam longissimi temporis praescriptionibus, privilegiis quoque, indultis, licentiis, concessionibus et literis apostolicis, etiam in forma brevis, quibusvis personis, cuiusvis dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existen-

1 Leg. f. *tradere loco standi* (R. T.).

1 *Exequendi seu fieri et exequi faciendi*, Cherub. (R. T.).

tibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, necnon etiam fortioribus clausulis, irritantibus quoque et aliis decretis, et contractibus cum eadem Camera, super praemissis necnon etiam quibusvis aliis pecuniis, etiam ipsius Camerae commissariis forsan celebratis, seu etiam per felicis recordationis Paulum PP. III seu alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, aut etiam per nos forsan, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam pari motu, vel alias quomodolibet concessis, confirmatis ac etiam iteratis vicibus innovatis; necnon cuiusvis tribunalis praedictae urbis ac dilectorum filiorum supradictae Camerae clericorum significationibus, mandatis et inhibitionibus, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis ac illorum loco, datis et totis tenoribus, necnon nominibus et cognominibus personarum huiusmodi specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda, vel aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII februarii MDL, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 februarii 1550, pontif. anno I.

V.

Indulta curialium et incolarum Urbis disponendi de eorum bonis in Urbe et eius districtu existentibus, etiam ex fructibus bonorum ecclesiasticorum acquisitis, et ad favorem incapacium; et facultas proximiorum in illis succedendi ab intestato [1].

Iulius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa indultorum.

Cupientes, ut alma Urbs nostra, in qua beatus Petrus, apostolorum princeps, sibi et suis in Christi vicariatu successoribus sedem constituit, et ad quam, veluti communem omnium fidelium patriam, frequens est hominum accessus, spiritualibus favoribus et praerogativis decoretur; et qui illam pro tempore incolunt, seu Romanam Curiam sequuntur, tam in iis quae ad victum hominis pertinent, quam in suorum dispositione bonorum, et post eorum obitum haeredes sui in eorumdem bonorum assecutione plena libertate fruantur; et Urbis decori, ac Curiae praedictarum frequentiae, necnon Urbem incolentium et Curiam huiusmodi insequentium indemnitati consulere.

Facultas curialium disponendi de eorum bonis in Urbe et districtu consistentibus.

§ 1. Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate et ex certa scientia nostris et plurium Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui eamdem urbem diversis gratiis et privilegiis decorarunt, vestigiis inhaerendo *etc.*, statuimus et ordinamus quod de cetero perpetuis futuris temporibus omnes et singuli Urbis incolae, seu Curiam huiusmodi sequentes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel conditionis existant, etiam si cardinalatus honore aut patriarchali, archiepiscopali,

[1] De hoc privilegio primum disposuit Sixt. IV in constitutione VI, *Etsi universis*, tom. V, pag. 211.

abbatiali vel quavis alia ecclesiastica seu mundana dignitate praefulgeant, si eos in dicta Curia seu eius districtu decedere contigerit, de omnibus et singulis eorum immobilibus, mobilibus et semoventibus bonis, pecuniis, iocalibus, iuribus, actionibus, et de rebus aliis in dicta urbe et eius districtu pro tempore consistentibus, et per eos, etiam ex fructibus, redditibus et proventibus ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, quomodocumque et qualitercumque qualificatorum, per eos, etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis, in titulum vel commendam aut administrationem seu alias quomodolibet obtentorum, aut alias (licite tamen) acquisitis, cuiuscumque quantitatis, qualitatis, summae, valoris et pretii seu conditionis existant, etiam si talia sint quae sub generali verborum expressione non comprehendantur, sed speciali nota digna sint, tam donatione inter vivos et causa mortis, quam testamento, codicillis, fideicommissis, legatis et quavis alia ultima voluntate, in favorem consanguineorum et affinium suorum, ac quarumvis aliarum personarum, etiam penitus extranearum, ac de iuribus incapacium, seu alias prohibitarum, etiam divitum, potentium ac natorum suorum illegitimorum seu spuriorum, ac collegiorum et universitatum, ecclesiarum et piorum locorum et non piorum disponere; ac in eis consanguineos, affines et quasvis alias personas ac natus, etiam, ut praefertur, procreatos, necnon collegia, universitates, ecclesias et pia loca, haeredes particulares et universales, pro libito eorum voluntatis, instituere libere et licite valeant.

Successio haeredum in bonis curialium, exclusa Reverenda Camera Apostolica.

§ 2. Quodque si Urbis incolae, aut Curiam huiusmodi sequentes ab intestato decesserint, eorum bona, pecuniae, iocalia, iura, actiones et res huiusmodi, non ad nos et pro tempore existentes Romanos Pontifices aut Cameram Apostolicam, sed ad ipsorum pro tempore decedentium proximiores agnatos et alios, qui eis, nisi beneficiati essent, de iure succedere deberent, alias, iuxta iuris communis dispositionem, libere devolvantur; nec per Cameram praefatam, aut pro ea agentes, etiam praetextu [1] quod aliqui eisdem defunctis sanguine coniuncti in eadem urbe non reperiantur, vel alias temere [2] dilapidationis bonorum, pecuniarum, iocalium et rerum huiusmodi occupari aut inventariari possint; sed si haeredes praefati in Curia non fuerint, aut aliqui eisdem pro tempore defunctis sanguine coniuncti in Urbe non reperiantur, et tunc et eo casu bona et pecuniae ac alia huiusmodi per ad id pro tempore deputatos singularum rationum, quarum ipsi defuncti fuerint, apprehendantur, et iuxta iuris formam inventarientur, et sub fideli custodia pro eisdem haeredibus conserventur.

Inhibitio contra officiales Rev. Camerae Apostolicae inobedientes.

§ 3. Districtius inhibentes dilectis filiis moderno et pro tempore existenti camerario nostro et clericis eiusdem Camerae praesidentibus, ac aliis nostris et Urbis ac Curiae praedictarum officialibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum praedictorum praelatis, capitulis, conventibus et rectoribus, ac illa pro tempore obtinentibus, quocumque nomine nuncupentur, ne de bonis, pecuniis, iocalibus, iuribus, actionibus et rebus, per episcopos pro tempore decedentes in dicta urbe vel infra eius districtum, ut praefertur, pro tempore relictis, se intromittere, aut illa petere seu vendicare, vel haeredes et successores decedentium personarum huiusmodi illorum occasione impetere, seu alias quomodolibet molestare praesumant. Ac decernentes ex nunc irritum et inane si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate,

1 *Quod haeredes praefati in Curia tunc non existant, aut quod aliqui etc.*, Cherub. (R. T.).

2 Leg. f. *timore* loco *temere*; Cherub. legit *tempore* (R. T.).

scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac Camerae, necnon ecclesiarum et monasteriorum praedictorum, etiam in quibus beneficia huiusmodi fuerunt, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem Camerae, ecclesiis, monasteriis et beneficiis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, quomodolibet etiam motu proprio concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus et sufficienter derogatum esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc*. Si quis *etc*.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDL, sexto idus martii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 martii 1550, pontif. anno I.

VI.

Absolutio omnium haereticorum (praeterquam sub generali Inquisitione regnorum Hispaniae et Portugalliae comprehensorum) ad catholicam fidem et S. R. E. gremium redeuntium [1].

Iulius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Illius qui, misericors et miserator existens, non solum septies, sed etiam septuagies septies ignosci debere mandavit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, etiam iis, qui a fide Christi aliquando aberrant, ianuam pietatis et misericordiae aperimus, ac poenas, quas iuris severitas in eos statuit, Apostolicae Sedis clementia moderamur, ut aberrantes huiusmodi, dictae Sedis benignitate allecti, eorum erroribus abiuratis, catholicae fidei zelum et observantiam in eorum cordibus firmius recipiant; et si in eorum falsis opinionibus perseverare praesumpserint, in eos vehementius animadvertatur, quo obstinatiores se in erroribus suis praestiterint.

Multi a fide non credibant perhorrent. publicam poenitentiam. § 1. Sane cum, sicut nuper accepimus, diversi fideles, diabolica fraude decepti, se in diversas erroneas et ab eadem fide alienas opiniones paulatim deduci permiserint, et modo publicam poenitentiam abhorrentes, et potius placita huius saeculi quam salutem animae suae sectantes, ne infamia aspergantur, ad ovile Christi redire differant.

Hic modo Pontifex ad privatam poenitentiam admittit; § 2. Nos, animarum saluti, quantum cum Deo possumus, consulere cupientes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera deliberatione et certa scientia nostris, omnes et singulos utriusque sexus, tam laicos quam clericos, saeculares et quorumvis Ordinum et militiarum regulares, tam milites quam presbyteros, non tamen sub

[1] Ad haec videri poterit bulla IX Pauli III, *Illius*, pag. 208 huius tomi.

generali Inquisitione Hispaniae ac Portugalliae regnorum comprehensos, de praemissis culpabiles, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis aut praeeminentiae existant, etiam si pontificali aut alia quacumque, etiam maiori, ecclesiastica vel mundana dignitate praefulgeant, qui infra tres menses a die publicationis praesentium, modo et forma infrascriptis faciendae, computandos, coram inquisitoribus civitatum, in quibus ipsi degunt, se personaliter exhibuerint, et suas haereses coram eis privatim abiuraverint, et se ad poenitentiam privatam, eis per dictos inquisitores iniungendam, adimplendum paratos obtulerint, eamque postmodum cum effectu adimpleverint, ab omnibus et singulis eorum haeresibus et a fide Christi apostasiis, ac quibusvis aliis in eadem fide erroribus, quantumcumque gravibus et enormibus, necnon excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque sententiis, censuris et poenis, tam ecclesiasticis quam temporalibus, etiam bonorum privativis et corporis afflictivis ac capitalibus, a iure vel ab homine latis et promulgatis (dummodo hactenus inquisiti, aut in haeresim relapsi non fuerint), apostolica auctoritate, tenore praesentium, in utroque foro penitus et omnino absolvimus et liberamus, necnon cum eis super irregularitate per eos, praemissorum occasione, etiam quia sic ligati forsan missas et alia divina officia, etiam forsan in contemptum clavium, celebrarunt, aut illis alias se immiscuerunt, contracta. Quodque, ea et aliis praemissis non obstantibus, non promoti, ad omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines promoveri, et in illis, tam ipsi quam qui iam etiam post incursam haeresim promoti existunt, etiam in altaris ministerio ministrare.

§ 3. Necnon tam clerici quam laici et utriusque sexus personae, eorumque filii, nepotes et descendentes, ad gradus, honores, ordines, officia et alia quaecumque assumi, illaque suscipere et exercere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis, de specialis dono gratiae dispensamus, eisque pariter indulgemus. Necnon inhabilitatis et infamiae maculam sive notam, circa eos praemissorum occasione quomodolibet insurgentem, penitus et omnino abolemus.

Ipsosque et eorum successores ad honores restituit;

§ 4. Quod si forte culpabiles praefati infra dictum terminum resipiscere et ad cor reverti noluerint seu distulerint, ad hoc ut eorum notitia haberi, ipsique debitis poenis affici possint, motu et deliberatione ac scientia praedictis, omnes et singulas utriusque sexus personas, etiam, ut praefertur, qualificatas, de aliquibus ex haereticis seu alias culpabilibus praedictis quomodolibet notitiam habentes, seu eos haereticos esse aut fuisse scientes, dicta auctoritate, tenore praesentium, requirimus et monemus, ac eis et eorum cuilibet, in virtute sanctae obedientiae et sub incursus haeresis ac omnibus contra haereticos de iure inflictis et promulgatis, tam ecclesiasticis quam temporalibus, sententiis, censuris et poenis, districte praecipiendo mandamus quatenus, infra spatium triginta dierum terminum praedictum immediate sequentium, quorum decem pro primo, et alios decem pro secundo, ac reliquos decem dies pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica, eis et eorum cuilibet iis scriptis assignamus, haereticos seu alias culpabiles praedictos inquisitoribus haereticae pravitatis civitatum suarum, si prius, ut praefertur, aut alias absoluti non fuerint, denuntiasse et notificasse debeant realiter et cum effectu.

Impoenitentes autem inquisitoribus nunciari praecipit;

§ 5. Et nihilominus venerabili fratri Ioanni Petro episcopo Tusculano, Neapolitano, et dilectis filiis nostris Ioanni S. Clementis de Burgos, ac Marcello S. Crucis in Hierusalem, Cervino, et Francisco S. Ana-

Et per inquisitores generales eosdem impoenitent., appellatione remota, coerceri mandat;

stasiae tituli, Sfondrato, nuncupatis, presbyteris cardinalibus, inquisitoribus generalibus per Sedem Apostolicam deputatis, per apostolica scripta et pari motu mandamus quatenus ipsi, per se vel alium seu alios, eosdem requisitos et monitos monitioni et mandato nostris praedictis non parentes, quos haeresim et alias sententias, censuras et poenas praedictas, propter non paritionem huiusmodi, incurrere contigerit, ex nunc prout ex tunc et e contra, haereticos ac sententiis, censuris et poenis praedictis irretitos tamdiu publice nuntient et faciant ab aliis nuntiari, donec ipsi haeresim huiusmodi abiuraverint, et rehabilitationis gratiam obtinere meruerint, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat;

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Formam publicandi hanc bullam praescribit;

§ 7. Ceterum, ut praemissa omnia ad eorum, quorum interest, notitiam deducantur, nullusque de eis ignorantiam iuste praetendere, aut se legitime excusare possit, volumus et dicta auctoritate apostolica decernimus quod praesentes literae per aliquos Curiae nostrae cursores, in basilica Principis Apostolorum de Urbe et ecclesia Lateranensi, dum inibi multitudo populi ad divina audienda congregari solet, plana et clara voce legantur, et lectae, in earumdem basilicae et ecclesiae valvis, ac in porta Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae, necnon in singularum cathedralium et metropolitanarum ecclesiarum valvis affigantur, ubi ad lectionem et notitiam cunctorum aliquandiu affixae pendeant, et cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis remaneant affixa. Quodque per lectionem, affixionem et publicationem huiusmodi omnes et singulae personae, sub praesentibus comprehensae, post spatium trium mensium et triginta dierum huiusmodi respective, ita sint obligatae et adstrictae, ac si illae eis coram et personaliter lectae et publicatae essent.

Transumptis credi iubet;

§ 8. Et quod earum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Formam abiurationis subnectit.

§ 9. Volumus autem quod de personali exhibitione et privata abiuratione per dictos culpabiles, ut praefertur, facienda, per scripturam manu propria ipsiusmet se exhibentis et abiurantis, seu per publicum notarium confectam, ac ipsius inquisitoris, coram quo exhibitio et abiuratio huiusmodi fieri continget, manu subscriptam, ita ut, si ipsi culpabiles in eosdem vel similes errores reinciderint, relapsi omnino esse censeantur, constare debeat, alias eaedem praesentes, ac per eas dictis culpabilibus absolutio et liberatio ac dispensatio et indultum concessa huiusmodi eis nullatenus suffragentur.

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo, tertio kalendas maii, pontificatus nostri anno I.

Publicatio

Anno a nativitate Domini MDL, indictione VIII, die vero V mensis iunii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Iulii divina providentia Papae III, anno eius primo, retroscriptae literae apostolicae absolutionis, liberationis et dispensationis ab haeresi, ac monitionis et mandati, palam, publice, alta et

intelligibili voce, in basilica Principis Apostolorum de Urbe, dum ibidem divina officia de mane celebrabantur et magna populi multitudo congregata esset, de verbo ad verbum, per me Ioannem Roillard, praefati sanctissimi domini nostri Papae cursorem, lectae et deinde affixae et publicatae fuerunt. Et successive eadem die in ecclesia S. Ioannis Lateranensis, etiam de verbo ad verbum, hora vesperarum, per me eumdem Ioannem cursorem, lectae, affixae et publicatae fuerunt, et postmodum eadem die affixae et publicatae fuerunt in valvis seu portis Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae, dimissis in suprascriptis valvis et locis per aliquod temporis spatium affixis, et deinde amotis, copiam earumdem literarum in valvis et locis suprascriptis affigendo et dimittendo per nos eumdem Ioannem Roillard, clericum coniugatum Virdunensis dioecesis, et Maturinum Menandi, clericum Cenomanensis dioecesis, praelibati domini nostri Papae cursores.

Ita est. Ioannes Roillard, cursor subscr.

Ita est. Maturinus Menandi, cursor.

Ita est. Petrus Gomes, magister cursorum.

Dat. die 29 aprilis 1550, pontif. anno I.

VII.

Fructus beneficiorum tempore obitus beneficiatorum, etiam cardinalium, inexacti, ad successores in beneficiis et non ad haeredes spectant, in locis in quibus non deputantur a Reverenda Camera Apostolica spoliorum collectores; et ornamenta cappellae cardinalis defuncti debentur eidem Camerae, una cum pretio annuli.

Iulius Papa III, motu proprio etc.

Cum, sicut nobis nuper innotuit, diversi diversorum beneficiatorum, etiam episcoporum, patriarcharum et aliorum praelatorum, ac S. R. E. cardinalium pro tempore decedentium haeredes, non solum bona relicta, spolia nuncupata, sic decedentium beneficiatorum episcoporum, archiepiscoporum, patriarcharum et aliorum praelatorum, ac etiam cardinalium, verum etiam fructus *etc.* ecclesiasticos et pecunias et res alias per ipsos beneficiatos episcopos, archiepiscopos, patriarchas et alios praelatos ac etiam cardinales ante eorum obitum non exactos, etiam si eorum solutionis dies ante obitum ipsorum non advenerit, sub eo forsan praetextu quod pro tempore ante obitum huiusmodi decurso debebantur exigere, et quandoque solutionem debitorum per ipsos beneficiatos et cardinales, dum viverent, contractorum, et legatorum per eos in sua ultima voluntate, etiam ad pias causas, factorum subterfugere; ac haeredes cardinalium huiusmodi paramenta et ornamenta cappellae ipsorum cardinalium, quae iam tanto tempore, quod eius initii hominum memoria non habetur, cappellae apostolicae, in qua missae papales celebrantur, et ex qua pauperibus praelatis ad Romanam Curiam pro tempore confluentibus et paramenta ecclesiastica, cum quibus in processionibus et aliis solemnitatibus per Romanos Pontifices fieri solitis incedere possint, non habentibus subvenitur, devolvi consueverunt, occupare, ac solutionem quingentorum ducatorum auri de Camera, qui post obitum singulorum cardinalium pro pretio annuli eis in eorum ad cardinalatum assumptione adhiberi soliti, Camerae Apostolicae persolvuntur, declinare contendant et satagant.

Haeredes beneficiatorum fructus tempore eorum obitus inexactos exigebant; debita autem et legata eorumdem et pretium annuli cardinalium et ornamenta cappellae recusabant Camerae Sedis Apostolicae consignare.

§ 1. Nos, attendentes fructus *etc.*, pecunias ac res alias, occasione ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum ecclesiasticorum pro tempore provenientes, licet postquam ad manus beneficiatorum pervenerunt, et cum aliis ipsorum beneficia-

Hic ideo Pontifex declarat haeredes fructus inexactos exigere non posse, sed ad successores in benefic. spectare;

torum fructibus *etc.*, pecuniis et rebus commixti, seu ipsis beneficiatis incorporati sunt, non ulterius in ecclesiasticis, sed potius ipsorum beneficiatorum propriis et ab eis acquisitis bonis iudicandi, et propterea quodammodo pro saecularibus et profanis haberi, et de eis testandi aut alias disponendi facultas eisdem beneficiatis per Sedem Apostolicam concedi consueverit: nihilominus, donec in manibus eorum, qui illos tamquam ecclesiasticos, seu ex ecclesiis, monasteriis, beneficiis praedictis provenientes et pro talibus conservant, aut ut tales detinent; ipsique beneficiati pecunias huiusmodi realiter non exegerint, et fructus *etc.* non perceperint, neque cum aliis [1] eorum bonis commiscuerint et sibi incorporaverint, semper ipsarum ecclesiarum, quarum ipsi beneficiati sunt, ac vere ecclesiasticos esse et censeri debere, et propterea iuri non congruere, ut ipsi beneficiati de rebus certis ipsarum ecclesiarum, quae omni iure alienari prohibentur, disponere, etiam in eorum ultima voluntate, possint; nec ipsis beneficiatis, etiam episcopis, archiepiscopis, patriarchis et aliis, ac cardinalibus pro tempore defunctis, eorum haeredes, qui ut plurimum sunt laici, in praeiudicium successorum beneficiatorum fructus *etc.* ac res et pecunias inexactos huiusmodi, os bovi trituranti alligando, exigant; et haeredes cardinalium mala malis addendo, bona cappellae apostolicae debita occupent, seu quod Camerae et creditoribus ac legatariis debent, pro se retineant. Volentes in praemissis opportune providere, motu simili *etc.* declaramus nostrae intentionis numquam fuisse, nec esse, quod quivis quorumcumque beneficiatorum, etiam, ut praefertur, episcoporum, archiepiscoporum, patriarcharum et aliorum praelatorum, etiam cardinalium, ubilibet, etiam in Romana Curia aut districtu, pro tempore decedentium, sive ex testamento, per ipsos beneficiatos, etiam vigore facultatum quarumcumque eis in specie vel in genere, etiam praetextu quorumcumque capitulorum ac statutorum et ordinationum, etiam nostrorum, sub quibusvis tenoribus et formis, ac alias quomodolibet concessorum, condito, sive ab intestato haeredes, fructus *etc.* ac pecunias et res alias, per ipsos sic defunctos beneficiatos, etiam episcopos, archiepiscopos, patriarchas et alios praelatos ac cardinales, ante eorum obitum non exactos, etiam si pro tempore ante obitum huiusmodi decurso debeantur, ac eorum solutionis dies beneficiatis et cardinalibus viventibus advenerit, et per ipsos beneficiatos et cardinales non steterit quo minus illos exegerint, quinimmo omnem pro illorum exactione necessariam diligentiam, etiam iudicialiter agendo, fecerint, quoquomodo exigere, aut etiam sponte oblatos percipere.

§ 2. Aut cruces, candelabra, imagines, patenas, calices et alia cuiusvis sortis, tam aurea quam argentea, vasa et iocalia, ac quaevis ornamenta, paramenta et alia utensilia cappellae singulorum cardinalium pro tempore decedentium, ceteraque tam ad ipsam cappellam quam eius ministros circa altaris ministerium et celebrationem missae pertinentia, pro se retinere, aut solutionem quingentorum ducatorum huiusmodi evitare possint; sed quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, fructus *etc.* ac pecuniae et res, ut praefertur, inexacti huiusmodi ad ipsorum sic defunctorum beneficiatorum, etiam episcoporum, archiepiscoporum, patriarcharum et aliorum praelatorum et cardinalium, in ecclesiis, monasteriis et beneficiis praedictis successores, qui ex illis, quorum solutionis dies ante obitum beneficiatorum huiusmodi advenerit, omnia ipsorum beneficiatorum etiam, ut praefertur, episcoporum, archiepiscoporum,

Ornamentaque cappellae ad R. Cameram spectare decernit.

1 *Nec non aliis* loco *neque cum aliis*, P. Mattheus (R. T.).

patriarcharum et aliorum praelatorum, etiam cardinalium, debita et ad pias causas facta legata, si aliunde ex aliis ipsorum beneficiorum [1] bonis solvi non possint, solvere teneantur, libere devenire et in posterum deveniant, ac per eos et non haeredes praedictos exigi possent, et in posterum possint; necnon cruces, candelabra, imagines, patenas, calices, vasa, iocalia, ornamenta, paramenta, utensilia et alia ad cappellam singulorum cardinalium et eius ministros, ut praefertur, pertinentia, et ad eamdem cappellam apostolicam pertinerent et spectarent, ac in posterum pertineant et spectent, et per agentes pro ea, realiter et cum effectu capi et apprehendi possent et deberent, ac in posterum possint et debeant. Ac haeredes cardinalium, tam hactenus defunctorum quam pro tempore decedentium, quingentos ducatos huiusmodi eidem Camerae persolvere tenerentur et in posterum teneantur. Et propterea successores in ecclesiis, monasteriis et beneficiis huiusmodi fructus *etc.* ac pecunias et res per eorum successores non exactas, libere et licite percipere, exigere et levare, ac solutis, si aliunde unde solvant non erit, ut praefertur, debitis et legatis praedictis, quod residuum fuerit, in suos usus et utilitatem convertere. Necnon agentes pro cappella apostolica, cruces, candelabra, imagines, patenas, calices, vasa, iocalia, ornamenta, paramenta, utensilia et alia praedicta propria auctoritate libere capere et apprehendere posse. Ac haeredes cardinalium, tam hactenus defunctorum quam aliorum pro tempore decedentium ad cruces, candelabra et alia praedicta agentibus pro dicta cappella apostolica realiter et cum effectu consignandum; et eosdem quingentos ducatos agentibus pro eadem Camera, ut praefertur, solvendum teneri et obligatos esse, ac ad id omnibus iuris et facti remediis cogi et compelli posse.

[1] *Beneficiatorum*, Cherub. (R. T.).

Decretum irritans.

§ 3. Sicque, in praemissis omnibus et singulis casibus ad praesens occurrentibus seu pendentibus, per quoscumque *etc.*, in quavis causa et instantia, sublata *etc.*, iudicari et definiri debere; ac irritum *etc.* decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis *etc.*, privilegiis quoque, indultis, ac testandi et alias de dictis rebus et bonis disponendi facultatibus, capitulis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam per modum statuti et ordinationis perpetuorum, motu proprio *etc.* aut alias quomodolibet, etiam per nos ac dictam Sedem concessis, initis et emanatis, quibus omnibus, etiam si de illis *etc.*, eorum tenores *etc.*, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et sufficienter derogatum esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Limitatio quoad fructus exactos.

§ 5. Volumus autem haeredes ipsorum beneficiatorum, qui iam ante praesentium publicationem pecunias ac fructus per ipsos beneficiatos exactos [1] huiusmodi exegerint, per successores in beneficiis huiusmodi amplius praesentium vigore molestari non posse.

Iussio publicandi.

§ 6. Necnon praesentes in Cancellaria Apostolica, ut moris est, publicari, et in illius quinterno inter alias constitutiones perpetuas, ad perpetuam rei memoriam, describi.

Placet, motu proprio. I.

Publicatio.

Lecta et publicata fuit suprascripta regula, constitutio et ordinatio Romae, in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo, die vero XXVI mensis iunii, pontificatus praedicti sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Iulii divina providentia Papae III anno I.

Publ. die 26 iunii 1550, pontif. anno I.

[1] Leg. forsan *inexactos* loco *exactos* (R. T.).

Prima declaratio dictae constitutionis.

Iulius Papa III, motu proprio, etc.

Refertur constitutioni praecedenti.

Dudum, ex certis tunc expressis rationabilibus causis, per quamdam constitutionem nostram perpetuo duraturam, inter alia, motu simili declaravimus *etc.* [1].

Causa huius declarationis.

§ 1. Cum autem, sicut plurium fide dignorum relatione nobis nuper innotuit, constitutioni nostrae praedictae per beneficiatos ac haeredes praedictos diversae fraudes fieri possint, per beneficiatos videlicet fructus *etc.* ac pecunias et res alias, ut praefertur, non exactos legatis per eos, in extremo eorum vitae et dum ulterius vivere desperant, ad pias causas pro tempore factis absorbendo; per haeredes vero diversa debita iam extincta, et de quorum extinctione successores in beneficiis informati esse non possunt, pro validis et veris supponendo, sicque successores praefatos fructibus *etc.* ac pecuniis et rebus aliis non exactis frustrando, in animarum suarum periculum, et successorum praedictorum detrimentum non modicum.

Declar. praedictae constitutionis circa legata et debita.

§ 2. Nos, fraudibus huiusmodi occurrere, et ne verbis, et non rebus legem imposuisse videamur, providere volentes, motu simili *etc.* constitutionem nostram praedictam solum legata quae per ipsos beneficiatos, etiam episcopos, archiepiscopos, patriarchas, praelatos et cardinales, dum in sanitate constituti extiterint, ad pias causas facta fuerint, et debita quae occasione beneficiorum, ad quae fructus *etc.* ac pecuniae et res inexacti huiusmodi pertinuerint, contracta extiterint, de quibus successores in beneficiis informationem verisimiliter habere possunt et debent, comprehendere, et in eis tantum intelligi debere; ac successores praefatos ad aliorum quam, ut praefertur, ad pias causas factorum legatorum, et occasione ipsorum beneficiorum contractorum debitorum solutionem minime teneri, nec ad id, etiam vigore constitutionis nostrae praedictae, cogi aut compelli posse.

Decretum irritans.

§ 3. Sicque, in omnibus et singulis, etiam ad praesens occurrentibus seu pendentibus casibus, per quoscumque *etc.*, in quavis causa et instantia, sublata *etc.*, iudicari et definiri debere; ac irritum *etc.* decernimus et declaramus.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus omnibus, quae in dicta constitutione nostra voluimus non obstare.

Iussio publicandi.

§ 5. Decernentes praesentes in dicta Cancellaria, ut praefertur, publicari et describi debere.

Placet, et ita motu proprio decernimus et declaramus. I.

Publicatio.

Lecta et publicata fuit suprascripta regula Romae, in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo, die vero IV mensis augusti, pontificatus praelibati SS. D. N. D. Iulii divina providentia Papae III anno I.

Pub. die 4 augusti 1550, pontif. anno I.

Secunda declaratio
dictae constitutionis.

Iulius Papa III, motu proprio etc.

Causa istius declarationis.

§ 1. Cum autem, sicut nobis nuper innotuit, licet nos per constitutionem nostram praedictam solum ecclesiis, monasteriis et beneficiis in locis, in quibus collectores fructuum et proventuum Camerae Apostolicae debitorum deputari seu esse non consueverant consistentibus, et circa quae ius commune servari debet, providere intellexerimus; nihilominus diversae personae eamdem constitutionem nostram ad ecclesias, monasteria et beneficia etiam in locis, in quibus collectores huiusmodi deputari seu esse consueverunt, consistentia, et in quibus diversae

[1] Ut in antecedenti, p. 417 et seq.

consuetudines diversaque particularia iura seu privilegia vigent, trahere et extendere conentur, contra mentem et intentionem nostras, ac in fraudem et detrimentum quam plurium.

Declaratio quod dicta constitutio non se extendit ad beneficia locorum in quibus collectores a Camera deputantur.

§ 2. Nos, fraudibus et detrimentis huiusmodi occurrere, ac mentem et intentionem nostras in praemissis declarare volentes, motu simili *etc.* constitutionem eamdem solum ecclesias, monasteria ac beneficia ecclesiastica in locis, in quibus collectores praedicti deputari seu esse non consueverant, comprehendere et ad ea tantum extendi; nec in ecclesiis, monasteriis et beneficiis in locis, in quibus iidem collectores deputari seu esse consueverunt, consistentibus, locum habere, aut effectum aliquem sortiri posse aut debere; et omnino, ea non obstante, consuetudines et particularia iura seu privilegia cuiuslibet loci, in quo collectores huiusmodi deputari seu esse consueverunt, in praemissis vigentia, observari et executioni demandari.

Decretum irritans.

§ 3. Sicque in praemissis omnibus et singulis, etiam ad praesens occurrentibus, casibus, seu pendentibus causis, per quoscumque *etc.*, sublata *etc.*, iudicari et definiri debere; ac irritum *etc.* decernimus et declaramus.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus omnibus quae in eadem constitutione nostra voluimus non obstare.

Iussio publicandi.

§ 5. Praesentes in praefata Cancellaria, ut praemittitur, publicari et describi debere decernentes.

Placet, et ita declaramus.

Publicatio.

Lecta et publicata fuit supradicta regula sive declaratio Romae, in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimoprimo, die vero Iovis, decima octava mensis iunii, pontificatus praelibati sanctissimi domini nostri Iulii divina providentia Papae III anno II.

VIII.

Quod fratres Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, qui officium poenitentiarii vel beneficia in titulum vel commendam tenent, non habeant vocem activam nec passivam, neque in locis Ordinis commorari possint [1].

Iulius Papa III, motu proprio etc.

Causa huius constitutionis.

Cum, sicut accepimus, fratres Ordinis Servorum, sub Regula Sancti Augustini, congregationis eiusdem Ordinis, beneficia ecclesiastica, ex dispensatione apostolica, seu officium poenitentiarii tenentes, in domibus Ordinis et congregationis praedictorum permanere, et inibi officia, quae inter fratres ipsarum domorum distribuuntur, exercere, et privilegiis, immunitatibus et indultis eiusdem Ordinis et congregationis uti et gaudere, vocemque activam et passivam habere velint et contendant; et haec omnia constitutionibus Ordinis et congregationis huiusmodi, necnon professioni, quae per eosdem fratres emittitur, maxime adversentur, et ceteris fratribus materiam scandali praestent.

Fratres huius Ordinis beneficia ecclesiastica obtinentes vel officium poenitentiarii, non habeant vocem activam neque passivam et in domibus Ordinis non commorentur.

§ 1. Nos, huiusmodi inconvenientibus, prout nostro incumbit pastorali officio, occurrere volentes, hac in perpetuum valitura constitutione, apostolica auctoritate, ex certa nostra scientia, statuimus et ordinamus quod de cetero perpetuis futuris temporibus fratres Ordinis et congregationis praedictorum, beneficia ecclesiastica vel quorumvis aliorum Ordinum regularia in titulum vel commendam pro tempore obtinentes, aut officium poenitentiariae exercentes, quavis auctoritate et dignitate suffulti existant, in domibus Ordinis et congregationis huiusmodi degere aut commorari, seu officia et praelaturas eorumdem Ordinis et congrega-

1 Alia de his fratribus vide in constitutione II Benedicti XI, *Dum levamus*, tom. IV, pag. 176.

tionis obtinere, vel privilegiis, immunitatibus et indultis prædictorum gaudere, seu vocem activam et passivam in Ordine et congregatione prædictis habere non possint modo aliquo.

Fratribus professis transitum ad laxiorem Ordinem prohibet et extra domus Ordinis commorari

§ 2. Et insuper fratribus, qui in Ordine et congregatione praedictis professionem tacitam vel expressam emiserunt, sub excommunicationis latae sententiae poena, districtius inhibemus ne de cetero habitum dimittere, aut ad alium Ordinem laxiorem se transferre, vel (si beneficia ecclesiastica aut officium poenitentiariae non obtinuerint) extra domos Ordinis aut congregationis huiusmodi, sine sui superioris licentia in scriptis habita, degere aut commorari praesumant.

Prior generalis et vicarius hanc bullam publicent et exequantur.

§ 3. Et ne aliquis statuti et ordinationis ac inhibitionis nostrarum ignorantiam praetendere possit, dilectis filiis magistro Augustino de Aretio, priori generali totius Ordinis, et magistro Philippo Castello de Utino, moderno vicario congregationis, et pro tempore existentibus priori generali Ordinis et vicario generali congregationis huiusmodi, sub eadem excommunicationis poena, committimus et mandamus quatenus statutum et ordinationem et inhibitionem nostram praedictam inter institutiones et constitutiones Ordinis et congregationis praedictorum registrari, et, per se vel alium seu alios, in singulis provinciis, capitulis et domibus eorumdem Ordinis et congregationis publicari, ac per eorum fratres inviolabiliter observari faciant. Contradictores quoslibet et rebelles ac renitentes, et se praemissis quomodolibet opponentes, aut illis auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte praestantes, per censuras ecclesiasticas ac alias pro arbitrio imponendas poenas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsorum Ordinis et congregationis, etiam iuramento roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, tam sub plumbo quam in forma brevis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, quomodolibet concessis. Quibus omnibus latissime extensis, et etiam si de eis *etc.*, illorum tenores *etc.*, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac sufficienter derogatum esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 5. Praesentium etiam, absque eo quod registrentur, aut illis data apponatur, solam signaturam sufficere, et ubique fidem facere decernimus.

Placet, et ita mandamus.

IX.

Approbatio secunda instituti Religionis Clericorum Regularium Societatis Iesu, melius explicati [1].

Iulius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Exposcit debitum pastoralis officii, cui nos, licet immeritos, praetulit divina Maiestas, ut fideles quoslibet, praesertim religiosos, in via mandatorum Domini ad Illius honorem et gloriam, et proximorum spiritualem profectum, deambulantes, paternis confoveamus affectibus, ut fideles ipsi, dextera Domini sibi assistente propitia, aeternae salutis praemium ferventius exquirant, et in eorum pio proposito confoveantur.

Paulus III confirmavit Regulam S. I.

§ 1. Dudum siquidem, per felicis recordationis Paulum III, praedecessorem

1 Societatem hanc primo probavit confirmavitque Paulus III, constitutione XXXIII, *Regimini*, pag 303.

nostrum, accepto quod dilecti filii Ignatius *etc.* [1].

Illa tamen iterum supplicant pro eius approbatione.

§ 2. Ut autem praedicta omnia, prius ab eodem praedecessore concessa, magis confirmentur, et simul omnia, quae ad institutum praedictae Societatis pertinent, eisdem in litteris aliarum summam continentibus comprehendantur, et ut aliqua obscurius dicta, et quae scrupulum ac dubitationem possent inücere, per nos exactius explicentur, nobis fuit humiliter supplicatum ut formulam, qua praedictae Societatis institutum exactius et distinctius quam antea, edocente experientia ac usu rerum, expressum, eodem tamen spiritu, comprehenditur, confirmare dignaremur, cuius tenor sequitur et est talis.

Regulae tenor.

§ 3. Quicumque in Societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare, et soli Domino ac Ecclesiae ipsius sponsae, sub Romano Pontifice, Christi in terris vicario,

De castitatis, paupertatis et obedientiae votis,

servire, post solemne perpetuae castitatis, paupertatis et obedientiae votum, proponat sibi in animo se partem esse Societatis ad hoc potissimum institutae ut ad fidei defensionem et propagationem et profectum animarum in vita et doctrina christiana per publicas praedicationes, lectiones et aliud quodcumque verbi Dei ministerium, ac spiritualia exercitia, puerorum ac rudium in christianismo institutionem, christifidelium in confessionibus audiendis ac ceteris sacramentis administrandis spiritualem consolationem praecipue intendat, et nihilominus ad dissidentium reconciliationem, et eorum qui in carceribus vel in hospitalibus inveniuntur, piam subventionem et ministerium, ac reliqua caritatis opera, prout ad Dei gloriam et commune bonum expedire visum erit, exequenda, gratis omnino et nullo, pro suo in praedictis omnibus labore, stipendio accepto, se utilem exhibeat; curetque primo Deum, deinde huius sui instituti rationem, quae via quaedam est ad Illum, quoad vixerit ante oculos habere, et finem hunc sibi a Deo propositum totis viribus assequi, unusquisque tamen, secundum gratiam sibi a Spiritu Sancto subministratam, et vocationis suae proprium gradum.

Praepositi generalis auctoritate,

§ 4. Ideoque, ne quis forte zelo utatur, sed non secundum scientiam, proprii cuiusque gradus iudicium et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu praepositi generalis, seu praelati per nos quocumque tempore eligendi, vel eorum, quos ipse sibi ea cum auctoritate substituerit, ut congruus ordo servetur, in omni bene instituta communitate necessarius. Qui quidem praepositus, de consilio consociorum, constitutiones, ad constructionem huius propositi nobis finis conducentes, condendi, maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente, et quae dubia esse poterunt in nostro instituto, hac formula comprehenso, declarandi auctoritatem habeat. Consilium vero, necessario convocandum ad condendas vel immutandas constitutiones et alia graviora, ut alienare vel dissolvere domos ac collegia semel erecta, intelligatur esse maior pars totius professae Societatis (iuxta constitutionum nostrarum declarationem) quae, sine magno incommodo, potest a praeposito generali convocari; in aliis, quae non ita magni momenti sunt, idem praepositus adiutus, quatenus ipse opportunum iudicabit, fratrum suorum consilio, per seipsum ordinandi et iubendi quae ad Dei gloriam et commune bonum pertinere in Domino videbuntur, ius totum habeat, prout in constitutionibus eisdem explicabitur.

Obedientia erga Romanum Pontificem et Se-

§ 5. Quicumque autem in hac Societate professionem emiserint, non solum in primis professionis suae foribus intelligant,

1 Omittitur residuum narrativae, quia tota bulla Pauli III est in loco citato ad calcem pag. praecedentis

dem Apostolicam.

sed quoad vixerint memores sint Societatem hanc universam et singulos qui in ea profitentur, sub sanctissimi domini nostri Pauli Papae III et aliorum Romanorum Pontificum successorum eius fideli obedientia, Deo militare; et quamvis Evangelio doceamur, et fide orthodoxa cognoscamus ac firmiter teneamus omnes christifideles Romano Pontifici, tamquam capiti ac Iesu Christi vicario, subesse, ob devotionem tamen maiorem, ad obedientiam Sedis Apostolicae et maiorem voluntatum nostrarum abnegationem et certiorem Sancti Spiritus directionem, summopere conducere iudicavimus, singulos nos et quicumque eamdem in posterum professionem emiserint, ultra illud commune trium votorum vinculum, speciali ad hoc voto adstringi, ut quidquid modernus et alii Romani Pontifices pro tempore existentes iusserint, ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens, et ad quascumque provincias nos mittere voluerint, sine ulla tergiversatione aut excusatione, illico, quantum in nobis fuerit, sive nos ad Turcas sive ad quoscumque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, sive ad quoscumque haereticos, schismaticos, seu etiam ad quosvis fideles mittendos censuerit, exequi teneamur. Quamobrem qui ad nos accessuri sunt, antequam huic oneri humeros supponant, diu multumque meditentur an tantum pecuniae spiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc, iuxta consilium dominicum, possint consummare; hoc est an Spiritus Sanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiae polliceatur, ut huius vocationis pondus, Illo adiuvante, se laturos sperent; et postquam, Domino inspirante, huic Iesu Christi militiae nomen dederint, die noctuque succincti lumbos, et ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt.

§ 6. Ne qua autem possit esse inter nos missionum aut provinciarum huiusmodi ambitio vel detrectatio, intelligant singuli sibi, per se vel alium, de huiusmodi missionibus quidquam cum Romano Pontifice non esse curandum, sed omnem hanc curam Deo et ipsi Pontifici, tamquam eius vicario, et Societatis praeposito dimittendam, cui quidem praeposito, sicut ceteris, nihil de sui ipsius missione in alterutram partem, nisi de Societatis consilio, cum dicto Pontifice curandum erit.

Missionibus non procurandis nec vitandis.

§ 7. Voveant etiam singuli se in omnibus, quae ad Regulae huius nostrae observationem faciunt, Societatis praeposito,

Observantia Regulae.

§ 8. Qui ad hoc munus, quam fieri possit idoneus, ad plura vota, prout in constitutionibus declarabitur, eligetur, obedientes fore. Ille autem omnem eam auctoritatem et potestatem habeat supra Societatem, quae ad bonam eiusdem Societatis administrationem, correctionem et gubernationem utilis erit. Iubeat autem ea, quae ad constructionem propositi sibi a Deo et a Societate finis cognoverit esse opportuna; et in praelatione sua, benignitatis ac mansuetudinis caritatisque Christi, Petri Paulique formulae semper sit memor, et tam ipse quam consilium praedictum ad normam hanc assidue spectent. Singuli vero subditorum, tum propter ingentes Ordinis utilitates, tum propter numquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium, non solum praeposito in omnibus ad institutum Societatis pertinentibus parere semper teneantur, sed in illo Christum veluti praesentem agnoscant, et quantum decet venerentur.

Praepositi generalis munere.

§ 9. Cum autem experti fuerimus iucundiorem, puriorem et ad proximi aedificationem aptiorem esse vitam ab omni avaritiae contagione quam remotissimam, et evangelicæ paupertati quam simillimam; cumque sciamus Dominum nostrum Iesum Christum servis suis regnum Dei solum inquirentibus, necessaria ad victum et vesti-

Paupertate denorum professorum.

tum esse subministraturum, sic voveant singuli et universi perpetuam paupertatem, ut non solum privatim, sed neque etiam communiter, possint professi, vel ulla eorum domus aut ecclesia, ad aliquos proventus, redditus, possessiones, sed nec ad ulla bona stabilia, praeter ea quae opportuna erunt ad usum proprium et habitationem retinenda, ius aliquod civile acquirere, rebus sibi ex caritate donatis ad necessarium vitae usum contenti.

Non tamen quoad collegia, quae, pro studentium sustentatione, bona etiam stabilia habere possunt.

§ 10. Quia tamen domus, quas Dominus dederit, ad operandum in vinea Ipsius et non ad scholastica studia exercenda destinandae erunt, cum valde opportunum fore alioqui videatur ut ex iuvenibus, ad pietatem propensis et ad literarum studia tractanda idoneis, operarii eidem vineae Domini parentur, qui Societatis nostrae, etiam professae, velut quoddam seminarium existant, possit professa Societas, ad studiorum commoditatem, scholarium habere collegia, ubicumque ad ea construenda et dotanda ex devotione aliqui movebuntur, quae simul atque constructa et dotata fuerint (non tamen ex bonis, quorum collatio ad Sedem Apostolicam pertinet), ex nunc auctoritate apostolica erigi supplicamus, seu pro erectis haberi; quae collegia possint habere redditus, census seu possessiones usibus et necessitatibus studentium applicandas.

Collegiorum gubernatio penes praepositum vel Societatem est.

§ 11. Retenta penes praepositum vel Societatem omnimoda gubernatione seu superintendentia super dicta collegia et praedictos studentes, quoad rectorum seu gubernatorum ac studentium electionem, ac eorumdem admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, statutorum ordinationem et circa studentium instructionem, eruditionem, aedificationem ac correctionem, victus, vestitusque et aliarum rerum necessariarum eis ministrandarum modum, atque aliam omnimodam gubernationem, regimen ac curam, ut neque studentes dictis bonis abuti, neque Societas professa in proprios usus convertere possit, sed studentium necessitati subvenire. Qui quidem studentes, ingenii et morum indole tales esse debebunt, ut merito speretur, post absoluta studia, ad Societatis functiones idoneos fore; et sic demum post cognitum in spiritu et literis eorum profectum, et post sufficientem probationem, in Societatem nostram admitti possint.

Socii in sacris constituti officia privatim et [illegible] recitare debent etc.

§ 12. Socii autem omnes cum presbyteri esse debeant, ad dicendum officium secundum communem Ecclesiae ritum, sed privatim, et non communiter vel in choro, teneantur. Et in iis, quae ad victum et vestitum et cetera exteriora pertinent, honestorum sacerdotum communem et approbatum usum sequentur, ut quod inde pro cuiusque necessitate vel spiritualis profectus desiderio subtractum fuerit, ex devotione et non ex obligatione, rationabile obsequium corporis Deo, prout expediet, offeratur.

Finis dictae Regulae.

§ 13. Haec sunt, quae sub praefati domini nostri Pauli et Sedis Apostolicae beneplacito, de nostra professione, typo quodam explicare potuimus, quod nunc fecimus, ut summatim informaremus tum illos, qui nos de nostro vitae instituto interrogant, tum etiam posteros nostros, si quos, Deo volente, imitatores umquam habebimus huius vitae.

Ad cuius professionem non admittantur, nisi diu multumque probati.

§ 14. Quam cum multas magnasque habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum iudicavimus etiam statuere ne quis ad professionem in hac Societate emittendam, nisi diuturnis et diligentissimis probationibus, prout in constitutionibus declarabitur, eius vita et doctrina explorata fuerit, recipiatur, quia re vera hoc institutum omnino humiles et prudentes in Christo et christianae vitae puritate ac literis conspicuos exigit.

Coadiutores et scholares vota sua debent e-

§ 15. Immo et ii, qui in coadiutores, tam in spiritualibus quam in corporali-

mittere, et aliqui talia vota solemnia emittere possunt.

bus, et in scholares admittentur, quorum utrique, post sufficientes probationes et tempus in constitutionibus expressum, vota sua, ad devotionem et meritum 1, non quidem solemnia, praeter aliquos, qui de licentia praepositi generalis, propter ipsorum devotionem et personarum qualitatem, tria vota huiusmodi solemnia facere poterunt, sed quibus teneantur, quamdiu praepositus generalis in Societate eos retinendos esse censuerit, emittere debeant, prout in constitutionibus latius explicabitur, nonnisi diligenter examinati et idonei reperti ad eumdem finem Societatis, admittantur ad hanc Iesu Christi militiam, qui tenuibus coeptis nostris favere dignetur, ad gloriam Dei Patris, cui soli sit semper decus et honor in saecula. Amen.

Hic modo Pontifex approbat dictum institutum et omnia Societatis privilegia;

§ 16. Quapropter considerantes nihil quod pium sanctumque non sit, in dicta Societate eiusque laudabilibus institutis, ac exemplari Ignatii et aliorum sociorum praedictorum vita et moribus reperiri, eaque omnia ad suorum et aliorum christifidelium animarum salutem et fidei exaltationem tendere, sociosac illorum coadiutores praedictos et ipsius Societatis scholares a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, illosque sub nostra et Apostolicae Sedis protectione suscipientes, motu proprio et ex certa nostra scientia, auctoritate apostolica, tenore praesentium, erectionem et institutionem Societatis, ac extensionem numeri illius sociorum, ac receptionis et admissionis coadiutorum, ac omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, et condendi et alterandi statuta et ordinationes, ac alia quaevis indulta eisdem Societati et illius praeposito per praedecessorem nostrum et Sedem huiusmodi, sub quibuscumque tenoribus et formis, concessa et confirmata, ac desuper confectas, tam sub plumbo quam in forma brevis literas, et in eis contenta ac inde secuta quaecumque, perpetuo approbamus et confirmamus, ac eis perpetuae firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes et singulos, tam iuris quam facti defectus; si qui intervenerint in eisdem. Eaque omnia et singula perpetuae et inconcussae firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari debere.

Et sic iudicari debere praecipit,

§ 17. Et sic per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, interpretari atque decidi debere; necnon quicquid secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus et declaramus.

Conservatoresque et executores deputat;

§ 18. Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi et eorum quilibet, per se vel alium seu alios, praefatis praeposito et Societati; in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra singulas praedictas et praesentes literas plenum effectum sortiri, ac ab omnibus inviolabiliter observari, non permittentes quemquam contra illarum tenorem quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, ac censuras praedictas, legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratia vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

1 *Meritum maius*, tost. S. L., L. s. c. (R. T.).

Obstantia omnia tollit. § 19. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis et singulis, quae in literis praedictis idem praedecessor noster voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo, duodecimo kalendas augusti, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 21 iulii 1550, pontif. anno I.

X.

Iurisdictio et facultates iudicum et conservatorum congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli Decollati[1].

Iulius episcopus servus servorum Dei, universis et singulis venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, necnon metropolitanis et aliarum cathedralium ecclesiarum canonicis et earumdem archiepiscoporum et episcoporum vicariis in spiritualibus ac officialibus generalibus ubilibet constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Ad hoc nos Deus praetulit in familiam domus suae, ut opportuna singulis provisionis auxilia fidelis servitutis iniunctae providentia pro tempore dispensantes, illorum praesertim necessitatibus intendamus, et dispendiis occurramus, ac eos ab oppressionibus relevemus, qui studio piae vitae sub regularibus institutis Altissimo famulari dignoscuntur.

Congregationis supplicatio pro deputat. conservatorum. § 1. Sane dilectorum filiorum praepositi et universorum clericorum regularium congregationis Sancti Pauli Decollati Mediolanensis conquestione percipimus quod nonnulli archiepiscopi et episcopi ac alii ecclesiarum praelati, eorumque vicarii et officiales, necnon clerici et aliae personae ecclesiasticae, tam saeculares quam diversorum Ordinum regulares, exemptae et non exemptæ, necnon duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites et laici, communia civitatum, universitates oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum, ac aliae singulares personae civitatum et dioecesis et aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt castra, villas et alia loca, terras, domos, possessiones, iura, iurisdictiones, privilegia et indulta, feuda, prata, pascua, sylvas, nemora, vineas, decimas, fructus, census, redditus et proventus ac emolumenta, necnon bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia dictae eorum congregationis, et ad ipsos praepositum et clericos, ratione tam congregationis et quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, quae, etiam ex dispensatione et concessione apostolica, in titulum et commendam ac alias obtinent, quam personarum suarum respective, communiter vel divisim, aut alias quomodolibet spectantia, et ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus praestant auxilium, consilium vel favorem; nonnulli etiam civitatum et dioecesum ac partium praedictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eisdem praeposito et clericis super praedictis castris, villis, locis, terris, domibus, possessionibus, iuribus, iurisdictionibus, feudis, pratis, pascuis, sylvis, nemoribus, vineis, decimis, fructibus, censibus, red-

[1] De dictae congregationis institutione eiusque statu, vide in Clementis VII constitutione XL *Vota*, pag. 160 huius tomi.

ditibus, proventibus et emolumentis ac bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ac diversis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis loco pensionum annuarum, ac pensionibus annuis super similibus fructibus, redditibus et proventibus sibi reservatis et assignatis, ac pecuniarum summis eis debitis, illarumque libera perceptione et solutione, seu solutionis recusatione, necnon privilegiis et indultis eis ac congregationi huiusmodi, tam a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, quam alias rite ab imperatoribus, regibus et ducibus ac aliis principibus concessis, et aliis rebus ad eos, ut praefertur, spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt ac iacturas. Quare praepositus et clerici praedicti nobis humiliter supplicarunt ut, cum eis valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Apostolicam Sedem habere recursum, providere eis super hoc paterna diligentia curaremus.

Deputatio conservator cum amplis facultatibus.

§ 2. Nos igitur adversus occupatores, detentores, praesumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eisdem praeposito et clericis remedio subvenire, per quod ipsorum occupatorum, detentorum, praesumptorum et iniuriatorum compescatur temeritas, et aliis aditus committendi similia praecludatur, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus ut[1] vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis conservatores et iudices, eisdem praeposito et clericis efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittatis eos super his ac privilegiis et indultis praedictis, necnon quibuslibet aliis bonis et iuribus ad eosdem praepositum et clericos et per eos obtenta praedicta, et quae eos pro tempore obtinere contigerit beneficia ecclesiastica, communiter vel divisim, ut praemittitur, spectantibus, necnon libero perceptione fructuum ecclesiasticorum et solutione pensionum annuarum eis pro tempore reservatorum et assignatarum, ac pecuniarum summarum et rerum aliarum eis pro tempore debitarum, ab eisdem vel quibusvis aliis indebite molestari, vel eis gravamina seu damna vel iniurias irrogari, facturi eisdem praeposito et clericis, cum ab eis vel procuratoribus suis fueritis requisiti, de praedictis et aliis quibuslibet, super restitutione huiusmodi castrorum, villarum, locorum, terrarum, domorum, possessionum, iurium, iurisdictionum, feudorum, pratorum, pascuorum, silvarum, nemorum, vinearum, decimarum, fructuum, censuum, redditιum et proventuum ac emolumentorum, necnon bonorum mobilium et immobilium, spiritualium et temporalium, ac libera perceptione fructuum ecclesiasticorum et solutione pensionum ac pecuniarum summarum et rerum aliarum huiusmodi, necnon observatione privilegiorum et indultorum praedictorum, ac de quibuslibet molestiis, iniuriis atque damnis, praesentibus et futuris, in illis videlicet, quae iudicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, in aliis vero prout qualitas eorum exegerit, iustitiae complementum, occupatores, detentores, praesumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, quandocumque et quotiescumque expedierit, auctoritate nostra, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Et nihilominus, legitimis super his habendis servatis processibus, eos, quos censuras et poenas per vos pro tempore latas incurrisse vobis constiterit, eas in-

1 Cherub., *quatenus* loco *ut* (R. T.).

currisse declaretis, ipsasque censuras et poenas, quoties opus fuerit, etiam iteratis vicibus aggravare curetis. Ceterum si per summariam informationem, per vos super his habendam, etiam vobis constiterit quod ad loca, in quibus occupatores, detentores, praesumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi, ac alios, quos praesentes literae concernunt, pro tempore morari contigerit, pro monitionibus et inhibitionibus ipsis ac citationibus de eis faciendis tutus non pateat accessus; nos monitiones et citationes huiusmodi, ac inhibitiones quaslibet per edicta publica locis affigenda publicis, de quibus verisimilis coniectura quod ad ipsorum monitorum, citatorum et inhibitorum notitiam pervenire valeant, faciendi, necnon eisdem occupatoribus, detentoribus, praesumptoribus, molestatoribus, iniuriatoribus, contradictoribus et rebellibus, etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, arbitrio vestro moderandis, inhibendi, plenam et liberam concedimus, earumdem tenore praesentium, facultatem; ac volumus et praefata auctoritate decernimus quod monitiones, citationes et inhibitiones huiusmodi sic factae, ipsos monitos, citatos, inhibitos arctent, perinde ac si eis personaliter insinuatae et intimatae extitissent.

Derogatio literarum Bonifacii Papae VIII et aliorum

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, quibus cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices et conservatores a Sede deputati praedicta, extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere, seu aliquos ultra unam diaetam a fine dioecesis earumdem trahere praesumant, et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium non trahatur, seu quod de aliis quam manifestis iniuriis et violentiis, ac aliis, quae iudicialem non requirunt indaginem, poenis in eos, si secus egerint, et in id procurantes adiectis, conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscumque constitutionibus a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, tam de iudicibus delegatis et conservatoribus quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut alias editis, quae vestrae in hac parte possent iurisdictioni aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare. Quodque vos filii canonici, vicarii et officiales, de personis, quae deputari possint conservatores non sitis; privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, facultatibus et literis apostolicis, aut aliis conservatoriis, quibuscumque personis, cuiuscumque qualitatis, conditionis, gradus, praeeminentiae seu dignitatis existentibus, etiam episcopali, archiepiscopali aut alia maiori dignitate seu auctoritate fungentibus, ac ordinibus praedictis, necnon societatibus et universitatibus, etiam Studiorum generalium, ac collegiis, etiam exemptis, necnon ducibus, principibus et temporalibus dominis, et de non trahendis illis aut eorum subditis extra eorum loca et dominia, aut coram aliis, quam eorum conservatoribus et iudicibus etiam vigore quarumcumque literarum apostolicarum, etiam conservatoriarum, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam [1] iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et in-

[1] Cherub. legit: *Etiam per nos et Sedem praedictam, etiam iteratis vicibus* etc. (R. T.).

dividua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserta forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac eorum personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dictae Sedis indulgentia, generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam, praesentibus non expressam vel totaliter non insertam, vestrae iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Declaratio facultatis conservatorum.

§ 4. Ceterum etiam volumus et dicta auctoritate apostolica decernimus quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem incboans nullo fuerit impedimento canonico praepeditus; quodque, a data praesentium, sit vobis et unicuique vestrum in praedictis omnibus et singulis, coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, perpetuata potestas, et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in praemissis omnibus, coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, et pro praedictis procedere, ac si supradicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent, et iurisdictio vestra, et cuiuslibet vestrum in praedictis omnibus et singulis, per citationem vel modum alium perpetuata legitime extitisset, constitutione praedicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante.

Transumptorum fides

§ 5. Verum, quia difficile foret praesentes literas ad singula, in quibus de eis fides forsan facienda fuerit, loca deferre, etiam volumus et apostolica auctoritate praedicta decernimus quod ipsarum transumptis, manu notarii publici subscriptis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo, tertio idus augusti, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 augusti 1550, pontif. anno I.

XI.

Reductio Concilii generalis Tridentum, reassumendi die prima maii MDLI [1].

Iulius episcopus servus servorum Dei.

Carolus imperator Papae supplicat pro reassumptione concilii a Paulo III indicti.

§ 1. Cum ad tollenda religionis nostrae dissidia, quae in Germania longo tempore, non sine totius christiani orbis perturbatione et scandalo, viguerunt, bonum, opportunum et expediens esse videatur, sicuti etiam charissimus in Christo filius noster Carolus, Romanorum imperator semper augustus, nobis per suas literas et nuntios significari fecit, ut sacrum oecumenicum generale concilium, per felicis recordationis Paulum III, praedecessorem nostrum, indictum, et per nos, tunc cardinalatus honore fungentes, atque ipsius praedecessoris nomine, una cum duobus aliis S. R. E. cardinalibus, ipsi concilio praesidentes inceptum, ordinatum et continuatum, in quo plures publicae et solemnes habitae fuerunt sessiones, pluraque tam in causa fidei quam refor-

1 Ex Regest. Vatic. et Raynaldo contin. Annal. tom. XXIII. — Hanc bullam ad Romanam editionem (Ann. 1845, typis De Prop. Fide) *Can. et Decr. S. Concilii Tridentini* exegimus, ac mendis expurgavimus (R. T.).

mationis promulgata decreta, multaque etiam ad utramque causam pertinentia examinata et discussa, ad civitatem Tridentinam reducatur.

Dies ad concilium reassumendum et continuandum indicto.

§ 2. Nos, ad quos et Summos pro tempore Pontifices spectat generalia concilia indicere et dirigere, ut Ecclesiae pacem, et christianae fidei, atque orthodoxae religionis incrementum, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam procuremus, et, quantum in nobis est, tranquillitati ipsius Germaniae, quae sane provincia retroactis temporibus in vera religione, ac sacrorum conciliorum et sanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendaque Maximis Pontificibus, Christi Redemptoris nostri in terra vicariis, debita obedientia et reverentia, nulli christianorum provinciae fuit unquam secunda, paterne consulamus; sperantes, per ipsius Dei gratiam et benignitatem futurum ut reges omnes et principes christiani iustis piisque nostris in hac re votis annuant, faveant atque assistant; venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos et dilectos filios abbates, omnesque alios et singulos, qui de iure, vel consuetudine, vel privilegio conciliis generalibus interesse debent, quosque idem praedecessor noster in suis indictionis et aliis quibuscumque desuper confectis et publicatis literis concilio interesse voluit, per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi hortamur, requirimus et monemus ut proximis futuris kalendis maii, quem diem ad ipsum concilium in eo, in quo nunc reperitur, statu resumendum et prosequendum, praevia matura deliberatione, et ex certa nostra scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, ac venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, statuimus, decernimus et declaramus, in ipsa civitate Tridenti, legitimo cessante impedimento, convenire et se congregare, ac ipsius concilii continuationi et prosecutioni, omni mora postposita, incumbere velint.

Pontifex legatos, qui concilio praesint, se deputare spondet.

§ 3. Nos enim operam sedulo daturi sumus, ut eodem tempore in eadem civitate nostri omnino adsint legati, per quos, si per aetatem nostram, valitudinemque et Sedis Apostolicae necessitates personaliter adesse nequiverimus, Spiritu Sancto duce, ipsi concilio praesidebimus.

Contrariis tollit.

§ 4. Quacumque ipsius concilii translatione et suspensione ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque, ac praesertim illis, quae idem praedecessor noster in suis literis praedictis, quas cum omnibus et singulis in iis contentis clausulis et decretis in suo robore permanere volumus atque decernimus, et, quatenus opus sit, innovamus, voluit non obstare; irritum nihilominus decernentes et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae solitae.

§ 5. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo, octavo kalendas decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 nov. 1550, pontif. anno I.

XII.

Contra impedientes inquisitores haereticæ pravitatis in eorum officio, aut in causis inquisitionis se ingerentes, et contra ipsos inquisitores admittentes laicos ad criminis haeresis cognitionem.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Inquisitores a multis impediebantur in eorum officio sub variis praetextibus.

Licet a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, etiam per speciales constitutiones in corpore iuris insertas, fuerit rite et salubriter sancitum atque decretum ut saeculi potestates et domini temporales, ac provinciarum, ci-

vitatum, terrarum et locorum quorumcumque rectores, quibuscumque dignitatibus vel officiis aut nominibus censeantur, dioecesanis episcopis et inquisitoribus hæreticae pravitatis in ipso inquisitionis negocio faveant et assistant; nemoque ex praedictis potestatibus, dominis et rectoribus, eorumque officialibus de crimine haeresis, cum mere sit ecclesiasticum, quoquo modo cognoscat vel iudicet, neque dioecesano episcopo vel inquisitori ipsius inquisitionis negocio incumbenti se opponere, aut ipsam aliquatenus impedire, vel impedientibus auxilium aut favorem scienter dare audeat, perpetuae damnationis sententia in eos, qui contra praedicta fecerint, promulgata, quam si per annum animo sustinuerint pertinaci, ex tunc velut haeretici condemnentur: usque adeo tamen in omnibus fere, non solum Italiae, verum etiam aliis provinciis, civitatibus, terris et locis, complurium laicorum, ut accepimus, mundanae gloriae processit ambitio vel sacrorum canonum inscitia vel ecclesiasticae disciplinae contemptus, ut in animarum suarum perniciem atque interitum, dioecesanos episcopos et inquisitores a Sede Apostolica institutos, inquisitionis officium exercentes, alii, sub iustitiae praetextu, ne ulli scilicet fiat iniuria impedire, alii vero, sub pietatis colore, ut sontes scilicet severius puniantur, se ipsis dioecesanis episcopis et inquisitoribus adiungere, et una cum eis de ipso haeresis crimine cognoscere, processus formare, formatosque suo iudicio submittere non erubescant.

Pontifex ideo praecipit ut nemo impediat inquisitores in negocio inquisitionis, nec se ingerat in cognoscen. crimine haeresis, nisi ab inquisitoribus requisitus.

§ 1. Cui sane morbo iam nimis late progredienti solitam ac salutarem ecclesiae medicinam, pro nostra pastorali solicitudine, afferre cupientes, saeculi potestates, dominos temporales ac provinciarum, civitatum, terrarum et locorum rectores supradictos, necnon quascumque alias saeculares personas, tam privatas quam publico quovis munere fungentes, requirimus et monemus, ac eis Iesu Christi Redemptoris nostri (cuius vices, licet immeriti, gerimus in terris) nomine praecipimus ne dioecesanos episcopos et inquisitores ipsos in suo inquisitionis negocio ullo modo impediant seu perturbent, neque se in haeresis crimine cognoscendo vel iudicando, quovis etiam assistentiae et favoris colore, causa vel occasione (nisi quatenus ab ipsis dioecesanis episcopis aut inquisitoribus spontanea et libera eorum voluntate fuerint requisiti) se ingerant, ordinationes, provisiones et leges quascumque, de ipsius criminis cognitione latas sacris canonibus obsistentes, et ecclesiasticam iurisdictionem impedientes sine mora abrogent et deleant, prout etiam nos eas omnes invalidas fuisse et esse decernimus et declaramus, ac ex nunc pro abrogatis et deletis haberi volumus et mandamus.

Inobedientibusque et eorum fautoribus poenae hic expressae imponit.

§ 2. Qui monitis his nostris non obtemperaverint, quive scienter in praedictis consilium, auxilium aut favorem dederint, noverint se, non solum per sacras dictorum praedecessorum nostrorum constitutiones, verum etiam per hanc nostram sanctionem sive sententiam et declarationem perpetuo duraturam (quam auctoritate omnipotentis Dei, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra in ipsos non obtemperantes, quacumque illi praefulgeant dignitate, in his scriptis proferimus), communione fidelium et omnium ecclesiasticorum sacramentorum receptione privatos, ac maledictionis ac execrationis aeternae vinculo ligatos, anathematisque et maioris excommunicationis mucrone percussos, ita ut nemo umquam in praemissis delinquens, nisi a nobis et successoribus nostris canonice intrantibus, etiam praetextu quarumcumque facultatum, concessionum et gratiarum, etiam confessionalium nuncupatarum, etiam a

nobis et dicta Sede hactenus emanatarum, vel in posterum emanandarum, specificam et expressam ac alias quam per verba generalia de praesentibus nostris literis mentionem non facientium, praeterquam in mortis discrimine, absolvi possit.

Inquisitores etiam easdem poenas incurrunt, si admittant laicos cognoscere de crimine haeresis.

§ 3. Quibus etiam censuris ipsos dioecesanos episcopos et inquisitores subiacere volumus, si laicos secum quomodocumque de ipso crimine cognoscere aut iudicare permiserint.

Iussio huius publicandi bullam.

§ 4. Ut autem praemissa omnia ad eorum, quorum interest, notitiam deducantur, nullusque de eis ignorantiam iuste praetendere possit, volumus et apostolica auctoritate decernimus quod praesentes literae per aliquos cursores nostros aut notarios publicos in basilicae Principis Apostolorum de Urbe et ecclesiae Lateranensis ac Cancellariae Apostolicae valvis, necnon acie Campi Florae, ut moris est, publicentur, earum exemplo in singulis valvis et acie huiusmodi affixo et dimisso.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, quintodecimo kalendas martii, pontificatus nostri anno II.

Publicatio.

Lecta et publicata fuit die Veneris Sancti in cappella Sanctitatis Suae, dum divina celebrarentur officia.

Anno Domini MDLI, indictione nona, die vero XXIV mensis martii, pontificatus SS. D. N. Iulii, divina providentia Papae III, anno eius II, retroscriptae literae affixae et publicatae fuerunt in valvis seu portis Principis Apostolorum de Urbe et Sancti Ioannis Lateranensis, et Cancellariae Apostolicae, necnon in acie Campi Florae, dimissis copiis per nos Petrum Gomez Ereyle et Franciscum Muños, SS. D. N. Papae cursores.

Ita est. Petrus Gomez Ereyle cursor, manu propria.

Ita est. Franciscus Muños cursor, manu propria.

Petrus Leobodie, magister cursorum.

Dat. die 15 februarii 1551, pontif. anno II.

XIII.

Praelatorum donationes tempore infirmitatis factas, nisi per viginti dies supervixerint, nullas esse decernit [1].

Iulius Papa III, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Cura pastoralis officii admonemur ut abusibus et fraudibus illis praesertim, per quos Camera Apostolica, cuius iura defendere tenemur, defraudatur et laeditur, opportunis remediis obviemus.

Praelati ecclesiarum saepe donationes inter vivos simulabant in Camerae Apostolicae praeiudicium.

§ 1. Cum itaque, sicut ad auditum nostrum pervenit, saepe contingat ut archiepiscopi et episcopi ac alii praelati regnorum Hispaniarum et aliarum partium diversarum, in infirmitate constituti et in extremis laborantes, scientes se de bonis per eos ex fructibus, redditibus et proventibus ecclesiarum et monasteriorum, quibus praesunt, ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quae obtinent, aut illorum intuitu acquisitis, testari aut alias per viam ultimae voluntatis disponere non posse, ut quod legitime facere non valent, per indirectas et fraudulentas vias efficiant, omnia res et bona per eos ex fructibus huiusmodi acquisita, quae ut plurimum, propter opulentiam ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum praedictorum, maximi valoris et momenti existunt, per viam simulatae inter vivos donationis, inter diversas personas et in diversos usus distribuant, seu potius distrahant, in dictae Camerae Apostolicae, ad quam bona ipsa, tamquam ipsorum praelatorum spolia, pervenire deberent, maximum damnum et praeiudicium.

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Declaratio (de qua in rubrica).

§ 2. Nos, huiusmodi fraudibus opportunum remedium adhibere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia volumus et apostolica auctoritate per praesentes statuimus et ordinamus quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, omnes et singulae donationes per archiepiscopos, episcopos et praelatos praedictos in infirmitate constitutos de bonis huiusmodi pro tempore factae, nisi post donationes ipsas illi, qui illas fecerint, per viginti dies supervixerint, nullius sint roboris vel momenti, et ex eis illis, in quorum favorem factae extiterint, nullum ius seu titulus vel commodum acquiratur, sed illi omni illarum commodo et effectu careant.

Sicque servari in perpetuum statuitur.

§ 3. Decernentes sic in praemissis per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere: irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio executorum huiusce constitutionis.

§ 4. Ac mandantes dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori et moderno ac pro tempore existenti in dictis regnis Apostolicae Sedis nuncio, quatenus ipsi vel eorum alter, per se vel alium seu alios, ubi, quando et quoties opus fuerit, praesentes solemniter publicantes, illas inviolabiliter observari, ac suum effectum sortiri faciant: non permittentes aliquid contra earum tenorem per quoscumque quomodolibet attentari; contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, gradus vel conditionis fuerint, etiamsi episcopali, archiepiscopali, patriarchali vel alia mundana dignitate praefulserint, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo; ipsasque censuras et poenas, legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravandi ac interdictum ecclesiasticum apponendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis, indultis et literis apostolicis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, concessis, confirmatis et innovatis, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die tertia aprilis millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 aprilis 1551, pontif. anno II.

XIV.

Indulta et privilegia patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in cappella Summi Romani Pontificis assistentium.

Exordium.

Romanus Pontifex ex sua circumspecta providentia eas consuevit personas condignis praecipue complecti favoribus et gratiis, quas sibi et Apostolicae Sedi devotas et obsequiosas, ac plurimis cognoscit meritis adiuvari.

Indultum pro praelatis cappellae assistentibus, circa collationem beneficiorum.

§ 1. Hinc est quod venerabiles fratres Fabium Constantinopolitanum, Christophorum Alexandrinum, Christophorum Hierosolymitanum, Ioannem Aquileiensem, patriarchas; et Andream Spalatensem, Iacobum Corcyrensem, Franciscum Senensem, Ioannem Michaelem Materanum, Scipionem Tarentinum, Thadaeum Consentinensem, Ioannem Andream Mes-

sanensem, Bernardinum Surrentinum, Caesarem Taurinensem, archiepiscopos; ac Marcum Senogalliensem, Thomam Feltrensem, Philas Asculanensem, Philippum Saluțiarum, Nicolaum Mariam Cataniensem, Bernardinum Camerinensem, Paulum Caturcensem, Ioannem Noviomensem, Iacobum Nivernensem, Leonem Foroiuliensem, Claudium Mirapicensem, Cornelium Bituntinensem, Ioannem Baptistam Venafrensem, Ioannem Iacobum Aprutinensem et Iodocum Lubicensem, episcopos, prælatos domesticos nostros et in cappella nostra assistentes, eorum meritis et obsequiis exigentibus, condignis favoribus et gratiis prosequi, titulisque et honoribus decorare volentes, motu proprio, non ad ipsorum patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et certa scientia, eisdem patriarchis, archiepiscopis et episcopis et eorum singulis (sine tamen quarumcumque dispensationum ad beneficia, ac indultorum de fructibus in absentia percipiendis, necnon exemptionum a superioritate et iurisdictione eorum ordinariorum, sibi a Sede Apostolica, ante tamen concilii Tridentini celebrationem, concessorum, quorum omnium tenores pro expressis haberi volumus, et quæ illis tantum, quibus concessa sunt, minime denegata censeantur, sed in suo robore persistant, praeiudicio), ut quamdiu eorum quilibet patriarchali, archiepiscopali et episcopali, cui nunc præesse dignoscitur, aut ad quam eum forsan transferri contigerit, ecclesiae praefuerit, de quibuscumque dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus et praebendis, ceterisque beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus ac quorumvis Ordinum regularibus, ad suam, ratione ecclesiae cui præest, collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem, coniunctim vel separatim, spectantibus et pertinentibus, quae deinceps in antea in singulis februarii, aprilis, iunii, augusti, octobris et decembris mensibus vacare contigerit (dummodo dispositioni apostolicae generaliter reservata, seu ex generali reservatione apostolica affecta non fuerint), etiam si praesentationes, nominationes vel electiones aliorum, quae salvae sint, praecedere consueverint, perinde ac si aliqua a nobis vel dicta Sede aut illius legatis gratiae expectativae, ac super illis reservationes, uniones, annexiones et incorporationes, ac reservandi, uniendi, providendi et alias disponendi mandata, cum inhibitionibus et irritantibus et aliis decretis, nullatenus emanassent vel in posterum emanarent, de illis videlicet ad suam separatim, per se solum vel eius pro tempore deputatum vicarium; ad suam vero, cum capitulo ecclesiae suae coniunctim, collationem, provisionem, praesentationem, electionem et aliam dispositionem huiusmodi spectantibus, una cum eisdem capitulo, personis sibi gratis et alias idoneis, providere et alias disponere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus.

Nobilitatisque decus, cum usu insigniorum Papaeis concedit.

§ 2. Ipsosque patriarchas, archiepiscopos et episcopos ac eorum singulos, nobiles creamus et facimus, ac nobilitamus, nobilitatisque titulo et insigniis decoramus, necnon aliorum nobilium numero et consortio favorabiliter aggregamus, ac pro nobilibus haberi, nominari et reputari volumus atque mandamus; eisque ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, derogationibus, mandatis, dispensationibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus alii nobiles, etiam de nobili comitum genere, etiam qui illustres reputantur, etiam ex utroque parente procreati, de iure vel

consuetudine ac alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, etiam uti, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, vere et non ficte, in omnibus et per omnia, ac si de illustrissimo genere ex utroque parente procreati forent: ita quod inter eos et ipsos illustres, quoad nobilitatem et alia ad illam necessaria, nulla penitus sit differentia, nec ficto[1] locum habeat, auctoritate et tenore praedictis indulgemus. Et in signum honoris et nobilitatis huiusmodi, eis et eorum cuilibet tres montes et alteram ex laureis sive coronis insigniorum nostrorum, quibus eorum unusquisque, prout melius sibi videbitur, una cum insigniis suis vel absque illis, deinceps perpetuo uti possit, gratiose donamus et impertimur.

Exemptionemque a decimis. § 3. Ac eosdem patriarchas, archiepiscopos et episcopos et eorum singulos a solutione cuiuscumque decimae, etiam per nos et Sedem praedictam pro tempore impositae, aut cuiuscumque pedagii, subsidii, gabellae et cuiuscumque alterius generis, ordinarii et extraordinarii, ubique locorum et ex quavis causa impositi et imponendi.

Vectigalique vini pro sex vegetibus 2. § 4. Necnon, ad instar referendariorum nostrorum, circa vectigal vini, pro sex vegetibus dumtaxat, eisdem auctoritate et tenore, eximimus et liberamus, ac liberos et exemptos esse volumus.

Indultum visitandi ecclesias etc. et procurationes exigendi 3. § 5. Et insuper eisdem patriarchis, archiepiscopis et episcopis et eorum singulis, ut monasteria, ecclesias et alia quaecumque beneficia ecclesiastica suarum civitatum et dioecesum, ac infra limites decanatuum, archidiaconatuum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum per eos, ex quibusvis dispensationibus et concessionibus apostolicis, in titulum et commendam et alias quomodolibet nunc et pro tempore obtentorum, eorumque personas, in quibus sibi, ratione ecclesiarum suarum ac decanatuum, archidiaconatuum et aliorum beneficiorum praedictorum, visitationis officium, de iure vel consuetudine, competit, per unam seu plures personas idoneas, quas ad hoc duxerint deputandas, quamdiu ecclesiis praedictis praefuerint, ac decanatus et archidiaconatus et alia beneficia praedicta obtinuerint, et quoties visitationis tempus ingruerit, etiam duo, tria seu plura ex eisdem monasteriis, ecclesiis seu locis una et eadem die visitare, et procurationis iura et emolumenta quaecumque, ratione visitationis huiusmodi sibi debita, etiam si summam triginta librarum turonensium argenti, quarum duodecim valeant unum florenum de Florentia, pro die qualibet excedat, ab eisdem ecclesiis, monasteriis, locis et personis taliter visitatis in pecunia numerata recipere et exigere.

Locandique ad biennium fructus beneficiorum, etiam anticipata solutione. § 6. Necnon omnes et singulos fructus, redditus et proventus mensarum suarum patriarchalium, archiepiscopalium et episcopalium et quorumcumque monasteriorum et beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, per eos, ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis, in titulum et commendam aut alias pro tempore obtentorum, quibusvis personis, etiam laicis, cum quibus suam et mensarum ac monasteriorum beneficiorumque praedictorum conditionem efficere potuerint meliorem, usque ad biennium a die arrendationis desuper ab eis vel suis procuratoribus faciendae computandum, pro pretio seu pretiis, de quo vel quibus eis vel procuratoribus suis videbitur, arrendare, seu ad firmam vel annuam pensionem concedere; ac pretium seu pretia huiusmodi, etiam unico contextu et anticipata solutione, in pecunia numerata recipere et

1 *Ficto*, Cherub. (R. T.). 2 De quo vide sup. Pauli III const. xxx. 3 Hoc revocavit et declaravit Concilium Trid., sess. xxiv, *De Reform.*, cap. 3.

habere, ac de habitis et receptis solventes quietare et liberare. Necnon fructus, redditus et proventus huiusmodi, ac se et suos in ecclesiis, monasteriis et beneficiis praedictis successores quoscumque, ad arrendationis huiusmodi sic faciendae observationem pro dicto biennio, cum clausulis et obligationibus in talibus apponi solitis, obligare possint; dictaeque personae fructus, redditus et proventus praedictos ad firmam seu annuam responsionem pro dicto biennio recipere et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere libere et licite valeant.

Indultum disponendi de bonis, eorum quomodolibet acquisitis ex beneficiis beneficiorum, pro remuneratione famulorum, etiam ad favorem incapacium 1.

§ 7. Necnon ut de bonis suis mobilibus et immobilibus ac semoventibus, ab eisdem patriarchis, archiepiscopis et episcopis, tam per praedictas et alias ecclesias, monasteria et beneficia ecclesiastica, qualitercumque qualificata, per eos ex quibusvis dispensationibus apostolicis quomodolibet obtenta et obtinenda; necnon ex ingenio, industria ac labore suis et alias quomodolibet licite acquisitis et acquirendis, usque ad summam duorum millium ducatorum auri in auro, in quaslibet, etiam a iure interdictas et reprobatas personas, tam inter vivos quam causa mortis, pro libito eorum voluntatis, aut pro remuneratione laborum eorum, qui eis viventibus inservierint, sive sint consanguinei sive alii, et alias in pios et non pios, alias tamen licitos, usus, disponere et erogare libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis, de speciali gratia indulgemus.

Indultum remissionis fructuum male perceptor. et omnis infamiae et censurae.

§ 8. Necnon eis et eorum cuilibet omnes et singulos fructus, redditus et proventus per eos, ex horarum omissione, et indebita possessionis beneficiorum apprehensione, seu cuiuscumque criminis, a iure vel ab homine, aut quavis alia, quantumcumque inexcogitabili causa, indebite perceptos, etiam in utroque foro, remittimus, eosque ab eorum restitutione liberamus. Necnon a quibusvis propterea quomodolibet forsan incursis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis absolvimus et liberamus, ac absolutos et liberatos fore nunciamus, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam, ex praemissis quomodolibet provenientem, ab eis et eorum quolibet penitus abolemus.

Inhibitio contra gabellarios.

§ 9. Districtius inhibentes quibusvis gabellarum, pedagiorum et onerum huiusmodi exactoribus ne eosdem patriarchas, archiepiscopos et episcopos vel eorum aliquem contra praesentium tenorem quoquo modo molestare vel inquietare praesumant.

Arrendationes pro dicto biennio praeiudicant successoribus.

§ 10. Ac decernentes quod, si contingat eosdem patriarchas, archiepiscopos et episcopos dicto durante biennio decedere, aut regimini et administrationi suarum ecclesiarum cedere, ac monasteria et beneficia huiusmodi alias quomodolibet dimittere, nihilominus fructus, redditus et proventus praedictos pro dicto biennio obligatos remanere, et suos in ecclesiis et monasteriis ac beneficiis huiusmodi successores ad observationem earumdem arrendationum teneri, ac si se ad id personaliter obligassent.

Praedicta eorum testamenta valeant.

§ 11. Necnon testamenta et dispositiones huiusmodi plenam roboris firmitatem obtinere et firmiter observari debere.

Indultum creandi notarios et milites deauratos.

§ 12. Praeterea quod patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac eorum cuilibet milites et equites deauratos octo ac, ad instar Sacri Palatii et Aulae Lateranensis comitum, quoscumque notarios et tabelliones publicos ac iudices ordinarios extra Romanam Curiam creandi et instituendi; ac eisdem militibus solita equitum deauratorum insignia concedendi; ipsosque notarios et tabelliones de notariatus et tabellionatus et iudicatus offi-

1 Hoc ultimum revocavit Pius V.

ciis huiusmodi per pennam et calamare, ut moris est, investiendi.

Legitimandique bastardos 1,

§ 13. Necnon quoscumque utriusque sexus spurios, manseres, bastardos aliosque ex quocumque illicito et damnato coitu pro tempore procreatos, viventibus seu mortuis eorum parentibus, disiunctive seu copulative, ita ut ad paternas et alias successiones quorumcumque admitti, et in illis, sine praeiudicio illorum qui ab intestato succedere debeant; et ad quaecumque officia publica et privata admitti, illaque gerere et exercere possint, perinde ac si de legitimo toro procreati fuissent, legitimandi, ac omnem ab eis geniturae maculam abolendi, necnon eos ad primaeva naturae iura restituendi et reponendi.

Doctoresque creandi 2,

§ 14. Ac quoscumque idoneos, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus dumtaxat doctoribus seu magistris in facultate in qua promovendi erunt, quos duxerint eligendos, in utroque vel altero iurium, ac theologia et artibus, necnon medicina, ac baccalariatus, licentiaturae vel doctoratus ac magisterii gradibus respective, cum solita insigniorum in talibus tradi solitorum exhibitione, promovendi, et sic promotis, quod omnibus et singulis libertatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus alii baccalarii, licentiati, doctores et magistri in utroque seu altero iurium ac theologia vel medicina huiusmodi in Universitatibus Studiorum generalium promoti, de iure vel consuetudine, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere possint, concedendi.

Sacros ordines extra tempora conferendi 3,

§ 15. Necnon quoscumque, ad omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines promoveri cupientes, alias idoneos, a suis ordinariis literas dimissorias seu ab eadem Sede licentiam habentes, ad omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines huiusmodi, etiam extra tempora a iure statuta, ac etiam extra eorum dioecesim, de consensu tamen dioecesanorum, et alias rite promovendi et dictos ordines eis conferendi.

Contra quoscumque criminosos, etiam exemptos, in sua dioecesi procedendi,

§ 16. Necnon per se vel alium seu alios, contra omnes et singulos criminosos et qualitercumque delinquentes suarum civitatum et dioecesum, cuiuscumque dignitatis fuerint, etiam exemptos, inquirendi; ac eos, iuxta eorum demerita, ac criminum et excessuum qualitatem et exigentiam, prout canonicae mandant sanctiones, puniendi; ac super his etiam, quandocumque opportunum cognoverint, auxilium brachii saecularis invocandi.

Ecclesias suarum dioecesum, etiam exemptas, visitandi.

§ 17. Necnon ecclesias quascumque in eorum dioecesibus consistentes, etiam exemptas ecclesias, visitandi; et ut quae reparatione indigent, reparentur, et animarum cura, si illis immineat, aliisque debitis obsequiis non defraudentur, omnibus iuris et facti remediis, providendi.

Causas quascumque, etiam criminales, citra irregularitatem, cognoscendi.

§ 18. Necnon, cum uno assessore seu iudice, quascumque causas, etiam criminales, cuiuscumque qualitatis existant, audiendi, et absolvendi vel condemnandi, prout iustitia suadebit, et secundum Deum ac salutem animae suae cognoverint expedire, ita quod propterea nullam penitus irregularitatem aut inhabilitatem vel infamiae maculam sive notam aut alias censuras seu poenas incurrant aut incurrere censeantur.

Indultum circa resignationes et permutat. beneficiorum.

§ 19. Necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, per eos, ex quibusvis dispensationibus et concessionibus apostolicis, in titulum vel commendam aut etiam invicem, vel aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum vitam, unita, per eos et eorum quemlibet nunc et pro tempore obtenta, simul vel successive, simpliciter, aut pro alio seu aliis,

1 Revocavit Pius IV. 2 Revocavit Pius V. 3 Tu attende Concilium Tridentinum.

simili vel dissimili, aut similibus vel dissimilibus, beneficio seu beneficiis, ecclesiastico vel ecclesiasticis, cum quibusvis personis secum permutare volentibus, ex causa permutationis huiusmodi (in qua tamen nulla illicita pactio seu simoniaca pravitas interveniat), in quorumcumque ordinariorum locorum aut canonicorum metropolitanarum vel aliarum cathedralium ecclesiarum, seu aliarum personarum in dignitate ecclesiastica constitutarum, ad id per eos eligendarum, manibus, extra dictam Curiam, praefatae Sedis aut cuiusvis alterius licentia minime requisita, resignandi, et commendis cedendi, ac unionum huiusmodi dissolutioni consentiendi; ipsisque ordinariis et canonicis ac personis in dignitate ecclesiastica constitutis resignationes, simpliciter vel ex causa permutationis, ac commendarum cessiones, extra dictam curiam recipiendi et admittendi, uniones huiusmodi dissolvendi. Necnon illa, quae simpliciter ipsi resignaverint, aut quorum commendae cesserint, vel unionum huiusmodi dissolutioni consenserint, idoneae seu idoneis personis per eos nominendis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus; quae vero ex causa permutationis ipsis compermutantibus personis, et quae dictae compermutantes personae resignaverint beneficia huiusmodi, etiam si, ut praefertur, qualificata et per eos pro tempore quomodolibet obtenta, ex quavis causa dispositioni apostolicae generaliter reservata seu affecta fuerint, eisdem patriarchis, archiepiscopis et episcopis per eos, quoad vixerint, etiam una cum ecclesiis, quibus præesse dignoscuntur, ac quibusvis monasteriis et beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, per eos, ex quibusvis similibus dispensationibus et concessionibus apostolicis, in titulum et commendam ac alias tunc et pro tempore obtentis, iuxta tenorem dispensationum apostolicarum eis desuper concessarum, in titulum vel commendam retinendi, conferendi, et de illis etiam providendi, omniaque et singula alia, in praemissis omnibus et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, faciendi et exequendi, etiam si ipsi patriarchae, archiepiscopi et episcopi, tempore resignationum seu cessionum aut praestationis consensus dissolutionum unionum huiusmodi, in aliqua infirmitate, ex qua eos postmodum infra viginti dies decedere contingat, constituti fuerint, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus.

Indultum per quinquennium a visitandis liminibus apostolorum 1.

§ 20. Et insuper eisdem patriarchis, archiepiscopis et episcopis et eorum singulis, quod, postquam a dicta Curia se absentaverint usque ad quinquennium ex tunc computandum, limina beatorum Petri et Pauli apostolorum (dummodo per procuratorem idoneum illa visitent) personaliter visitare minime teneantur, nec ad id e quoquam inviti compelli, aut propterea periurii reatum incurrere possint.

Confessoremque eligendi 2

§ 21. Necnon quod aliquem presbyterum saecularem vel cuiusvis Ordinis regularem in eorum confessorem, qui eos a quibusvis, etiam maioris excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa pro tempore latis, et quibus etiam pro tempore irretiti fuerint, etiam si illorum absolutio Sedi praedictae specialiter vel generaliter reservata fuerit; ac quorumque votorum et iuramentorum, necnon Ecclesiae praeceptorum transgressionibus, ieiuniorum, poenitentiarum iniunctarum et divinorum officiorum in toto vel in parte omissioni-

1 Hoc revocavit Sixtus V. 2 Quod declarat mox infra. Imo revocavit confessionalia Pius IV.

bus et quibusvis aliis peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus, de quibus esset Sedes praedicta merito consulenda, videlicet in casibus dictae Sedi qualitercumque reservatis (exceptis contentis in bulla, in die Coenae Domini legi consueta), semel dumtaxat singulis annis, et etiam in dictis exceptis ac in bulla huiusmodi contentis, in vero mortis articulo; in aliis vero eidem Sedi non reservatis casibus, quoties opportunum fuerit, confessionibus eorum diligenter auditis, absolvere, ac eis pro commissis poenitentiam salutarem iniungere: necnon vota quaecumque, quatuor maioribus dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare; et iuramenta, sine tamen tertii praeiudicio, relaxare; ac omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et confessi fuerint, ter in vita et in mortis articulo, etiam si tunc mors non subsequatur, plenariam remissionem et absolutionem, ita ut huiusmodi plena remissio in dicto mortis articulo eis suffragetur, auctoritate apostolica, impendere possit, eligere libere et licite valeant concedimus et indulgemus.

Clausula praeservativa.

§ 22. Ac praesentes literas et in eis contenta quaecumque, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus et Cancellariae Apostolicae regulis, ex quibusvis causis, quantumcumque maximis et urgentissimis, etiam in favorem fidei et pro divini cultus augmento, etiam consistorialiter, nunc et pro tempore factis et editis, nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, et quotiens illae emanabunt, totiens in pristinum statum restitutas existere et censeri; ipsosque patriarchas, archiepiscopos et episcopos praemissis omnibus, etiam eorum a dicta Curia absentia, etiam postquam assistentes esse desierint, uti, potiri et gaudere posse.

Decretum irritans.

§ 23. Sicque in praemissis omnibus per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Executores istius constitutionis.

§ 24. Quocirca venerabilibus fratribus Salutiarum et Albiganensi ac Balneoregiensi episcopis per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum praedictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes literas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari. Non permittentes eos desuper per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, contra praemissa seu eorum aliquod quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas et alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 25. Non obstantibus nostra, per quam, inter alia, voluimus quod si quis in infirmitate constitutus resignaret aliquod beneficium ecclesiasticum, et postea infra viginti dies [1] per ipsum resignantem praestandi consensus computandos, ex ipsa infirmitate decederet, ac beneficium ipsum conferretur, per resignationem sic factam collatio huiusmodi nulla esset, ipsumque

1 *A die* addit Cherub. (R. T.).

beneficium nihilominus per obitum vacare censeretur; ac felicis recordationis Gregorii X et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum; ac quibusvis aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus ac legibus imperialibus; necnon civitatum et locorum quorumcumque, etiam municipalibus, ac praedictarum et aliarum ecclesiarum, in quibus saecularia, ac monasteriorum seu aliorum regularium locorum, in quibus [1] ipsa regularia beneficia dependere contigerit, et Ordinum, quorum illa extiterint, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibusvis Universitatibus, etiam Studiorum generalium, et scriptoribus archivii dictae Curiæ et aliis collegiis, etiam motu et scientia similibus, ac quavis, etiam imperiali vel regia, consideratione, et ex quibusvis causis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, clausulis, irritantibusque et aliis decretis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, etiam disponentibus quod naturales et bastardi legitimari non possint, nisi de consensu legitimorum et naturalium; et quod nullus ad baccalariatus, licentiaturae et doctoratus ac magisterii gradus, alibi quam in Universitate in qua studuerit, promoveri possit, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, et sufficienter derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Declaratio circa confessionale supradictum.

§ 26. Volumus autem quod dicti patriarchae, archiepiscopi et episcopi poenitentiam per confessorem, quem singuli eorum duxerint eligendum, eis pro praemissis iniungendam, adimplere omnino teneantur. Et ne, quod absit, dicti patriarchae, archiepiscopi et episcopi, propter huiusmodi gratiam vel concessionem eligendi confessorem, reddantur procliviores ad illicita in posterum committenda, etiam volumus quod si patriarchae, archiepiscopi et episcopi praefati a sinceritate fidei et unitate dictae Romanae Ecclesiae ac obedientia et devotione nostra et successorum nostrorum canonice intrantium destiterint, aut, ex confidentia eiusdem concessionis vel remissionis, aliqua forsan commiserint, concessio et remissio praedictae et, quoad illa, præsentes literae eis nullatenus suffragentur.

Declaratio circa beneficia.

§ 27. Quodque si singulorum beneficiorum praedictorum simpliciter resignatorum fructus, redditus et proventus vigintiquatuor florenorum auri de Camera, secundum communem extimationem, va-

[1] Cherub., *in quibus regularia beneficia huiusmodi forsan fuerint, seu a quibus ipsa regularia* etc. (R. T.).

lorem annuum excedant, tam conferentes quam illi, quibus ipsae collationes fient, etsi ex causa permutationis et resignationis huiusmodi fiant, ac suorum et eis ex eadem causa collatorum beneficiorum huiusmodi fructus, redditus et proventus inaequales fuerint, id, etiamsi ipsa inaequalitas viginti quatuor florenos similes, secundum extimationem praedictam, non transcendant; similiter conferentes praedicti et illi, quibus beneficia maioris valoris huiusmodi collata fuerint, de nominibus et cognominibus personarum et beneficiorum eorumdem, ac diebus factarum collationum huiusmodi agentes Camerae Apostolicae aut collectores vel subcollectores fructuum, redditiuum et proventuum inde Camerae debitorum, in partibus illis pro tempore deputatos, infra unum, si citra; vel si ultra montes collationes ipsae factae fuerint, infra tres menses, iuxta quasdam recolendae memoriae Sixti etiam IV et Innocentii similiter VIII, Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum, super hoc editas literas, certificare procurent, alioquin beneficia ipsa sic collata vacare censeantur eo ipso.

Fides transumptorum. § 28. Ceterum, quia difficile foret *etc.*

Forma autem iuramenti quod notarii, tabelliones et iudices, per dictos patriarchas, archiepiscopos et episcopos et eorum quemlibet creandi, praestabunt, talis est:

Forma iuramenti. § 29. Ego N. ab hoc antea fidelis et obediens ero Beato Petro et sanctae Romanae Ecclesiae ac domino nostro domino Papae N. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio cum alio, auxilio, consensu vel facto ut vitam perdant vel membrum, aut capiantur mala captione; consilium vero quod mihi per se vel literas aut nuncium manifestabunt, ad eorum damnum, scienter nemini pandam; si vero ad meam notitiam aliquid devenire contingat, quod in periculum Romani Pontificis aut Romanae Ecclesiae vergeret, seu grave damnum illi immineret, illud pro posse meo impediam; et si hoc impedire non potero, procurabo bona fide id ad notitiam D. N. Papae perferri. Papatum Romanum et regalia Sancti Petri ac iura ipsius ecclesiae specialiter, si qua eadem ecclesia in civitate vel terra, de qua oriundus sum, habeat, adiutor eis ero ad defendendum et retinendum, seu etiam recuperandum contra omnes homines. Tabellionatus officium fideliter exercebo. Contractus, in quibus exigetur consensus partium, fideliter faciam, nil addendo vel imminuendo, sine voluntate partium, quod substantiam contractus immutet. Si vero, in conficiendo aliquod instrumentum, unius solius partis sit requirenda voluntas, hoc ipsum faciam, ut scilicet nil addam vel minuam quod mutet facti substantism; contra ipsius voluntatem instrumentum non conficiam de aliquo contractu, in quo sciam intervenire seu intercedere vim vel fraudem. Contractus in protocollum redigam, et postquam in protocollum redegero, malitiose non differam, contra voluntatem illius vel illorum, cuius seu quorum est contractus, super eo conficere publicum instrumentum, salvo meo iusto et consueto salario. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI aprilis MDLI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 aprilis 1551, pontif. anno II.

XV.

Visitatores carcerum almae Urbis pauperibus carceratis dilationes dare, sed ad eorum fideiussores extendere non possint [1].

Iulius Papa III, motu proprio, etc.

Causae huius constitutionis. Cum nuper, ex rationabilibus causis, quibuscumque Rom. Curiae iudicibus et

[1] Facultates istorum visitatorum tradit Paulus III in constitutione LXII, *Ad onus*, sup., pag. 544; et de hac materia notavi sup. in Clementis VII constitutione XVI, *Cum ex multorum*, pag. 97.

aliis personis, quacumque dignitate et auctoritate fungentibus, ne aliquas moratorias, dilationes aut salvos conductus seu significationes, vel quovis alio nomine nuncupatas gratias, concedere, quovis praetextu vel occasione, audeant, et sub excommunicationis latae sententiae poena, praeceperimus; verum quod carcerum visitatores miserabilibus personis carceratis dumtaxat, si eis ex relatione iudicis, ad cuius instantiam carceratae fuerunt, suis creditoribus satisfacere non posse constiterit, postquam carcerem per aliquod notabile temporis spatium sustinuerint, aliquam moderatam dilationem eorum arbitrio, sub cautione de se repraesentando et non alias concedere possint, voluerimus, prout in motu proprio desuper, manu nostra signato primo et deinde innovato, latius continetur. Et quandoque, ut accepimus, praefati visitatores dilationes, per eos carceratis pauperibus huiusmodi concessas, etiam illorum fideiussoribus suffragare debere decreverint, quod quidem valde absurdum et inconveniens videtur, cum non ob aliud fideiussores accipiantur, nisi ut, si principalis debitor tempore convento solvere nequeat, illi persolvant, convenientiusque sit ut illi, qui pro debitore promiserunt, eum expectent, quam creditor, qui ipsorum fideiussorum fidem est secutus, aliter debitori non crediturus.

Declaratio, (de qua in rubrica).

§ 1. Idcirco nos, motu simili et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, motum proprium nostrum praedictum iterum, si opus sit, innovando illique addendo, apostolica auctoritate eisdem visitatoribus carcerum, ut dilationes huiusmodi non nisi carceratis dumtaxat, ac modo et forma praemissis servatis, concedant, neque illas aliquo modo ad eorumdem carceratorum fideiussores extendant, aut illis suffragari quovis modo decernant, praecipimus et mandamus.

Annullatio aliter gestorum.

§ 2. Et si aliqua decreta per eos in favorem aliquorum, qui carcerati non fuerint, seu etiam carceratorum, contra formam praedictam, aut eorum fideiussorum, aut quosvis alios, praeter et contra intentionem nostram, fieri forsan contigerit, illa nulla, invalida et irrita esse, et nemini suffragari debere.

Deputatio executorum.

§ 3. Ac illis non obstantibus sed penitus reiectis, dilectum filium nostrum et Curiæ causarum Camerae Apostolicae generalem auditorem et alios Romanae Curiae iudices, ad executionem contra eos, in quorum favorem facta extiterint, omnes et singulos, ac si illa nullatenus emanassent, procedere posse et debere decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Placet, motu proprio. I.

XVI.

Cursores Papae et mandatarii aliarum curiarum almae Urbis, in quibus causis citare, intimare etc. possint [1].

Iulius Papa III, motu proprio, etc.

Exordium.

Cum ea firmius illibata persistant, quæ frequentiori sunt apostolico praesidio pro tempore stabilita.

Confirmatio const. indicatarum in nota.

§ 1. Nos singulas praeinsertas ac desuper respective confectas et conficiendas literas, ac, prout illas concernunt, omnia et singula in eis contenta et inde secuta quaecumque, ex certa scientia nostra, auctoritate apostolica, tenore praesentium, cum opportuna, si opus sit, iuris et facti,

1 Ad hoc habes Alexandri VI et Iulii II et Clementis VII constitutiones relatas supra in eiusdem Clementis constitutione xxviii, *Accepimus*, pag. 119; et quod mandatarii possint citare in causis Capitolinis, exceptis per commissiones a principio in illo foro commissis, declarat statutum Urbis, cap. 31 in novis.

ac quarumcumque solemnitatum, etiam requisitarum, forsan omissarum defectuum suppletione, approbamus, confirmamus et innovamus, ac inviolabiliter observari, necnon modernis et pro tempore existentibus nostris et eiusdem Romani Pontificis cursoribus suffragari; eosque illis omnibus uti et gaudere, nec desuper per quoscumque, quavis auctoritate, praeeminentia aut superioritate fungentes, molestari, perturbari, impediri aut inquietari vel eis in aliquo praeiudicari; sicque per quoscumque iudices *etc.*, sublata *etc.*; irritum quoque *etc.* decernimus.

Innovatio earumdem.

§ 2. Necnon, prout illis concessa sunt, in omnibus et per omnia de novo concedimus.

Cursores tantum citent in causis commissariis, etiam a principio ordinariis, non Capitolinis.

§ 3. Insuper ut de cetero, perpetuis futuris temporibus, in quibusvis causis, tam Capitolii et Ripae ac Ripettae, necnon Turris Nonae et de Sabellis ac Burgi Sancti Petri, quam quibusvis aliis almae Urbis curiis sive tribunalibus, in quibus commissiones aliquas, manu vel de mandato nostro signatas, praesentari contigerit, etiam si causae ipsae ordinarie inchoatae extiterint, post ipsarum commissionum praesentationem, citationes et alia quae inde sequentur per alios quam eosdem cursores fieri non possint, neque valeant. Sed dicti cursores citationes et alia quae inde sequentur, in ipsis curiis et earum qualibet, etiam si causae, in et pro quibus citationes et alia fieri contigerit, commissariae non fuerint, ad partium, pro quibus citationes et alia huiusmodi fient, instantiam, facere et exequi possint et valeant. Et solummodo mandatariis dictarum praenominatarum curiarum in causis ordinariis in tribunalibus ipsarum curiarum praenominatarum, quarum mandatarii existunt, tantum citationes faciendi potestas remaneat, statuimus et ordinamus.

Prohibitio aliter faciendi et contraven. poenae.

§ 4. Districtius inhibendo quibusvis dictarum curiarum et cuiuslibet ipsarum mandatariis et notariis ac aliis personis, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis maioris sententia, a qua, nonnisi per nos, absolvi possint, ac privationis officiorum et beneficiorum, si quae obtinent, inhabilitatisque ad illa et alia in posterum obtinenda poenis, ne statuto et ordinationi nostris huiusmodi in aliquo contravenire quomodolibet audeant vel praesumant. Ac decernentes citationes per alios quam praefatos cursores, in causis ipsis commissariis, etiam si a principio ordinarie inchoatae fuerint, de cetero in dictis et aliis quibuscumque tribunalibus et in quavis instantia faciendas, et processus et actus quoscumque illarum vigore formandos, nullos, inanes et invalidos nulliusque roboris et momenti fore; sicque per quoscumque *etc.*

Executorum deputatio.

§ 5. Mandantes causarum Camerae Apostolicae generali auditori, gubernatori ac senatori, modernis et pro tempore existentibus, ut praemissa omnia et singula perpetuo, sub praefatis et quibusvis aliis censuris et poenis eorum arbitrio moderandis et applicandis, perpetuo inviolabiliter observari faciant.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus quibusvis literis felicis recordationis Pauli, praedecessoris nostri, ac quibusvis reformationibus ac aliis dictarum curiarum statutis *etc.*, stabilimentis, usibus et naturis, etiam iuramento *etc.* roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, illi et praefato senatori ac populo Romano et illius conservatoribus, ac mechanicarum et aliarum artium ac mercatorum Urbis consulibus, necnon basilicarum et aliarum ecclesiarum Urbis archipresbyteris et canonicis, aliisque personis, etiam motu simili *etc.*, in praeiudicium seu contra formam praemissorum, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, etiam per nos, quomodolibet concessis *etc.*, quibus omnibus et singulis *etc.*,

etiam si de illis *etc.*, tenores *etc.*, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et ad plenum derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Placet, motu proprio. I.

Sepelitio clausularum

§ 7. Et cum absolutione a censuris, ad effectum *etc.* Et cum approbatione, confirmatione, innovatione, nova concessione, decreto, statuto, ordinatione, derogatione et aliis, de et pro omnibus supradictis, quae hic pro sufficienter repetitis habeantur, latissime extendendis. Cum opportuno decreto, quod praesens motus proprius de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae defectu notari seu impugnari nullatenus possit: sed illi stari, et secundum huiusmodi motum proprium nostrum iudicari et interpretari et definiri debeat.

Sola signatura sufficit.

§ 8. Et quod sola praesentis [1] signatura nostra sufficiat, et ubique fidem faciat, in iudicio et extra, quacumque regula contraria non obstante.

Exemplorum fides

§ 9. Ac illius tsansumptis, manu alicuius notarii Curiae causarum dictae Camerae subscriptis et sigillo ipsius Curiae auditoris munitis, in iudicio et extra, stari debeat, ac plenaria fides adhibeatur. Ac cum decreto quod praesentium aut illius transumptis copiae, affixae in valvis curiarum praefatarum aut aliorum locorum publicorum, perinde arctent et afficiant, ac si personaliter intimatae forent.

Declaratio pro mandatariis.

§ 10. Et de confirmatione, decreto, statuto, inhibitione et aliis praemissis, remanente mandatariorum Curiae Capitolii tantum exercitio quoad causas ordinarias, etiamsi in eis postmodum aliquas commissiones praesentari contingat.

Datum Romae, apud S. Petrum, VI idus iulii, anno secundo.

Dat. die 10 iulii 1551, pontif. anno II.

1 *Praesens*, Cherub. (n. T.)

XVII.

Declaratio et extensio auctoritatis collegii fabricae basilicae Sancti Petri de Urbe in exequendis donationibus inter vivos, ad pias causas factis et fiendis, et in applicanda quinta earum parte dictae fabricae [1].

Iulius Papa III dilectis filiis oeconomo et praefecto fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa huius constitutionis.

Accepimus vos, in prosecutione exactionis relictorum ad pias causas factorum et aliorum, fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe per felicis recordationis Iulium II, Leonem X, Hadrianum VI, Clementem VII et Paulum III, Romanos Pontifices praedecessores nostros, applicatorum et per nos confirmatorum, multas etiam invenisse donationes inter vivos factas, in quibus nonnulli introitus, census, redditus, proventus, stabilia et mobilia bona ac res aliae diversis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, locis et personis piis et pro donatorum seu aliorum animabus donata et pie elargita reperiuntur, quae adhuc inexecuta et non satisfacta remanent; quodque tam haeredes et fideicommissarii dictorum [2] et aliae personae, quae ad huiusmodi bonorum satisfactionem de iure tenentur, commissioni vobis factae conantur opponere et contraire, sub praetextu quod iurisdictio vobis per praedecessores praefatos et nos super huiusmodi relictorum exactione concessa, ad donationes inter vivos factas minime se extendit, et ita pias donatorum praefatorum dispositiones violare nituntur.

Declaratio sive extensio societatis collegii fabricae, in exe-

§ 1. Nos igitur, ut par est, in praemissis opportune providere volentes, ad tollendas omnes dubietates, exceptiones et

1 Alia de materia huius collegii et fabricae indicavi tibi in constitutione III Clementis VII, *Admonet*, sup., pag. 48. 2 Cherub addit *donatorum* (n. T.).

quendis donationibus inter vivos ad pias causas factis et quinta parte fabricae applicanda.

oppositiones, per praesentes declaramus nostrae intentionis fuisse et esse ut donationes inter vivos et ad pias causas tantum factae et quae pro tempore fieri contigerit, per vos et a vobis pro tempore substitutos exequerentur; et quinta pars bonorum et rerum in eis donatarum, ad opus dictae fabricae converteretur; et quatenus opus sit, vobis et substitutis praefatis, tenore praesentium, de novo, ut omnes et quascumque donationes inter vivos, in quibus aliqua bona (quae ac donationum huiusmodi tenores hic pro expressis haberi volumus) ad pias causas a donatoribus donata et elargita fore reperietis, viis et remediis in vestris commissionibus a nobis et praedecessoribus praefatis concessis et confirmatis, exequi, et quintam partem bonorum huiusmodi ad usum dictae fabricae applicare possitis et valeatis, de speciali gratia concedimus et indulgemus, ac donatorum huiusmodi voluntates, quoad quintam partem praefatam, commutamus.

Clausula sublata.

§ 2. Et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque indices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales et causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere. Et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae dicti praedecessores et nos in singulis eorum et nostris commissionibus huiusmodi ac illarum confirmationibus voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 4. Verum, quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca, ubi opus foret, deferri, volumus ut earum transumptis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius praelati ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio et extra, quae adhiberetur praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultima iulii, millesimo quingentesimo quinquagesimoprimo, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 31 iulii 1551, pontif. anno II.

XVIII.

Lusitaniae reges perpetui militiae Avisiensis administratores et magistri constituuntur [1].

Iulius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ioannis Lusitanorum regis eiusque praedecessorum erga Sedem Apostolicam fides et singularis devotio.

§ 1. Praeclara charissimi in Christo filii nostri Ioannis Portugalliae et Algarbiorum regis illustris et suorum in Portugalliae et Algarbiorum huiusmodi regnis praedecessorum erga hanc Sanctam Sedem merita, necnon sincera fides et singularis devotio, quibus idem Ioannes rex in nostro et dictae Sedis conspectu clarere dignoscitur, promerentur et nos quodammodo compellunt ut illa praedicto Ioanni et pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum regi favorabiliter concedamus, per quae dissensionibus et odiis, quae inter personas regnorum huiusmodi exoriri possent. occurratur, ac eorumdem regnorum quieti et tranquillitati consulatur.

Avisiensis Ordo multis oppidis, castellis etc. a regibus et christifidel. donatus.

§ 2. Dudum siquidem S. Iacobi de Spatha, sub S. Augustini, et de Avis, sub S. Benedicti regulis, in dictis regnis militiarum magistratibus, per obitum quondam Georgii, olim ipsarum militiarum magistri seu administratoris, extra Romanam Curiam

[1] Ex Henriquez Regul Ord Cisterc. p. 516.

defuncti, seu alias certo modo vacantibus, nos, considerantes magistratus praedictos diversa castra, terras, villas, loca et arces, eis a clarae memoriae Portugalliae regibus et aliis saecularibus personis ut plurimum donata, in quibus magistratus ipsos pro tempore obtinentes iurisdictionem exercent, et plurium praeceptoriarum pinguissimis redditibus dotatarum collationem habere: et propterea, tam pro iustitia in castris, villis, terris et locis eisdem perfecte administranda; ac arcibus praedictis, ad regna praedicta ab infidelibus et perversorum conatibus defendendum, ac in pacis dulcedine conservandum, diligenter et fideliter custodiendis; necnon praeceptoriis ipsis personis benemeritis, praesertim contra christiani nominis hostes dimicantibus, plurimum expedire ut magistratus praedicti personae regibus ipsis et illorum incolis gratae et acceptae, per quam, nedum in iuribus suis conservari, verum etiam adaugeri possent, committerentur; ac sperantes quod dictus Ioannes rex, qui iustitiae zelator et orthodoxae fidei acerrimus defensor eatenus fuerat et tunc existebat, ac christiani nominis hostes, tam in Africa quam in partibus Indiae Orientalis et Ethiopiæ, continuis bellis, cum intolerabilibus expensis, lacessere non desinebat, et incolas inibi commorantes ad veri luminis cognitionem reducere magnopere studebat, magistratus ipsos, prout militiam Iesu Christi, Cisterciensis Ordinis, cuius idem Ioannes rex administrator perpetuus per Sedem praedictam deputatus existebat, eatenus laudabiliter et prudenter rexerat, feliciter et tranquille gubernarat, illis posset esse utilis plurimum et etiam fructuosus.

Ioannis regis praeclara gesta in Africa et aliis orientalib. partibus pro religione christiana dilatanda.

§ 3. Ac volentes eidem Ioanni regi, ut expensarum onera, quae in gerendis bellis praedictis subire tenebatur, facilius perferre valeret, de alicuius subventionis auxilio providere, motu proprio, eumdem Ioannem regem, quoad viveret, administratorem perpetuum et irrevocabilem magistratuum militiarum Sancti Iacobi et de Avis huiusmodi, iuriumque, rerum et pertinentiarum suarum omnium, etiam una cum magistratu militiae Iesu Christi, cum plena et libera facultate, auctoritate et potestate, omnia et singula, quae magistri militiarum S. Iacobi et de Avis huiusmodi, qui pro tempore fuerant, facere et exercere potuerant, etiamsi habitum, per fratres milites dictarum militiarum gestari solitum, nunquam susciperet, nec professionem, per eos emitti solitam, emitteret, faciendi et exercendi, auctoritate apostolica constituimus et deputavimus, curam, regimen et administrationem magistratuum S. Iacobi et de Avis ac castrorum et aliorum praedictorum sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur.

Eorum intuitu praedictus rex perpetuus Ordinis Avisiensis administrat. instituitur.

§ 4. Cum autem postmodum intra mentis nostrae arcana saepius revolverimus singulas militias praedictas ad hoc institutas fuisse ut contra hostes et inimicos fidei huiusmodi firma quaedam praesidia essent, eorumque fratres et milites pro tempore existentes infidelium eorumdem expugnationi, ac terrarum ab eis occupatarum recuperationi iugiter vacarent; et a plurimis annis citra, prout tam dilecti filii Alphonsi de Alencastro, praeceptoris maioris eiusdem militiae Iesu Christi, et ipsius Ioannis regis consobrini, et apud nos ac dictam Sedem oratoris, quam aliarum fide dignarum personarum relatione percepimus, praedictus Ioannes rex, clarae memoriae Emmanuelis Portugalliae et Algarbiorum regis genitoris sui et aliorum praedecessorum suorum praedictorum vestigiis inhaerendo, ad divini nominis exaltationem, christianaeque fidei propagationem, in eripiendis e manibus ipsorum infidelium diversis provinciis, terris et locis,

Variae provinciae et amplissimae regiones Christi Evangelium Lusitanorum opera amplectuntur

et aliis iam ereptis conservandis, necnon bello contra eosdem infideles, tam terra quam mari, gerendo, gravissimos labores et expensas sustinuerit; et tam in Indiarum quam in Africae et Ethiopiae ac Brasiliæ partibus nonnullas civitates, insulas, oppida et loca e manibus infidelium huiusmodi eripuerit, eaque, inibi christifideles introduci et nomen Domini praedicari faciendo, ad regimen sanctae Matris Ecclesiae adduci procuraverit; et ad hoc non solum vi et armis, sed nonnullarum ad hoc ab eo deputatarum excellentis doctrinae et approbatae vitae personarum opera continue utatur, et propterea Septensem et Tingensem civitates, et oppidum de Mazzagam in Africae, necnon Goam ac alias terras et loca in Indiarum partibus, per eum et eius praedecessores praedictos e manibus ipsorum infidelium, non sine magna sanguinis effusione, erepta, ad reipublicae christianae commodum et universalis Ecclesiae exaltationem, possideat; et ut mortalium animas Deo efficacius lucrifaciat, in civitatibus, insulis, terris et locis huiusmodi quamplura monasteria, ecclesias, hospitalia et collegia, ad devotionis inibi habitantium excitationem, erigi, ac in illis ministros ecclesiasticos introduci fecerit; necnon incolis et habitatoribus civitatum, terrarum et locorum huiusmodi, mediantibus diversis egregiis et fidelibus verbi Dei concionatoribus, ut sacrum Christi Evangelium amplecterentur, et sub nostra et eiusdem Sedis obedientia et protectione degerent adeo efficaciter persuaserit, ut eorum infinitus fere numerus sacro Baptismatis fonte renasci voluerit; spereturque verisimiliter quod idem Ioannes rex, ad quem spectat bella ipsa contra infideles praedictos, tam terra quam mari, et tam offendendo quam defendendo, movere, ac successores sui, Portugalliae et Algarbiorum reges pro tempore existentes, divina eis assistente gratia, similia et alia longe maiora in dies, pro tuitione et augmento christianae religionis, facturi sint.

§ 5. Nos, attendentes quod, si magistratus militiarum huiusmodi, qui aliquando per Romanos Pontifices praedecessores nostros regibus Portugalliae et Algarbiorum huiusmodi seu eorum primogenitis aut aliis natis, Infantibus nuncupatis, sive propinquis in administrationem, dum expediens visum fuerit, concessi fuerunt, et super quorum, dum pro tempore vacent, seu magistrorum ad eos electione, quae ad praeceptores domorum et etiam forsan fratres et milites singularum militiarum huiusmodi spectare dignoscitur, possunt facile inter praeceptores seu fratres et milites huiusmodi graves dissensiones et intestina odia exoriri; et hos pro tempore obtinentes, si se pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum regi opponerent, regna praedicta perturbare, et diversos tumultus bellicos excitare, ac bella, quae per eos contra infideles, ut praefertur, movenda sunt, in perturbationem quietis et pacis regnorum huiusmodi convertere possent, praedicto Ioanni et pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum regi in administrationem perpetuo concedantur, committantur et assignentur, ex hoc profecto dissensionibus et odiis et perturbationi pacis et quietis regnorum et excitationi tumultuum bellicorum huiusmodi opportune occurreretur; et prædictus Ioannes et pro tempore existens Portugalliae et Algarbiorum rex praeceptorias domorum militiarum huiusmodi fratribus militibus idoneis et ad praeliandum habilibus, qui non solum cum vocati fuerint ad bella se accingent, verum etiam regem ipsum ad expeditiones contra infideles prædictos ultro sollicitabunt, ac se suaque omnia, tam in classe maritima quam exercitu terrestri laboribus et periculis exponere non dubitabunt, earum occurrente

Ut Lusitaniae reges bella contra infideles commodius movere et continuare possint eis in perpetuum huiusmodi militiae magistratus conceditur.

vacatione, conferre seu conferri procurabit; et bella ipsa commodius gerere, ac alia pro fidei catholicae exaltatione et infidelium depressione necessaria et opportuna efficacius exequi poterit; ipsique praeceptores et fratres milites et vassalli et subditi magistratuum huiusmodi libentius, sub eorum naturali principe, rege et militiarum huiusmodi administratore existente et eius disciplina, quam diversis ipsarum militiarum magistris (cum maiores coniunctae vires, maiora et praeclariora in bello facinora edere possint) militabunt, seque omnibus periculis exponent; et propterea volentes in praemissis opportune providere, ac ipsius Ioannis regis, qui superioribus annis Bazaim et Dio civitates seu oppida in partibus Indiarum e manibus infidelium, vi et bello eripuit, et bis invicto animo, Dio videlicet a Turcis et rege Cambayae, qui illam seu illud cum ingenti exercitu, ducibus Soliman, Bassa et Coia Suphar, acriter et durissime obsidebant; Bazaim vero, civitates seu oppida huiusmodi, ab oppidanis, qui illam seu illud bello repetebant, praestante Domino, liberavit; et Turcas ac oppidanos ipsos, non sine magna eorum clade et iactura, obsidionem huiusmodi solvere coegit, ac demum fugavit, et nomen Domini nostri Iesu Christi longe lateque propagare non cessat, pro desiderio, praemissorum intuitu, morem gerere, motu simili, non ad eiusdem Ioannis regis, aut alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate ac ex certa scientia nostris, singulos Iesu Christi et S. Iacobi ac de Avis magistratus huiusmodi, qui in eisdem militiis supremae dignitates, ac ipsarum militiarum in dictis regnis et aliis dominiis, eisdem regnis seu eorum regi subiectis, capita esse noscuntur, et quorum singulorum universas alias qualitates et illorum erectionum et institutionum tenores, fructuum, reddituum

Bazaim et Dio civitates Indiarum e manibus infidelium eripiuntur.

et proventuum veros annuos valores praesentibus pro expressis haberi volumus, etiam si quovis modo, quem, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in corpore iuris clausa, resultet, praesentibus haberi volumus pro expresso, et ex cuiuscumque persona vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem praedictam legitime devoluta, ipsique magistratus specialiter vel generaliter reservati existant, et ad illos consueverint per electionem assumi, eisque cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, super iis quoque inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in eis alicui specialiter ius quaesitum, cum omnibus et singulis eorum, eorumque mensarum iuribus, pertinentiis, iurisdictionibus, castris, villis, oppidis, fortalitiis, terris et locis, necnon fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus et emolumentis, quocumque nomine nuncupentur, et in quibusvis rebus consistant et undecumque proveniant, et per nos aut praedecessores nostros Romanos Pontifices, pro applicatione fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum praeceptoriarum et forsan aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, seu illorum decimae, aut alterius partis, bellis pro tempore gerendis, eisdem Emmanueli et Ioanni regibus, eorumque praedecessoribus ac militiarum huiusmodi magistris in genere et in specie ac alias quomodolibet concessis; necnon facultatibus, licentiis, privilegiis et indultis praedicto Ioanni et pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum regi, etiamsi regna ipsa in foeminam aut minorem septem annis pervenerint, et minor huiusmodi etiam foemina existat, in administrationem perpetuam: ita quod qui rex aut, in defectum

regis, regina regnorum huiusmodi pro tempore fuerit, et singularum militiarum prædictarum et illarum magistratuum, absque alio iuris aut pacti ministerio, perpetuus administrator aut administratrix sit et esse censeatur, ac magistratuum eorumdem possessionem propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, seu etiam, absque alia possessionis apprehensione, militias ipsas et earum magistratus regere et administrare, necnon illorum fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta ac alia praemissa in suos et magistratuum praedictorum usus et utilitatem convertere, dioecesanorum locorum vel quorumvis aliorum licentia vel consensu desuper minime requisita vel requisito; necnon praeceptorias, dignitates, aliaque beneficia et officia militiarum huiusmodi, ac alia ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem pro tempore existentium earumdem militiarum huiusmodi, ac alia ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem pro tempore existentium earumdem militiarum magistrorum spectantia, tam saecularia quam regularia beneficia personis idoneis conferre et assignare; necnon praemissa omnia et singula, et cetera quae magistri militiarum huiusmodi, qui pro tempore fuerunt, in spiritualibus et temporalibus facere, gerere, exercere et administrare consueverunt seu potuerunt aut debuerunt. facere, gerere et exercere et administrare, necnon iurisdictionem et superioritatem ac quodcumque aliud dominium in praeceptores et milites et alios fratres et personas, necnon oppida, terras et loca ac bona et res militiarum huiusmodi per earum magistros exerceri solita, exercere libere et licite possit in omnibus et per omnia, perinde ac si singularum militiarum praedictarum verus magister existeret; ac omne ius et omnis auctoritas et potestas militias et magistratus huiusmodi, tam in spiritualibus quam in temporalibus, regendi et administrandi; ac omnis alia iurisdictio et administratio, ad singulos magistros militiarum huiusmodi de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet pertinens, et quae in futurum pertinere poterit, cum regnis huiusmodi incorporetur et consolidetur.

Omnimoda in praecept., milites, fratres, personas, oppida, castra ac bona militiae huius eisdem regibus iurisdictio tribuitur.

Concessio cum facultate substituendi pro regendis rebus spiritualibus.

§ 6. Sic tamen, quod pro tempore existens Portugalliæ et Algarbiorum rex seu regina, ea quae spiritualia pro tempore concernent, per idoneas personas ipsarum militiarum, personas religiosas, ad id per per eum deputandas, et ad eius liberum nutum et arbitrium amovibiles, probe et laudabiliter exerceri facere debeat et teneatur, apostolica auctoritate praedicta, tenore praesentium, perpetuo concedimus et committimus et assignamus; ipsumque Ioannem et pro tempore existentem Portugalliae et Algarbiorum regem seu reginam, etiamsi, ut praefertur, minor existat, perpetuum et irrevocabilem singularum militiarum et earum magistratuum, iurimque et pertinentiarum praedictorum in spiritualibus et temporalibus administratricem constituimus et deputamus; et personis per et pro tempore existentem regem seu reginam circa spiritualia deputandis omnia et singula quaecumque singularum militiarum huiusmodi, qui pro tempore fuerunt, in concernentibus spiritualia, per se vel alios, ordinare, disponere, mandare et facere de iure et consuetudine aut alias quomodolibet potuerunt seu debuerunt, ordinandi, disponendi, mandandi et faciendi plenam, liberam et omnimodam facultatem et potestatem concedimus.

Praeceptor. militibusque ius magistri eligendi adimitur.

§ 7. Et no in iudicium [1] concessionis, commissionis, assignationis, constitutionis et deputationis nostrarum praedictarum, praeceptores seu milites vel fratres mili-

[1] Legimus *praeiudicium* (R. T.).

tiarum huiusmodi aliquid de facto per viam electionis vel postulationis seu alias, decedente pro tempore rege aut regina regnorum huiusmodi, attentare praesumant, nos ab eisdem praeceptoribus, militibus et fratribus omne ius et omnem actionem et potestatem eligendi vel postulandi aliquem in magistrum alicuius ex militiis huiusmodi, vel eisdem magistratibus de magistris aut administratoribus perpetuis quomodolibet providendi penitus et omnino tollimus, auferimus et abdicamus; ipsisque praeceptoribus, militibus et fratribus, sub excommunicationis latae sententiae et privationis praeceptoriarum ac aliorum beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum, quae pro tempore obtinebunt, necnon pensionum annuarum, quas pro tempore percipient, ac inhabilitatis ad illa et illas, ac alia et alias in posterum obtinendas et percipiendas, ac aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, per contravenientes eo ipso incurrendis, ne de cetero aliquem in magistrum alicuius ex militiis huiusmodi eligere vel postulare, aut de eligendo vel postulando quovis modo tractare audeant vel praesumant districtius inhibemus, absolutionem eorum, qui sententias, censuras et poenas praedictas incurrerint, ac earum relaxationem nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus specialiter et expresse reservantes.

Dat exsequutores horum literarum.

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ulisbonensi et Eborensi et Bracharensi archiepiscopis per apostolica scripta, motu simili, mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ioannis et pro tempore existentis regis et reginae huiusmodi desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, in iisque praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, auctoritate nostra faciant eidem Ioanni, et pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum regi et reginae, ac dilectis filiis conventibus, prioribus, praeceptoribus, fratribus et militibus obedientiam et reverentiam debitas et devotas, necnon a vassallis et aliis subditis militiarum huiusmodi consueta servitia et iura sibi ab eis debita integre exhiberi, ipsosque Ioannem et pro tempore existentem regem et reginam ad magistratus praedictos, ut est moris, admitti, sibique de illorum iurium et pertinentiarum, ac membrorum suorum omnium fructibus et redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi; contradictores quoslibet et rebelles, etiam per quasvis, de quibus eis placuerit, sententias, censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super iis habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus nostra, per quam dudum, inter alia, voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur verum annuum valorem [1] etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper unionibus commissis fieret [2] ad partes, vocatis quorum interesset; et Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis; necnon felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, etiam qua praecavetur ne quis extra suam civitatem et dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur; seu ne iudices a Sede praedicta deputati, extra civitatem vel dioecesim, in qua de-

1 Deest forsan *exprimere* (R. T.). 2 Legimus *et super unionibus commissio fieret* etc. (R. T.).

putati fuerint, alii vel aliis vices suas committere praesumant; ac de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diætas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; ac aliis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon militiarum et Ordinum prædictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem militiis, earumque magistris, praeceptoribus, militibus, fratribus et conventibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et nos ac dictam Sedem, etiam motu simili, aut consistorialiter, etiam per viam generalis legis et statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, in genere vel in specie aut alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, illis praesertim, quibus, inter alia, caveri dicitur expresse quod, occurrente vacatione alicuius ex magistratibus praefatis, praefati conventus, praeceptores, fratres et milites unum forsan de eorum gremio dictarum militiarum militem expresse professum eligere, ipseque sic electus verus earumdem militiarum magnus magister habeatur, illique non alteri, conventus, praeceptores, fratres, milites prædicti parere teneantur; quodque nullus, nisi ut praefertur electus, magistratus ipsos obtinere possit, et quaecumque collationes, electiones et aliae dispositiones de magistratibus ipsis aliter factae, etiam per Romanum Pontificem et Sedem praedictam, nullae et invalidae, nulliusque sint roboris vel momenti, et penitus pro infectis habeantur, praefatique milites, aliis quam ut praefertur electis, vel literis apostolicis per eos impetratis, parere minime teneantur, et ob illorum non paritionem, aliquas censuras sive poenas nullatenus incurrant; quodque privilegiis, indultis et literis nullatenus, aut nonnisi certis inibi expressis modo et forma derogari possit; et si aliter derogetur, derogatio huiusmodi nemini suffragetur, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores, praesentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos et formas ad id servandas pro individuo servatis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse pari modo derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliqui super provisionibus seu concessionibus administrationum sibi faciendis de magistratibus huiusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis vel legatorum eius literas impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum; quibus omnibus Ioannem et pro tempore existentem regem ac reginam praefatos, in assecutione dictorum magistratuum volumus anteferri, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem magistratuum aut beneficiorum aliorum, praeiudicium generari, seu si praeceptoribus maioribus dictorum conventuum, necnon prioribus, praeceptoribus, militibus et fratribus ac conventibus, vassallis et subditis praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quoad recep-

tionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint. Quodque de magistratibus huiusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem, coniunctim vel separatim, spectantibus, nulli valeat provideri, seu concessio in administrationem fieri per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quaelibet alia dictae Sedis indulgentia generalis vel specialis, cuiuscumque tenoris existat, per quam, praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Datae regibus nonnullae leges pro recta militiarum huiusmodi administratione.

§ 10. Volumus autem quod magistratus ipsi debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur, sed rex seu regina pro tempore existens omnia et singula eisdem militiis pro tempore incumbentia onera perferre omnino teneatur; quodque ab alienatione quorumcumque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dictorum magistratuum penitus abstineat; et quod succedens in regnis huiusmodi, sive vir sive foemina existat, antequam dictos magistratus vel eorum aliquem administrare possit, iuramentum seu iuramenta, si quae de observando statutis et consuetudinibus ac stabilimentis, usibus et naturis dictarum militiarum, vel alias per dictos magistros praestari consueverunt, praestare teneatur, deinde administrationi magistratuum huiusmodi libere se immiscere possit; et ille ex eis, qui ullo unquam tempore (quod absit) a nostra et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium et eiusdem Romanae Ecclesiae obedientia et devotione se retraxerit, vel contra eam bellum susceperit, aut in eius dominium per se vel alium quomodolibet machinatus fuerit, praesenti gratia eo ipso privatus existat, ac praesentes literae nullius sint roboris vel momenti; ipsaeque concessio, commissio, assignatio, constitutio et deputatio expirent et resolvantur, expirataeque et resolutae censeantur, et exinde ipsi magistratus vacent eo ipso, et de illis per Sedem eandem libere disponi possit; et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, tertio kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 decem. 1551, pontif. anno II.

XIX.

Doctores in alma Urbe a collegio advocatorum consistorialium dumtaxat in iure civili et canonico creari possint [1].

Iulius Papa III.

Dilecti filii, salutem et apost. benedictionem.

Multi iuris ignari licentias ad doctorandi a Sed. Apost. obtinebant, unde mala his descripta oriebantur.

Cum, sicut fide dignorum relatione nuper accepimus, multi, iuris civilis et canonici ignari, ad doctoratus gradum aspirantes indebite, sub praetextu quod in aliqua Universitate Studii generalis operam dando in tantum profecerint quod idonei existant, et licentiam a nobis et Sede Apostolica extorquent, ut ab aliquo praelato seu persona in dignitate ecclesiastica con-

1 De erectione autem huius Studii videre est tom. IV, Bonifacii VIII constit. XX, *In supremae*, pag. 166; et Leonis X constit. IV, *Dum suavissimos*, tom. V, pag. 568.

stituta, etiam de propitiis extorquendo insignia doctoratus in Romana Curia suscipere valeant; ac eiusdem licentiae praetextu, examine ad id requisito et aliis necessariis desuper minime adhibitis, contra sacrorum canonum statuta et iuris dispositionem, in ipsius doctoralis dignitatis opprobrium, se ad illius gradum faciant promoveri, unde plura absurda sequuntur, et clerus repletur indoctis, multis aspirantibus ob privilegia graduatorum beneficia assequi; et cum plures magistratus, ex consuetudinibus et statutis locorum, per iuris doctores debeant exerceri, a pluribus indoctis sic doctoratis saepe illi adipiscuntur, cum iustitiae supremo detrimento: sicque bonis etiam et industriis literatisque doctoribus animus concidit, cum pariter doctis et indoctis gradus pateat dignitatis, iamque ex praemissis vilescat in populo doctoralis dignitas.

Pontifex ideo decernit neminem de cetero doctorem in Urbe creari posse, nisi a collegio DD. advocatorum consistorialium.

§ 1. Nos igitur praemissis, prout ex debito pastoralis officii tenemur, obviare volentes, praesertim in Urbe, ex qua utrumque ius profluit ac descendit, et a cuius exemplo orbis partes solent regulari, ac de literarum scientia, virtutibus et meritis vestris, quibus vestro collegio doctores in utroque iure civili et canonico creandi et illis insignia conferendi, ex diversis privilegiis et antiqua consuetudine, ius, facultas et potestas competunt, et in quibus etiam potestas sanctae Romanae Ecclesiae camerarii gymnasiique almae Urbis nostrae cancellarii pro tempore existentium repraesentatur, motu proprio et ex certa nostra scientia, non ad vestram seu alicuius instantiam, sed de nostra mera deliberatione, tenore praesentium statuimus et ordinamus quod ex nunc de cetero, perpetuis futuris temporibus, nullus, etiam praetextu cuiusvis licentiae seu facultatis sibi concessae, seu privilegiorum, indultorum et literarum apostolicarum quibusvis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, conditionis, praeeminentiae, nobilitatis et excellentiae existentibus, etiam Romanae Curiae officialibus, eorumque collegiis, ac quocumque dignitate et honore fulgentibus, aut illorum contemplatione seu intuitu, etiam motu, scientia et potestate similibus, et ex titulo oneroso, ac ex quibusvis aliis, etiam quantumcumque maximis et urgentissimis causis, sub quibusvis verborum formis et expressionibus, ac cum quibusvis efficacissimis et insolitis, etiam derogatoriarum derogatoriis, clausulis, etiam talibus, quod illis nullatenus aut nonnisi sub certis modo et forma in eis contentis derogari possit, irritantibusque et aliis decretis, per nos et praedecessores nostros ac Sedem eamdem, seu alias pro tempore concessorum, ad gradum doctoratus in utroque seu altero iurium huiusmodi ab alio quam a vobis et collegio vestro in dicta Curia assumi, seu in utroque vel altero iurium doctor creari possit.

Doctorumque creationes ab aliis faciendae irritae et inanes declarat.

§ 2. Ac assumptiones et creationes doctorum, ac insignium doctoralium traditiones per vos faciendas huiusmodi, validas et efficaces existere, suosque effectus sortiri; ac quascumque alias in utroque seu altero iurium huiusmodi doctorum creationes, ac insignium praedictorum traditiones, per alios quam per vos decreto [1] in ipsa Curia in futurum faciendas, cum inde secutis, irritas et inanes, nulliusque roboris vel momenti esse et censeri, ac nemini suffragari; ipsique [2] ab aliis quam a vobis ad gradum doctoratus huiusmodi assumpti, pro non doctoribus haberi.

Pauperes quoque gratis doctorari debere iubet.

§ 3. Vosque, quoscumque pauperes vel egenos, quos ad susceptionem graduum huiusmodi habiles et idoneos repereritis, ad doctoratus in utroque seu altero iurium gradus huiusmodi gratis pro Deo et absque aliqua pecuniarum solutione ab eis facienda, assumere, seu doctores creare debere.

1 Cherub., *de cetero* (R. T.). Cherub., *Ipsosque... assumptos* (R. T.).

Clausulae praeservativae.

§ 4. Ac praesentibus ex quavis causa vel occasione, etiam per nos et Sedem praedictam, in genere vel in specie, etiam per constitutiones apostolicas seu Cancellariae Apostolicae regulas editas, ac quascumque alias literas apostolicas, etiam in forma brevis, et quod tenores et formae illarum habeantur pro expressis, seu alias clausulas et decreta quaecumque in se continentes, etiam officialibus, collegiis et personis praefatis pro tempore concessas, etiam vigore implicitae derogationis latissime extendendae, in supplicationibus desuper pro tempore signatis appositæ, derogari, seu illas revocari, cassari, suspendi aut in aliquo alterari minime posse, neque revocatas, suspensas vel alteratas, et quoties illa emanabunt, toties easdem praesentes ab illis exceptas et vobis concessas, ac in pristinum et eum, in quo nunc et ante revocationes et suspensionem huiusmodi erant, statum restitutas et repositas esse et censeri.

Decretum irritans

§ 5. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et eiusdem Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari debere; ac ex nunc, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Executores istius constitutionis

§ 6. Et nihilominus camerario nostro et Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori pro tempore existentibus per praesentes mandamus quatenus ipsi vel alter eorum praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi, quando et quoties opus fuerit, ac pro parte vestra desuper requisiti fuerint, solemniter publicantes, faciant illas et in eis contenta quaecumque integre et inviolabiliter ab omnibus observari; non permittentes quicquam per quoscumque in contrarium attentari. Contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras ac etiam pecuniarias, et de quibus eis videbitur, poenas, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias et poenas praefatas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis praedictis et quibusvis aliis, cuiuscumque dignitatis et præeminentiae existentibus, et quacumque, etiam episcopali, archiepiscopali aut alia maiori dignitate fulgentibus, in contrarium quomodolibet concessis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI februarii, millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 febr. 1552, pontif. anno II.

XX.

Erectio Studii generalis in oppido Dilingae, Augustanae dioecesis in Alamania, cum privilegiis et facultatibus ad instar Universitatis Parisiensis et aliarum [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Copiosus in misericordia Dominus, et in cunctis gloriosus operibus, a quo om-

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic. — *Dilinga*, Germanis *Dillingen*, urbs, in qua Otho eius episcopus Studium iam anno MDXLIX fundaverat (R. T.).

nia dona defluunt, ad hoc nobis, licet immeritis, suae sponsae universalis Ecclesiae regimen committere, et nostrae debilitati iugum apostolicae servitutis imponere voluit, ut tamquam de summo vertice ad infima reflectens intuitum, quid, pro huiusmodi illustranda Ecclesia, ad fidei orthodoxae propagationem conferat, quidve statui fidelium quorumlibet conveniat, attentius prospiciamus, et ut cuiuslibet a fidelibus ipsis profligatis ignorantiae tenebris, illi per donum sapientiae in via mandatorum Domini conservari debeant, attendentes, eos ad quaerendum literarum studia, per quae militantis ecclesiae respublica regitur, divini nominis ac eiusdem fidei cultus protenditur, omnisque humanae prosperitatis conditio augetur, nostrae sollicitudinis ope apostolicisque favoribus propensius excitemus, prout pia praelatorum, praesertim fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, quos in partem laborum evocavit Altissimus, vota exposcunt, et nos, locorum et temporum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Utilitas novae huius erigendae Universitatis.

§ 1. Sane, sicut dilectus filius noster Otho, tituli Sanctae Sabinae presbyter cardinalis, Augustanus nuncupatus, qui ecclesiae Augustanae provinciae Moguntinorum ex dispensatione apostolica praeesse dignoscitur, nobis nuper exposuit, cum fere tota Germania iam per triginta annos continuos et ad haec usque tempora calamitatibus et pestiferis haeresibus oppressa et involuta extiterit; et propterea si unum generale Studium diversarum artium et scientiarum catholicarum, ad pueros et alias personas inibi bonis moribus, virtutibus et huiusmodi scientiis ornandas et imbuendas, in oppido Dilingae, Augustanae dioecesis, sub invocatione Sancti Hieronymi, erigeretur et institueretur, profecto huic morbo, in tota fere Germania huiusmodi, ut praefertur, vigenti, ulterius ne serperet nec parum occurreretur, et fides orthodoxa inibi cresceret et augeretur ac manuteneretur.

Cardinalis Augustani hac super re preces.

§ 2. Quare praefatus Otho cardinalis nobis humiliter supplicavit ut in dicto oppido Universitatem Studii generalis in quibusvis liberalibus disciplinis et licitis facultatibus, ad instar Bononiensis et Parisiensis, ac aliarum, tam Italiae et Galliae quam Germaniae Universitatum Studiorum generalium, erigere et instituere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Erigitur Universitas Dilingana.

§ 3. Nos igitur, pium et laudabile praefati Othonis cardinalis desiderium summopere commendantes, ac attendentes quod ex literarum studio, tam publica quam privata, et tam spiritualia quam temporalia commoda proveniunt, huiusmodi supplicationibus inclinati, ad Dei omnipotentis laudem, in eodem oppido Dilingae Universitatem Studii generalis, sub dicta invocatione Sancti Hieronymi, in quibusvis liberalibus disciplinis et licitis facultatibus, ad instar Bononiensis et Parisiensis, ac aliarum, tam Italiae et Galliae quam Germaniae Universitatum Studiorum huiusmodi, auctoritate apostolica, tenore praesentium, erigimus et instituimus.

Rectori, lectoribus, caeterisque eiusdem membris conceasa privilegia ad instar aliarum Universitatum.

§ 4. Ac illi sic erectae et institutae, illiusque pro tempore existentibus rectori, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, bidellis, nunciis et aliis officialibus ac personis, necnon membris et subditis, quod omnibus et singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, praerogativis, honoribus et praeeminentiis, Bononiensi et Parisiensi ac aliis Universitatibus praedictis, illarumque pro tempore existentibus rectoribus, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholaribus, procuratoribus,

bidellis, nunciis et aliis officialibus ac personis, necnon membris et subditis, in genere, tam apostolica quam alias rite imperiali et regia auctoritatibus, aut alias quomodolibet concessis seu legitime praescriptis, ac imposterum concedendis et praescribendis; ac quibus illae et illi utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere. Necnon qui in quavis alia Universitate disciplinis et facultatibus praedictis studere inceperint, studium suum in ea continuare; et qui in dicta sic erecta aut quavis alia Universitate per tempus debitum studuisse, ac scientia et moribus idonei esse comperti fuerint, in artibus et philosophia ac theologia et iuribus, necnon physica et medicina ac aliis disciplinis et facultatibus praedictis, baccalaureatus, etiam formati, et licentiaturae ac laureae necnon doctoratus ac magisterii et quosvis alios solitos gradus, a praefato Othone cardinali et pro tempore existenti ecclesiae Augustanae praesule seu administratore, seu scientiarum, in quibus promovendi pro tempore studuerint, lectoribus aut aliis personis, per eumdem Othonem cardinalem ad tempus vel in perpetuum deputandis et constituendis, aliisque modo et forma per ipsum statuendis, recipere, et ipsorum graduum solita insignia sibi exiberi facere. Et postquam gradus huiusmodi receperint et illorum insignia eis, ut praefertur, exhibita fuerint, facultates, in quibus promoti fuerint, legere et interpretari, ac in eis disputare; necnon quoscumque actus, gradui seu gradibus per eos receptis convenientes, exercere, aliisque omnibus et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis et indultis quibus alii in Bononiensi et Parisiensi ac aliis Universitatibus praedictis, iuxta illarum constitutiones et mores, ad gradus ipsos promoti, de iure vel consuetudine aut alias utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt, ut praefertur, quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si gradus huiusmodi in Bononiensi et Parisiensi vel aliis Universitatibus praedictis, iuxta illarum constitutiones et mores huiusmodi, suscepissent.

Archiep. Augustano data facultas condendi statuta, et super eorum observantia invigilandi.

§ 5. Necnon eidem Othoni cardinali et pro tempore existenti praesuli seu administratori dictae ecclesiae Augustanae huiusmodi, quod, pro salubri dictae erectae Universitatis directione et conservatione, aut rectorum, magistrorum, doctorum, lectorum, praeceptorum, procuratorum, bidellorum, nunciorum et aliorum officialium Universitatis huiusmodi electione, nominatione, institutione et quavis alia provisione et scholarium manutentione, quaecumque statuta et ordinationes licita et honesta ac sacris canonibus non contraria facere et edere ac, pro rerum, temporum et personarum qualitate, mutare, corrigere et reformare seu illa cassare, et alia de novo providere, ac super illorum observatione quascumque poenas imponere, quae, postquam facta, edita, mutata, correcta et reformata seu de novo condita fuerint, eo ipso apostolica auctoritate praedicta confirmata et approbata esse censeri. Et iuxta eorum dispositionem, sublata quavis aliter iudicandi facultate, iudicari debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Data quoque potestas super omnia Universitatis membra.

§ 6. Necnon Othoni cardinali quod, per se vel suum in spiritualibus in dicta ecclesia Augustana vicarium generalem, in ipsius Universitatis rectorem, ac omnes et singulos magistros, doctores, lectores, praeceptores, scholares, procuratores, bidellos, nuncios et alios officiales ac

personas et suppositos, tam saeculares quam quorumvis Ordinum regulares, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis et praeminentiae extiterint, etiam si exempti et Sedi Apostolicae immediate aut alteri praelato subiecti, seu alienae dioecesis fuerint, omnimodam, tam civilem quam criminalem et mixtam potestatem (in sibi subditos videlicet, sua ordinaria; in exemptos vero seu alienae dioecesis, apostolica auctoritate praedicta) exercere, visitare, reformare et corrigere, ac errantes punire et castigare.

Ita et rectorem aliosque eligere et remov. queat;

§ 7. Necnon ipsius Universitatis rectores, magistros, lectores, praeceptores, procuratores et alios officiales huiusmodi eligere, seu eorum electiones aliis committere, easque, postquam factae fuerint, confirmare et approbare, seu etiam aliis confirmandas et approbandas committere.

Scholares, baccalaureos etc. ad lauream promovere; et equites militesque creare.

§ 8. Necnon quod tam ipse Otho cardinalis quam lectores publici Universitatis huiusmodi, quos eis, ut praefertur, studuisse, ac vita et moribus idoneos esse constiterit, ad gradus huiusmodi, cum rigoroso examine ac modo et forma et sub conditionibus per ipsum Othonem cardinalem statuendis, promovere; ac quos ad doctoratus gradum promoverint, necnon dignitate et insigniis equestribus dignos esse iudicaverint, ipse Otho cardinalis et successores sui praefati tantum, milites seu equites auratos, auctoritate et nomine nostris, creare et constituere, ac equestribus insigniis decorare, omniaque militum ornamenta eis, ita quod omnibus privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, honoribus, dignitatibus et praerogativis, quibus alii milites seu equites aurati a nobis creati utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, perinde ac si per nos creati fuissent, utantur, potiantur et gaudeant, concedere.

Potest etiam alium seu alios ad praedic. omnia substituere

§ 9. Omniaque et singula alia in praemissis et circa ea necessaria facere et exequi, ac ad ea omnia vices suas eidem moderno et pro tempore existenti suo in spiritualibus in dicta ecclesia Augustana vicario generali committere.

Rector aliique participent de redditibus beneficiorum quo tempore in Universitate resident.

§ 10. Necnon quod pro tempore existentes ipsius Universitatis rector, magistri, doctores, lectores, praeceptores et scholares praefati, ad quinquennium in dicta Universitate residendo, et literarum studio insistendo, omnia et singula fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, quomodolibet qualificatorum, ac de iure, statuto, consuetudine, fundatione, privilegio aut alias personalem residentiam et synodis comparitionem requirentium, quae in quibusvis ecclesiis sive locis nunc forsan respective obtinent et in futurum obtinebunt, cum ea integritate, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent, si in eisdem ecclesiis et locis personaliter residerent ac in synodis comparerent, percipere; ac interim eisdem beneficiis per cappellanos, ad eorum nutum amovibiles, per eos respective pro tempore deputandos, in divinis deserviri, ac curam animarum illis imminentem exerceri, et ecclesiastica sacramenta illorum parochianis ministrari facere, dioecesanorum locorum vel quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita, libere et licite possint et valeant, plenam et liberam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus facultatem. Quodque ad residendum interim in eisdem beneficiis, aut illis personaliter deserviendum, ac in synodis comparendum minime teneantur, nec ad id ab eisdem locorum ordinariis seu quibusvis aliis inviti compelli aut coarctari, neque propterea suis beneficiis pri-

vari possint, auctoritate et tenore praedictis, de speciali gratia indulgemus.

Derogatio contrariorum. § 11. Non obstantibus si in eisdem ecclesiis sive locis rector, magistri, doctores et alii praefati primam non fecerint residentiam personalem consuetam, et quibusvis aliis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus. Nec non eorumdem beneficiorum fundatione, ac ecclesiarum, in quibus ipsa beneficia forsan fuerint, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis quomodolibet, etiam iteratis vicibus, ac etiam motu proprio et ex certa scientia, concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores, si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque. Aut si eisdem locorum ordinariis ab eadem sit Sede indultum vel in posterum indulgeri contingat quod canonicos, rectores et personas ecclesiarum seu locorum suarum civitatum et dioecesum, etiam in dignitatibus, personatibus, administrationibus vel officiis constitutas, per subtractionem proventuum beneficiorum suorum ecclesiasticorum aut alias compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem; seu si ordinariis praedictis et dilectis filiis ecclesiarum earumdem capitulis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede concessum, vel imposterum concedi contingat quod canonicis, rectoribus et personis ecclesiarum seu locorum suarum civitatum et dioecesum praedictorum, etiam in dignitatibus, personatibus, administrationibus aut officiis huiusmodi constitutis et in illis non residentibus, vel qui in eis primam non fecerint residentiam personalem consuetam, fructus, redditus et proventus beneficiorum suorum ecclesiasticorum in absentia sua ministrare minime teneantur, et ad id compelli non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae, praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, octavo idus aprilis, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 6 aprilis 1552, pontif. anno III.

XXI.

Institutio collegii in Urbe pro scholaribus Germanicae nationis educandis, cum gratiarum et indultorum elargitione [1].

Iulius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Dum sollicita considerationis indagine perscrutamur quod sit pretiosum sapientiae et scientiae donum cum probitate vitae coniunctum, et quod per illud, Illo largiente a quo procedit omne datum Prooemium.

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic.

optimum, omneque donum perfectum derivatur, ignorantiae et vitiorum tenebrae profligantur, errores tolluntur et mortalium actus in lumine veritatis disponuntur, solliciti reddimur et solertes ut literarum simul et christianae pietatis studia, et quibus, divina cooperante gratia, acquiritur scientiae cum charitate coniunctae margarita, ubilibet, in illis praesertim locis, quae ad serenda, irriganda et multiplicanda studia huiusmodi idonea et accommoda esse dignoscuntur, salubria incrementa suscipiant.

Ad instruendos operarios qui vineam Domini excolant in Germania, erectum Romae collegium Germanicum nuncupandum.

§ 1. Hinc est quod nos, attendentes quanta sit fidelium et strenuorum operariorum penuria, praecipue in illis regionibus, ubi cultus verae religionis per varias haereses maxime imminutus, et catholicae ac sanae doctrinae necnon vitae lumen multis errorum tenebris obscuratum, quantumque christianae reipublicae et fidei orthodoxae conducat, ut militans Dei Ecclesia ubique, et praesertim in Germania, viris exemplari vita et literarum scientia praeditis, quorum opera veritatis lumen protendi, et illud obumbrare nitentes dissipari valeant in dies, abundet, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera deliberatione et certa scientia nostris, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac ipsius militantis Ecclesiae exaltationem, et Germaniae spirituale auxilium, in alma Urbe nostra, et loco ad id convenienti et apto per infrascriptos protectores assignando, unum collegium scholarium, *Germanicum* nuncupandum, cum dote, ecclesia vel cappella, in qua missae et alia divina officia, iuxta providam ordinationem eorum qui collegii gubernationem suscipient, celebrentur; necnon structuris, aedificiis, cameris et locis ac dote simili collegio convenientibus et necessariis, in quo aliqui nationis Germanicae iuvenes dociles et bonae indolis, et, si fieri possit, id, aliqua bonarum artium et sincerae doctrinae principia habentes, Deum timentes et religionem zelantes, ex regionibus, provinciis et locis Germaniae educendi, instituantur et alantur, ac bonis et sanctis moribus imbuantur, necnon literarum et piae vitae studio continuo vacent sub magistris sive praeceptoribus eis per dilectos filios Societatem de Iesu nuncupatam constituendis, qui literas humaniores trium linguarum latinae, grecae et hebraicae, ac logicam, physicam et alias liberales disciplinas et demum sacram theologiam publice legant et doceant, et alias ipsorum scholarium curam, regimen et administrationem, in his quae ad morum integritatem et verbi Dei praedicationem ac explicationem et ad officium christiani pastoris, necnon bene beateque vivendum pertinent et spectant, suscipiant, et, nullis parcendo laboribus, quantum in eis fuerit, aedificent, et divina praecepta eorum animis infigere conentur, et tales se erga eosdem scholares exhibeant, ut ipsi tandem, divinae legis capaces, necnon aetate, doctrina et probitate maturi, postquam de beneficiis ecclesiasticis competenter provisi fuerint, tam intrepidi fidei athletae in suas regiones ad alios exemplo vitae suae ad Christum trahendos, et qui id talentum acceperint, ad verbum Dei praedicandum et docendum, curam animarum sibi commissam ad Dei laudem et gloriam ac spiritualem fidelium profectum exercendum et administrandum, necnon haeresum latens venenum deprehendendum, et errores apertos convincendum et resecandum, ac denique fidem ipsam totis viribus defendendam, ac verbo et exemplo ampliandam, et ubi extirpata fuit, denuo plantandam cum animarum salute, remitti et destinari possint, auctoritate apostolica, tenore praesentium, erigimus et instituimus.

§ 2. Necnon dilectos filios nostros Ro-

Deputati sex cardinales pro directione collegii.

dulphum Sanctae Mariae Transtiberim de Carpo, et Ioannem Sancti Pancratii Compostellanensem, et Marcellum Sanctae Crucis Cervinum, et Ioannem Sancti Stephani in Celio monte Moronum, necnon Othonem Sanctae Sabinae de Augusta, et Iacobum Sancti Simeonis titulorum de Puteo nuncupatos, S. R. E. presbyteros cardinales, ipsorum collegii et scholarium protectores et defensores, ad quos vel aliquem Societas huiusmodi possit pro consilio et auxilio, in his quae ad commissam sibi curam pertinent, recurrere, quique adducendorum huiusmodi scholarium, et post studia remittendorum, et quamdiu in collegio manebunt, sustentandorum curam habeant, auctoritate et tenore praedictis, constituimus et deputamus.

Collegium, Papae et Sedi Apostolicae solummodo subiectum, ab omnibus pedagiis etc. liberum declaratur.

§ 3. Necnon collegium praefatum ac illius scholares et magistros seu praeceptores, rectores et gubernatores pro tempore existentes, eorumque bona mobilia, immobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis existentia, et in dicta Urbe et alias ubilibet consistentia, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentium senatoris, consulum et conservatorum ac reformatorum dictae Urbis, nec non rectoris Studii generalis eiusdem Urbis, ac aliorum quorumcumque iudicum, officialium et personarum in dicta Urbe et alias ubilibet constitutorum, illaque ac in propriis eorum rebus et bonis cum eis contrahentes, a solutione et exactione quorumcumque pedagii, gabellae, bollettini, decimarum et cuiusvis alterius, tam ordinarii quam extraordinarii, oneris in dicta Urbe et alias ubique locorum, et ex quacumque causa impositorum et imponendorum eximimus et totaliter liberamus, ac sub Beati Petri et Sedis Apostolicae atque nostra protectione suscipimus, nobisque et dictae Sedi immediate subiicimus, ac liberos, immunes, exemptos, susceptos et subiectos, immuniaque et exempta fore et esse, et ita per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere.

Secus agi si contingat, irritum.

§ 4. Necnon quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus et declaramus.

Scholaribus et rectori concesso privilegio, quibus fruitur Studium generale Urbis.

§ 5. Ipsisque collegio, scholaribus, rectoribus et gubernatoribus, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus et indultis quibus Studium generale Urbis et illius rector praefatus necnon doctores et legentes in eo quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed aeque et pariformiter uti, potiri et gaudere possint in omnibus et per omnia concedimus et indulgemus et illa eis communicamus.

Prohibitio senatori Urbis et camerario quidquam a collegio requirendi nomine gabellae etc.

§ 6. Necnon senatori, consulibus, conservatoribus, reformatoribus, rectori et aliis iudicibus, officialibus et personis praedictis, ac moderno et pro tempore existenti S. R. E. camerario praesidentibus et clericis Camerae Apostolicae, ac quibusvis commissariis super exactione decimarum et aliorum onerum praedictorum pro tempore deputatis, sub indignationis nostrae poena, ne praetextu quarumcumque literarum, eis, sub quibuscumque tenoribus et formis, pro tempore concessarum, collegium, scholares, rectores et gubernatores praefatos seu eorum aliquem super praemissis quomodolibet molestent seu molestari permittant, districtius inhibemus.

Superioribus collegii data facultas lauream conced. scholaribus.

§ 7. Et insuper regentibus et superioribus dicti collegii pro tempore existentibus, assistentibus praefatis protectoribus seu aliquibus ex eis, aut de eorum consilio et de expresso consensu, illos quos

in dicto collegio et alibi per tempus debitum studuisse, ac scientia et moribus idoneos esse repererint in praedictis facultatibus, ad baccalaureatus, licentiaturae et doctoratus ac magisterii gradus, servata alias forma concilii Viennensis, iuxta Universitatis eiusdem Urbis consuetudinem seu alias, promovendi, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibendi; quodque in facultatibus supradictis sic promoti, illa legere et interpretari ac in eis disputare, et quoscumque gradui seu gradibus huiusmodi convenientes actus exercere, et alias omnibus et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in praedicta seu aliis Universitatibus et alibi, iuxta illius vel aliarum Universitatum huiusmodi constitutiones et mores, ad gradus praedictos promoti de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere possint et debeant in omnibus et per omnia, ac si gradus praedictos in ipsa Universitate, iuxta consuetudines et mores praedictos, suscepissent, concedendi et indulgendi.

Dictis cardinalibus data potestas condendi leges pro bono regimine collegii

§ 8. Necnon, pro felici implemento et salubri directione ac conservatione dicti collegii illiusque bonorum et rerum ac iurium, tam temporalium quam spiritualium, quaecumque statuta et ordinationes rationabilia et sacris canonibus non contraria faciendi et edendi ac revocandi, immutandi, corrigendi et super illorum observatione quascumque poenas imponendi, quae, postquam facta, edita, revocata, immutata et correcta fuerint, eo ipso, auctoritate praedicta, approbata et confirmata sint et esse censeantur, et iuxta eorum dispositionem, sublata quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernendi, omniaque et singula alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi et exequendi plenam et liberam, auctoritate praedicta, tenore praesentium, facultatem et potestatem concedimus.

Obstantium derogatio.

§ 9. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsius Urbis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, necnon privilegiis, indultis et literis apostolicis eidem senatori, consulibus, conservatoribus, reformatoribus, camerario, universitatibus ac earum collegiis, rectoribus, scholaribus et personis et aliis praefatis, necnon praefatae Urbi et populo Romano, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 10. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius curiae ecclesiasticae seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra, ac alias, ubilibet opus fuerit, adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, pridie kalendas septembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 31 augusti 1552, pontif. anno III.

XXII.

Contra franchitias in Urbe retinentes et Curiam in executione impedientes, cum approbatione constitutionum contra bannitos etc. editarum.

Iulius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Cum civitates et loca omnia, in quibus sanctissimum Christi nomen colitur, deceat esse facinorosis hominibus expiata atque purgata, nemo est qui non intelligat quam maxime oportet almam Urbem nostram, apostolorum Petri et Pauli ac tot martyrum sanguine consecratam, in qua Summus Pontifex cum sacro cardinalium collegio residet, et ad quam ex omnibus mundi partibus, veluti ad portum saluberrimum, gentes confluunt, quae denique communis omnium patria censetur, esse ipsis facinorosis hominibus vacuam.

Plures Pontifices adversus facinorosos et eorum fautores ediderunt bullas, quas hic Pontifex confirmat.

§ 1. Sane, cum a diversis Pontificibus praedecessoribus nostris plures constitutiones adversus homicidas, sicarios, latrones, sacrilegos, raptores aliosque facinorosos homines, eorumque fautores et receptatores, sine quibus delinquentes diutius latere non possunt, editae fuerint, quae, vel temporum iniquitate, vel ad senium et occasum vergentis saeculi corruptela, aut magistratuum negligentia, minus custodiuntur et observantur, ac fere in desuetudinem abierunt, opere pretium censuimus constitutiones ipsas approbare et innovare, prout illas, motu proprio et ex certa scientia, cum omnibus et singulis censuris et poenis in eis contentis, harum serie approbamus ac innovamus.

Franchitiasque tenere et curiam in executione impedire prohibet

§ 2. Et insuper quia, sicut accepimus, quorumdam eousque processit licentia ut non solum homicidas et facinorosos ac alios praedictos, contra iuris et sacrarum constitutionum praefatarum prohibitionem, receptare audeant, sed etiam domos suas necnon vias publicas et plateas, quae circa domos sunt, facinorosis ipsis tutum refugium et quasi portum esse velint, signatis etiam franchitiarum nomine quodammodo limitibus in via, quos iustitiae ministris ingredi non liceat; nos abominabile ac detestandum franchitiarum huiusmodi nomen penitus abolemus, ac perpetuo abolitum fore decernimus. Volumus enim causarum capitalium iudicibus, barisellis, apparitoribus et aliis iustitiae praefectis et ministris quascumque vias et plateas, aedes et domos, ad requirendos, capiendos et debitis poenis afficiendos facinorosos homines, die noctuque liberas et apertas esse. Si quis autem, post huius nostrae voluntatis declarationem, franchitias huiusmodi adhuc habere et tueri, ac illarum praetextu aut alias quomodolibet, iustitiae ministros in executione eorum officiorum impedire praesumpserit, etiam si baro, domicellus, comes, dux, principis cuiusvis orator aut, quod futurum minime credimus, episcopus, archiepiscopus, patriarcha aut etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis extiterit, noverit se amissionis gratiae ac benevolentiae nostrae necnon coercitionis et emendationis, prout nobis, iuxta circumstantiarum qualitatem, videbitur, poenas ipso facto incursurum. Si quis vero in tantam devenerit audaciam ut etiam violenter et manu armata, ipsis iustitiae ministris se opponere et resistere ausus fuerit, tam facientes quam mandantes eo ipso crimen laesae maiestatis incurrere declaramus, et pro illius condigna ultione, si, ultra iustitiae ministros, maiori manu opus fuerit, praecipimus dilecto filio nobili viro Camillo Ursino, domicello Romano, ac alteri cuicumque pro tempore militiae nostrae temporalis generali gubernatori et custodiae Palatii nostri ducibus, tam pedestribus quam equestribus, ac conservatoribus et capitibus regionum ipsius

almae Urbis, ut contra opponentes et resistentes huiusmodi, tamquam iustitiae, pacis et quietis perturbatores nostrosque et huius sanctae Sedis rebelles, acriter suo brachio saeculari insurgant, ac eos, manu regia et nulla tela iudiciaria servata, severissime puniendos capi et carceribus mancipari faciant.

Clausulae derogatoriae. § 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque et indultis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi. § 4. Ut autem praemissa omnia ad eorum, quorum interest, notitiam dedncantur, nec aliquis de eis ignorantiam iuste praetendere possit, volumus et apostolica auctoritate decernimns quod praesentes literas per aliquos Curiae nostrae cursores ad basilicae Principis Apostolorum de Urbe et ecclesiae Lateranensis valvas, dum inibi populi multitudo ad divina audienda convenerit, palam et clara voce legantur, et lectae, in basilicae et ecclesiae huiusmodi ac Cancellariae Apostolicae valvis, necnon in acie Campi Florae affigantur, ubi ad lectionem et notitiam cunctorum aliquandiu affixae pendeant, et cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis remaneant affixa.

Transumptorum fides. § 5. Quod earum transumptis, manu notarii pnblici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, certa et indubitata fides adhibeatur, prout praesentibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, decimo kalendas octobris, pontificatus nostri anno III.

Publicatio. Anno a nativitate Domini MDLII, indictione X, die vero XXVII mensis septembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Iulii, divina providentia Papae III, anno III, retroscriptae literae lectae, affixae et publicatae fuerunt in locis retroscriptis, dimissis etiam inibi copiis affixis, iuxta illarum formam et tenorem, per nos Iacobum Carra et Hermanum Laetum, cursores.

Ita est. Hermanus Laetus, cnrsor.

Thomas Roger, magister eursorum.

Dat. die 22 septembris 1552, pontif. an. III.

XXIII.

Innovatio et ampliatio gratiarum et privilegiorum Societatis Iesu, eiusque collegiorum. [1].

Dilecto filio Ignatio de Lojola, Praeposito generali Societatis Iesu.

Iulius Papa III.

Dilecte fili, salutem et apostol. benedictionem.

§ 1. Sacrae Religionis, sub qua dilecti filii Societas Iesu, reiectis saeculi vanitatibus, gratum Altissimo praebent sub humilitatis spiritu famulatum, et ferventibus studiis per exempla virtutum et solidam doctrinam alios ad divinae Maiestatis obsequia trahunt, favor exposcit et devotionis vestrae merita nos inducunt ut ea, quae per nos et praedecessorem nostrum tibi et illis provide concessa sunt, apostolicae firmitatis munimine roboremus; vosque amplioribus favoribus et gratiis confoveamus, ea vobis concedentes, per quae commoditatibus vestris et animarum tum vestrarum, tum etiam aliorum, quibus iuvandis vacatis, peramplius consulatur. *Causae concedendorum privilegiorum.*

§ 2. Tuis itaque in hac parte nobis por-

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic. — De hac Societate vide in Pauli III constitutione XXXIII, pag. 303. Hic siquidem Pontifex eamdem Societatem, eiusque constitutiones approbavit, privilegiaque illi elargitus est quamplurima.

Facultates tum spirituales, tum temporales alias concessas Societati confirmat.

rectis supplicationibus inclinati, omnia et singula literas, facultates, indulgentias, etiam plenarias, concessiones, immunitates, exemptiones, libertates, gratias, privilegia et indulta tibi et ad tui ac pro tempore existentis praepositi generalis Societatis huiusmodi dispositionem concessa, necnon facultatem, inter alia, cum personis Societatis huiusmodi circa ieiunia et cibos prohibitos per te vel alios 1 dispensandi, ac Societatem ipsam professos quoscumque a casibus haeresis et aliis contra fidem et consequentibus censuris quibuscumque, etiam per te et successores tuos, vel alios similiter professos ad id idoneos, per te et pro tempore existentem praepositum generalem Societatis huiusmodi deputandos, absolvendi, et, quatenus opus sit, in foro conscientiae dispensandi per felicis recordationis Paulum Papam tertium, praedecessorem nostrum, et forsan nos, tam in genere quam in specie et alias quomodolibet et sub quibuscumque tenoribus et formis concessa, eorum omnium tenores et causas, propter quas concessa sunt, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, apostolica auctoritate, ex certa nostra scientia, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae et inconcussae firmitatis robur adiicimus, illaque inviolabiliter observari, et sub quibusvis derogationibus, revocationibus, suspensionibus alterationibus, decretis, declarationibus ac literis apostolicis, etiam quasvis clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum forma et expressione, in se continentibus, aut Cancellariae Apostolicae regulis seu constitutionibus apostolicis quomodolibet pro tempore factis et editis ullo umquam tempore comprehendi, aut eis in aliquo derogari, seu ea revocari aut alterari nullatenus posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac ex nunc quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Praepositus generalis commutare horas recitationis officii divini potest;

§ 3. Et nihilominus, ut tu et Societas huiusmodi quietius et devotius in humilitate spiritus Altissimo gratum exhibere possitis famulatum, facultatem et licentiam anteponendi et postponendi officium divinum alias vobis concessam, ad hoc ut tu et religiosi pro tempore existentes Societatis huiusmodi, ex legitimis ac iustis causis (in quo tuam et successorum tuorum praepositorum generalium pro tempore existentium et aliorum, quos ad hoc substitueritis, conscientiam oneramus), officium ipsum celebrationi missae libere et absque conscientiae scrupulo postponere possitis, auctoritate et tenore praedictis extendimus et ampliamus.

Ipsum vero officium in aliae orationes pro infirmis.

§ 4. Ac insuper tibi et aliis praepositis generalibus Societatis huiusmodi pro tempore existentibus et aliis, quibus ad hanc commutationem auctoritatem vestram communicaveritis, ut recitationem officii huiusmodi pro his, qui, ob infirmitatem, vobis videbuntur excusandi, in aliud opus pium seu leviorem orationem, durante tamen infirmitate, arbitrio vestro commutare.

Gradus magisterii conferre magist. et scholaribus collegiorum.

§ 5. Necnon scholaribus collegiorum Societatis huiusmodi in Universitatibus alicuius Studii generalis existentium, quod ipsi, si, praevio rigoroso et publico examine, in eisdem Universitatibus idonei reperti fuerint, et rectores Universitatum huiusmodi eos gratis et amore Dei, absque aliqua pecuniarum solutione, promovere recusaverint, in collegiis praedictis a praeposito generali pro tempore existenti vel,

1 *Vel alios Societatem ipsam professos dispensandi, ac quoscumque* etc. legit auctor Inst. S. I. (a. r.).

de eius licentia, a quovis ex inferioribus praepositis vel rectoribus huiusmodi collegiorum, cum duobus vel tribus doctoribus seu magistris per eosdem eligendis, scholaribus vero collegiorum eorumdem extra Universitates existentium, studiorum suorum cursu absoluto, et rigoroso examine praecedente, a generali vel, de eius licentia, a quovis ex praepositis vel rectoribus huiusmodi collegiorum, cum duobus vel tribus etiam doctoribus vel magistris per eosdem eligendis, quoscumque baccalaureatus ac magisterii et licentiaturae ac doctoratus gradus accipere; et praepositis vel rectoribus, cum doctoribus huiusmodi, ut eosdem scholares ad gradus ipsos promovere, eisdemque scholaribus ut, postquam promoti fuerint, in eis legere et disputare et quoscumque alios actus ad haec necessarios facere et exequi, ac omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, antelationibus, favoribus, gratiis et indultis ac omnibus et singulis aliis, quibus alii in quibusvis Universitatibus Studiorum huiusmodi, rigoroso examine praevio, ac alias, iuxta inibi observari solitos et requisitos usus, ordinationes, ritus ac mores, pro tempore promoti, de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad ipsorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, absque ulla penitus differentia, uti, potiri et gaudere in omnibus et per omnia, perinde ac si gradus huiusmodi in eisdem Universitatibus et non eorum collegiis huiusmodi accepissent.

Praepositi facultates sibi concessas aliis personis communicare.

§ 6. Praepositis quoque inferioribus, a te et pro tempore existenti praeposito generali praefato vel etiam provincialibus, praesertim in locis Indiarum et aliis remotis partibus, pro tempore deputatis, ut ipsi quaecumque gratias, facultates, concessiones et indulta, eis per te et eumdem praepositum generalem vel provincialem pro tempore existentes communicata et concessa, quibusvis aliis personis de Societate huiusmodi professis, eis bene visis, quoties eis videbitur, de tua tamen et praepositorum generalium pro tempore existentium scientia [1], communicare et concedere possint.

Senio confectis conceditur usus propriorum redditum.

§ 7. Et insuper religiosis Societatis huiusmodi pro tempore senio confectis aut aliqua infirmitate gravatis, et ad operandum in vinea Domini non idoneis, etiam professis, ut in collegiis Societatis huiusmodi, de tui et pro tempore existentis praepositi generalis vel inferiorum, quibus hanc facultatem communicaveris seu communicaverint, licentia, morari, et ex illorum redditibus et proventibus se sustentare, absque aliquo conscientiae scrupulo, libere et licite valeant, plenam et liberam, auctoritate et tenore praemissis, facultatem et licentiam concedimus.

Obstantium derogatio.

§ 8. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac Societatis et Universitatum huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem Societati et Universitatibus, illarumque rectoribus, doctoribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine ac alias quomodolibet, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio aut quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro suffi-

[1] *Licentia*, Inst. S. I. (R. T.).

cienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides

§ 9. Verum, quia dificile foret *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII octobris MDLII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 22 octobris 1552, pontif. anno III.

XXIV.

Iurisdictio consulum artis pistorum almae Urbis cognoscendi causas et differentias ipsam artem tangentes; et privilegium, quo debitoribus, ex causa panis, dilationes concedi prohibetur.

Iulius Papa III dilectis filiis consulibus et camerario ac universitati panatariorum seu furnariorum almae Urbis nostrae.

Dilecti filii, sal. et ap. benedictionem.

Furnariorum universitas condidit varia statuta artem concernentia.

Cum, sicut nobis exponi fecistis, alias et retroactis temporibus, vos et praedecessores vestri, qui in alma Urbe nostra panatarii sive furnarii fuerunt, diversis temporibus diversas ordinationes et statuta, ipsius artis fidele et solicitum exercitium ac personas ad exercitium huiusmodi aptas, illarumque salaria, modos et formas observandas, ac macinaturam et macinaturae pretium concernentia, et alia ad artem huiusmodi necessaria in uno libro descripta ediderint, fecerint et ordinaverint; illaque omnia, prout facta fuerant, per eos, qui conditorum statutorum et ordinationum huiusmodi temporibus fuerunt ipsius urbis senatores et conservatores, respective approbata et confirmata fuerint, vosque consulatum habeatis, in quo panatariis sive furnariis pro rebus artem huiusmodi tangentibus ius redditur.

Consulesque artis, vigore eorumdem statutorum, inter homines de arte, usque ad quamcumque summam; et contra alios, usque ad summam scutorum 25 ius reddebant de rebus spectantibus ad artem.

§ 1. Et novissime, inter cetera, statueritis et ordinaveritis quod vestri consules ius et rationem inter homines artis et pro causis ad artem huiusmodi spectantibus, usque ad quamcumque summam, reddere valerent: et si aliquis ipsius artis conveniret in iudicio aliquam aliam personam, quae non esset eiusdem artis, dummodo foret pro re ad artem ipsam spectante, dicti consules iurisdictionem contra tales conventos usque ad summam viginti scutorum, et non ultra, haberent; et personae sic conventae iurisdictionem huiusmodi, usque ad dictam summam inclusive, declinare non possent; et casu quo illam aliqui declinare vellent, nihilominus ipsi consules illis licentiam dare non possent, neque id pati deberent, sub poena duorum scutorum ex eorum salario pro qualibet vice retinendorum, si secus facerent: ac declaraverint id quod per eosdem consules fieret, esse validum, firmum et efficax, cum statutum huiusmodi factum foret pro eorumdem panatariorum seu furnariorum tranquillitate, ne ipsi per diversa eiusdem urbis tribunalia, pro rebus artem huiusmodi concernentibus, discurrere deberent, seu discurrendo non possent publico, prout deceret [1], inservire, quae quidem et alia ultimo dicta ordinationes et statuta per dilectos filios modernos ipsius urbis senatorem et conservatores, tamquam rationi consonantia, approbata et confirmata fuerunt.

Leo X decrevit debitores pro pretio panis ad dilationes seu cessiones bonorum non admitti;

§ 2. Necnon felicis recordationis Leo Papa X, praedecessor noster, provide attendens panatarios seu furnarios maxime esse omnibus necessarios, volens indemnitatibus tunc et pro tempore existentium in eadem urbe panatariorum seu furnariorum consulere, quod ex tunc de cetero in perpetuum nullae, etiam ab eo, etiam iuxta dictae urbis statutum, super debitis cum ipsius furnariis, praesentibus et ex tunc futuris, ratione panis ab eis accepti, in parva vel magna quantitate contractis, dilationes, etiam in

[1] Cherub., *deberent*. (R. T.).

sal conficiendo, aut alterius cuiusvis et quantumcumque necessarii usus favorem, et per specialia rescripta, etiam in forma salviconductus, etiam ad modicum tempus et motu proprio ac ex certa scientia quibusvis personis, cuiuscumque status, gradus vel conditionis existerent, etiam cum derogatione literarum dicti Leonis, ex tunc concedendæ, alicui suffragarentur; sed eo ipso, quod per praeoccupationem vel importunitatem aut alias quomodocumque ab eo et pro tempore existente Romano Pontifice emanarent, illico revocata essent, nec locum contra dictos furnarios habere, aut eorum aliquem cessio bonorum impedire valeret quo minus contra personas debitorum seu creditorum procedi posset.

Et in causis panis, a quocumque iudice summarie etc. procedi ordinatur.

§ 3. Quodque pro tempore existentes dictae urbis gubernator, senatores, conservatores, vicarius et auditor Camerae ac alii iudices ordinarii, eorumque locatenentes, in quibusvis causis coram eis per dictos furnarios seu eorum aliquem contra eos ratione panis per eos pro tempore crediti dumtaxat debitores, et per viam reconventionis pro tempore movendis, summarie, simpliciter et de plano, nulla iudiciaria tela servata, sed sola facti veritate inspecta, absque alicuius scripturae confectione, et alias prout in causis mercedum et salariorum per piae memoriae Iulium Papam II, etiam praedecessorem nostrum, statutum fuerat, procedendum fore per suas literas statuerit et ordinaverit, prout in eisdem literis plenius contineri dicitur.

Furnariorum universitas petiit ab isto Pontifice confirmationem praedictorum.

§ 4. Vosque, sicut eadem expositio subiungebat, cupiatis statuta et ordinationes ac literas Leonis praedecessoris huiusmodi, pro illorum subsistentia firmiori, nostro et Sedis Apostolicae munimine roborari, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum ut omnia et singula statuta et ordinationes, tranquillum statum et directionem ipsius artis concernentia, ac literas Leonis huiusmodi approbare et innovare, aliisque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex illorum ordinationes, ac literas Leonis X confirmat.

§ 5. Nos igitur ad plenum informati, huiusmodi statuta et ordinationes, ad tranquillum statum et directionem eiusdem artis facta, rationi consona, ac literas prædictas perutiles fuisse et esse, vos et vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, tenore praesentium, ex certa nostra scientia, omnia et singula, praesertim ultimo dicta statuta et ordinationes ac literas Leonis praedecessoris huiusmodi et in illis contenta quæcumque, auctoritate apostolica, tenore præsentium, approbamus, confirmamus et innovamus, ac singula in eisdem literis contenta, prout per ipsum Leonem praedecessorem concessa fuerunt, vobis et pro tempore existentibus panatariis seu furnariis dictae urbis, iuxta literarum earumdem continentiam et tenorem, de novo concedimus. Ac omnes et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, ac solemnitates, si quae omissae fuerint, supplemus.

Consulibus universitatis iurisdictionem, de qua hic, concedit;

§ 6. Ita quod vestri et pro tempore existentes eiusdem artis consules, super huiusmodi, et in specie super statuto de iurisdictione contra allegare, iuxta illius tenorem exercenda, quoad personas de arte huiusmodi (firma manente iurisdictione iudicum ad quos spectat, et quod summarie et sine strepitu, sola facti veritate inspecta, procedatur), per praefatos

modernos et pro tempore existentes Urbis gubernatorem et senatorem ac Camerae praedictarum auditorem vel alios eiusdem urbis iudices, praetextu obligationum in forma Camerae Apostolicae, impediri vel alias molestari seu inhiberi non possint neque valeant.

Dilationes et cessiones bonorum debitoribus ex causa poenae non suffragari decernit.

§ 7. Et propterea quod nullae dilationes, moratoriae et cessiones bonorum sive indebitae quinquennales, vel admissio ad beneficium capituli *Odoardus*, etiam a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice sive senatore praefato seu dilectis filiis camerario, clericis et praesidentium insertione [1] et totali derogatione, cuiusvis personae ecclesiasticae vel saecularis, contra praesentium et Leonis praedecessoris huiusmodi literarum tenorem, suffragentur, hoc expresse addito, quod idem ius per omnia servetur, et hominibus dictae urbis moratoriae, dilationes, salinariae et alia praenarrata nullatenus suffragentur.

Decretum irritans.

§ 8. Et ita per eosdem gubernatorem, senatorem et auditorem ac alios quoscumque iudices, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, interpretari atque definiri debere decernimus.

Obstantium derogatio.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Urbis et Camerae praedictarum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem gubernatori, auditori Camerae et senatori et quibusvis aliis, sub quibusvis clausulis et decretis, etiam super iurisdictione in omnem universitatem in eadem urbe facientes, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, necnon omnibus illis, quae dictus Leo praedecessor in suis literis praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentatio huius constitutionis vim validae inhibitionis obtinet.

§ 10. Volumus autem et dicta apostolica auctoritate decernimus quod praesentium literarum per unum mandatarium seu aliquem furnarium, ad quem pro tempore spectabit, facta praesentatio, vim validae inhibitionis habeat; ac irritum et inane, si secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II decembris, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 2 decembris 1552, pontif. anno III.

XXV.

Prohibitio ne quis subditus mediate vel immediate Sedis Apostolicae militare audeat sub vexillo alicuius principis, praeterquam sub ducibus Ecclesiae Romanae [1].

Iulius Papa III, ad futuram rei memoriam.

Videntes Ecclesiastici nostri Status terras atque loca fortibus ac strenuis militibus, qui eidem, pro temporum exigentia, praesidio esse possint, in dies magis exhau-

[1] *Et praesidentibus Camerae, aut solinariis huiusmodi, etiam cum praesentium insertione*, Cherub. (R. T.).

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic.

riri; necnon considerantes nostrae aetatis hominum astutiam ac malignitatem ad omne malitiae ac temeritatis genus esse proclivem, ac tamen si constanti nos atque obfirmato animo decreverimus neminem umquam velle laedere, quin potius totis et animi et consilii ac auctoritatis nostrae viribus, omnipotentis Dei auxilio et benignitate adiuti, ad universalem miserae et afflictae christianitatis pacem procurandam simus propensi, passim tamen non deesse nec qui actiones nostras calumnientur, nec qui etiam statui atque bonori nostro insidientur; volentes eam, quae providi est principis, in his temporum difficultatibus cautionem adhibere, statuimus, ordinamus atque praecipimus ut nullus, tam almae urbis nostrae Romae quam omnium civitatum, oppidorum locorumque Status nostri Ecclesiastici civis, habitator aut incola, cuiusvis gradus, præeminentiae aut conditionis existat, postbac apud aliquem, praeterquam apud duces, capitaneosque nostros, nisi de nostra aut locorum nostrorum rectorum, gubernatorumque seu dilecti filii nobilis viri Iuliani Cesarini, cui describendorum militum et, ut vulgo dicitur, *Dell' ordinanze e battaglie*, in hac alma urbe nostra et in toto Statu Ecclesiastico generalem curam demandavimus, expressa licentia, stipendia accipere et militare, sub poenis in aliis nostris similibus ordinationibus contentis, audeat aut praesumat; ac similiter statuimus, ordinamus ac praecipimus ut nullus in eadem urbe reliquisque Status nostri locis, cuiusvis gradus, præeminentiae aut conditionis existat, clam atque occulte, pecunias, stipendii nomine, ut milites paratos habeat, dare aut promittere, sive eas accipere, vel sese, aut verbo aut fide aut quovis modo, tam accepta pecunia quam alias, cuipiam in militia addicere audeat atque praesumat, sub rebellionis ac confiscationis bonorum, tam per eos, qui pecunias dederint aut promiserint, quam per eos, qui acceperint, aut se ad dantium nutum ac voluntatem occulte obligare, aut se, ut praefertur, obligaverint, ipso facto incurrenda poena, necnon punitionis, iuxta leges ac constitutiones temporales adversus principis sui proditores ac rebelles et reos laesae maiestatis in primo capite promulgatas; quod si continget eum, qui, contra hanc ordinationem nostram, pecunias dederit aut promiserit, aut occulte ac quovis quaesito colore cum subditis nostris convenerit, procuraverit vel tentaverit milites, tam ex hac urbe nostra quam ex reliquis Status nostri terris, ad sui requisitionem paratos ac sibi obligatos habere, ut supra dictum est, procuraverit, personam esse ecclesiasticam, quavis aut quantumvis eminenti ac sublimi dignitate praeditam, decernimus eum, ultra praedictam rebellionis poenam, excommunicationis insuper latae sententiae et privationis omnium suorum graduum, officiorum ac beneficiorum poenam ipso facto incurrere. Qui vero contravenientes huic ordinationi nostrae præceptoque revelaverint, amplum suae fidelitatis ac diligentiae praemium, iuxta personarum aut aliarum qualitatum circumstantiam, largiter a nobis consequentur; et rursus qui huiusmodi contravenientium notitiam habuerint, et eos revelare neglexerint, in aere et in corpore, ipsorum inobedientiae meritam poenam severe recepturos declaramus; volumus etiam ut si qui forte supradicto modo pecunias aut dederint seu promiserint vel acceperint, aut se obligaverint, infra triduum post praesentium publicationem, sese nobis aut locorum nostrorum rectoribus aut gubernatoribus vel prefato Iuliano manifestantes, ab illiusmodi promissionibus aut obligationibus retrahere se impune et libere possint, post quorum dierum terminum, qui se interea, ut praemittitur, ma-

nifestare neglexerint, in praedictas poenas irremissibiliter incurrisse censeantur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI februarii MDLIII, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 21 februarii 1553, pontif. anno III.

XXVI.

Facultas collegii physicorum medicorum almae Urbis quoscumque promovendi ad gradus philosophiae et medicinae, privative quoad alios; et confirmatio iurisdictionis proto-medici cognoscendi causas civiles et criminales ad eius officium spectantes.

Iulius Papa III, etc.

Meritis devotionis vestrae erga nos et Romanam Ecclesiam inducimur ut petitionibus vestris, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

Causa istius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis exponi fecistis, multi physici ac medicinae ignari, sub praetextu quod in aliqua Universitate Studii generalis, philosophiae ac medicinae operam dederint, tantum se profecisse praeseferant, ut, veluti idonei, ad doctoratus gradum se promoveri facere temere praesumant, et cum huiusmodi gradum, ob eorum imperitiam, in eisdem Universitatibus assequi posse diffidant, licentiam a Sede Apostolica sub fictis narrationibus extorquere conantur, ut ab aliquo praelato seu persona in dignitate ecclesiastica constituta, ad ipsum gradum, rigoroso examine aliisque in huiusmodi promotionibus, tam de iure quam laudabili consuetudine requisitis, minime adhibitis, promoveri se faciant, in ipsius doctoratus dignitatis opprobrium et maximum vitæ hominum exitium ac perniciem; pro parte vestrum, asserentium vos a Sede Apostolica indultum ad doctoratus huiusmodi gradum, tam in philosophia quam in medicina, praemisso rigoroso examine, aliisque ad id requisitis de more solemniter observatis, quoscumque idoneos promovendi obtinuisse, nobis fuit humiliter supplicatum ut privilegia vobis concessa confirmare, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio privilegior. collegii, quatenus sunt in usu.

§ 2. Nos, specialibus favoribus et gratiis vos prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, tenore praesentium, privilegia et indulta necnon gratias collegio vestro per felicis recordationis Clementem VII et alios Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa (quatenus sint in usu) approbamus et confirmamus.

Facultas collegii privative quoad alios quoscumque in philosophia et medicina doctorandi.

§ 3. Ac statuimus et ordinamus ex nunc et de cetero, perpetuis futuris temporibus, ut nullus, etiam praetextu cuiusvis licentiae seu facultatis sibi, etiam apostolica auctoritate, concessae, seu privilegiorum et indultorum ac literarum apostolicarum quibusvis personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, conditionis, præeminentiae, nobilitatis et excellentiae existentibus, Romanae Curiae officialibus, eorumque collegiis, ac quacumque dignitate fulgentibus, ut illorum contemplatione seu intuitu, etiam motu proprio et ex titulo oneroso et ex quibusvis aliis, quantumcumque maximis et urgentissimis causis, sub quibuscumque verborum formis et expressionibus, ac ex quibusvis efficacissimis et insolitis ac etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, etiam talibus, quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo et forma, eis derogari possit, irritantibusque et aliis decretis, per nos et praedecessores nostros ac Sedem Apostolicam seu alias pro tempore concessis, ad philosophiae, medicinae seu earum alterum doctoratus gradum, praeterquam a vestro physicorum et medico-

rum collegio, in dicta alma Urbe nostra existente, assumi, creari et promoveri possit. Decernentes assumptiones, creationes et promotiones huiusmodi, per vestrum physicorum et medicorum collegium faciendas, validas et efficaces existere, suosque effectus sortiri debere. Quascumque autem alias huiusmodi creationes, assumptiones ac promotiones, per alios quam per collegium vostrum de cetero in ipsa Curia faciendas, cum inde secutis quibuscumque, ex nunc prout ex tunc, irritas et inanes nulliusque roboris et momenti esse censeri, ac nemini suffragari; ipsique ab aliis quam a collegio vestro ad gradus huiusmodi assumpti, pro non promotis aut doctoratis haberi mandamus. Volumus tamen quod vos et collegium vestrum quoscumque pauperes vel egentes, quos ad susceptionem graduum huiusmodi habiles et idoneos reperietis, ad doctoratus huiusmodi gradum benigne et gratiose assumere et promovere debeatis.

Iurisdictio proto-medici cognoscendi causas civiles et criminales.

§ 4. Et insuper, cum intellexerimus dilectum filium proto-medicum dictae urbis pro tempore existentem, in causis tam civilibus quam criminalibus in prima instantia, ad eius cognitionem, ratione dicti sui officii, quomodolibet spectantibus et pertinentibus, a diversis eiusdem Romanae Curiae iudicibus sive commissariis, ordinariis vel extraordinariis, impediri ac inquietari et in dies molestari; nos, eiusdem proto-medici ac vestri collegii indemnitati consulere cupientes, sub excommunicationis latae sententiae ac mille ducatorum auri, pro una Camerae Apostolicae, pro alia vero medietatibus vostro collegio applicandis, poenis, districtius inhibendo mandamus quibuscumque huiusmodi almae urbis nostrae iudicibus et commissariis, ordinariis et extraordinariis, quaecumque dignitate fungentibus, ne proto-medicum praedictum in causis similibus, ad eius officium, ut praemittitur, spectantibus et pertinentibus, quoquo modo molestare et impedire vel in eis se intromittere debeant seu possint.

Inhibitiones aliorum iudicum non afficiunt ipsum protomedicum.

§ 5. Declarantes ex nunc prout ex tunc inhibitiones quascumque et inde secuta quaecumque in dictis iudiciis, contra eumdem proto-medicum in dictis causis ad eum pertinentibus, quomodocumque de cetero decernendas et faciendas, seu hucusque decretas aut inhibitas, ipso iure et facto fore et esse nullas ac nullius roboris et momenti; ac illis non obstantibus, quod idem proto-medicus in ipsis causis procedere possit et valeat, sine aliquo censurarum ac pecuniarum [1] poenarum, in huiusmodi inhibitionibus exprimendarum, incursu, perinde ac si tales inhibitiones ac alia inde secuta quaecumque non emanassent, nisi alias per nos seu successores nostros Romanos Pontifices provisum fuerit.

Clausula sublata.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac quiequid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Deputatio executorum et defensorum.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus Liparensi et Balneoregiensi episcopis ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae auditori, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant aucto-

[1] Cherub., *praedictarum* (R. T.).

ritate nostra vos praesentibus et in eis contentis quibuscumque pacifice frui et gaudere, non permittentes vos desuper contra praesentium tenorem, quomodolibet indebite molestari. Contradictores, molestatores quoslibet et rebelles, per censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae urbis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibusvis personis, cuiusvis dignitatis et praeeminentiae existentibus, et quacumque, etiam archiepiscopali, vel alia maiori dignitate fulgentibus, quomodolibet concessis, quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI aprilis MDLIII pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 21 aprilis 1553, pontif. anno IV.

XXVII.

Confirmatio et extensio constitutionum a plerisque Romanis Pontificibus editarum contra non solventes Reveren. Camerae Apostolicae communia et minuta servitia ac annatas.

Iulius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cupientes Camerae Apostolicae, ex qua non modo S. R. E., verum etiam toti reipublicae christianae subsidium provenit, et collegii venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, ac officialium Sedis Apostolicae indemnitati consulere, et eorum iura, ut tenemur, illaesa praeservare, his, quae a praedecessoribus nostris ad hoc provide emanarunt, libenter adiicimus nostri muniminis firmitatem, aliasque desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Pius II poenas hic expressas imposuit non solventibus Camerae Apostolicae annatas.

§ 1. Dudum siquidem, postquam felicis recordationis Pius Papa II, praedecessor noster, accepto quod numerus debitorum dictae Camerae plurimum auctus erat, et quod obligati pro annatis beneficiorum ecclesiasticorum, quae apostolica auctoritate assecuti fuerant, excommunicationis sententiam in eos latam, quam non solvendo in termino eis praefixo ipso facto incurrebant, minime curare videbantur, unde animabus sic illaqueatis periculum imminebat, et continue eidem Camerae damna subsequebantur. Cupiens tam saluti animarum quam indemnitati Camerae huiusmodi salubriter providere, per suas ordinaverat quod omnes, qui ex tunc de cetero pro annatis quorumcumque beneficiorum in dicta Camera se obligarent, si, infra terminos eis praefixos, dictae Camerae aut collectoribus fructuum et proventuum eidem Camerae debitorum in illis partibus existentibus satisfacere deficerent, ipso facto, lapsis terminis praedictis, non solum in sen-

tentiam excommunicationis inciderent, sed etiam beneficiis, pro quibus se in ipsa Camera obligassent, omnino privati essent; ii vero, qui se pro annatis huiusmodi non per se, sed pro aliis, ut principales, obligarent, si in terminis non satisfacerent, ultra sententiam excommunicationis huiusmodi, essent omnibus beneficiis ecclesiasticis per eos obtentis eo ipso privati, possentque talia beneficia per quoscumque libere impetrari.

Pauli II constitutio.

§ 2. Et piae memoriae Paulus etiam PP. II, praedecessor noster *etc.* [1].

Innocentii VIII.

§ 3. Ac similis memoriæ Innocentius Papa VIII, similiter prædecessor noster *etc.* [2].

Et Iulii II.

§ 4. Sanctae memoriae Iulius similiter Papa II, et praedecessor noster *etc.* [3].

Post praedictas constitutiones multae uniones perpetuae factae sunt, et tamen in Camera obligationes de solvendo annatas receptae non fuerunt vel executae.

§ 5. Cum autem, sicut accepimus, malitia et avaritia hominum in dies crescente, ordinationes, statuta, voluntates, decreta et declaratio Pii et Pauli ac Innocentii et Iulii praedecessorum huiusmodi ad praesens plene non observentur, et a tempore ipsius Alexandri praedecessoris citra, tam per ipsum Iulium quam etiam felicis recordationis Leonem X, Hadrianum VI et Clementem VII ac Paulum III, Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos diversae aliae uniones, annexiones, incorporationes et applicationes perpetuo factae et concessae fuerint, ac, ex incuria agentium pro Camera praedicta seu alias, obligationes de solvendis communibus et minutis servitiis ac annatis seu mediis fructibus, aut aliis iuribus solvi debitis et consuetis, factae non fuerint, et quae factae sint executioni non demandentur, in eorum, ad quorum commodum uniones, annexiones, incorporationes et applicationes praedictae factae fuerunt, animarum periculum, et Camerae ac collegii cardinalium et officialium detrimentum, necnon reipublicae huiusmodi non leve praeiudicium.

Pontifex iste ideo approbat et innovat constitutiones praedictas et ampliat etiam ad beneficia de iure patronatus imperatoris et principum quorumcumque.

§ 6. Nos, volentes in praemissis opportune providere, praedecessorum huiusmodi vestigiis inhaerendo, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera deliberatione et certa scientia nostris, ordinationes, statuta, voluntates, decreta et declarationem Pii et Pauli ac Innocentii et Iulii praedecessorum huiusmodi, necnon desuper confectas literas, ac omnia et singula in eis contenta, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et innovamus, ac robur perpetuae firmitatis obtinere, et quibuscumque, tam in eisdem literis nominatis, quam non nominatis, virorum et mulierum, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus congregationibus, ac omnibus aliis sub singulis praedictis et praesentibus nostris literis comprehensis personis, tam pro praeterito quam futuro tempore, inviolabiliter observari, eaque omnia ac censuras et poenas in singulis literis huiusmodi contentas contra omnes congregationes et personas praedictas, quoad omnia et singula monasteria et beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, quomodolibet qualificata, quae congregationes praedictae quomodolibet communiter possident, etiamsi de iure patronatus laicorum, etiam imperatoris, regum, ducum, marchionum, baronum, comitum et aliorum nobilium, etiam illustrium, aut dummodo per ipsas congregationes possideantur, tam in Romana Curia quam extra eam, inter quoscumque litigiosa existant, vigere et locum habere, totalique et plenariae executioni demandari debere decernimus. Necnon ea omnia quae singuli praedecessores praedicti voluerunt, eisdem autorictatae et te-

1 Ut in sua constitutione VIII, *Decet*, tom. V, pag. 197. 2 Ut in sua constitutione IV, *Apostolicae*, tom. V, pag. 311. 3 Haec bulla fuit omissa uti simpliciter confirmatoria.

nore volumus, ac praemissa omnia, prout per ipsos praedecessores ordinata, statuta, decreta et declarata fuerunt, de novo ordinamus, statuimus, decernimus et declaramus, eaque omnia ad quascumque, tam saeculares quam regulares, virorum et mulierum congregationes, quantumvis privilegiatas et exemptas, auctoritate et tenore praedictis, extendimus et ampliamus.

Clausula praeservativa.

§ 7. Decernentes praesentes literas de intentionis nostrae defectu notari, aut praetextu quod in aliquibus locis non recipiantur, aut moribus utentium non comprobentur impugnari, aut in desuetudinem abire dici non posse, sed ex die earum publicationis modo infrascripto faciendae quoscumque ligare.

Decretum irritans.

§ 8. Sicque et non aliter, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis, etiam dicta apostolica, auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae singuli praedecessores praedicti in singulis eorum literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma et effectus publicationis.

§ 10. Ut autem praesentes nostrae literae ad omnium, quorum interest, notitiam deducantur, nullusque deinceps possit aliquam in praemissis excusationem praetendere, aut ignorantiam allegare, auctoritate et tenore praedictis, volumus et mandamus quod literae huiusmodi in valvis Cancellariae Apostolicae tribus diversis diebus, dum ipsa cancellaria tenebitur, per aliquem ex cursoribus nostris affigantur, et donec illa duraverit, affixae teneantur, exindeque in quinterno Cancellariae, ubi similes constitutiones describi consueverunt, per eos, ad quos spectat, ad perpetuam rei memoriam, describantur et registrentur.

Sanctio poenalis.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam *etc.* Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, quintodecimo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno IV.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini MDLIV, indictione XII, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Iulii divina providentia Papae III, anno eius IV, retroscriptae literae apostolicae in valvis Cancellariae Apostolicae tribus diversis diebus, dum ipsa cancellaria tenebatur, et donec illa duravit, videlicet diebus martis IX, necnon iovis XI et sabbati XIII, mensis ianuarii, iuxta ipsarum literarum tenorem affixae et publicatae fuerunt per me Umbertum Hollonium, praelibati domini nostri Papae cursorem.

Ioannes Freile, magister cursorum.

Dat. die 18 decem. 1553, pontif. anno IV.

XXVIII.

Quod frater germanus alienius Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis viventis, ad cardinalatum promoveri non possit.

Sanctissimus dominus noster dominus Iulius divina providentia Papa III.

Pro bono regimine sanctae Romanae Ecclesiae ac pro felici sacri collegii cardinalium directione, de ipsorum cardina-

lium consilio et unanimi assensu, praesenti decreto statuit.

Quod frater germanus cardinalis viventis creari non possit cardinalis.

§ 1. Ut nullo umquam tempore assumatur aliquis posthac in eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem, qui sit frater germanus alterius cardinalis viventis. Itaque eodem tempore duo fratres germani in eodem collegio nullatenus esse possint. Decernens et declarans fratres cardinalium viventium ad cardinalatus dignitatem penitus incapaces et inhabiles habendos et reputandos esse.

Dictaeque sanctioni derogari non possit.

§ 2. Et ex nulla, quantumvis urgentissima, causa adversus hoc decretum dispensare licere.

Actum Romae, die veneris, XXVI mensis ianuarii MDLIV, in consistorio.

Dat. die 26 ianuarii 1554, pontif. anno IV.

XXIX.

Beneficiorum ecclesiasticorum possessionem, per provisos, literis apostolicis minime expeditis, apprehensam, nullam esse declarat, illosque privatos beneficiis fore decernit [1].

Sanctissimus in Christo pater et D. N. D. Iulius divina providentia Papa III.

Gregorius X prohibuit electos ad ecclesias illarum administrationi se immiscere ante sui confirmationem.

§ 1. Cui nuper innotuit quod, licet alias felicis recordationis Gregorius X, in generali concilio Lugdunensi, sua generali constitutione sanciverit quod nullus ex tunc de cetero administrationem dignitatis, ad quam electus esset, priusquam celebrata de ipso electio confirmaretur, sub oeconomatus vel procurationis nomine, aut alio de novo quaesito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se vel per alium, pro parte vel in totum, gerere vel recipere aut illis se immiscere praesumeret: omnes illos, qui secus fecissent, iure, si quod illis per electionem quaesitum foret, decernens eo ipso privatos.

Cavit etiam Bonifac. VIII ne provisi de ecclesiis aliisque beneficiis, eorum curam susciperent, non confectis literis apostolicis provisionum huiusmodi.

§ 2. Et piae memoriae Bonifacius VIII etiam sua perpetua valitura constitutione sanciverit ut episcopi et alii praelati, superiores, necnon abbates, priores et ceteri monasteriorum regimina exercentes, quocumque nomine censerentur, qui apud Sedem Apostolicam promoverentur, aut confirmationis, consecrationis vel benedictionis munus reciperent, ad commissa eis ecclesias et monasteria (dictae Sedis literis, eorum promotionem, confirmationem, consecrationem seu benedictionem huiusmodi continentibus, non confectis) accedere, vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere non praesumerent, nullique eos, absque dictarum literarum ostensione, reciperent, aut eis parerent vel intenderent. Quod si forsan contra praesumptum fuisset quod per episcopos, praelatos, abbates, priores et alios monasteriorum regimina exercentes praedicto tempore [1] actum foret, irritum haberetur, nec quicquam interim iidem episcopi vel praelati, abbates, priores vel regimina exercentes de ecclesiarum vel monasteriorum eorumdem proventibus perciperent.

Paulus III, sub excommun. poena, tabellionibus inhibuit ne de transumptis bullarum. se rogarent.

§ 3. Et recolendae memoriae Paulus III, Romanus Pontifex praedecessor noster, quibuscumque tabellionibus publicis, sub excommunicationis latae sententiae poena, inhibuerit ne ex tunc de cetero de transumptis supplicationum, praeterquam habentium clausulam *quod earum sola signatura sufficeret*, ac decreto et concessione literarum seu mandatorum, possessionem beneficiorum ecclesiasticorum, vigore supplicationum huiusmodi apprehendi, rogari deberent, neve illa scribere vel subscribere aut quovis modo authenticare vel partibus tradere praesumerent;

Prohibens praeterea beneficia-

volens et apostolica auctoritate statuens, inter cetera, quod partes transumptis

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic.

[1] Matth., *praedictos medio tempore* loco *praedicto tempore* (R. T.).

tie ne huiusmodi transumptis uterentur.

seu literis aut mandatis huiusmodi ex tunc deinceps utentes, ac illorum praetextu possessionem huiusmodi apprehendentes, fructus, quos ex illis pro tempore perciperent, suos non facerent; quinimo ad beneficia, in eisdem transumptis et literis ac mandatis expressa, efficerentur ipso facto perpetuo inhabiles, et ad restitutionem fructuum ex illis pro tempore perceptorum in utroque foro tenerentur; decernens sic iudicari debere, ac irritum *etc*.

Iulius statuerat per iudices quoscumq. non iudicari iuxta tenores supplicationum signatarum.

§ 4. Et successive Sanctitas Sua, attendens quod ante confectionem literarum gratia apostolica est informis, inter alia, voluerit, statuerit et ordinaverit quod iudices in Romana Curia vel extra eam pro tempore existentes, etiamsi essent S. R. E. cardinales vel causarum Palatii Apostolici auditores aut quicumque alii, non iuxta supplicationum super impetratione signatarum tenores et formas iudicare deberent, etiam decreto irritanti adiecto.

Attamen praevisi beneficiorum possessionem apprehendebant, literis apostolicis non expeditis.

§ 5. Nihilominus diversi episcopi et alii praelati, superiores et abbates, literis super dispensatione retinendi beneficia, per eos, antequam promoverentur aut eorum electiones confirmarentur, obtenta, per praedictam Sedem pro tempore concessis, minime confectis, beneficia per eos obtenta praedicta retinere, et diversae aliae personae ecclesiasticae possessionem beneficiorum ecclesiasticorum, eis dicta auctoritate conferri seu commendari, vel in eorum favorem uniri aut alias disponi concessiones, literis apostolicis desuper non expeditis, apprehendere praesumunt, inhabilitatem et alias poenas in sanctionibus et inhibitione et voluntate et statuto praedictis contentas damnabiliter incurrendo, in animarum suarum periculum.

§ 6. Volens periculis animarum huiusmodi latius occurrere, sanctiones et inhibitionem ac voluntatem et statutum huiusmodi, quorum tenores Sanctitas Sua, ac si de verbo ad verbum insererentur, haberi voluit pro expressis, approbans et innovans ac perpetuo observari debere decernens.

Sanctiones supra relatas confirmat,

Et extendit ad beneficia inferiora; eosque qui beneficiorum quorumcumque possessionem ineunt, literis apostolicis desuper non expeditis, intrusos reputari iubet.

§ 7. Et sanctiones ipsas ad inferiora beneficia ecclesiastica, quaecumque et quomodocumque qualificata, amplians et extendens, hac sua in perpetuum valitura constitutione statuit et ordinavit quod omnes et singulae personae ecclesiasticae, tam saeculares quam quorumvis Ordinum regulares, cuiusvis status, gradus, ordinis vel conditionis existant, etiamsi episcopali vel archiepiscopali aut patriarchali vel alia maiori dignitate praefulgeant; quod de cetero, literis super dispensationibus retinendi beneficia, per eos, antequam promoveantur aut eorum electiones confirmentur, obtenta, eis per Sedem eamdem pro tempore concessis, minime confectis, beneficia ipsa retinere, aut possessionem alicuius seu aliquorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura vel sine cura, saecularium vel quorumvis Ordinum regularium quorumcumque et qualitercumque qualificatorum, eis dicta auctoritate apostolica conferri seu commendari, aut in eorum favorem et commodum uniri seu alias disponi possessiones, literis apostolicis super collatione seu commenda aut unione seu alia dispositione huiusmodi non expeditis, per se vel per alium seu alios eius nomine, etiam supplicationum seu sumptorum vel transumptorum huiusmodi aut collationum eis postmodum de ipsis beneficiis, tamquam etiam tunc certo modo in supplicatione expresso vacantibus, ordinaria vel alia quavis auctoritate factarum praetextu, apprehendere praesumpserint, aut per alios apprehensam, ratam et gratam habuerint; ipsorum beneficiorum non possessores, sed meri et nudi detentores, ac violenti et sine aliquo

titulo in eis intrusi censeantur et pro talibus habeantur et reputentur; nec fructus suos faciant, sed ad illorum restitutionem, ut praefertur, teneantur et obligati existant; constitutiones seu dictae Cancellariae regulae de annali et triennali possessione in illis locum non habeant; nec eisdem detentoribus et intrusis in aliquo suffragentur.

Immo beneficia ab aliis posse impetrari.

§ 8. Quinimmo beneficia, per eos, tempore promotionis suae aut eorum electionis confirmationis, obtenta, literis super dispensatione ea retinendi sibi concessa non expeditis, retinentes, aut possessionem beneficiorum, literis apostolicis super illis non confectis, apprehendentes seu per alios apprehensam, ratam et gratam habentes, beneficia sic retenta aut apprehensa et omne ius, quod in illis vel ad illa pro tempore quomodolibet habuerint, eo ipso amittant; illisque et illo privari ac ad illa de cetero obtinenda perpetuo inhabiles, nec illa ulterius et praetextu novi tituli aut novae commendae vel unionis seu alterius dispositionis, etiam apostolica auctoritate factae, assequi valeant, sed beneficia ipsa, tamquam de iure et facto vacantia, aliis conferri seu commendari, et per quosvis, tam ab eorum ordinariis collatoribus quam a Sede praedicta, libere impetrari possint.

Primique provisi omni iure vacui censeantur.

§ 9. Et si beneficia ipsa litigiosa fuerint, collitigantes in omni iure et ad omne ius, quod beneficia retinentibus aut possessionem apprehendentibus huiusmodi in eisdem beneficiis vel ad illa quomodolibet competebat aut competere poterat, eo ipso, absque aliquo iuris aut hominis ministerio, surrogentur et surrogati esse censeantur, ac in eorum favorem causa desuper pendens advocata et lis extincta fuisse et similiter esse censeantur.

§ 10. Quodque de cetero supplicationes, etiam manu nostra et motu proprio signatae, nisi habuerint clausulam, *quod earum sola signatura sufficiat*, nullam [1] per literarum super illis conficiendis fidem aut probationem faciant seu praestent, nec ulla eis in aliquo alio casu fides adhiberi aut adhiberi possit.

Supplicationes vero, nisi sit clausula, *quod sola signatura sufficiat*, nullam faciant probationem.

Praesentium literarum firmitas.

§ 11. Decernentes sic et non aliter, tam in eadem Curia quam extra eam, et in partibus per quoscumque iudices ac commissarios, quavis etiam apostolica auctoritate praedicta fungentes, etiam causarum Palatii huiusmodi auditores et ipsius S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, iudicari et definiri debere; ac irritum *etc.*

Placet, publicetur et describatur *etc.*

XXX.

Prohibitio blasphemiarum et barattariarum in alma Urbe, et iurisdictio generalium inquisitorum haereticae pravitatis coercendi ipsos blasphematores ac eos scientes et non revelantes [2].

Iulius Papa III, ad futuram rei memoriam.

Causa istius constitutionis.

In multis depravatis moribus, vitiosisque consuetudinibus, quae in nostram hanc almam Urbem, propter eius amplitudinem magnumque advenarum undique in eam concursum, simul cum pluribus eximiisque virtutibus atque egregiis verae pietatis exemplis, irrepserunt, ad quas nos tollendas et extirpandas, omnem aciem mentis et cogitationis nostrae intendimus, nihil est quod animum nostrum magis exulceret et confodiat quam horribilis atque impia et christianis auribus

1 Matth. legit *nullam aliam quam per* (R. T.).

2 Contra hos blasphematores procedit etiam vicarius Papae, ut legitur in constitut. XLV Pauli III, *Licet*, sup., pag. 549; et de materia blasphematorum vide etiam Leonis X constitutionem VIII, *Supernae*, tom. V, pag. 604.

intollerabilis divini nominis blasphemia. Cum audivimus sacratissimum Dei et Iesu Christi Domini nostri nomen, quod super omne nomen coelestia venerantur, terrestria adorant, inferna contremiscunt (quod ne temere quidem a quoquam, propter eius sublimitatem ac maiestatem, usurpandum sit), passim pravorum efferatorumque hominum vocibus scindi, unaque cum eius sanctissimae Genitricis et venerabilium sanctorum et amicorum ipsius summi Dei nomine, detestandis blasphemiis maledictisque lacerari, ut minime mirandum sit, si a christianis populis, in tantis calamitatibus constitutis, divinae iracundiae flagella non amoveantur, propterea quod, iuxta Sapientis dictum: A viri multum iurantis domo non discedet plaga.

Prohibitio cum poenarum impositione contra

§ 1. Quare nos, huiusmodi execrandum abusum simul cum ceteris omnibus, quantum, cum eiusdem Dei adiutorio, fieri poterit, extirpare volentes, ut hanc ipsam urbem, domicilium ac sedem Spiritus Sancti, omnibus inquinamentis mundatam ac perpurgatam Domino Deo per omnia placentem exhibeamus, in hunc, qui sequitur, modum, quoad praefatum horrendae blasphemiae crimen, motu proprio et ex certa nostra scientia et voluntate, invocata Dei omnipotentis iustitia, decernimus, statuimus et ordinamus.

Blasphemantes Deum, Christum et Spiritum Sanctum

§ 2. Blasphemantes scilicet Deum Patrem omnipotentem vel eius Filium Unigenitum, Dominum et Redemptorem nostrum Iesum Christum, seu Spiritum Sanctum, vel particulariter et explicite, vel generaliter et implicite, attribuendo Divinae Maiestati quae illi minime conveniunt, vel removendo quae eam decent, primo convicti, si divites fuerint, compellantur ad solvendum scuta auri quadraginta; si vero pauperes, solvant decem; quae si nequeant numerare, luant in corpore. Secunda vice convictis, nobilibus, divitibus sive pauperibus, duplicetur poena pecuniaria proportionabiliter ad primam huiusmodi mulctam, atque insuper incurrant infamiam et inhabilitatem ad beneficia quaecumque, ad gradus, dignitates et honores obtinendos. Vilibus convictis perfodiatur lingua. Tertia vice convictis nobilibus, tam divitibus quam pauperibus, triplicetur poena pecuniaria respective, ut supra. Ulterius sint ipso iure privati beneficiis ecclesiasticis et officiis quibuscumque, dignitatibus, titulis, magistratibus, honoribus; sint intestabiles, tam active quam passive; sint inhabiles ad ferendum testimonium; sint banniti publice per triennium ab Urbe. Vilibus imponatur fustigatio aut deportatio ad triremes per triennium, et exulent perpetuo.

Mariamque Virginem,

§ 3. Idem servetur contra blasphemantes ipsius Domini nostri Iesu Christi Matrem beatissimam semper Virginem Mariam.

Sanctos et Sanctas.

§ 4. Blasphemi in sanctos vel sanctas Dei corrigantur severe, arbitrio dominorum iudicum, habita ratione qualitatis et gravitatis criminis, cum ceteris circumstantiis iure attendendis.

Poenarum applicatio.

§ 5. Volumus autem et statuimus ut omnes poenae pecuniariae exigendae applicentur tantummodo sustentationi orphanorum utriusque sexus cathecumenorum et puellarum.

Iurisdictio inquisitorum generalium in blasphemos,

§ 6. Iudices vero tam horrendi et impii criminis deputamus et instituimus reverendos dominos inquisitores nostros generales, quos volumus posse addere praestitutis poenis et maxime in corpore, si modus blasphemiae, ob gravitatem, impietatem vel malitiam, id exposcat.

Dubiaque declarandi.

§ 7. Partes eorumdem dominorum iudicum erunt declarare, si dubium occurrat, qui nobiles, qui plebei, qui divites, qui pauperes sint habendi.

§ 8. Insuper, ne sacrilega et mortifera

Scientes revelent blasphematores, alioquin poenas hic positas incurrent.

haec pestis, si lateat, minus curari vel praecidi possit, ex omnipotentis Dei auctoritate mandamus omnibus et singulis, cuiuscumque sint gradus et conditionis, qui sciverint aliquos blasphemasse, ut supra, quod eos denuncient infra triduum reverendissimis iudicibus, vel per se ipsos vel per chirographum, modo et ordine inferius exprimendo. Sicque omnes et singulos in districto Dei iudicio requirimus, et eorum conscientias aggravamus. Monendo tamen eos quod, si constiterit aliquem scientem noluisse denunciare, cuiuscumque fuerit status, dignitatis et conditionis, praeter ultionem iustitiae divinae, quam ei annunciamus, et praeter culpam mortalem, quam incurret ob inobedientiam et ob neglectum honorem Dei, punietur eisdemmet poenis, quibus blasphemi, et sic eos mulctari praecipimus; non enim solum digni sunt poena aut supplicio, qui ea faciunt, sed et qui non corrigunt facientes.

Volentes eos denunciare secrete, servent hic tradita.

§ 9. Cupientes denunciare secrete, scribant in chirographo nomen blasphemiae et speciem, locum et diem blasphemiae, et si placuerit apponere nomen proprium, addant duos vel saltem unum testem; si vero maluerint ipsi denunciantes supprimere nomina propria, adscribent tres vel saltem duos in chirographo, qui sint testes de blasphemia, et illud per religiosam personam, per spiritualem patrem, cui confidant, mittant uni, cui voluerint, ex reverendissimis iudicibus ordinariis, quibus, ita ad deferendum electis, praecipimus, in virtute Spiritus Sancti et sanctae obedientiae, quod nemini habeant revelare denunciantes testes vel denunciatos, nisi tribunali iam decreto, in quo volumus servari omnino secretos, tum denunciantes tum testes, non secus ac servantur in causa fidei.

§ 10. In condemnando pro hoc execrabili scelere, stabitur duobus testibus fide dignis; poterit haberi loco testis unius denuncians, si medio iuramento denunciet, diligenter observata qualitate, integritate et reliquis circumstantiis, tum denunciantis tum alterius testis.

Denunciator cum uno teste plene probet.

Falsus denunciator vel testis subeat blasphemorum poenas.

§ 11. Si qui (quod Deus avertat) inventi fuerint denunciantes vel attestantes falso, subeant poenas blasphemorum, et illomet ordine, et nihilominus severissimis et gravissimis poenis, etiam in corpore, affligantur, ac ad triremes perpetuo deputentur.

Blasphemi se deferentes, non patientur.

§ 12. Blasphemis non accusatis nec denunciatis, si seipsos humili et contrito corde accusent, si de eorum iniquitate veniam petant, condonamus omnes poenas a nobis impositas; interim tamen lacrymis, orationibus et ceteris voluntariis poenitentiis, peccatum maxime detestabile redimant in misericordia Domini.

Prohibitio tenendi barattarias.

§ 13. Quia vero compertum habemus ludos, quos barattarias vulgus appellat, praeter multas iniquitates, quibus causam praebent, blasphemiam maxime enutrire, gignere et evomere, ideo, auctoritate nostra, in spiritu Domini, praesenti decreto nostro et motu proprio amovemus, damnamus, prohibemus omnes huiusmodi barattarias, tamquam semina plurium impietatum. Et qui in posterum ausi fuerint eas manutenere vel exercere, volumus ac iubemus eos carceribus mancipari de facto, et puniri poenis a iure contra aleatores statutis; et insuper arbitrio dominorum iudicum praefatorum *etc.* mulctari gravissime pro transgressione huius nostrae prohibitionis, a qua nullum excipimus, cuiuscumque sit gradus, dignitatis vel conditionis; et pro hac causa dumtaxat, cassamus, irritamus, annullamus quamcumque praetensam licentiam vel exemptionem.

Transumptorum fides.

§ 14. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima februarii MDLIV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 februarii 1554, pontif. anno IV.

XXXI.

Ecclesiarum praelati ex Palatio Apostolico panem habentes, familiares et continui commensales Romani Pontificis declarantur; eorumque beneficia ipsi Pontifici reservantur [1].

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Iulius divina providentia PP. III.

Causa istius declarationis.

Cui nuper innotuit quod a nonnullis vertitur in dubium, an ecclesiarum praelati panem ex Palatio Apostolico, ratione personae suae et non alterius officii per eos pro tempore obtenti, quotidie habentes, sint Sanctitatis Suae veri et indubitati, et non ficti aut per privilegium, praelati domestici et continui commensales, considerans panem huiusmodi eis nonnisi ratione familiaritatis et continuae commensalitatis exhiberi.

Declaratio quod ecclesiarum praelati panem habentes ex Palatio Apostolico, sint veri familiares et continui commensales Pontificis.

§ 1. Et propterea volens dubium huiusmodi, suae declarationis oraculo, de medio tollere, declaravit omnes et singulos ecclesiarum praelatos, qui, solum ratione personae suae et non alicuius officii per eos pro tempore obtenti, panem ex Palatio Apostolico quotidie habent, seu habere possunt et in posterum habebunt, seu habere poterunt, licet in eodem Palatio non habitent, et ultra panem alia victui humano necessaria non habeant, nec in posterum habituri sint, Sanctitatis Suae veros et indubitatos, et non ficte aut per privilegium, praelatos domesticos et continuos commensales esse ac in posterum fore, et pro talibus et ut tales censeri et reputari debere, ita ut sub regulis Cancellariae Apostolicae et aliis constitutionibus suis, tam editis quam edendis, de veris familiaribus continuis commensalibus Sanctitatis Suae loquentibus, comprehensi, et illis, quoad omnia, subiecti sint, ipsique illis uti, potiri et gaudere possint.

Beneficiorum collatio Pontifici reservata.

§ 2. Et Sanctitas Sua de beneficiis ecclesiasticis per eos pro tempore obtentis, qualitercumque qualificatis et ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, etiam indultum speciale super conferendis beneficiis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem pertinentibus a Sanctitate Sua aut Sede Apostolica habentium, communiter vel divisim, spectantibus, quae per eorum obitum in Romana Curia vel extra eam in posterum vacabunt, tamquam Sanctitati Suae, ratione familiaritatis et continuae commensalitatis huiusmodi, generaliter reservatis, providere et de illis disponere libere et licite possit, in omnibus et per omnia, perinde ac si ipsi praelati in dicto Palatio habitarent et, ultra panem, alia victui humano necessaria haberent.

Decretum irritans.

§ 3. Sicque per quoscumque *etc.*, etiam cardinales, praelatorum ac causarum Palatii Apostolici auditores, in quavis causa et instantia, sublata *etc.*, iudicari et definiri debere; ac irritum *etc.*

Placet, publicetur et describatur. I.

Lecta et publicata fuit suprascripta regula Romae in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, die vero martis, XIII mensis februarii, pontificatus praelibati sanctissimi domini nostri domini Iulii divina providentia Papae III anno IV.

A. Lomellinus, cursor.

Pub. die 13 februarii 1554, pontif. anno IV.

[1] Aliam super huiusmodi familiaritate sanctionem edidit Paulus III in constitutione III, *Sanctissimus*, sup. pag. 183.

XXXII.

Contra hebraeos retinentes libros Thalmudi et alios, in quibus nomen Iesu Salvatoris nostri etc. cum blasphemia aut alias ignominiose nominatur.

Iulius Papa III universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis aliis locorum ordinariis, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa constitutionis.

Cum, sicut nuper, non sine animi nostri molestia, accepimus, licet alias venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales, haereticae pravitatis in universa republica christiana inquisitores generales, certum hebraicorum librorum volumen, Ghemarot Thalmud[1] nuncupatum, nonnulla indigna et legem divinam orthodoxamque fidem offendentia continens, de mandato nostro damnaverint et igne comburi fecerint, nihilominus inter ipsos hebraeos adhuc esse dicantur diversi libri diversas contra Christum Redemptorem nostrum eiusque sanctissimum nomen et honorem blasphemias et ignominias continentes.

Iussio comburendi libros Talmud etc.

§ 1. Nos, in praemissis opportune providere volentes, vobis et vestrum cuilibet per praesentes committimus et mandamus quatenus singulis universitatibus hebraeorum, infra limites iurisdictionis vestrae consistentibus, ex parte nostra intimetis et notificetis quod, elapsis quatuor mensibus a die intimationis et notificationis huiusmodi, omnes et singuli libri, in quibus nomen Iesu Salvatoris nostri, quod lesevi Hanozri dicitur, cum blasphemia, aut alias ignominiose nominatur, tam in eorum synagogis et locis publicis quam privatis domibus, et alias ubique locorum diligentissime exquirantur; et qui libros huiusmodi penes se quoquo modo habere reperti fuerint, debitis poenis, tam pecuniariis et confiscationis bonorum, quam, si eorum contumacia aut qualitas delicti id exegerit, corporis, etiam ultimi supplicii, ac alias prout a fide Christi apostatantes puniuntur, irremissibiliter puniantur; et nihilominus, eisdem quatuor mensibus elapsis, per vos vel alium seu alios, quos ad hoc duxeritis deputandos, libros huiusmodi cum omni diligentia inquiratis et studiose investigetis, inquirique et investigari faciatis, et eos quos libros huiusmodi penes se habere repereritis, poenis, quibus apostatantes praefati puniuntur, omnino et irremissibiliter puniatis.

Prohibitio hebraeos vexandi occasione aliorum librorum.

§ 2. Non permittentes de cetero eosdem hebraeos (qui, in memoriam Passionis dominicae, a sancta matre Ecclesia tolerantur, ut aliquando mansuetudine nostra allecti ad verum Christi lumen, divino afflante spiritu, convertantur) a quibusvis, etiam apostolica auctoritate fungentibus, occasione cuiusvis sortis librorum apud eos existentium, dummodo blasphemiam, ut praefertur, non contineant, nisi de nostro expresso mandato, quomodolibet vexari aut molestari; contradictores quoslibet et rebelles, ac vobis in praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias, arbitrio vestro moderandas et applicandas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas praedictas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsorum hebraeorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis aposto-

[1] *Talmud* et *Thalmud (doctrina)*, opus omnem theologiae et moralis doctrinam hebraeorum continens. Duplex est, *Hierosolymitanum* et *Babylonicum*: illud brevius, sed vetustius, editum primo Venetiis 1523 una in folio volumine: hoc, magnum revera opus, ibidem decem annorum spatio (1520-1530), duodecim in folio voluminibus lucem vidit. Utrumque duobus partibus constat, *Mishnà*, quae *Secunda lex* (δευτέρωσις), et *Gemara*, quae *Complementum* sonat. Babylonicum, de quo hic Pontifex, fabulis, erroribus mirum in modum scatet (R. T.).

licis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis quomodolibet concessis ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes *etc.*

Fides transumptorum.

§ 4. Et quia difficile foret *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX maii MDLIV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 29 maii 1554, pontif. anno V.

XXXIII.

Declaratio bannimentorum contra facinorosos aliosque exules et bannitos Status Ecclesiastici editorum.

Iulius Papa III, ad futuram rei memoriam.

Edicto publico eiiciuntur Iulius banniti e toto Ecclesiast. Statu exulare.

§ 1. Nuper volentes Ecclesiastici nostri Status et praesertim huius almae Urbis nostrae securitati honestatique prospicere, pravorumque et scandalosorum hominum periculosam permixtionem a bonorum et quietorum commercio prohibere, per nostrum edictum XXV praesentis mensis datum praecepimus et mandavimus ut omnes quorumcumque locorum exules et ab ipsorum principibus damnati seu banniti, per totum sequentem diem post ipsius edicti nostri publicationem, debeant ex praedicta alma Urbe nostra, et infra quatuor dies immediate subsequentes, ex toto dominio ecclesiastico recessisse, sub poenis in praefato edicto nostro contentis.

Exortae postmodum plurimae sunt quaestiones super personis, quae in illo comprehendi essent iudicandum.

§ 2. Cum autem, post huius edicti publicationem, ad nostram plurimorum relatu notitiam devenerit multas difficultates super ipsius edicti intelligentia, propter eius generalitatem, fuisse subortas et alias suboriri posse, cum nonnulli ex aliis terris et provinciis oriundi in cives Romanos adsciti sint; multi domicilium in hac alma Urbe nostra contraxerint; alii, ratione officiorum vel beneficiorum in ea resideant; alii ecclesiasticis ordinibus sint insigniti, qui forte a suis principibus originariis vel aliis banniti fuerunt, vel quos in posterum ab eisdem banniri contingeret; multi etiam, qui olim exules seu banniti notorie fuerunt, deinceps absolutionem, quae non ita notoria sit, ab ipsorum principibus obtinuerint; nonnulli praeterea sint, qui solum in contumaciam, vel nulliter et inique et nullo iuris servato ordine, vel levibus interdum de causis et ad breve etiam tempus condemnati bannitique fuerint; aliqui etiam, qui salvum conductum et securitatem in eadem alma Urbe et aliis ditionis nostrae terris commorandi a nobis ipsis habuerint; quos durum quippe esset et a mente nostra valde alienum illiusmodi edicto indifferenter et indistincte comprehendi.

Declarat Iulius eo edicto non comprehendi alios quorum causo et sententia declaratae sint per gubernatorem almae Urbis;

§ 3. Quare, ad tollendas super his omnes ambiguitates et captiones periculaque quae ex eo aliquibus fortasse innocentibus creari posset, tenore praesentium declaramus mentis nostrae fuisse et esse praefato edicto nostro nullatenus comprehendi, nec illius poenis subiici cives Romanos quamvis non originarios, neque in hac ipsa alma Urbe nostra domicilium habentes, neque ratione officiorum aut beneficiorum in ea residentes, neque ecclesiasticis ordinibus insignitos, etiam si sint a suis principibus originariis seu aliis banniti vel condemnati, vel quos in posterum condemnari vel banniri contingeret, neque etiam quosvis alios comprehendi, quorum prius condemnationes et banna coram gubernatore praedictae almae Urbis nostrae producta et per eum examinata, atque exulibus et bannitis ipsis intimata et in locis publicis eiusdem Urbis affixa et publicata non fuerint. Nos enim hos omnes praefato nostro decreto poenisque in eo contentis minime comprehensos esse, et ita ab omnibus censeri debere declaramus, decernimus et iubemus.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus praemissis ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX maii MDLIV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 29 maii 1554, pontif. anno V.

XXXIV.

Impositio annui subsidii decem ducatorum auri de Camera, per unamquamque iudaeorum synagogam Status Ecclesiastici persolvendorum, pro manutentione domus cathecumenorum Urbis.

Iulius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Pastoris æterni vices, licet immeriti, gerentes in terris, curis urgemur assiduis et continua meditatione pulsamur ut omnes in umbra mortis sedentes ad ovile dominicum undecumque deducantur, et deducti, pascua sibi necessaria inveniant, in Domino confoveantur, et spiritualibus proficiant incrementis.

Redditus domus cathecumenorum exigui.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in quampluribus locis nobis et Romanae Ecclesiae subditis quaedam bona seu reddita pro pauperum hebraeorum sustentatione et aliis eorum operibus seu caeremoniis deputata sint, seu ipsi hebraei ad huiusmodi caeremonias et opera exercenda certas contributiones facere soleant, ac proventus domus seu hospitalis cathecumenorum Urbis, in quo ipsi iudaei, ad Christi fidem pro tempore conversi et fonte Baptismatis renati, charitative recipiuntur ac in fide catholica instruuntur, ita exigui et tenues existant, ut ad ipsorum cathecumenorum sustentationem et aliorum piorum operum, quae inibi exercentur, manutentionem non suppetant.

Quaecumque sinagoga et universit. hebraeorum Status Ecclesiastici decem ducatus auri quolibet anno domui cathecumenor. solvere debet.

§ 2. Nos, quibus christifidelium eorumque animarum universalis cura imminet, attendentes quod ex huiusmodi conversione iudaeorum, illorum universitati etiam ab expensis, quibus eosdem pauperes iudaeos, qui pro tempore convertuntur, ante eorum conversionem sustentare deberent, releventur, non modicum proveniat commodum; et propterea congruum esse censentes quod dicti iudaei ad eorumdem cathecumenorum sustentationem contribuere debeant, bonorum, redditiuum, contributionum et locorum praedictorum qualitates, quantitates, situationes, nomina, cognomina, valores, etiam annuos, pro expressis habentes, motu proprio, non ad ipsorum cathecumenorum vel alicuius eorum nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia, auctoritate apostolica, tenore præsentium, volumus, statuimus et ordinamus quod quaelibet universitas seu congregatio eorumdem iudaeorum seu hebraeorum, tam in dicta Urbe nostra quam in aliis civitatibus, terris et provinciis, ac aliis locis nobis et eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, nunc et pro tempore consistentibus, pro quolibet eorum loco, synagoga seu alias nuncupato, in Urbe et aliis civitatibus, terris, provinciis et locis praedictis existente, in quo eorum superstitiones seu caeremoniae fieri solent, summam decem ducatorum auri de Camera hospitali seu domui cathecumenorum Urbis huiusmodi, aut illius pro tempore deputatis, pro eorumdem cathecumenorum sustentatione, in festo Omnium Sanctorum singulis annis, solvere debeant et teneantur: ita tamen quod repartitio summae decem ducatorum huiusmodi iuxta singularum synagogarum cuiuslibet provinciæ facultates fiat, gravando unam plus alia, iuxta illius facultates, et ditior pro paupere synagoga provinciae huiusmodi contribuere et proportionabiliter solvere debeat; decernentes universitatem seu congregationem hebraeorum huiusmodi unam plus alia, prout illius facultates suppetent, gravari posse et debere; ipsamque universitatem seu congregationem ad solutionem decem ducatorum huiusmodi, pro qualibet synagoga, teneri et efficaciter obligatam fore, et ad solutionem eamdem, ut praefertur, faciendam, tam per dilectos filios nostros

Ioannem Michaelem, tituli Sanctae Mariae in Aracaeli presbyterum, et Innocentium, Sancti Honuphrii diaconum, cardinales, modernos et pro tempore existentes hospitalis seu domus huiusmodi protectores et locorum ordinarios ac alios quoscumque iudices et personas censuris et poenis, ac bonorum, redditnum et locorum praedictorum, privationis ac inhabilitatis ad illa, omnibusque aliis iuris et facti remediis cogi et compelli posse; necnon praesentes literas perpetuum firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari; sicque per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, iudices et personas, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, interpretari atque decidi debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores huiusmodi literarum deputat.

§ 3. Mandantes nihilominus eisdem protectoribus et locorum ordinariis, eorumque vicariis et officialibus ac eorum singulis, quatenus eisdem cathecumenis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, ut praesentes literas in eisdem civitatibus, terris, provinciis et locis publicent et observent, ac sub similibus censuris et poenis publicare et observare faciant. Necnon universitatem seu congregationem iudaeorum seu hebraeorum huiusmodi ad solutionem praedictam, ut praefertur, faciendum cogant et compellant, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas praefatas ac etiam pecuniarias, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas praedictas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali de duabus diaetis edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus ac reformationibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et literis apostolicis, ac etiam cameralibus eisdem universitati et iudaeis ac quibusvis aliis, etiam ex onerosis et aliis causis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis et alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie pari motu derogamus, illaque adversus praemissa nullatenus suffragari posse decernimus, contrariis quibuscumque; seu si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 5. Et quia difficile foret *etc.*

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae millesimo quin-

gentesimo quinquagesimo quarto, pridie kalendas septembris, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 31 augusti 1554, pontif. anno v.

XXXV.

Contra homicidas, brigosos, duellantes et alia gravia crimina patrantes, bannitosque et eorum complices, receptatores et fautores.

Iulius Papa III, motu proprio, etc.

Plerique Romani Pontifices varias contra homicidas aliosque delinquentes edidere leges.

§ 1. Cum, sicut accepimus, licet alias felicis recordationis Pius II, Paulus etiam II, Sixtus IV, Innocentius VIII, Iulius similiter II et Clemens VII et forsan alii Romani Pontifices praedecessores nostri, inter alias, pro almae Urbis et totius S. R. E. temporalis Status quiete et tranquillitate, susceptas curas et factas provisiones, contra homicidas et in capitalibus inimicitiis perseverantes, brigosos nuncupatos, pacis aut treguae fractores, sine Romani Pontificis aut officialium suorum licentia, cavalcatas seu armatorum collectas facientes, ius sibi ipsis dicentes, aliosque tunc expressos delinquentes, ipsorumque homicidarum et aliorum praedictorum, seu pro quocumque alio capitali crimine condemnatorum receptatores, aut aliis, necnon quibuscumque personis singulari certamine (quod duellum appellant) pugnare volentibus, locum, auxilium, favorem et consilium, directe vel indirecte, per se vel alium, publice vel occulte, praestantes, diversas ediderunt constitutiones et leges cum diversarum censurarum ecclesiasticarum et aliarum poenarum comminatione et impositione, prout in singulis eorumdem praedecessorum desuper confectis literis plenius continetur.

§ 2. Et a certis annis citra, sicut etiam facti notorietate est omnibus cognitum, nonnulli inobedientes contra tam salutiferas praedecessorum huiusmodi literas ordinationesque, inhibitiones et decreta in illis contenta, elata cervice temerarioque ausu venire et facere praesumpserint, censuras et poenas praedictas in eisdem literis contentas damnabiliter incurrendo; attamen qui pro tempore fuerint iudices, ad quorum officium ea cura spectabat, pro dictarum literarum observantia et publicae quietis manutentione, contra eos procedere neglexisse, seu remissius egisse reperiuntur.

In contravenientes tamen officiales remissius processerunt.

Hic idem Pontifex illas constitutiones innovat, et gubernatori Urbis earumdem executionem et observantiam committit;

§ 3. Nos, considerantes quanta cum maturitate a praedecessoribus nostris literae praedictae emanaverint, et quantum publico bono illarum observantia sit profutura, et propterea nolentes ullo pacto, quantum in nobis est, tolerare quod illarum executio negligatur, literas praedictas, quarum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis haberi volumus, et in eis contenta quaecumque approbantes et innovantes, motu proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, venerabili fratri Phylo, episcopo Asculano moderno, et pro tempore existenti almae Urbis gubernatori, ut, post solemniter in publicis consuetis Urbis locis, prout ipsi Phylo gubernatori videbitur, praesentis cedulae faciendam publicationem, omni ulteriori mora et quocumque alio respectu postpositis et cessantibus, contra omnes et singulas communitates, universitates, necnon duces, marchiones, comites, barones, domicellos et dominos temporales, armorum capitaneos, civesque, incolas et particulares personas quascumque civitatum, oppidorum, terrarum, castrorum, villarum et aliorum locorum eidem Romanae Ecclesiae mediate et immediate subiectorum, in dictis literis expressorum, qui singulis praedecessorum praedictorum literis praedictis

et contentis in eis hactenus quomodolibet contraiverunt, sive fecerunt, in futurumque (quod absit) contraibunt vel facient, ad declarationem executionemque censurarum et praedictarum poenarum rigorose et irremissibiliter procedant et ipsorum quilibet procedat, praesentium tenore, in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae poena, praecipimus et mandamus.

Et contra praedictos non modo per viam inquisitionis vel denunciation., sed etiam ex officio et per viam querelae et accusationis procedi mandat;

§ 4. Et ne de modo citandi et procedendi, probationibusque faciendis, dubitari, aut per disputationum subtilitates et plerumque etiam cavillationes, dictorum praedecessorum et nostra, circa publicam tranquillitatem huiusmodi, frustretur intentio, volumus et etiam per modum legis perpetuo valiturae ordinamus quod contra communitates, universitates et alios praedictos dictarum literarum transgressores et quemlibet eorum, tam per viam inquisitionis seu denunciationis et ex officio curiae, quam per viam accusationis seu querelae, a quocumque proponendae, procedi valeat.

Eosque citari posse per edictum, cuius formam hic tradit;

§ 5. Possintque ipsi, contra quos fuerit procedendum, citari per edictum, hoc modo publicandum, videlicet ut contra Romanos cives seu incolas ab Urbe absentes, necnon barones, domicellos, communitates, universitates, collegia, personas quascumque locorum intra quadraginta milliaria sitorum, debeant originales cedulae edicti, per nuntium sive mandatarium aut cursorem vel praeconem publicum affigi in valvis Curiae Capitolii, hora qua senator cum suis collateralibus pro iure reddendo in aula ipsius Curiae more solito sedebit; et postquam ita perfecerint, in ingressu sive ianua aulae praedictae alta voce legi et publicari; et deinde cedula ipsa, eodem modo affigatur et publicetur ad valvas domus habitationis cuiuslibet citandi, si in Urbe habitationis domum habuerit, alioquin ad valvas curiae gubernatoris praedicti, hora simili, qua ipse gubernator, vel suus locumtenens pro iure reddendo sedebit. Contra alios vero locorum distantiorum citandos quoscumque, similis affixio et publicatio fiat in valvis ecclesiae S. Petri ac Cancellariae Apostolicae, et in audentia publica literarum contradictarum, diebus videlicet, quibus audientiae lectio celebrabitur, aliis vero diebus, eiusdem audientiae loco, in acie Campi Florae, non enim verisimilis esse poterit, neque excusabilis ignorantia rei tam patenter notificatae: ideoque volumus quod huiusmodi citatio ipsos sic citandos respective arctet atque afficiat, perinde ac si personaliter per nuncium seu per literas citati fuissent, etiam aliter non docto quod ad eos eorumque personas seu domos tutus non pateat accessus, dummodo in quolibet edicto, terminus ad comparendum apponatur congruus, ita quod possit ad locum ex quo quilibet reus citabitur, ipsius edicti notitia verisimiliter pervenire, et deinde citatus, arrepto intinere, commode comparere. Neminem autem putamus dubitaturum fore quod congruus sit terminus, si, pro locis intra quadraginta milliaria ab Urbe sitis, octo dies assignentur; et pro distantioribus locis, si pro singulis viginti milliaribus distantiae, dictis octo diebus duo dies addantur; praesumaturque illico, praeterito termino huiusmodi, ipsius edicti propositio et publicatio ad eorumdem citatorum notitiam pervenisse, ita quod non recipiatur probatio in contrarium. Loca autem, ex quibus rei citari, et distantia praedicta computari debeat, volumus et decernimus esse illa, in quibus per receptationem homicidarum, bannitorum aliorumque praedictorum, aut alias praedecessorum huiusmodi literis contraventum seu contrafactum fuisse proponitur, etiam si ipsi rei citandi tunc ibi non habitent, neque reperiantur, seu etiam a

multo ante propositionem edicti huiusmodi praeterito tempore citra, aut ibi numquam fuerint neque habitaverint, cum eis sit imputandum, qui in talibus locis deliquerunt, et quoniam temeritatis et delicti fomitem ibi habuerint, ac etiam de re soliciti esse debebunt, nec digni sunt qui alibi quaerantur, maxime postquam praesenti lege publicata, intelligent quo sit modo contra eos procedendum.

Et summarie ac nullo iuris ordine servato, contra eosdem procedi fieri mandat;

§ 6. Volumus praeterea quod in quolibet processu, contra sic citatos faciendo, procedatur summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, nulla terminorum, qui in Curia substantiales appellantur, aut alias iudiciaria observatione interveniente, sed sola facti et contraventionis literarum praedictarum veritate inspecta.

Bannitorum receptatorum et fautorum ignorantiae excusationem non recipi decernit, nisi receptatores sint publici hospitatores;

§ 7. Et ne etiam super culpa vel excusatione ipsorum citatorum, forsan ignorantiam factae contraventionis literarum huiusmodi allegantes, disputando, literis praedictis, et praedecessorum ac nostrae intentioni, publicaeque tranquillitati huiusmodi, per pravas malorum astutias et fucata media, fraus aliqua fiat, declaramus et volumus ut, quoad illos, qui hactenus deliquerunt, circa praesumendam vel probandam eorum scientiam, si ad se defendendum, prout citati erunt, comparuerint, servetur, qualiscumque sit, iuris communis dispositio; quo vero ad illos, qui in futurum deliquisse dicentur, etiam aliis contra eos probationibus non factis, praesumantur, intelligantur et indicentur scienter literis praedictis (quantum attinet ad receptionem, consilii, auxilii, victualium, loci et favoris praestationem) contraivisse, poenasque in illis contentas incurrisse quicumque aliquem in alma Urbe seu alia qualibet ex sanctae Romanae Ecclesiae immediate subiectis civitatibus, terris et locis, pro quocumque crimine capitali, per ipsius Urbis aliarumque civitatum ac terrarum et locorum indices publice bannitum receptaverit, seu illi consilium, victualia, auxilium, favorem, ac pro singulari certamine faciendo locum praestiterit, seu praestari iusserit, curaverit vel permiserit, aut aliquid aliud de praemissis in dictorum praedecessorum literis prohibitis fecerit, et per cuius, etiam absentis et ignorantis, vassallos, officiales, ministros, agentes et homines quoscumque talia facta aut permissa fuerint. Aeque enim peccare arbitramur qui per se ipsum facit et qui non curat ne fiat per eos, quos ipse cohibere potest, alioquin facile esset literarum praefatarum effectum illudere, si illis, qui scire et curare per se ipsos debent, ignorantiae propriae, culpaeque alienae permitteretur allegatio, nisi forte de receptione facta delati fuerint publici hospitatores, quos, quoniam suorum hospitum conditionem explorare non tenentur, nolumus censeri esse in culpa, nisi probetur quod scienter peccaverint.

Solam signaturam sufficere, ut eius exempla, a notario curiae gubernat. subscripta, fidem facere declarat;

§ 8. Volumus quoque praesentis cedulae solam signaturam, etiam absque eo quod data et registrata fuerit, et tam ipsam originalem, quaecumque constitutione vel regula forsan contraria non obstantibus, quam eius exempla per notarium Curiae praesentis et pro tempore futuri gubernatoris subscripta, ubique fidem facere.

Contrariisque derogat.

§ 9. Non obstantibus omnibus illis quae dicti praedecessores in suis literis praedictis voluerunt non obstare, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus, iuramento *etc.* roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus et aliis quibusvis, quacumque, tam mundana quam ecclesiastica auctoritate fulgentibus, personis, concessis et innovatis, illorum tenores, etiamsi, pro sufficienti illorum derogatione, totalis ex-

pressio seu insertio, vel alia certa forma requireretur, pro sufficienter expressis habentes, ceterisque contrariis quibuscumque.

Placet, et ita motu proprio praecipimus et ordinamus. I.

MARCELLUS II

PAPA CCXXIV

Anno Domini MDLV.

Marcellus, tituli S. Crucis in Hierusalem cardinalis Cervinus Politianus, electus est Summus Pontifex die IX aprilis MDLV; retento baptismali nomine, Marcellus II voluit appellari; sequenti die sacra thiara insignitus est. Vixit temporibus Caroli V imperatoris, seditque dies XXI, nulla habita cardinalium promotione. Fato cessit die prima maii eiusdem anni, et sepultus est ad Sanctum Petrum. Vacavit Sedes dies XXII [1].

PAULUS IV

PAPA CCXXV

Anno Domini MDLV.

Paulus IV, Neapolitanus, Ioannes Petrus Carafa cardinalis Theatinus antea dictus, electus est Romanus Pontifex die vigesima tertia maii, anno millesimo quingentesimo quinquagesimoquinto et solemni pompa coronatus. Sedit in pontificatu, temporibus Caroli V et Ferdinandi I imperatoris, annos IV, menses II, dies XXVII, diversis promotionibus XIX selectos viros in saerum senatum cooptavit. Obiit die decimaseptima mensis augusti, anno millesimo quingentesimo quinquagesimonono, et sepultus est ad Sanctam Mariam supra Minervam. Vacavit Sedes menses IV, dies VII.

1 Exclusis extremis.

I.

Hiberniae insulam regio titulo aliisque regalibus praeeminentiis decorat, instantibus Philippo II Hispaniarum et Maria Angliae regibus [1].

Prooemium.

Illius, per quem reges regnant et principes dominantur, vices, licet immeriti, gerentes in terris, votis catholicorum regum et principum, quorum probata in Deum pietatis et eximiae erga Romanam Ecclesiam fidei constantia, ac sincerae devotionis affectus in nostro et Apostolicae Sedis conspectu clarere dignoscuntur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Hibernia regio titulo ornata.

§ 1. Hinc est quod nos charissimum in Christo filium nostrum Philippum regem et charissimam in Christo filiam nostram Mariam reginam Angliae et Franciae illustres, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, insulam Hiberniae, cuius ab eo tempore quo illius dominium per Sedem praedictam adepti sunt reges Angliae, qui pro tempore fuerunt, se dominos tantum nuncupari consueverunt, et cuius regium titulum quondam Henricus octavus, postquam ab unitate Ecclesiae catholicae et obedientia Romani Pontificis secessit, praetextu cuiusdam legis per parlamentum eiusdem insulæ, ut praetenditur, latæ, primo, et deinde eius natus Eduardus, sextus eorum nominum, qui, dum viverent, pro regibus Angliae se gesserunt, de facto usurparunt, in regnum, ad instar aliarum insularum regiis titulo, dignitate et honore fulgentium, sine praeiudicio iurium

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

ipsius Romanae Ecclesiae et cuiuscumque in illa vel ad illam ius habere praetendentes, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac gloriosissimae eius genitricis Virginis Mariae totiusque curiae coelestis honorem et fidei catholicae exaltationem, praefatis Philippo rege et Maria regina, nobis super hoc humiliter supplicantibus, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine, apostolica auctoritate, perpetuo erigimus, ac titulo, dignitate, honore, facultatibus, iuribus, insigniis, praerogativis, antelationibus et praeeminentiis regiis ac quibus alia christifidelium regna utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, insignimus et decoramus.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimoquinto, septimo idus iunii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 7 iunii 1555, pontif. anno I.

II.

Privilegium Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia deputandi personas extra Ordinem in syndicos et oeconomos, ad exigenda legata pia et alia negotia pertractanda, una cum aliarum gratiarum eiusdem Ordinis confirmatione [1].

Paulus Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ex clementi Sedis Apostolicae provisione, necnon personarum Deo devotarum profectu, sub regulari castimonia Domino militantium, pia devotione provenire dignoscitur ut Romanus Pontifex quandoque, per praedecessores suos Romanos Pontifices, pro religionis conservatione et augmento ac personarum earumdem quiete et commodo, concessa, approbet et innovet, ac probata et innovata apostolica auctoritate communiat, ut eo firmiora persistant, quo saepius fuerint eiusdem Sedis auctoritate circumfulta.

Ordinis fratrum de Observantia merita multa sunt. § 1. Sane, pro parte dilecti filii Clementis de Monelia, ministri generalis Ordinis fratrum Minorum regularis Observantiae, nobis nuper exhibita petitio continebat quod, cum inter operarios, qui ad excolendam vineam Domini Sabaoth, Dei gratia, Ordo ipse magnos probitatis et doctrinae ac animarum salutis fructus semper olim attulerit et quotidie afferre conetur, ac exinde pro suis sanctis studiis honestisque laboribus, proque salute animarum, ab Apostolica Sede, cuius continue pacem et dignitatem Ordo idem fortiter tutatus est, tam spiritualia quam temporalia subsidia ornamentaque acceperit et accipiat, quibus et sancta sua officia ac vitam suam regularem facilius atque expeditius exequi et transigere possint, et ceterae religiosae personae Ordinesque alii, exemplo ipsorum, promptiores alacrioresque ad sua officia persolvenda reddantur.

Cui et aliis e subtertia diversi Romani Pontifices plurimas gratias concesserunt. § 2. Cumque etiam ex ipsius Sedis provisione ac benigna dignatione provenire dignoscatur ut Romanus Pontifex quandoque praedecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta innovet, ac innovationem et revocationem restauret, et apostolica auctoritate innovata et restaurata muniat et fulciat, ac in pristinum statum reponat et reducat; et propterea nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri nonnullas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, absolutiones, etiam plenarias, libertates, praerogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates ac omnia et singula privilegia et indulta, tam spiritualia

[1] Syndici gaudent omnibus privilegiis Ordinis, ex indulto Clementis VII de quo sup., pag. 106, in constitutione XIX, *Dum consideramus*.

quam temporalia, etiam per solam signaturam aut per oracula vocis vel alias, etiam contra apostatas, tam pro foro conscientiae quam foro fori, tam praedictis fratrum Minorum quam Sanctae Clarae, ac tertio de Poenitentia nuncupato Ordinibus, illorumque superioribus, fratribus, monialibus et sororibus, ac utriusque sexus personis et monasteriis, domibus, ecclesiis et locis quibuscumque dictorum Ordinum nunc et pro tempore existentibus, in genere vel in specie, etiam per modum communicationis sive extensionis privilegiorum inter se, ac etiam cum aliis quibuscumque Ordinibus Mendicantibus et non Mendicantibus; et felicis recordationis Gregorius IX, Bonifacius VIII, Alexander IV, Nicolaus III, Clemens V, Eugenius etiam IV, Leo X, Clemens VII, Paulus similiter III ac Iulius etiam III ac alii Romani Pontifices praedecessores nostri et Sedes Apostolica, tam super exemptionibus, etiam ab ordinariorum locorum et legatorum, etiam de latere, ac haereticae pravitatis inquisitorum iurisdictione, visitatione et correctione, quam etiam ab omni impositione, collecta, decima, subsidio, quarta et quinta funeralium et legatorum partibus, pedagiis et gabellis, ac alio quocumque gravamine per Sedem eamdem pro tempore impositis, concesserint.

Martinus IV dedit facultatem deputandi personas extra Ordinem pro oeconomos etc.

§ 3. Ac piae memoriae Martinus IV, etiam praedecessor noster, qui, considerans quod fratres Ordinis Minorum regularis Observantiae huiusmodi pro nulla re temporali, iuxta eorumdem professionem et regularia instituta, possunt in iudicio experiri, ut, exclusis quibuscumque sollicitudinibus, liberius et quietius divinis possent vacare obsequiis, et offerentium, donantium et concedentium aut in ultima voluntate relinquentium Ordini fratrum Minorum vel illius fratribus praedictis aliquid, propter Deum, pia intentio non defraudaretur, ac haeredum et executorum negligentiis obviari posset, ac ut ipsi fratres, secundum modos licitos et congruos, ipsi Ordini relictis sibi in testamentis non fraudarentur, inter alia disposuit quod generales et provinciales ministri ac custodes universi pro tempore ipsius Ordinis fratrum Minorum possent nominare speciales personas, quae non essent de dicto Ordine, pro locorum indigentia singulorum; quas personas taliter per ipsos nominatas pro tempore, in iis legitimam administrationem et generalem et liberam gerere, et ipsos veros et legitimos administratores, oeconomos, syndicos et actores esse, de plenitudine potestatis constituendo, auctoritate apostolica decrevit, qui res ipsas et rerum praedictarum pretium et praedictas eleemosynas nomine Romanae Ecclesiae (ad quam rerum mobilium et immobilium, quibus fratres uti possunt, ius, proprietas et dominium nullo medio spectat) reciperent, per eosdem in fratrum ipsorum vilitates [1], prout eis licet ex Regula vel declaratione Regulae, convertenda, sicut et quando a generalibus et provincialibus ministris et custodibus praedictis et eorum singulis pro tempore, in provincia vel custodia sibi decreta, vel ab eisdem fratribus, de assensu eorum, extitissent requisiti, ac eædem personae petendi exigendi, recipiendi, alienandi prædicta, transigendi quoque et paciscendi, conveniendi, compromittendi, remittendi, refutandi, quietationem faciendi, agendi, defendendi, ac in animas eorum, de calumnia vitanda et veritate dicenda, iurandi, et cuiuslibet alterius generis iuramentum praestandi, cum illis et contra illos, qui huiusmodi res mobiles et immobiles, aut pretium earum, vel relictas eleemosynas fratribus in testamentis occuparent vel violenter auferrent, sive contra voluntatem fratrum quomodolibet obtinerent: et generaliter in omnibus causis, rebus et locis huiusmodi ad ipsam eccle-

[1] *Utilitates*, Ann. Minorum Continuat. (R. T.).

siam spectantibus, ipsorum fratrum usui concessis; necnon pro immunitatibus, libertatibus et iuribus ac privilegiis et indulgentiis eorumdem, sine cuiuslibet satisfactionis 1 et cautionis onere, plenam, generalem et liberam haberent, apostolica auctoritate praefata, in iudicio et extra iudicium, potestatem; revocandi quoque personas easdem et earum quamlibet, ac alias eis subrogandi vel nominandi per supradictum modum nominationis, quoties opportunum foret, quæ eamdem in prædictis vel similem haberent potestatem plenam et liberam, per suas, sub datum apud Urbem Veterem quintodecimo kalendas februarii, pontificatus sui anno II, auctoritate apostolica praefata, etiam concessit facultatem.

Ioannes XXII in sua extravaganti *Ad conditorem* dictam facultatem abstulit.

§ 4. Et licet recolendae memoriae Ioannes Papa XXII, similiter praedecessor noster, constitutione, quae incipit *Ad conditorem*, per quam ministris et custodibus et fratribus praedictis, ne literis et concessione Martini prædecessoris huiusmodi, sine apostolicae Sedis praefatae licentia uterentur, inter cetera prohibuerit.

Martinus V eam restituit.

§ 5. Nihilominus, prohibitione huiusmodi non obstante, sanctae memoriae Martinus V, similiter praedecessor noster, voluit et eadem auctoritate apostolica concessit ministris et custodibus et fratribus praedictis, quod ipsi et eorum singuli literis Martini IV praedecessoris, ac omnibus in eis contentis huiusmodi libere et licite uti valerent, tamdiu et quousque per Sedem praedictam aliud in praemissis eidem Ordini utilius foret ordinatum.

Eugenius IV confirmavit.

§ 6. Ac etiam felicis memoriae Eugenius etiam Papa IV, pariter prædecessor noster, ius huiusmodi eidem Ordini per alias suas literas, tenore literarum Martini IV praedecessoris huiusmodi in eis praeinserto, ut dicitur, concessit conservari.

Nicolaus V et Sixtus IV concesserunt facultatem audiendi confessiones et administran. sacramenta ecclesiastica.

§ 7. Necnon etiam piae memoriae Nicolaus V et Sixtus IV, etiam praedecessores nostri, super confessionibus audiendis omnium personarum extranearum et forensium quarumcumque dioecesum per fratres Minores Ordinis et Observantiae regularis huiusmodi, ad hoc a suis superioribus, ut moris est, deputatos, necnon pro absolutionis beneficio illis impendendo, ac sanctissimae Eucharistiae sacramento eis taliter confessis omni tempore, praeterquam in die Resurrectionis Dominicae, licite administrando, per diversas eorum literas, eadem auctoritate apostolica, facultatem concesserunt; ac idem Eugenius et diversi alii Romani Pontifices praedecessores nostri facultatem absolvendi huiusmodi sub certis modis et forma, ac etiam in diversis conventibus Ordinis huiusmodi tunc expressis (etiam vivae vocis oraculo, ut praefertur) ampliarunt et extenderunt, prout in singulis concessionibus et literis eorumdem praedecessorum plenius dicitur contineri.

Ordo nunc postulat confirmationem ab hoc Pontifice.

§ 8. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ea, quae saepius apostolica auctoritate praefata munita existunt, maiorem obtineant roboris firmitatem, dictusque Clemens minister cupiat privilegia, facultates, concessiones, indulta, dispensationes et singulas alias gratias huiusmodi etiam per nos approbari, innovari et confirmari, pro parte eiusdem Clementis ministri nobis fuit humiliter supplicatum ut eisdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conservatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, concessionibus, indulgentiis et indultis, pro illorum observantia viridiore, nostrae approbationis robur adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Qui omnes gratias dicti Ordinis confirmat.

§ 9. Nos igitur, qui omnium votis, praesertim illis, quibus sub suavi Religionis iugo divinis laudibus et christianae professionis augmento incumbentium perso-

1 *Satisfationis*, Ann. sup. cit. (n. T.).

narum tranquillitati, commoditatibus et honori consulitur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, huiusmodi supplicationibus inclinati, præmissa ac omnia et singula alia privilegia, immunitates, exemptiones, etiam ab inquisitionibus præfatis, libertates, prærogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias et indulta spiritualia et temporalia, etiam per modum communicationis et extensionis inter se et cum aliis Ordinibus Mendicantibus et non Mendicantibus, eiisdem fratrum Minorum regularis Observantiae, ac Sanctae Clarae et de Poenitentia tertio Ordinibus, etiam in congregatione sub trium votorum substantialium professione, et eorumdem superiorum Ordinis Minorum regularis Observantiae huiusmodi obedientia degentibus, ipsorumque superiorum fratribus[1], monialibus, sororibus, ac utriusque sexus etiam singularibus personis, necnon monasteriis, domibus, ecclesiis et locis quibuscumque, in genere et in specie, etiam per solam signaturam, etiam vivae vocis oraculo, ut praefertur, aut alias, tam per praefatos ac quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem praedictam, quam imperatores, reges et alios principes, sub quacumque forma et expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata. Necnon cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis et declarationibus, singulas desuper confectas literas et in eis contenta (etiam prout largius in aliquibus earum eis concessum est) interpretando, et inde secuta quaecumque, illorum omnium tenores et formas, datas, effectus et decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, dicta auctoritate apostolica, tenore praesentium, ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine approbamus, innovamus et perpetuam roboris firmitatem obtinere et firmiter observari; necnon Ordinibus fratrum Minorum regularis Observantiae et Sanctae Clarae, ac tertio de Poenitentia nuncupato, etiam in congregatione sub obedientia fratrum Minorum Observantiae huiusmodi degentibus superioribus, fratribus, monialibus, etiam Tertiariis nuncupatis, sororibus, personis, monasteriis, domibus, ecclesiis et locis praefatis, etiam per modum communicationis et extensionis huiusmodi suffragari, aliisque frui, uti et gaudere, quando et quoties opus fuerit, posse et debere, in iudicio et extra, ac etiam in foro conscientiae, in omnibus et per omnia, perinde ac si specialiter et expresse eisdem fratrum Minorum, ac Sanctae Clarae et tertio de Poenitentia nuncupato, Ordinibus, concessa fuissent, decernimus, supplentes omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.

Potestatemque conced i elijendi oeconomos et syndicos.

§ 10. Et nihilominus, pro potiori cautela et ampliori dono gratiae, illa omnia et singula, quæ per praefatos praedecessores nostros ac imperatores, reges et principes ac nos et Sedem eamdem concessa, statuta et ordinata fuerunt, etiam iuxta ampliorem et favorabiliorem illorum intelligentiam et interpretationem, et praesertim ut, exclusis quibuscumque solicitudinibus, liberius et quietius divinis possint vacare obsequiis fratres Minorum regularis Observantiae huiusmodi, et animarum saluti peramplius proficere, et offerentium, donantium, concedentium, aut in ultima voluntate relinquentium Ordini praedicto vel fratribus Ordinis Minorum huiusmodi aliquid propter Deum, pia intentio non fraudetur, ac haeredum et executorum negligentiis obvietur, ac ut ipsi fratres, secundum modos licitos et congruos, ipsi Ordini relictis sibi in testamentis, mobilibus et immobilibus bonis, et aliis, etiam

[1] *Superioribus, fratribus* etc. loc. s. cit. (R. T.).

pecuniariis, sibi quomodolibet oblatis, concessis, legatis et donatis pro tempore, etiam pro missis et aliis divinis officiis, eleemosynis et aliis rebus non fraudentur, quod generalis de per se in toto Ordine, et singuli provinciales ministri ac custodes universi pro tempore existentes ipsius Ordinis fratrum Minorum in suis provinciis et custodiis respective, et ad hoc ab eis respective deputati fratres pro tempore, possint nominare speciales personas, quae non sint de dicto Ordine Minorum, pro locorum indigentia singulorum, quando et quoties opus fuerit, in singulis eorum conventibus; quas personas taliter nominatas pro tempore, in iis administrationem legitimam et generalem ac liberam gerere, et ipsos veros et legitimos administratores, oeconomos, syndicos et actores esse, de potestatis plenitudine constituendo, eadem auctoritate etiam decernimus.

Eorumque facultates describit et explicat;

§ 11. Qui res ipsas et rerum ipsarum pretium et praedictas eleemosynas nomine Romanae Ecclesiae (ad quam rerum omnium mobilium et immobilium, quibus fratres uti possunt, ius, proprietas et dominium nullo medio spectat) recipiant et recipere possint et debeant, per eosdem in fratrum ipsorum utilitates, etiam pro victu et vestitu eorum ac reparatione conventuum et aliarum rerum, locorum, conventuum et fratrum huiusmodi necessitatibus pro tempore convertenda, sicut et quando a dictis generali in toto Ordine, et provincialibus ministris ac custodibus praedictis et eorum singulis pro tempore in provincia vel custodia sibi decreta, vel ab eisdem fratribus, de assensu eorum, extiterint requisiti. Ac easdem personae petendi, exigendi, recipiendi, alienandi praedicta, transigendi quoque, paciscendi, conveniendi, compromittendi, commutandi, remittendi, refutandi, quictationem faciendi, agendi, defendendi, ac in animas eorum de calumnia et veritate dicenda iurandi, et cuiuslibet alterius[1] iuramentum praestandi cum illis et contra illos, qui huiusmodi res mobiles et immobiles, aut pretium earum vel relictas eleemosynas fratribus in testamentis, aut alias eis donatas et concessas occuparent vel violenter auferrent, sive contra voluntatem fratrum quomodolibet retinerent. Et generaliter in omnibus causis, pro rebus et locis huiusmodi, ad ipsam ecclesiam spectantibus, ipsorum fratrum usui concessis; necnon pro immunitatibus et libertatibus, iuribus et privilegiis ac indulgentiis eorumdem, sine cuiuslibet satisfactionis[2] et cautionis onere, plenam, generalem et liberam habeant auctoritatem, praefata auctoritate apostolica, in iudicio et extra illud, potestatem concedimus. Revocandi quoque personas easdem et earum quamlibet, ac alias subrogandi vel nominandi per supradictum modum nominationis, quoties opportunum fuerit, quae eamdem in praedictis vel similem habeant potestatem plenam et liberam, etiam generali ac provincialibus ministris ac custodibus huiusmodi et eorum singulis, ut praefertur, eadem auctoritate facultatem etiam concedimus. Nec propter praemissa fratres Minores huiusmodi contra Regulam Sancti Francisci, quam professi sunt et profitentur in futurum, sive contra statuta regularia sui Ordinis huiusmodi in aliquo facere nec fecisse, immo cum illius observatione, quoad hoc, et pura et sana conscientia, sine alicuius conscientiae scrupulo vixisse hactenus et in posterum vivere. Et sic per quoscumque iudices, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus et declaramus.

1 *Alterius generis*, l. s. c. (R. T.). 2 *Satisdationis*, ut supra (R. T.).

Auctoritatem quoque audiendi confessiones, administrandi sacramenta tribuit;

§ 12. Et insuper, ut pro tempore deputatos confessores fratres Ordinis Minorum Observantiae huiusmodi omnium quarumcumque dioecesum utriusque sexus christifidelium ad eos pro tempore recurrentium confessiones audire, eosque, etiam in casibus et censuris, quibus eis per privilegia Sedis Apostolicae, etiam per modum communicationis et extensionis quorumcumque Ordinum, etiam Minimorum, hactenus concessum est, posse absolvere, et singuli Ordines, etiam Minorum[1] (quorum privilegia eidem Ordini Minorum sunt communicata et extensa), absolvere consueverunt, absolvendi ac poenitentiam salutarem iniungendi, et omni tempore, praeterquam in die Resurrectionis Dominicae, sacramentum Eucharistiae, tam illis quam aliis quibusvis personis licite ministrandi, apostolica auctoritate praedicta indulgemus ac de novo concedimus in omnibus et per omnia. Ita quod Ordo, superiores[2], fratres, moniales, sorores, personae, monasteria, domus, ecclesiae et loca praedicta illis, tam in genere quam in specie concessis, ut praefertur, uti, potiri et gaudere possint et debeant.

Exemptionem a decimis elargitur;

§ 13. Ac ab ipsis inquisitionibus, impositionibus, gravaminibus, oneribus, decimis, quarta et quinta etiam funeralium et aliorum quorumcumque eis legatorum et oblatorum ac concessorum pro tempore, necnon pedagiis et gabellis ac omnibus et singulis aliis supradictis, libera penitus, immunia et exempta, auctoritate apostolica et tenore praedictis, etiam concedimus et indulgemus, ac statuimus et ordinamus.

Executores deputat;

§ 14. Et nihilominus venerabilibus fratribus archiepiscopo Rothomagensi et episcopo Conchensi, ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae auditori, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, faciant auctoritate nostra praesentes literas et in eis contenta quaecumque plenum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacifice frui et gaudere. Non permittentes quemquam desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles etiam per quascumque (de quibus eis videbitur) censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo. Ac legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat;

§ 15. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus *Super cathedram* Bonifacii, et *Dudum* universis conciliis[1], ac Clementinae *Religiosi* de privilegiis, et *Dudum* de sepulturis, ac etiam *Ex frequentibus* de sententia excommunicationis, ac extravagante *Ad conditorem* Ioannis XXII, cum aliis constitutionibus eamdem materiam praedictae extravagantis tangentibus seu concernentibus, ac regulis Cancellariae Apostolicae iam editis et in futurum edendis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali de duabus diaetis editis (dummodo ultra tres diaetas aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur) et aliis apostolicis ac provincialibus, capitularibus, generalibus et specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam in ultimo generali concilio Lateranensi celebrato, et aliis conciliis editis, necnon statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, etiam in forma brevis per Leonem X, Clementem VII, Paulum III, Iulium etiam III praefatos ac quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Sedem eamdem,

1 *Minimorum*, ib. (R. T.). 2 *Ordinis superiores*, ib. (R. T.).

1 *Viennensis concilii*, loco *universis conciliis*, ib. (R. T.).

etiam motu proprio, ac scientia et potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, etiam privilegiorum eorumdem revocativis, restrictivis, praeservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis quomodolibet, etiam pluries, concessis, confirmatis et innovatis, quibusvis personis et Ordinibus in contrarium forsan concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo et forma derogari possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Ceterisque contrariis quibuscumque.

Exempli credi habet. § 16. Verum quia difficile foret *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die I iulii MDLV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 iulii 1555, pontif. anno I.

III.

Rescissio alienationum et locationum quorumcumque bonorum ecclesiasticorum in damnum ecclesiarum, vel non servatis iuris solemnitatibus, aut alias nulliter factarum [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Symmachus Papa bona ecclesiastica alienari prohibuit in cap. VI De rebus ecclesiasticis non alienandis.

§ 1. Iniunctum nobis desuper, meritis licet imparibus, apostolicae servitutis officium, mentem nostram continua pulsat instantia, ut bona ecclesiastica, quae caeca hominum cupiditate occupata detinentur, nostrae operationis ministerio, ad ius et proprietatem eorum, quorum antea erant, omnino reducantur. Cum itaque (sicut nobis innotuit) licet alias felicis recordationis Symmachus Papa, praedecessor noster, praedium ecclesiae pro aliqua necessitate quovis modo alienari, aut iura ecclesiae in usumfructum dari prohibuerit; et lege huiusmodi omnes custodes adstringi, ac donatorem ac censuratorem et venditorem honorem perdere, et qui praemissis subscriberet, anathema esse, cum eo qui daret sive reciperet, nisi restituerentur, et quaslibet ecclesiasticas personas contradicere et cum fructibus alienata reposcere posse; hocque non solum in Ecclesia Romana conservari, verum etiam in universis per provincias ecclesiis convenire voluerit.

Paulus II alienationes bonorum ecclesiasticorum et ultra triennium locationes etc. interdixit.

§ 2. Et piae memoriae Paulus Papa II, etiam praedecessor noster, omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transferretur ac con-

1 Similem rescissionem fecit Leo X et postea Iulius III, quorum bullas praetermisi, tamquam minus necessarias, et eas inseruit Roduen. in suo Tractatu *De rebus ecclesiasticis non alienandis.* De alienationibus istis habes Leonis I constit. IX, *Occasio*, tom. I, pag. 65; et Pauli II constit. VI, *Ambitiosae*, tom. V, pag. 194.

cessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, necnon infeudationem vel contractum emphyteuticum, praeterquam in casibus a iure permissis, ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, fieri prohibuerit. Et si quis, contra huius posterioris prohibitionis seriem, de bonis et rebus eisdem quicquam alienare praesumeret, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio et infeudatio huiusmodi nullius omnino essent roboris vel momenti, et tam qui alienaret, quam qui alienatas res et bona reciperet, sententiam excommunicationis incurreret, et nihilominus res et bona alienata huiusmodi ad ecclesias, monasteria et loca pia, ad quae antea pertinebant, libere reverterentur.

Alienationes tamen multae factae fuerunt in damnum ecclesiar. vel non servatis solemnitatibus.

§ 3. Nihilominus a nonnullis annis citra diversae personae, tam saeculares quam ecclesiasticae, complura castra, terras, oppida, civitates et loca, tam Romanae praedictae, quam diversarum cathedralium, etiam metropolitanarum et aliarum ecclesiarum, necnon monasteriorum, domorum et aliorum regularium locorum ac hospitalium et aliorum piorum locorum, praetextu diversarum alienationum, eis de castris, terris, oppidis, civitatibus et locis praedictis, in evidens damnum ecclesiarum, monasteriorum, domorum, hospitalium et aliorum regularium et piorum locorum, seu alias, non servatis solemnitatibus a iure requisitis, factarum, occupaverint, et occupata detinuerint et detineant de praesenti; ac exinde factum sit ut non solum ecclesiarum, monasteriorum et domorum praelati, ac hospitalium et aliorum regularium et piorum locorum huiusmodi rectores, qui ex fructibus, redditibus et proventibus castrorum, terrarum, oppidorum, civitatum et locorum huiusmodi, ecclesias, monasteria et domos, hospitalia et alia loca praedicta gubernabant et illustrabant, ac eorum ministris alimoniam praebebant, notabiliter sint damnificati, verum etiam Romanus Pontifex, qui antea egenis et miserabilibus personis, praesertim nobilibus, ad hanc almam Urbem pro tempore confugientibus, alimenta abunde subministrare consueverat, vix se et familiam suam sustentare, nedum aliis alimenta subministrare possit, in Divinae Maiestatis offensam, et Ordinis clericalis opprobrium, ac plurimorum christifidelium scandalum.

Ideo hic Pontifex illas rescindit et annullat;

§ 4. Nos, praemissa convenientibus [1] oculis pertransire nequeuntes, quinimo cupientes eis, quantum cum Deo possumus, opportunum remedium adhibere, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas alienationes et in emphyteusim seu censum perpetuum, aut tertiam vel aliam generationem, seu hominis vitam, aut aliud tempus ultra triennium locationes vel concessiones seu permutationes, hypothecas et obligationes, de quibusvis castris, terris, oppidis, civitatibus et locis aut aliis bonis immobilibus, seu rebus et iuribus, tam spiritualibus quam temporalibus, eiusdem Romanae et quarumcumque cathedralium, etiam metropolitanarum, et aliarum ecclesiarum, necnon monasteriorum, domorum et aliorum regularium locorum, et quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, necnon hospitalium et aliorum piorum locorum quorumlibet, per quoscumque, etiam Romanos Pontifices praedecessores nostros, seu eorum auctoritate vel mandato, camerarios suos et clericos Camerae Apostolicae praesidentes, ac quosvis ecclesiarum, monasteriorum et domorum praelatos et beneficiatos, necnon hospitalium et aliorum regularium et piorum locorum rectores, cuiuscumque dignitatis, status, gradus,

[1] *Conniventibus*, Matth. et Cherub. (R. T.).

ordinis et conditionis existentes, etiamsi cardinalatus honore pollerent, in damnum ecclesiae, seu non servatis solemnitatibus a iure requisitis, aut alias nulliter hactenus factas, et contractus superinde, sub quibusvis formis et verborum expressionibus habitos et celebratos, etiam si iuramento vallati existant, et quantumvis longa temporis praescriptione robur sumpsisse dici possint, ac ipsius Romanae Ecclesiae favorem aut commodum concernant, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, apostolica auctoritate, tenore praesentium rescindimus, irritamus, cassamus et annullamus, ac viribus omnino evacuamus, ac pro rescissis, irritis, cassis et nullis ac penitus infectis haberi volumus.

Detentoresque debere relaxare bona occupata et fructus restituere declarat.

§ 5. Ipsosque detentores ad castra, terras, oppida, civitates et loca occupata, ac bona, res et iura praedicta Romanae et cathedralibus, etiam metropolitanis, ac aliis ecclesiis, necnon monasteriis, domibus, hospitalibus et beneficiis ac regularibus et piis locis relaxandum, et de fructibus, tam hactenus perceptis, quam in posterum percipiendis realiter satisfaciendum teneri, et ad id etiam sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, omnibusque aliis opportunis iuris et facti remediis, cogi et compelli posse.

Decretum irritans.

§ 6. Sicque, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, et ipsius Romanae Ecclesiae cardinales, ac eorum collegium, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, iudicari et definiri debere; ac si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, pridie idus iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 iulii 1555, pontif. anno I.

IV.

Leges et ordinationes a iudaeis in Statu Ecclesiastico degentibus observandae [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Causae harum ordination. contra hebraeos.

Cum nimis absurdum et inconveniens existat ut iudaei, quos propria culpa perpetuae servituti submisit, sub praetextu quod pietas christiana illos receptet et eorum cohabitationem sustineat, christianis adeo sint ingrati, ut, eis pro gratia, contumeliam reddant, et in eos, pro servitute, quam illis debent, dominatum vendicare procurent; nos, ad quorum notitiam nuper devenit eosdem iudaeos in alma Urbe nostra et nonnullis S. R. E. civitatibus, terris et locis, in id insolentiae prorupisse, ut non solum mixtim cum christianis et prope eorum ecclesias, nulla intercedente habitus distinctione, cohabitare, verum etiam domos in nobilioribus civitatum [2], terrarum et locorum, in quibus degunt, vicis et plateis conducere, et bona stabilia comparare et possidere, ac nutrices et ancillas aliosque servientes christianos mercenarios habere, et diversa alia in ignominiam et contemptum christiani nominis perpetrare praesumant, considerantes Ecclesiam Romanam eosdem iudaeos tolerare in testimonium verae fidei christianae et

1 Aliqua ordinavit etiam Innocentius IV in constitutione IV, *Impia*, tom. III, pag. 508.

2 *In melioribus civitatibus*, Giraldi, Expos. iuris pontif., Romae 1830 (R. T.).

ad hoc, ut ipsi, Sedis Apostolicae pietate et benignitate allecti, errores suos tandem recognoscant, et ad verum catholicae fidei lumen pervenire satagant, et propterea convenire ut quamdiu in eorum erroribus persistunt, effectu operis recognoscant se servos, christianos vero liberos per Iesum Christum Deum et Dominum nostrum effectos fuisse, iniquumque existere ut filii liberae filiis famulentur ancillae.

Habitent in locis a christianorum habitatione separatis;

§ 1. Volentes in præmissis, quantum cum Deo possumus, salubriter providere, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus quod de cetero perpetuis futuris temporibus, tam in Urbe quam in quibusvis aliis ipsius Romanae Ecclesiae civitatibus, terris et locis, iudaei omnes in uno et eodem, ac si ille capax non fuerit, in duobus aut tribus vel tot quot satis sint, contiguis et ab habitationibus christianorum penitus seiunctis, per nos in Urbe et per magistratus nostros in aliis civitatibus, terris et locis praedictis designandis vicis, ad quos unicus tantum ingressus pateat, et quibus solum unicus exitus detur, omnino habitent.

Synagogam in civitate unicam habeant;

§ 2. Et in singulis civitatibus, terris et locis in quibus habitaverint, unicam tantum synagogam in loco solito habeant, nec aliam de novo construere, aut bona immobilia possidere possint. Quinimmo omnes eorum synagogas, praeter unam tantum, demoliri et devastare. Ac bona immobilia, quae ad praesens possident, infra tempus eis per ipsos magistratus praesignandum, christianis vendere.

Signum glauci coloris deferant;

§ 3. Et ad hoc ut pro iudaeis ubique dignoscantur, masculi biretum, foeminae vero aliud signum patens, ita ut nullo modo celari aut abscondi possint, glauci coloris, palam deferre teneantur et adstricti sint; nec super non delatione bireti aut alterius signi huiusmodi, praetextu cuiusvis eorum gradus vel præeminentiae seu tolerantiae excusari, aut per eiusdem Ecclesiae camerarium vel Camerae Apostolicae clericos, seu alias illi praesidentes personas, aut Sedis Apostolicae legatos vel eorum vicelegatos quovis modo dispensari aut absolvi possint.

Nutrices aut servientes christianos non retineant;

§ 4. Nutrices quoque seu ancillas aut alias utriusque sexus servientes christianos habere, vel eorum infantes per mulieres christianas lactari aut nutriri facere.

Diebus festivis publice non laborent;

§ 5. Seu dominicis vel aliis de praecepto Ecclesiae festis diebus in publico laborare aut laborari facere.

Christianos non graveant;

§ 6. Seu christianos quoquo modo gravare, aut contractus fictos vel simulatos celebrare.

Cum eis non conversentur;

§ 7. Seu cum ipsis christianis ludere aut comedere vel familiaritatem seu conversationem habere nullatenus praesumant.

Libros italice scribant;

§ 8. Nec in libris rationum et computorum, quae cum christianis pro tempore habebunt, aliis, quam latinis literis et alio quam vulgari italico sermone, uti possint, et si utantur, libri huiusmodi contra christianos nullam fidem faciant.

Mercaturam non exerceant;

§ 9. Iudaei quoque praefati sola arte strazzariae, seu cenciariae (ut vulgo dicitur) contenti, aliquam mercaturam frumenti vel hordei, aut aliarum rerum usui humano necessariarum facere.

Medici si sint, christianos non curent;

§ 10. Et qui ex eis medici fuerint, etiam vocati et rogati; ad curam christianorum accedere aut illi interesse nequeant.

Domini non vocentur a christianis;

§ 11. Nec se a pauperibus christianis dominos vocari patiantur.

Menses dierum xxx servent in exigendis creditis;

§ 12. Et menses in eorum rationibus et computis ex triginta diebus completis omnino conficiant, et dies, qui ad numerum triginta non ascenderint, non pro mensibus integris, sed solum pro tot diebus quot in effectu fuerint, computentur, et iuxta ipsorum dierum numerum et non ad rationem integri mensis eorum credita exigant. Ac pignora, eis pro cautione pecuniarum suarum pro tempore consignata,

nisi transactis prius a die, quo illa eis data fuerint, decem et octo integris mensibus, vendere nequeant, et postquam menses praedicti effluxerint, si ipsi iudaei pignora huiusmodi vendiderint, omnem pecuniam, quae eorum credito superfuerit, domino pignorum consignare.

Statuta locorum servanti;

§ 13. Et statuta civitatum, terrarum et locorum, in quibus pro tempore habitaverint, favorem christianorum concernentia, inviolabiliter observata[1] etiam teneantur.

Contravenientes puniantur.

§ 14. Et si circa praemissa in aliquo quomodolibet defecerint, iuxta qualitatem delicti, in Urbe per nos seu vicarium nostrum, aut alios a nobis deputandos, ac in civitatibus, terris et locis praedictis per eosdem magistratus, etiam tamquam rebelles et criminis lesae maiestatis rei, ac toto populo christiano diffidati, nostro et ipsorum vicarii, ac deputandorum et magistratuum arbitrio puniri possint.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 15. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis tolerantiis seu privilegiis et indultis apostolicis eisdem iudaeis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac Sedem praedictam aut illius legatos, vel ipsius Romanae Ecclesiae camerarios et Camerae Apostolicae clericos, seu alios illius praesidentes, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de eis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Si quis autem *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, pridie idus iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 iulii 1555, pontif. anno I.

[1] *Observare*, Gral. (R. T.).

V.

Negantes Trinitatem, aut divinitatem Iesu Christi, aut Eius conceptionem de Spiritu Sancto, aut Eius mortem ut nos redimeret, aut virginitatem B. M. V., haeretici declarantur.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Cum quorumdam hominum pravitas atque iniquitas eo usque nostris temporibus processerit, ut ex iis, qui a catholica fide aberrant et desciscunt, plurimi quidem non solum diversas haereses profiteri, sed etiam ipsius fidei fundamenta negare praesumant, et eorum exemplo multos in interitum animae deducant.

Negantes Trinitatem aut Divinitatem Iesu Christi *etc.*, eorum errores abiurent, et de abiurationis doceant coram inquisitoribus.

§ 1. Nos cupientes, pro nostro pastorali officio et caritate, huiusmodi homines, quantum cum Deo possumus, a tam gravi et pestilenti errore avocare, ac ceteros, ne in talem impietatem labantur, paterna severitate admonere, omnes et singulos, qui hactenus asseruerunt, dogmatizarunt vel crediderunt Deum omnipotentem non esse trinum in personis, et incomposita omnino indivisaque unitate substantiae, et unum unamet simplici divinitatis essentia; aut

Dominum nostrum Iesum Christum non esse verum Deum eiusdem substantiae per omnia cum Patre et Spiritu Sancto; aut Eumdem secundum carnem non esse conceptum in utero beatissimae semperque Virginis Mariae de Spiritu Sancto, sed sicut ceteros homines ex semine Ioseph; aut eumdem Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum non subiisse acerbissimam crucis mortem, ut nos a peccatis et ab aeterna morte redimeret, et Patri ad vitam aeternam reconciliaret; aut eamdem Beatissimam Virginem Mariam non esse veram Dei Matrem, nec perstitisse semper in virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu et perpetuo post partum, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, apostolica auctoritate requirimus et monemus quatenus, infra spatium trium mensium a publicatione praesentium in Romana Curia, quoad residentes in ea, modo infrascripto; extra eam vero, quoad alios in illa non residentes, modo et forma per dioecesanos statuendis, facienda, incipiendorum, quos pro primo, secundo et tertio ac peremptorio termino, ac monitione canonica eis et eorum cuilibet assignamus, ab eorum assertione, dogmatibus et credulitate huiusmodi, ac quibuscumque aliis in fide praedicta erroribus, in quos hactenus lapsi sunt, resipuisse et ad unitatem Ecclesiae redeundo, assertionem, dogmata et credulitatem ac alios errores huiusmodi in manibus inquisitorum haereticae pravitatis, civitatum et locorum, in quibus ad praesens degunt, realiter et cum effectu abiurasse et infra alios tres menses a die abiurationis huiusmodi inchoandos, de eadem abiuratione venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, dictae haereticae pravitatis inquisitoribus generalibus plenam fidem fecisse debeant.

§ 2. Nos enim, eiusdem Dei omnipotentis exemplo, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, omnes et singulos, qui, ut praefertur, ab assertione, dogmatibus et credulitate, ac aliis erroribus praedictis resipuerint, et ad unitatem Ecclesiae redeundo, assertionem, dogmata et credulitatem ac alios errores huiusmodi sponte abiuraverint et de eadem abiuratione praefatis inquisitoribus generalibus fidem fecerint, ac poenitentiam privatam, per dictos particulares inquisitores eis iniunctam, cum effectu adimpleverint, a praedictis et quibusvis aliis, quantumvis gravibus et enormibus, haeresibus et a fide Christi apostasiis ac in eadem fide erroribus, necnon excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris et poenis, tam ecclesiasticis quam temporalibus, etiam bonorum privativis et corporis afflictivis ac capitalibus in tales a iure vel ab homine latis et promulgatis, et per eos praemissorum occasione incursis (dummodo delati aut inquisiti seu relapsi non sint), dicta auctoritate, tenore praesentium, in utroque foro absolvimus et liberamus, ac cum eis super irregularitate, quam propterea contraxerint, etiam si sic ligati missas et alia divina officia, etiam forsan in contemptum clavium celebraverint, aut aliis alias se immiscuerint. Quodque ea ipsa irregularitate et ceteris praemissis non obstantibus, qui promoti non fuerint, ad omnes, etiam laicos [1] et presbyteratus, ordines promoveri, et in illis tam ipsi, quam qui iam etiam post incursam haeresim promoti fuerint, in altaris ministerio ministrare; necnon tam clerici quam laici et utriusque sexus personae, eorumque filii, nepotes, descendentes, ad gradus, honores, ordines et officia ac alia quaecumque assumi, illaque suscipere et exercere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis, de specialis dono gratiae dispensamus, eisque pariter indulgemus, necnon omnem inhabilitatis et infamiae maculam

Abiurantes et poenitent. plenariam remissionem consequuntur, dummodo delati, inquisiti aut relapsi non sint.

[1] *Sacros* loco *laicos* bene legunt Cherub. et Matth. (R. T.).

sive notam, circa eos, praemissorum occasione, quomodolibet insurgentem ab eis penitus et omnino abolemus.

Impoenitentes vero et nisi de [illegible], poenas relapsorum incurrant.

§ 3. Et insuper cum errores, quos supra narravimus, ita graves et nefandi sint, ut illi qui in eos decidunt, excusationem non habeant, sed subversi potius atque immanes quam haeretici merito dici possint, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus quod tam illi, qui hactenus in ipsos errores, vel eorum aliquem lapsi sunt et infra supradictum terminum non resipuerint et ea quae supradiximus non adimpleverint, quam omnes et singuli alii, qui in futurum in illos vel illorum aliquem quomodolibet prolabentur, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existant, pro subversis et relapsis in haeresim haberi, et ut relapsi curiae saeculari tradi, et per ipsam curiam debitis poenis in relapsos statutis puniri possint, in omnibus et per omnia, perinde ac si vere et realiter in haeresim relapsi essent, et eos relapsos esse constaret.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praemissa omnia ad eorum, quorum interest, notitiam deducantur, nullusque de illis ignorantiam praetendere, ac se legitime excusare possit.

Forma publicandi hanc constitutionem.

§ 5. Volumus et dicta auctoritate decernimus quod praesentes literae seu earum transumptum, cui, si manu notarii publici subscriptum et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitum fuerit, eam prorsus fidem, in iudicio et extra, adhiberi statuimus, quae ipsis literis adhiberetur, si originaliter exhiberentur, in eadem Curia, per aliquos cursores nostros, in basilicae Principis Apostolorum et ecclesiae Lateranensis de Urbe ac Cancellariae Apostolicae valvis et acie Campi Florae, ut moris est; extra Curiam vero praedictam, modo et forma per venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos et episcopos ac alios ecclesiarum praelatos, quibus in virtute sanctae obedientiae per easdem praesentes mandamus ut literas sive transumptum huiusmodi ubique per eorum provincias, dioeceses et ecclesias sincera caritate publicent et publicari faciant, statuendis, publicentur, earum exemplo in singulis locis, in quibus publicatio ipsa fiet, affixo et dimisso.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, VII idus augusti, pontificatus nostri anno I.

Publicatio.

Anno a Nativitate Domini MDLVI, indictione XIV, die vero XXII mensis iulii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pauli divina providentia Papae IV anno eius II, praesentes retroscriptae literae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas seu portas basilicarum ecclesiarum Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae, dimissis copiis affixis, ut moris est, per me Thomam Roger, praefati sanctissimi D. N. Papae cursorem.

Petrus Gomes, magister cursorum.

Dat. die 7 augusti 1555, pontif. anno I.

VI.

Decanatus collegii S. R. E. cardinalium, cum omnimoda praecedentia spectat ad episcopum cardinalem antiquiorem, in Curia tempore vacationis praesentem, aut ex causa publica absentem et per Summum Pontificem extra eam destinatum.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Cardinales sunt membra Ponti-

§ 1. Cum venerabiles fratres nostri sanctae Romanae Ecclesiae cardinales in partem

ficio et ideo in Curia residere debent, et residentes praeferuntur absentibus in optionibus titulorum et sex ecclesiarum cathedralium.

solicitudinis vocentur ut pro tempore existenti Romano Pontifici assistant, ipseque Romanus Pontifex eorum consilio agenda disponat, et iidem cardinales sint pars corporis et membra ipsius Romani Pontificis, ac diversis almae Urbis nostrae parochialibus ecclesiis pro eorum cardinalatus titulo seu denominatione praeficiantur, et in eis episcopalem iurisdictionem habeant, et propterea in Romana Curia residere debeant; praesentesque in dicta Curia magis digni et privilegiati existant quam absentes, et in optionibus titulorum ac sex ecclesiarum cathedralium, quibus cardinales, pro eorum cardinalatus titulo, praefici solent, absentibus, etiam ante eos in cardinales assumptis, praeferantur; et si uni ex dictis ecclesiis cathedralibus praefecti fuerint, ex post semper alios non episcopos cardinales in quibusvis actibus et sessionibus praecedant.

Hic Pontifex tempore creationis erat decanus cardinalium, et deinde decanus cardinalium Bellayus ab eo declaratus fuit.

§ 2. Nos, ex praemissis et diversis aliis causis animum nostrum moventibus et, inter cetera, ut eosdem cardinales absentes ad residendum in Curia aliquibus uberioribus favoribus et praerogativis alliceremus, decanatu collegii cardinalium huiusmodi, quem nos, dum in minoribus constituti essemus, obtinebamus, et ad quem, propter nostram continuam in eadem Curia residentiam, ante alios cardinales nobis in cardinalatu antiquiores, tunc ab ipsa Curia absentes, perveneramus, per nostram ad summi apostolatus fastigium assumptionem vacante, habita super his cum fratribus nostris in consistorio nostro secreto deliberatione matura, de eorum consilio et unanimi assensu, venerabilem fratrem nostrum Ioannem episcopum Ostiensem, S. R. E. cardinalem de Bellayo nuncupatum, et de nobis et Sede Apostolica optime meritum, decanum collegii huiusmodi declaravimus, eumque ipsius collegii decanum vocavimus, et decanatum ipsum sibi concessimus, prout etiam per praesentes declaramus, vocamus et concedimus.

Et modo declarat ad quem in futurum devenire debet,

§ 3. Et insuper ne in posterum decanatus praedictus, illius occurrente vacatione, in aliquem cardinalem, ex voluntate sua et non ex causa publica absentem, et propter absentiam suam huiusmodi quandoque de negotiis dictae Sedis minus informatum, in iniuriam aliorum cardinalium tunc praesentium et Romano Pontifici assistentium, ac propterea de negotiis praedictis melius informatorum deveniat, aut super eodem decanatu aliquae controversiae seu dissensiones inter ipsos cardinales oriantur, providere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, sancimus quod decanatus huiusmodi de cetero, perpetuis futuris temporibus, nonnisi ad episcopum cardinalem antiquiorem in Curia praesentem, aut ex causa publica absentem et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatum, devenire possit.

Eique praecedentiam concedit.

§ 4. Et quod episcopus cardinalis antiquior in Curia praesens, aut, ut praefertur, absens et extra Curiam destinatus, postquam decanatus huiusmodi ad eum devenerit, omnes alios cardinales, etiam antiquiores, semper in quibusvis sessionibus et aliis actibus publicis praecedat, nec per alios episcopos cardinales, etiam antiquiores, tunc absentes, etiam si postmodum incontinenti ad eamdem Curiam se conferant et in ea continuo resideant, super ipso decanatu aut illius sessionibus vel aliis actibus seu negotiis ad eum pertinentibus impediri aut molestari valeat.

Clausulae sublativae.

§ 5. Decernentes sic et non aliter, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices, commissarios, quavis, etiam apostolica, auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici audi-

tores, ac eorumdem cardinalium collegium, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac stylo consistorii nostri, necnon ipsius collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, undecimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 augusti 1555, pontif. anno I.

VII.

Rei ex indiciis forsan torquendi pro habenda veritate criminum, non audiantur extra carceres, nisi fisco desuper audito; et neque crimen confessi relaxentur, nisi debita prius soluta poena.

Paulus Papa IV, motu proprio, etc.

Causa huius constitutionis.

Licet ex iuris communis dispositione satis provisum sit ut de aliquo crimine inquisitus, dum super indiciis contra eum existentibus discutitur an torturae in eius persona iure locus sit, personaliter in carcere detineatur, et ut crimen confessus, in quem nihil, nisi ut poenam solvere cogatur, agendum restat, quousque ille debite punitus fuerit, non relaxetur; tamen, ut nuper accepimus, rei criminum torturae supponendi, sub cautione de se repraesentando; et confessi, sub simili cautione, seu etiam sub cautione de stando iuri et iudicatum solvendo, plerumque relaxantur, quo fit ut, illis extra carcerem positis expeditionem non procurantibus, causae huiusmodi differantur, et demum oblivioni tradantur, aut variis viis rei ipsi, post aliquod tempus, cautiones praestitas liberari procurent, sicque ipsi poenas debitas effugiant et delicta remaneant impunita, in grave scandalum et pessimum ceterorum exemplum.

Rei forsan torquendi extra carceres non audiantur.

§ 1. Nos itaque, huic abusui occurrere volentes, motu simili et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, decernimus, statuimus et ordinamus ut nullus, qui ex indiciis contra eum laborantibus iure torquendus veniat, seu de quo dubitetur, dum de indiciis huiusmodi an ad torturam sufficientia sint disputatur, quousque aut per torturam indicia ipsa purgaverit, aut eum torturae subiiciendum non esse cognitum fuerit, procuratore fisci nostri ad haec omnia citato et interveniente, sub quavis cautione a carcere relaxetur, neque super iis extra carceres audiatur.

Confessi non relaxentur, poena non soluta.

§ 2. Nullus, etiam qui crimen in iudicio confessus fuerit, contra quem nullæ sunt partes iudicis, nisi in exequendo, etiam si pro crimine huiusmodi pecuniaria pœna plectendus veniat, et quamcumque cautionem de illa solvendum praestare offerat, a carcere relaxetur, nisi poena ipsa, praefato fisci procuratore desuper audito, debite persoluta.

Clausulae sublativae.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, iudicari, definiri et observari debere, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et definiendi facultate; irritumque et inane quicquid contra praesentium tenorem a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, decernimus.

Sola signatura sufficit.

§ 4. Volumusque praesentium solam signaturam nostram sufficere, et ubique,

in iudicio et extra illud, fidem facere, quacumque regula Cancellariae, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Placet, motu proprio. I.

VIII.

Prohibitio contrahendi societates, officiorum nuncupatas, aliter quam super officiis dictae Curiae vacabilibus, et non ultra dimidium valoris ipsorum officiorum.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Societates officiorum super officiis fiebant ad rationem ... pro centenario, et super officiis etiam contrahebantur societates ultra valorem officiorum et cum pactis illicitis, unde mala hic descripta oriebantur.

Inter ceteras curas, quibus ex ministerio apostolatus, nobis divinae gratiae munere commissi, assidue premimur, illa nos maxime urget ut pravae consuetudines et abusus, quos in hanc almam Urbem nostram malitiis hominum irrepsisse cernimus, nostra diligentia tollantur. Cum itaque (sicut fide dignorum relatione nobis innotuit) diversae utriusque sexus personae, tam ipsius Urbis cives seu originarii quam Romanam Curiam sequentes, sub praetextu quod in dicta Curia super illius officiis societates ad rationem duodecim et quandoque plurium pro centenario passim fiant, et societates huiusmodi licitae reputentur, propterea quod officia ipsa fructus suos verisimiliter ad eamdem rationem reddant, et pecunias ipsas in societatem recipientes, si illas dantes aut singuli alii tunc ab eis nominati moriantur, sortem principalem pecuniarum per eos in societatem receptarum lucrentur; et e contra, si recipientes pecunias in societatem moriantur, pro eo quod officia, super quibus societates huiusmodi contractae fuerint, ipsis morientibus, deficiant, eorum haeredes aut fideiussores sortem receptam restituere cogantur, pecunias suas sub nomine societatis, sed tamen super aliquo eiusdem Curiae officio mutuent, et duodecim et quandoque plura pro centenario, nomine quidem fructuum ipsius societatis, sed re vera pro usuris pecuniarum per eos mutuatarum, exigant, usurariam pravitatem committendo; et diversi praefatae Curiae officiales, super officiis per eos pro tempore obtentis, diversas societates cum diversis personis, etiam ultra valorem ipsorum officiorum, et cum pactis aliquando minus licitis saepius ineant, et singulis personis pecunias suas eisdem officialibus intra valorem eorumdem officiorum, absque eo quod unam alia sciat, credentibus, tam pro sorte principali quam pro fructibus dictarum societatum, fideiussionem praestent aliorum officialium, qui officia sua aliis pro maiori pecuniarum summa, quam illa valeant, obnoxia et hypothecata habent, et exinde fiat ut officia ipsa quandoque ultra decuplum eius, quo vendi possent, obligata reperiantur, ac tam principales debitores quam fideiussores non solum fidem fallant, et creditores suos pecuniis, quas illis eisdem officialibus, eorum fideiussorum suorum fidem sequentes, credunt, privent, frustrentur, etiam iuramentis per eos in societatibus huiusmodi praestitis temere contraveniendo, verum etiam facilitate societatis huiusmodi clam ineundi, seipsos et suam familiam depauperent, suamque et illorum substantiam dissipent et annihilent, in animarum periculum, et eiusdem Curiae ignominiam, ac complurium, qui in praemissis non delinquunt, detrimentum.

Pontifex igitur societates aliter quam super officiis Romanae Curiae in certam participationem fructuum fieri prohibet;

§ 1. Nos cupientes, quantum cum Deo possumus, animarum periculis obviari, et aliis inconvenientibus praedictis occurrere, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia et mera deliberatione nostris, per praesentes decernimus et declaramus omnes et singulas societates ad ra-

tionem certae et determinatae pecuniarum summae quolibet mense vel anno aut alio statuto tempore solvendae, etiam snb periculo mortis alicuius, alias quam super officiis praefatae Curiae de cetero faciendas, illicitas et iniustas fore, et usurariam pravitatem continere, et eis alicui ius aut actionem acquiri non posse.

Officialesque pecunias ultra dimidium valoris recipere et societates contrahere non posse decernit;

§ 2. Et insuper hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus atque statuimus et ordinamus quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus, tam in dicta Curia quam in tota ditione ecclesiastica officialis, cuiuscumqne status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis et praeeminentiae existat, aliquam societatem super officio vel officiis ad nostram seu Sedis vel Camerae Apostolicae vel camerarii, vicecancellarii, poenitentiarii maioris et causarum Palatii Apostolici auditorum dispositionem quomodolibet pertinenti seu pertinentibus, quae vendi consueverint, per eum pro temporo obtentis, cum aliqua seu aliquibus, persona seu personis, communi, collegio et universitate, ultra dimidium valoris officii seu officiorum huiusmodi, et nisi praecedente signatura, a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente obtenta, in qua substantia rei ad hoc ut discerni possit an licita sit vel illicita, facere praesnmat; et quod societates supor officiis huiusmodi aliter factae non valeant nec viribus subsistant, earumque praetextu nullatenus agi possit. Nos enim signaturas huiusmodi, quas, absque aliarum literarum expeditione, regula contraria non obstante, sufficero volumus, per nostrum datarium ad instar resignationum officiorum huiusmodi expediri, et pacta in ipsis societatibus pro tempore apposita, ad hoc ut licita tantum statuantur, examinari, ac societates ipsas, ut omnibus innotescere possint, nec ultra dimidium pretii ipsorum officiorum fiant, in aliquo particnlari libro apud ipsum datarium adnotari, et pro expeditiono signaturae, et adnotatione huiusmodi, dimidium unius pro quolibet centenario partes ipsas praefato datario solvi.

Societatesque iam contractas datario notificari mandat.

§ 3. Et ut fraudes ac pacta illicita in praemissis hactenus facta detegantur, ac illis in tempore occurri possit, societates hactenus factas et adhuc vigentes eidem datario seu ab ipso pro tempore deputatis, cum opportuna specificatione eorum qui illas tam active quam passive fecerunt, et officiorum super quibus, ac pecuniarum pro quibus, et temporis de quo et ad qnod factae fuerint, infra tres menses a die publicationis praesentium modo infrascripto faciendae computandos, notificari volumus et mandamus; ac nisi, ut praefertur, notificatae fuerint, eas, iisdem tribus mensibus elapsis, penitus et omnino extinctas esse, nec ius aut actionem aliquam tribuere posse.

Decretum irritans.

§ 4. Sicque et non alias, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque, etiam auditores praefatos, ac Camerae huiusmodi clericos, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, iudicari et definiri debere; ac si secus super his a quoquam, qnavis anctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, coterisquo contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi hanc constitutionem.

§ 6. Ut autem praesentes literae ad omnium, quorum interest aut interesse poterit qnomodolibet in futurum, notitiam deducantur, nec ullus se adversus eas excusare aut ignorantiam praetendere possit, volumus easdem literas in valvis Cancellariae Apostolicae, et Audientiao literarum nostrarum contradictarum, et Camerae Apostolicao, et acie Campi Florae, per aliqnos ex cursoribns nostris, legi et publicari ac affigi, affixasque inibi aliqno tem-

poris spatio dimitti, et postmodum tolli, earum exemplo cum originali collationato loco illarum affixo et dimisso.

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, nonis octobris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 7 octobris 1555, pontif. anno I.

IX.

Dispositiones [1] *matrimoniales, post contractum matrimonium sub spe facilius eas obtinendi, nullatenus concedi debere decernit* [2].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pauli sollicitudo de tollendis ab Ecclesia abusibus.

§ 1. Ab ea ipsa die, qua divina bonitas nos, licet tanto oneri impares, regendae eius universali Ecclesiae praeficere dignata est, numquam cessavimus cogitare, quo pacto singuli abusus nostra diligentia tollerentur, diversas superinde constitutiones, iuxta casuum exigentiam, quotidie promulgando et publicando.

Nonnulli matrimonia contrahebant in gradibus prohibitis, impedimen. huiusmodi subticentes spe ducti dispensationem obtinendi facilius post contractum matrimonium.

§ 2. Hinc est quod cum, sicut nobis nuper innotuit, a nonnullis annis citra introductum sit ut qui matrimonium in secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu contrahere anhelant, scientes se dispensationem a Sede Apostolica super huiusmodi matrimonio contrahendo obtinere non posse, sub fiducia illam super eodem matrimonio, postquam contractum fuerit, reportandi, matrimonium ipsum de facto contrahant et carnali copula consumment, excommunicationis sententiam in concilio Viennensi contra matrimonia in gradibus prohibitis scienter contrahentes promulgatam damnabiliter incurrendo; et deinde, sub praetextu quod, si divortium fieret inter eos, gravia exinde inter eos et eorum consanguineos et affines scandala possent verisimiliter exoriri, et mulier perpetuo diffamata remaneret, absolutionem necessariam et dispensationem opportunam tamquam sibi debitas concedi expostulent, sicque absolutionem et dispensationem, quas alias non obtinerent, eo praetextu ut plurimum reportent, in scandalum plurimorum.

Pontifex as huiusmodi dispensation. non daturum protestatur.

§ 3. Nos, considerantes praemissa causam tribuere delinquendi, et incestum committendi, ac ex delicto, loco poenae, commodum et appetitus satisfactionem reportari, malitiis hominum occurrere volentes, per has nostras omnibus innotescere volumus quod nos, lapso tempore, infra quod notitia praesentium in partibus, ex quibus similes dispensationes peti continget, verisimiliter haberi potuerit, absolutiones et dispensationes huiusmodi ex praetextu praedicto, etiam si proles ex matrimonio sic contracto subsecuta fuerit, nullatenus, sed solum ex causa urgentissima pro bono publico et a iure considerata, per nos tantum et non alium approbanda, concedimus; et quod dispensationes ex alia causa nostris temporibus perpetuo exulabunt, quod nobis licere non patimur nostris successoribus indicantes.

Nulli ergo *etc.*

Dat. Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, quinto idus [1] decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 decembris 1555, pont. an. I.

X.

Lites et causae inter cardinales S. R. E., quomodolibet vertentes, a Summo Romano Pontifice, appellatione remota, decidendae sunt.

Paulus Papa IV, motu proprio, etc.

Cum saepius, etiam dum in minoribus eramus, in mente revolventes quam in-

[1] *Dispensationes*, Matth. (R. T.).
[2] Ex Regest. in Archiv. Vat.

[1] *Idibus*, Matt., idest die XIII decem. (R. T.).

Causa huius constitutionis.

decens et scandalosum foret inter S. R. E. cardinales lites iudicialiter coram alio quam Summo Pontifice experiri, et postmodum ad summi apostolatus apicem assumpti, cum diversis S. R. E. cardinalibus colloquendo, conceptum et intentionem nostram praefatam explicantes, huiusmodi nostrum propositum collaudaverint, et ad inveniendum modum per quem praemissis provideretur nos exhortati sint; nosque etiam in publica signatura mentem nostram fore quod causae huiusmodi per nos tantum terminarentur publice declaravimus, licet super hoc aliqua scriptura confecta non fuerit.

Avocatio causarum praesentium.

§ 1. Ac volentes omnino declarationem nostram huiusmodi plenum effectum sortiri debere, tenore praesentium, omnes et singulas lites et causas inter quoscumque S. R. E. cardinales super quibusvis rebus et bonis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, necnon ecclesiis, monasteriis, prioratibus, hospitalibus et piis locis ac aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis saecularibus, vel quorumvis Ordinum regularium, seu illorum spolio, vel attentatis aut innovatis, rebusque aliis, et illorum occasione coram quibusvis iudicibus, etiam eiusdem S. R. E. cardinalibus aut Palatii Apostolici causarum auditoribus in quavis instantia, ac etiam in negotio exequutivo vel restitutionem in integrum quomodolibet vertentes et pendentes, etiam si ad illarum instructionem et conclusionem sit procedendum, quorum omnium status *etc.* pro expressis haberi volumus, ad nos in eisdem statu et terminis, in quibus reperiuntur, advocamus, cognitionemque et decisionem illarum nobis reservamus.

Decisioni Pontificis standum in causis praependentibus.

§ 2. Decisionique et terminationi per nos super illis faciendae, appellatione quacumque, etiam alias de iure admissibili, reiecta et postposita, standum, acquiescendum et patienter omnino parendum et obediendum fore statuimus et ordinamus.

Et in futuris.

§ 3. Ac similiter in litibus et causis, quae de cetero inter eosdem S. R. E. cardinales exoriri contigerit, observari volumus et mandamus.

Inhibitio contra omnes iudices.

§ 4. Inhibentes omnibus et singulis iudicibus, tam ordinariis quam delegatis, ac quacumque auctoritate fungentibus, in virtute sanctae obedientiae, ne in causis inter cardinales praelatos pendentibus, ipsisque ordinariis, ne in illis, quae de cetero coram eis introducerentur, ad aliquem actum, absque speciali rescripto manu nostra signato, procedere, aut aliquid attentare audeant vel praesumant; irritum quoque et inane quicquid in contrarium fieri contigerit, sublata eis alias iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, decernimus.

Iussio publicandi.

§ 5. Praesentesque in Cancellaria Apostolica publicari et ab omnibus inviolabiliter observari mandamus.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque et indultis, eisdem S. R. E. cardinalibus per quoscumque Romanos Pontifices ac nos, in genere vel in specie concessis, confirmatis et innovatis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus expressa ac de verbo ad verbum mentio specialis facienda foret, quorum omnium et singulorum tenores, continentias et formas pro expressis haberi volumus, et ceteris contrariis quibuscumque.

Placet, motu proprio. I.

Lecta et publicata fuit suprascripta constitutio Romae, in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, die vero iovis, nona mensis ianuarii.

Publ. die 9 ianuarii 1556, pontif. anno I.

XI.

Iurisdictio et facultates protectoris et iudicis cathecumenorum et neophytorum; et declaratio, quod eorum hospitali in Urbe iudaei Status Ecclesiastici solvere debeant quolibet anno ducatos decem pro qualibet synagoga, etiam demolita et alienata, vel demolienda ac alienanda[1].

Paulus Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Iulius III statuit iudaeos Status Ecclesiastici solvere debere quolibet anno in festo Omnium Sanctorum, decem ducatos pro qualibet synagoga hospitali cathechum. Urbis, cuius eius const. hic non habetur.

Dudum postquam PP. fel. recordationis Iulius III, praedecessor noster, inter alia, statuerat et ordinaverat quod quaelibet universitas seu congregatio iudæorum, tam in alma Urbe, quam aliis civitatibus, terris, provinciis et locis sanctae Romanae Ecclesiae subiectis pro tempore consistentes, pro quolibet eorum loco, synagoga aut alias nuncupato, in Urbe ac aliis civitatibus, terris, provinciis et locis praedictis existente, in quo eorum superstitiones seu caeremoniae fieri solebant, summam decem ducatorum auri de Camera, hospitali seu domui cathecumenorum dictae Urbis, aut illius pro tempore deputatis, pro eorumdem cathecumenorum substentatione, in festo Omnium Sanctorum, singulis annis solvere deberent et tenerentur; ita tamen quod repartitio summae huiusmodi iuxta singularum synagogarum cuiuslibet provinciae facultates, et ditior pro paupere synagoga provinciae huiusmodi contribuere et proportionaliter solvere deberet; ac eiusdem domus seu hospitalis protectorem et iudicem, in omnibus et singulis eorum causis civilibus et criminalibus, dilectos filios nostros Ioannem Michaelem tituli Sanctae Mariae in Aracoeli presbyterum Saracenum, et Innocentium S. Honufrii diaconum de Monte nuncupatos, cardinales, per eius literas constituerat et deputaverat.

Hic autem Pontifex decrevit iudaeos unicam synagogam, in sing. locis habere posse et alias demoliri, sed eius constitutio, ubi h's relata, omissa est.

§ 1. Nos ex certis causis, quod de cetero perpetuis futuris temporibus ipsi iudaei in singulis civitatibus, terris et locis unicam tantum synagogam habere deberent, nec alias de novo construere possent, quinimo omnes alias eorum synagogas praeter unam tantum, demoliri et devastare tenerentur et adstricti essent, per alias nostras literas seu constitutionem sancivimus et ordinavimus, prout in literis seu constitutione huiusmodi plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, a nonnullis praetendatur, seu praetendi posset, universitatem seu congregationem iudæorum eorumdem, cum tantum unicam synagogam in singulis civitatibus et terris ac locis praedictis habere possit, praetextu nostrarum literarum seu constitutionum huiusmodi ad solutionem dictorum decem ducatorum pro quolibet loco et ubi dicta synagoga consistit tantum teneri et obligatos esse, ipsosque deputatos eosdem decem ducatos ex una synagoga cuiuslibet loci et non amplius percipere posse et debere.

Hinc orta est dubitatio an solutio esset etiam facienda pro qualibet synagoga etiam demolita vel demolienda.

§ 2. Nos, quorum intentionis numquam fuit nec est, per easdem nostras literas seu constitutionem, universitatem seu congregationem iudæorum huiusmodi a dicta solutione decem ducatorum pro qualibet eorum synagoga, etiam destruenda, exonerare, aut ipsis cathecumenis, quoad perceptionem et exactionem dictae summae decem ducatorum pro qualibet synagoga, etiam in vim dictarum nostrarum literarum seu constitutionis destruenda, praeiudicare. Attendentes solutionem decem ducatorum huiusmodi cuiuslibet dictarum synagogarum, non tamquam locorum, in quibus ipsi iudæi ad dictas eorum superstitiones seu caeremonias exercendas, congregabantur, sed ipsorum hebræorum personis et cuiuslibet ipsorum universitati et congregationi, quae etiam sub synagogae nomine continetur, cum synagoga iudæorum congregatio dicatur, per ipsum prae-

Intentionem suam declarat Pontifex.

[1] De huius protectoris et iudicis facultatibus habes etiam sup., in Pauli III constitutione XLVI, *Illius*, pag. 353.

decessorem constitutam fuisse ad eorumdem pauperum cathecumenorum sustentationem, et illasmet causas et rationes, quibus ipse praedecessor ad dictae summae solutionem, ut praefertur, faciendam motus fuerat, ob synagogarum praedictarum demolitionem vel ad unius dumtaxat synagogae reductionem, non solum non cessare, sed etiam, huiusmodi locis demolitis cessantibus, vel ad unum etiam redactis, adhuc subsistere et vigere magis et eo magis quo in dies dictorum cathecumenorum numerus auctus fuit et augetur, qui una cum aliis hebræis, qui, eorum iudaica caecitate abiecta, et ad veri luminis cognitionem conversi, et fonte Baptismatis, in dicto hospitali seu domo, caritative fuerunt recepti et quotidie recipiuntur, ac in fide catholica instruuntur, ita quod ipsi hebræi, ultra quamplurimas quas sentiunt commoditates in literis praedecessoris huiusmodi expressas, relevantur etiam a sumptibus et expensis, quas pateretur etiam ipsa universitas iudæorum vel hebræi ipsi, qui cathecumenos illos, si conversi non essent et pauperes existerent, etiam alere tenerentur. Et propterea cum etiam proventus ipsius hospitalis seu domus ita adeo tenues et exigui existant, quod ad praemissa et alia pia opera exercenda suppetere nequeant.

Inde praecipit iudaeos teneri ad solutionem dictorum decem ducatorum pro qualibet synagoga etiam demolita vel alienata, aut demolienda vel alienanda.

§ 3. Et propterea eorum cathecumenorum indemnitatibus providere et quascumque dubitationes tollere cupientes, auctoritate apostolica, tenore praesentium per praesentes fidem facimus, et in verbo Romani Pontificis attestamur, nostrae intentionis seu mentis, etiam tempore datae nostrarum literarum seu constitutionis huiusmodi, nunquam fuisse nec esse, per easdem nostras literas seu constitutionem, universitatem seu congregationem iudæorum aut hebræorum huiusmodi a dicta solutione decem ducatorum pro qualibet synagoga iudæorum huiusmodi, tam in alma Urbe quam aliis civitatibus, terris et provinciis et locis praedictis, tempore publicationis nostrarum literarum seu constitutionum existentibus, sub praetextu quod demolitae seu alienatae fuerint, seu demolientur aut alienentur [1], dictam summam decem ducatorum ab universitate, seu congregatione iudæorum huiusmodi exigere, et illos ad solutionem dictae summae ipsi universitati et congregationi, ac in eadem Urbe faciendam compellere possint, praeiudicare voluisse seu velle. Et nihilominus, potiori pro eorumdem cathecumenorum cautela, volumus et apostolica auctoritate statuimus et ordinamus quod quaelibet universitas seu congregatio iudæorum seu hebræorum huiusmodi, pro qualibet eorum synagoga, tam publica, quam privata et temporali, quae in Urbe et aliis civitatibus, terris, provinciis et locis praefatis, tempore publicationis nostrarum literarum seu constitutionum huiusmodi fuit, etiam si illa demolita seu alienata fuerit, seu etiam alienari seu demoliri contigerit, summam decem ducatorum huiusmodi hospitali seu domui cathecumenorum aut istius deputatis praefatis, in dicto festo Omnium Sanctorum, in hac nostra alma Urbe, singulis annis, etiam pro tempore praeterito et alias, iuxta literarum praedecessoris huiusmodi continentiam et tenorem, solvere teneatur et obligata sit, et ad id cogi et compelli possit, etiam in omnibus et per omnia, perinde ac si nostrae literae sive constitutio huiusmodi publicatae, aut aliqua ex dictis synagogis, quae tempore praedecessoris huiusmodi existebat, demolita seu devastata aut alienata non fuisset neque esset, seu non fuerit neque erit.

Omnesque congregationes iudaeorum in eodem esse obligatas pro talisnnua solutione.

§ 4. Quodque unaquaeque universitas seu congregatio iudaeorum seu hebraeorum huiusmodi, tam in alma Urbe quam Bononiensi, Ferrariensi, Urbinatensi, Camerinensi et aliis civitatibus et terris ac provinciis et locis nobis et eidem Ro-

1 *Alienabuntur*, Matth. (n. T.).

manae Ecclesiae, mediate vel immediate, ut praefertur, subiectis, nunc et pro tempore consistentibus, pro alia universitate seu congregatione aut synagoga iudaeorum seu hebraeorum huiusmodi, ad solutionem decem ducatorum, ut praefertur, hic in Urbe, singulis annis, in festo Omnium Sanctorum, faciendam, in solidum et in ampliori forma Camerae Apostolicae teneatur et obligata sit, prout nos eos et eorum quemlibet, illorumque res et bona ubilibet existentia, specialiter et expresse ad invicem obligamus et obligata esse, sicque obligata cogi et compelli posse et debere volumus.

Ministri congregationum iudaeorum taxam fatius solutionis iuxta congregationis facultates imponere et ad solvendum cogere possunt.

§ 5. Quodque omnes et singuli commissarii aut ministri seu factores earumdem universitatum seu congregationum, dictos decem ducatos pro qualibet synagoga, etiam demolita seu alienata, singulis annis, absque aliqua requisitione seu monitione, in ipsa alma Urbe eademque domo seu hospitali cathecumenorum, in dicto festo, integre ac realiter et cum effectu solvere et satisfacere debeant, et ad id cogi et compelli possint; et quod illi omnes et singulas congregationes et universitates huiusmodi, ac iudaeos et hebraeos ubilibet commorantes ad solutionem huiusmodi faciendam, iuxta singularum synagogarum seu congregationum cuiuslibet provinciae facultates, gravando unam plus alia, iuxta illius facultatem, ditiorem pro paupere synagoga provinciae huiusmodi, ac alias, iuxta literarum praedecessoris huiusmodi continentiam et tenorem, invocato etiam ad hoc, si eis videbitur, auxilio eiusdem Ioannis Michaelis cardinalis, ac pro tempore existentis dictorum cathecumenorum protectoris, cogere et compellere; ac propterea eos, unica dumtaxat citatione praecedente, coram eodem protectore convenire possint et valeant.

Cathecumenos et neophytos in Urbe et extra commorant., eorumque bona et officiales a iurisdictione quorumcumque iudicum eximit;

§ 6. Ac hospitale seu domum cathecumenorum huiusmodi, ac dictos cathecumenos neophytos et conversos quoscumque, etiam in Urbe et extra eam commorantes, ipsosque deputatos administratores et alios officiales et personas, necnon eorum res et bona nunc et pro tempore ubilibet existentia a quorumcumque iudicum et aliorum dictae Urbis, ac aliorum locorum ordinaria iurisdictione, potestate, auctoritate et dominio penitus et omnino eximimus et totaliter liberamus, ac praefati Ioannis Michaelis cardinalis et pro tempore existentis protectoris iurisdictioni, auctoritati et dominio subiicimus et supponimus.

Eorumque iudicem et protectorem deputat cardinalem Saracenum;

§ 7. Necnon omnes et singulas, tam civiles quam criminales et mixtas causas, inter cathecumenos, neophytos et conversos, deputatosque et alios praefatos, seu quemcumque eorum ex una, et quasvis alias personas et loca, collegia et universitates, coram quibusvis iudicibus ordinariis et extraordinariis, necnon executoribus super quibusvis etiam bonis vertentes et pendentes, partibus ex altera, respective ad nos advocantes, illasque in eo statu et terminis, in quibus ad praesens reperiuntur, et quas in futurum moveri de novo contigerit, tam active quam passive, cum omnibus et singulis suis incidentibus, dependentibus, annexis et connexis, eidem Ioanni Michaeli cardinali et pro tempore existenti protectori summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, et, quatenus opus sit, executive et manu regia, absque terminis substantialibus ac alicuius telae iudiciariae observatione, quacumque appellatione remota, etiam frivola, audiendas, cognoscendas, decidendas ac fine debito terminandas committimus, etiam cum potestate citandi, etiam in Romana Curia et extra eam, etiam per edictum publicum, constito summarie de non tuto accessu, ac quibusvis inhi-

bendum fuerit, inhibendi, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis, atque etiam pecuniariis, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, et super quibus plenam et liberam facultatem et auctoritatem eidem protectori concedimus.

Confirmat omnia privilegia et exemption. cathecumenor. et neophytorum.

§ 8. Et insuper literas Iulii praedecessoris huiusmodi, necnon omnia et singula privilegia, exemptiones, praerogativas, libertates, indulta, indulgentias et alias gratias hospitali seu domui, illiusque ecclesiae ac cathecuminis, neophytis, administratoribus praefatis, illorumque personis et bonis per dictum Iulium III ac quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos et Sedem Apostolicam, et cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis desuper confectas literas, sub quibuscumque tenoribus concessas, confirmamus, approbamus et innovamus, illaque perpetuae firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari, ac hospitali et cathecumenis, neophytis, administratoribus et aliis praemissis suffragari debere. Sicque per quoscumque iudices, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari debere. Necnon quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus, illaque omnia et singula eis et eorum cuilibet, prout concessa et ordinata fuerunt, de novo concedimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 9. Non obstantibus praemissis ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo non ultra tres, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem iudicibus et quibusvis personis, etiam sub quibuscumque tenoribus et formis ac irritantibus decretis, concessis, confirmatis et innovatis (quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus), necnon omnibus illis, quae praefatus Iulius praedecessor in suis literis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimatertia martii, millesimo quingentesimo quinquagesimosexto, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 martii 1556, pontif. anno I.

XII.

Advocatio causarum spoliorum a quibuscumque iudicibus, earumque remissio ad thesaurarium generalem eiusque ministros privative, cum inhibitione aliis similes causas committendi, nisi eodem thesaurario citato [1].

Paulus Papa IV, ad futuram rei memoriam.

Causae edendi decreti

§ 1. Ut exactio spoliorum, tam Status sanctae Romanae Ecclesiae quam aliarum partium Italiae, celerius et facilius fiat, nec ministrorum multitudine confundatur.

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Avocatio (de qua in rubrica).

§ 2. Motu proprio et ex certa nostra scientia, omnes et singulas lites, causas et controversias, quae coram quocumque iudice ordinario vel delegato, praeterquam venerabili fratre Hieronymo, episcopo Torcellano, thesaurario nostro generali, et eorumdem spoliorum in tota Italia collectore generali per nos deputato, et illius ministris ac substitutis, super quibusvis ipsorum spoliorum negociis in Italia huiusmodi indecise pendent, earum status et merita, ac nomina et cognomina iudicum et collitigantium praesentibus pro expressis habentes, quatenus instructae non sint, ad nos harum serie avocamus, illasque ac ipsa negocia in statu et terminis, in quibus reperiuntur, eidem Hieronymo episcopo, per se vel eius ministros, iuxta tenorem suarum facultatum, cognoscendas et fine debito terminandas, apostolica auctoritate, tenore praesentium, remittimus et, quatenus oporteat, de novo committimus.

Lites super spoliis a solo thesaurario generali cognoscendae.

§ 3. Et quod de cetero lites et causae huiusmodi a nullo alio quam Hieronymo episcopo seu ab eo super dictis spoliis pro tempore deputatis collectoribus cognosci, nec alteri, nisi per commissionem manu nostra signatam, eodemque Hieronymo episcopo citato, vel per eiusdem Hieronymi episcopi literas committi vel delegari possint; quodque citationes, inhibitiones vel mandata, quae aliter quam ex commissionibus, ut praefertur, manu nostra signatis, eodemque Hieronymo episcopo citato, vel literis eiusdem Hieronymi episcopi emanaverint, quoad earum causarum introductionem et litis pendentiam, seu iurisdictionis ac processuum praedicti Hieronymi episcopi et eius ministrorum impedimentum vel retardationem, nullius sint roboris vel momenti, dicta auctoritate, per easdem praesentes statuimus et ordinamus.

Irrita declarantur contraria quaecumque.

§ 4. Decernentes ex nunc irritum et inane quidquid aliter a quoquam, cuiusvis auctoritatis et praeeminentiae, et quacumque, etiam legationis de latere vel alia dignitate ac potestate fungente, quomodolibet contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima aprilis, millesimo quingentesimo quinquagesimosexto, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 aprilis 1556, pont. an. I.

XIII.

Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ab Urbe quavis de causa absentes, de distributionibus ratione pilei minime gaudere, nec cum praesentibus ad ecclesiarum optionem eis pro titulis assignandarum admitti posse sancit [1].

Paulus Papa IV.

Decretum (de quo in rubrica).

§ 1. Sanctissimus dominus noster attendens non aequum esse quod sanctae Romane Ecclesiae cardinales ab Urbe, etiam de licentia Sanctitatis Suae, absentes, cum aliis cardinalibus in dicta Urbe praesentibus et Sanctitati Suae in regimine universalis Ecclesiae continue assistentibus, in optione ecclesiarum, eisdem cardinalibus pro titulis seu denominationibus cardinalatuum suorum assignari solitarum, concurrant, aut eis, participando de distributionibus, ratione pilei, in aliquo praeiudicent; volens desuper opportune providere, statuit et ordinavit cardinales ab eadem Urbe absentes, non valentes consistoriis ac generalibus seu particularibus congregationibus per Sanctitatem Suam celebrandis, aut divinis officiis in cappella Sanctitatis Suae recitandis interesse, seu

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

qui ita absentes actualiter non interfuerint, etiam si ratione alicuius legationis eis specialiter iniunctae aut alias causa reipublicae absentes, etiam si recedendi licentiam a Sanctitate Sua obtinuerint, eorum durante absentia, ecclesias praedictas optare, aut de distributionibus, ratione pilei debitis, participare, seu earum occasione aliquid a pro tempore existente camerario et depositario collegii eorumdem cardinalium petere non posse; et ipsos camerarium et depositarium ad eis aliquid, ratione distributionum huiusmodi, pro tempore eorum absentiae, persolvendum minime teneri.

Revocatio indultorum praesentibus contrariorum.

§ 2. Revocans, ad effectum huiusmodi, omnia et singula indulta eisdem cardinalibus, praeter et contra statum et ordinationem huiusmodi, etiam per Sanctitatem Suam et Sedem Apostolicam, etiam vigore constitutionum inter ipsos cardinales observari solitarum et consistorialium, aut alias quomodolibet concessa.

Et concedendorum.

§ 3. Volens eorum omnium tenores pro expressis haberi, et ea, quae in posterum quovis modo concederentur, minime suffragari.

Praesens decretum obbligat a die datae.

§ 4. Ac decernens praesens decretum, a data ipsius, effectum de cetero, quoad praemissa, sortiri debere, et sic iudicari debere; ac irritum *etc.*

Actum Romae in consistorio, die veneris, XII mensis iunii MDLVI.

Act. die 12 iunii 1556, pontif. anno II.

XIV.

Suppressa confraternitate, quam Iulius III praeposuerat gubernio hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, praeceptoriam restituit Paulus, eamque confert Vincentio Cappello Veronensi [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Apostolicae Sedis providentia nonnunquam ea, quae consulte statuerat, ex saniori iudicio consultius revocat, prout, rerum et temporum qualitate pensata, conspicit in Domino salubriter expedire.

Temporibus Iulii III hospitale S. Spiritus in Saxia multo aere alieno gravatum

§ 1. Dudum siquidem praeceptoria hospitalis nostri Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, Ordinis S. Augustini, certo modo vacante, felicis recordationis Iulius Papa III, praedecessor, attendens quod, licet hospitale praedictum diversis castris et locis ac aliis opulentissimis redditibus dotatum fuisset; nihilominus, sive crebra praeceptoris, per quem hospitale ipsum regebatur, mutatione, et quae exinde causabatur status eiusdem hospitalis per multum tempus inscitia, sive illius pro tempore praeceptorum sive commendatariorum incuria, aut eorum, qui castris et locis praedictis finitimi catenus fuerant, potentia, seu iniustis et illicitis castrorum et locorum ac reddituum huiusmodi alienationibus et distractionibus, per tunc temporis praeceptores sive commendatarios ac dilectos filios conventum eiusdem hospitalis factis, seu alias, non solum diversis ex castris et locis ac redditibus huiusmodi privatum, verum etiam plurimo aere alieno oneratum fuerat, ex quo magnum et notabile interesse quotannis solvere cogebatur; et quod, nisi praemissis aliquod efficax et vehemens remedium adhiberetur, verisimiliter formidari poterat ne, aere alieno huiusmodi ex solutione ipsius interesse in dies crescente, hospitale praedictum aliquam notabilem iacturam incurreret.

Praeceptoria suppressa, ad eius gubernium et administrationem instituit Iulius confraternitatem, nonnullis datis legibus.

§ 2. Et propterea considerans quod, si eidem hospitali aliquod certum et continuatum ac nunquam deficiens regimen aliquot proborum et timoratae conscientiae virorum constitueretur et ordinaretur, exinde profecto res et negocia ipsius hospitalis diligentius et solertius ac cum maiori eorum notitia ad Dei laudem et honorem administrarentur; nec ipsum hospitale expensis manutenendi praece-

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic.

ptorem, qui ut plurimum praelatura fungi consueverat, gravaretur; indeque dictum aes alienum citius dilui, ac aliis inconvenientibus praedictis facilius occurri, ac curae infirmorum et pauperum atque infantium praedictorum efficacius insisti posset, praemissis cum fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, mature discussis et desuper diligenti consideratione praehabita, de eorum consilio et assensu, praeceptoriam praedictam, quae conventualis et caput aliarum praeceptoriarum ab eodem hospitali dependentium existebat, ut praefertur, vacantem per suas literas perpetuo suppressit et extinxit, ac in ecclesia dicti hospitalis unam christifidelium confraternitatem, sub invocatione eiusdem Sancti Spiritus, erexit et instituit; et quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus hospitale praedictum per sex aut, arbitrio eiusdem confraternitatis, plures seu pauciores ab ea eligendos confratres confraternitatis huiusmodi, quorum saltem unus esset praelatus et aliqui in dignitate ecclesiastica constituti, ac reliqui omnino clericali charactere insigniti et nullatenus coniugati existerent, et quorum dimidia seu, eiusdem confraternitatis arbitrio, alia maior pars singulis annis mutaretur et variaretur, ita ut alicuius eorum officium ultra biennium durare nequiret, et aliqui ex prioris anni rectoribus seu administratoribus cum noviter electis, ut rerum notitia melius haberi posset, semper remanerent, cum ea qua deceret charitate regeretur et gubernaretur; ac qui ex eis sic electis maiori dignitate praeditus foret, se praeceptorem hospitalis praedicti inscribere et denominare, ac ab aliis inscribi et denominari, diversaque tunc expressa et alia, per pro tempore existentem praeceptorem dicti hospitalis in spiritualibus et temporalibus fieri et exerceri solita, facere et exercere posset, et tam ipse quam alii cum eo electi ac reliqui in cura, regimine et administratione praedictis secundo anno remanentes, singulis hebdomadis semel aut pluries, prout, iuxta rerum et negociorum occurrentiam, opus foret, in domibus ipsius hospitalis convenire, ac illius negocia et res insimul tractare et expedire, necnon curae, regimini et administrationi ipsius hospitalis intendere, ac omnia et singula per pro tempore existentem praeceptorem hospitalis huiusmodi in temporalibus fieri et exerceri solita, in eisdem temporalibus facere et exequi possent et deberent ac omnino tenerentur, de simili consilio statuit et ordinavit, prout in ipsis literis, quarum tenorem, ac si de verbo ad verbum insereretur, praesentibus haberi volumus pro expresso, plenius continetur.

Hoc remedio hospitalis necessitatibus minime consultum est ob inscitiam vel negligentiam confratrum.

§ 3. Cum autem, ex forma literarum earumdem, ad curam, regimen et administrationem hospitalis huiusmodi eligantur viri ecclesiastici, et huiusmodi viri, licet probi et timoratae sint conscientiae, curiales tamen existentes et diversis suis et animorum[1] suorum occurrentiis impliciti, et quandoque negociis in ipso hospitali contingentibus, quae magna et laboriosa existunt, minus idonei, nunc temporibus statutis convenire nequeant, nunc diversa sentiant; et quasi res et negocia dicti hospitalis communiter possideant, ea quandoque communiter negligant, et sic non solum ipsi eam, quae sperabatur, utilitatem dicto hospitali non afferant, verum etiam ex praemissis negocia ipsius hospitalis in longum protrahantur, et provisiones necessariae temporibus debitis non fiant, in maximum eiusdem hospitalis et in eo pro tempore receptorum infirmorum et pauperum ac expositorum infantium detrimentum.

Revocatis tuis literis, praeceptoriam restituit Paulus.

§ 4. Nos, praemissis occurrere, et hospitale praedictum, ne illi desit caput, per quod illius membra regantur, in su-

[1] Forte *amicorum* (R. T.).

um pristinum statum restituere, eique de praeceptore utili et idoneo, ad quem omnia deferantur, et qui per suos idoneos ministros operis et laboris patientes omnia disponat, et curae eiusdem hospitalis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, intendat, et solus gloriam et laudem recti regiminis consequatur; et e contra dedecus et poenam illius curae neglectae aut non recte administratae sentiat, providere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera deliberatione et certa scientia nostris, hospitale praedictum adversus suppressionem et extinctionem praedictas, necnon in pristinum et eum, in quo, ante quam illae emanarent, erant, statum, apostolica auctoritate, tenore praesentium restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, ac restitutum, repositum et plenarie reintegratum esse decernimus et declaramus; necnon literas praedictas, omniaque et singula in eis contenta, suppressionem et extinctionem huiusmodi concernentia, auctoritate et tenore praedictis revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, ac pro revocatis, cassis, irritis et nullis ac infectis et viribus omnino vacuis haberi volumus; et pro potiori cautela in praedicto hospitali eamdem met praeceptoriam, quae in eo, ut praefertur, erat, quae conventualis et caput aliarum praeceptoriarum praedictarum existat, ac privilegiis, indultis, favoribus, exemptionibus, libertatibus, iurisdictionibus, auctoritatibus et facultatibus ac demum iuribus omnibus, quibus ante illius suppressionem et extinctionem praedictas utebatur, potiebatur et gaudebat, ac in eorum omnium possessione reali et actuali, in qua prius erat, et nunc existat et esse censeatur in omnibus et per omnia, perinde ac si praeceptoria praedicta nunquam suppressa aut extincta fuisset, de novo erigimus et instituimus.

Praeceptorem constituit Franciscum Cappellum.

§ 5. Et insuper, sperantes quod dilectus filius magister Franciscus Cappellus, clericus Veronensis, notarius et familiaris noster, gratia sibi suffragante divina, eidem hospitali esse poterit plurimum utilis et etiam fructuosus; et propterea volentes eidem Francisco, qui et continuus commensalis noster existit, et quem, tam familiari experientia quam etiam fide dignorum testimoniis, morum honestate decorum, in spiritualibus providum, etiam temporalibus circumspectum, ac summa in Deum pietate et singulari in Christi pauperes charitate praeditum, aliisque multiplicum virtutum donis insignitum esse iamdudum novimus, gratiam facere specialem, ipsumque Franciscum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, eumdem Franciscum, coram nobis personaliter constitutum, in fratrem dicti hospitalis auctoritate et tenore praedictis recipimus, ac sibi habitum, per fratres ipsius hospitalis gestari solitum, iuxta eiusdem hospitalis consuetudinem, exhibemus, et professionem regularem per eosdem fratres emitti solitam, quam idem Franciscus in nostris manibus sponte emisit, eisdem auctoritate et tenore recipimus et admittimus. Necnon praeceptoriam praedictam, cuius et illi annexorum fructuum, redditum et proventuum verum, secundum communem extimationem, valorem annuum praesentibus haberi volumus pro expresso, per restitutionem, repositionem et reintegrationem, ac erectionem, et institutionem huiusmodi apud Sedem Apostolicam vacantem, de qua, pro eo quod nos dudum omnes praeceptorias ceteraque be-

neficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, apud dictam Sedem tunc vacantia et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostrae reservaveramus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari. Nullus, praeter nos, hac vice disponere potuit sive potest, et si ipsa praeceptoria dispositioni apostolicae specialiter vel alias generaliter reservata existat, et ad eam consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, cum annexis huiusmodi, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis, apostolica auctoritate praedicta, sibi motu simili conferimus, et de illa etiam providemus; eumque Religioni Sancti Spiritus huiusmodi et dilectis filiis illius domorum praeceptoribus, rectoribus, fratribus et personis in praeceptorem generalem praeficimus.

Clausulae irritantes.

§ 6. Decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus vel in posterum contigerit attentari.

Deputati executores harum literarum.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus nostris patriarchae Hierosolymitano et Venafrensi ac Polensi episcopis per apostolica scripta, pari motu mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, eumdem Franciscum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem praeceptoriae hospitalis huiusmodi ac annexorum, iuriumque et pertinentiarum praedictorum inducant auctoritate nostra, et defendant inductum, amoto exinde quolibet detentore, prout nos etiam per praesentes inducimus et amovemus, facientes eumdem Franciscum vel pro eo procuratorem praedictum ad praeceptoriam hospitalis huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius ac annexorum praedictorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi; ac a praedictis conventu, praeceptoribus, rectoribus et personis obedientiam et reverentiam congruentes, necnon a dilectis filiis vassallis et aliis subditis eiusdem hospitalis consueta servitia et iura sibi ab eis debita integre exhiberi. Contradictores, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac hospitalis et Ordinis necnon Religionis praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem hospitali et Religioni, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu simili aut alias quomodolibet concessis, et etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, illis praesertim, quibus, inter alia, caveri dicitur expresse quod, occurrente vacatione praeceptoriae hospitalis huiusmodi, praedicti conventus electionem de futuro praeceptore, quibusvis provisionibus apostolicis semotis, cum consilio et auctoritate pro tempore existentis ipsius hospitalis protectoris, facere; et sic electum pro tempore existenti Romano Pontifici, per eum in praeceptorem ipsius hospitalis instituendum, praesentare debeant. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita ob-

servata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si pro alio vel aliis in dicto hospitali scripta apostolica forsan sint directa; seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de praeceptoriis huiusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in dicta Urbe generales dictae Sedis vel legatorum eius literas impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus ipsum Franciscum in assecutione dictae praeceptoriae volumus anteferri, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem praeceptoriarum vel beneficiorum aliorum, praeiudicium generari; seu si conventui praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint. Quodque de praeceptoriis huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem, coniunctim vel separatim, spectantibus, nulli valeat provideri per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam, praesentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua eiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, idibus iunii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 iunii 1556, pontif. anno II.

XV.

Cancellariae criminales Status Ecclesiastici, ex quavis causa, praeterquam vere onerosa, quibuscumque concessae, Reverendae Camerae Apostolicae applicantur; ordinationesque per cancellarios observandae praefiniuntur, cum privilegiorum elargitione.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex nonnunquam, secundum varietatem temporum, statuta mutat humana, et alias desuper disponit, prout evidens subditorum utilitas et aliae rationales causae id exposcunt. Cum itaque, sicut nobis nuper innotuit, officia notariatus seu Cancellariae in criminibus [1] civitatum et terrarum nobis et Romanae Ecclesiae subiectarum, et per legatos, vicelegatos, gubernatores, potestates et alios officiales ex commissione apostolica regi et gubernari solitarum, propter diversas salariorum ex eisdem officiis percipi solitorum inter alias personas divisiones, diversa onera et gravamina patiantur, et inde fiat ut ipsi notarii seu cancellarii saepius subditos civitatum et terrarum earumdem diversis et iniustis exactionibus afficiant, et in illis, causante contributione huiusmodi, manuteneantur, et, quod peius est, propter recessum et diversas mutationes eorumdem notariorum seu cancellariorum, acta, sententiae, condemnationes, instrumenta et aliae scripturae officiorum huiusmodi, cum ea qua decet diligentia non conserventur, et saepius per eosdem notarios et cancellarios in diversas mundi regiones asportentur, in grave subditorum eorum- Causa istius constitutionis.

[1] *Criminalibus*, Cherub. (R. T.).

dem et fisci ac Camerae Apostolicae damnum, praeiudicium et iacturam.

Revocat hic Pontifex quascumque concessiones cancellariarum, praeterquam ex causa onerosa factas, easque Camerae Apostolicae applicat.

§ 1. Nos, praemissis, quantum possumus, obviare volentes, ac singulas provisiones, concessiones et quasvis alias dispositiones de praedictis notariatus et Cancellariae officiis in criminalibus, ac, ubi civilia negocia per notarium seu cancellarium exerceri solent, etiam de huiusmodi officiis, quae non sint ad dispositionem communitatis loci, etiam in civilibus; necnon etiam de officiis notariatus civilium causarum provinciarum, nobis et dictae Sedi subiectarum, quae per deputatos a legatis et vicelegatis pro tempore haetenus exerceri solita sint et ad praesens exercentur, quibusvis personis, cuiuscumque dignitatis existentibus, per quoscumque Romanos Pontifices ac etiam nos et eosdem legatos, vicelegatos, gubernatores, potestates ac alios officiales, perpetuo vel ad tempus, alias quam ex causa onerosa, factas, eorum veriores tenores, datas et decreta, etiam irritantia, in eis apposita, ac causas propter quas factae et concessae fuerunt, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, harum serie revocantes et annullantes, et revocatas et annullatas esse, nullasque et invalidas nulliusque roboris vel momenti existere, et nemini suffragari aut prodesse posse decernentes; ipsaque officia a quibusvis legationibus, guberniis, potestariis et aliis officiis penitus et omnino perpetuo dismembrantes et separantes; ac pro tempore existentes legatos, vicelegatos, gubernatores, potestates et alios officiales ulterius in eisdem officiis notariatus et Cancellariae se intromittere, aut alias de illis aliquo modo disponere nullatenus posse neque debere, illaque exercentes ab illis amovendos esse et amoveri debere decernentes, ac eadem officia Camerae praedictae applicantes et ad Cameram ipsam in futurum perpetuo spectare declarantes.

Thesaurariumque deputat ad illas alienandum ad vitam tantummodo.

§ 2. Venerabilem fratrem nostrum Hieronymum, episcopum Torcellanum, modernum et pro tempore existentem thesaurarium nostrum generalem, totius Status Ecclesiae et Camerae huiusmodi commissarium generalem, ad omnia et singula [1] notariatus et Cancellariae, in criminalibus, et, ubi causae civiles et criminales mixtim et per unum et eumdem notarium exerceri solent, etiam in civilibus, quarumcumque civitatum, terrarum et castrorum totius Status Ecclesiastici; necnon notariatus similium causarum provinciarum huiusmodi, etiam sub legationibus quorumcumque sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, aut ipsorum cardinalium vel aliarum personarum ad vitam seu alias eis concessarum comprehensa, cum eorum scripturis, si quae reperiantur, necnon honoribus, oneribus et emolumentis, ac cum obligationibus, clausulis, cautelis, decretis et capitulis infrascriptis, necnon pactis et conditionibus, et pro pretio seu pretiis dicto thesaurario bene visis, in utilitatem ipsius Camerae convertendis et applicandis, ad vitam quibusvis personis vendendum et alienandum nomine eiusdem Camerae et in illius utilitatem, motu proprio et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, constituimus et deputamus. Dantes et concedentes illi plenam et liberam facultatem, auctoritatem et potestatem Cameram ipsam, praemissorum occasione, in amplissima forma obligandi, aliaque in praemissis et circa ea necessaria et opportuna faciendi et exercendi; ac unum vel plures commissarios, cum eisdem facultate, potestate et auctoritate ac alias, prout sibi videbitur, ad praemissa deputandi. Ac decernentes quascumque venditiones, alienationes, concessiones de eisdem officiis per eumdem thesaurarium et commissarios per eum pro tempore deputatos, nomine eiusdem Camerae facien-

[1] Leg. forsan *singula officia* (R. T.).

das, perpetuis futuris temporibus validas et efficaces existere, et ad omnia, quae per eos fieri super praemissis contigerit, Cameram ipsam omnino teneri et obligatam esse; nec personas ipsas, quibus officia huiusmodi emptionis titulo, per thesaurarium seu commissarios ipsos concedentur, per legatos, vicelegatos, gubernatores, potestates et alios officiales praefatos pro tempore existentes, quovis modo, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, desuper molestari seu impediri posse, neque debere. Sed si ipsos desuper molestari aut impediri contigerit, Cameram ipsam ad illos defendendum et manutenendum omnino teneri. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam dictae Romanae Ecclesiae cardinales et causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi ac interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari debere; ac ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Cancellariae sunt resignabiles et vacabiles uti alia officia Romanae Curiae;

§ 3. Volumus autem quod singulorum praedictorum officiorum, quando per illa retinentium resignationes aut obitus seu quamcumque aliam dimissionem vel amissionem vacare contigerit, expeditiones fiant per supplicationem, in omnibus et per omnia, prout alia officia Romanae Curiae vacabilia expediuntur et expediri solita sunt. Quodque huiusmodi officia possint vendi per ipsum thesaurarium pro eo meliori pretio quod reperitur, literasque patentes desuper expediri, et per mortem illa obtinentium vacent, nisi prius hic in alma Urbe nostra aut extra eam, ad instar aliorum officiorum vacabilium, vendita aut cessa fuerint, quae venditiones seu cessiones expediri debeant more solito per supplicationes exhibendas pro tempore existenti nostro et successorum nostrorum Romanorum Pontificum datario.

Et desuper accipiuntur pecuniae ad societatem.

§ 4. Et insuper huiusmodi officiis liceat accipere pecuniam in societatem, prout accipitur super aliis officiis vacabilibus, servata tamen forma moderationis per nos ultimo factae.

Provinciales eos non possunt habere.

§ 5. Et quod nemini provincialium liceat emere officia notariatuum generalium illius provinciae, quae intelligi debeat omnis ea regio, quae per unum legatum seu gubernatores regi est solita. Alia vero officia particularia civitatum, terrarum et locorum a quovis emi possint, dummodo talis emptor non sit illius civitatis, terrae seu loci, eiusque territorii et districtus.

Cancellarii gaudeant privileg. notariorum Curiae Romanae;

§ 6. Et insuper ipsi notarii utantur, potiantur et gaudeant omnibus immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, honoribus et privilegiis, quibus notarii dictæ Curiae utuntur, potiuntur et gaudent, ac si in dicta urbe residerent. Sitque eorum iudex eiusdem Camerae auditor generalis, excepto in rebus ab eorum officiis dependentibus.

Arma gestare possint;

§ 7. Ipsique notarii habeant facultatem quaecumque arma gerendi per totum Statum Ecclesiasticum, et quoad praecedentiam cum aliis loci notariis, ac etiam quoad immunitates et exemptiones, servetur id quod servari consueverat ante venditionem huiusmodi officiorum.

Lucra cum gubernatorib. non participent;

§ 8. Nec ipsi notarii et cancellarii teneantur neque sint obligati lucra eorum participare seu dividere cum ipsis legatis, gubernatoribus, potestatibus, locatenentibus aut aliis superioribus sive communitatibus; sed totum id, quod secundum taxas infrascriptas lucrabuntur, sit eorum liberum.

Habitationem ab eis habeant.

§ 9. Et e contra legati seu gubernatores aut alii praedicti non teneantur, præter voluntatem eorum, victum praestare cancellariis et notariis ipsis, sed tantum habitationes eis dari solitas consignent.

Sigillum et secretaria est gubernatoris.

§ 10. Sigillum tamen excipitur, cuius emolumentum sit superioris. Et secretariae provinciarum sint reservatae.

Cancellarii non tam se rogant de pace etc.;

§ 11. Nullusque alius notarius, tam in curiis generalibus quam in particularibus civitatibus, terris et locis, possit rogari et scribere acta seu contractus cautionis, pacis et induciarum, aut alias scripturas et praecepta causarum criminalium aut aliarum per similes cancellarios et notarios criminales rogari solitarum. Decernentes irritum et inane quicquid per alios esset scriptum aut receptum.

Alios contractus ipsi rogare possunt;

§ 12. Quodque ipsi notarii sive cancellarii criminales possint etiam rogari de quibuscumque contractibus civilibus, dummodo non sit expresse prohibitum per statuta, ordinationes sive privilegia illius loci.

Taxae observent;

§ 13. Solutiones vero recipere non possint, nisi secundum taxas in scriptis editas in quovis loco; et ubi non essent taxatae, vel taxae per desuetudinem abrogatae essent, secundum consuetum, quod consuetum cum interventu gubernatoris aut alterius officialis declarare et taxare, easdemque taxas scribere aut typis excudi facere et publicare possint et debeant communitates locorum, adeo ut omnibus notae sint. Et talis notarius accipiens ultra debitum, prima vice teneatur ad restitutionem parti solventi et quadruplum dictae Cameræ Apostolicæ; secunda vice, ultra restitutionem parti solventi, et ultra quadruplum dictae Camerae Apostolicae, teneatur ad poenam quinquaginta ducatorum auri de Camera applicandorum ipsi Camerae; tertia vice, ultra restitutionem, ad arbitrium iudicis, possint privari eorum officiis.

Examen non revelent, neque dent copiam, absque iudicis decreto;

§ 14. Nec possint ipsi cancellarii et notarii revelare aliquod examen cuiuscumque rei pro quavis causa, aut illius copiam dare, nisi prius a iudice decretum fuerit quod dari debeat, sub poena amissionis officii, super quo procedi possit contra eos criminaliter, et accusator lucretur quartam partem.

Libros hic enunciatos teneant,

§ 15. Teneanturque et obligati sint dicti cancellarii et notarii tenere infrascriptos libros, videlicet: unum chartae membranae, coopertum corio, in quo simul ac rogati fuerint de aliqua sententia, tam condemnatoria quam absolutoria, authenticam extendendo, cum subscriptione et signo suo, infra tres dies scribere debeant, sub poena vigintiquinque ducatorum eidem Camerae applicandorum; et alium chartae papyri, in quo teneantur scribere omnes inquisitiones, denuncias et querelas; ac alium similem in quo testium examina scribantur; necnon alium similem in quo scribantur omnes actus ordinarii occurrentes, cum productis scripturarum quarumcumque, tam pro fisco quam pro aliis, neque aliquam scripturam restituere debeant, nisi prius in eodem libro registrata fuerit; ac alium similem, in quo scribantur omnia examina facta pro informatione Curiae et quaevis alia informatio, quae daretur contra quemcumque reum, et omnia examina seu constituta ipsorum reorum; et alium similem librum, in quo scribantur omnes cautiones induciarum et pacis ac alterius cuiuscumque generis instrumenta, tam ad officium quam ad particulares personas spectantia, de quibus rogabuntur; reliquum vero similem librum in quo scribantur omnes supplicationes gratiarum, cuiuscumque generis aut commissionum, quae venirent super causis criminalibus sive mixtis; nec aliquem processum cassare possint, etiam de mandato superioris, sine supplicatione, nec antequam in dicto libro sit registrata; et si secus fiet, irritum sit et inane, ac cancellarius sive notarius, pro qualibet vice, cadat in poenam quinquaginta scutorum praefatae Camerae applicandorum, a qua poena se excusare non valeat sub praecepto alicuius superioris, praeterquam Romani Pontificis; necnon in eodem libro teneantur scribere omnia inventaria

simul ac fient, sub eadem poena, quae inventaria, pro causis criminalibus aut mixtis, nec scribi nec fieri, etiam de mandato superioris, possint ab alio, quam a praedicto notario et cancellario sive eius substituto. Quodque omnes praefati libri sint titulati secundum ipsorum continentiam, et articulati ac bullati per ordinem paginarum, cum signo communitatis illius loci, in quo libro, infra octo dies a die rogitus seu praesentationis aut productionis computandos, describantur et registrentur, et in publicam formam redigantur et subscribantur, sub poena arbitrio syndicatorum.

Syndicatui stare debeant.

§ 16. Item, teneantur et sint obligati, quotiescumque mutabitur gubernator vel potestas sive alius quivis iudex aut superior, qui in huiusmodi officio inserviverint, stare syndicatui, una cum eodem superiore sub eisdemmet syndicatoribus.

Scripturas officii consignare teneantur;

§ 17. Ac sive cesserint sive renunciaverint huiusmodi officium, consignare omnes scripturas et libros per inventarium subscriptum a cedente et emente ac cancellario communitatis illius loci, absque reservatione alicuius scripturae, quod inventarium, ad evitandas fraudes, servetur penes dictum communitatis cancellarium. Idemque fiat, si officium vacaverit per privationem; et si vacaverit per mortem, haeredes teneantur facere huiusmodi consignationem.

Officia per substitutos exercere valeant.

§ 18. Possintque praedicti cancellarii et notarii huiusmodi officia exercere per substitutos eiusdem sufficientiae ab ipsis eligendos, dummodo non sint eiusdem provinciae, si officia fuerint generalia; sed si fuerint particularium civitatum et locorum, substituti sint earum qualitatum quae per praesentia capitula requiruntur in cancellariis et notariis principalibus, qui substituti admitti non possint, nisi prius in Camera ipsa idoneas cautiones praestiterint de fideliter exercendo dicta officia et de stando syndicatui, sicut superius est ordinatum de notariis principalibus, sub poenis praedictis, cum hac declaratione quod, casu quo huiusmodi substituti et eorum cautiones non fuerint idoneae, aut non solverint poenas contentas in praesentibus capitulis, pro eis notarius principalis teneatur ad omne damnum et interesse sive restitutionem per dictos substitutos fiendam, et sub poena amissionis officii in casibus praedictis, praeterquam si substituti huiusmodi solverent ipsi summam aequivalentem officio; et quae de notariis ad criminalia dicta sunt et ordinata, servare teneantur respective etiam notarii ad civilia, quorum officia iuxta supradicta vendi et alienari possint.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 19. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatum et terrarum ac provinciarum huiusmodi statutis et consuetudinibus, necnon quibusvis facultatibus et indultis, quibusvis legatis, vicelegatis, gubernatoribus, potestatibus et aliis personis per quoscumque Romanos Pontifices et Cameram ipsam ac etiam nos, necnon quibusvis donationibus, concessionibus et aliis dispensationibus quibusvis personis de huiusmodi officiis quomodolibet factis, dummodo non ex causa onerosa, quaa tamen infrascriptis legibus ac ordinationibus subiacere intelligantur; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem provinciis, civitatibus et terris per praedecessores praedictos ac etiam nos et eamdem Cameram, etiam motu proprio, etiam consistorialiter ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, quas et quæ, illorum omnium vim, effectum, datas et tenorem pro expressis babentes, ad effectum praemissorum, revocamus, irritamus et annullamus, illisque specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, kalendis septembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 septembris 1556, pont. an. II.

XVI.

Contra occupantes aut invadentes bona, terras et loca Reverendae Camerae Apostolicae; et contra se ingerentes in beneficiis ecclesiasticis, non expeditis literis apostolicis; ac non solventes in tempore annatas et quindennia, census, canones aliaque regalia dictae Camerae debita [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Incumbentia nobis et Camerae nostrae Apostolicae in dies graviora onera nos admonent et cogunt ut indemnitati ipsius Camerae, quantum cum Deo possumus, diligenter intendamus.

Gregorius XII poenas hic expressas imponit occupantibus bona Reverendae Camerae Apostolicae.

§ 1. Nam, licet felicis recordationis Gregorius XII universis et singulis, cuiuscumque gradus, status, ordinis, praeeminentiae vel conditionis existant, etiam si pontificali aut regali vel reginali seu quavis alia ecclesiastica vel mundana dignitate praefulgeant, etiam si fuerint S. R. E. cardinales, districtius inhibuerit ne aliquid de bonis mobilibus et stabilibus, quae ad dictam Cameram quomodolibet pertinuerint, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, invadere, capere, detinere aut occupare praesumant, alioquin personae talia praesumentes, nisi, infra decem dies a praesumptionis tempore proxime enumerandos, ea restituerint aut revelaverint agentibus eiusdem Camerae vel aliis, per quos ad Romanum Pontificem pro tempore existentem perveniant, poenam dupli; et si bona occupata valorem decem florenorum auri transcenderint, sententiam excommunicationis incurrant, a qua non nisi certis tunc expressis modo et forma absolvi possint; et ultra poenam et sententiam praefatas, si personae ecclesiasticae fuerint, omnibus praelaturis, dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis quae obtinent, absque aliquo hominis ministerio, sint privati, et inhabiles ad illa vel alia in posterum obtinenda; si vero laici extiterint, omnibus feudis et bonis, quae in terris ipsius Romanae aut aliarum ecclesiarum obtinent, etiam sint privati, et feuda ad dominos devoluta, et bona huiusmodi eidem Camerae confiscata.

Alexander V decrevit ut provisi de ecclesiis expedire tenerent super provisionibus literas apostolicas infra annum; et literis non expeditis, regimini ecclesiae se non ingererent.

§ 2. Et Alexander V per unam statuerit et decreverit quod illi, quibus in futurum, de patriarchalibus seu metropolitanis vel aliis cathedralibus ecclesiis ac [1] monasteriis seu prioratibus conventualibus, etiam in administrationem vel commendam seu alias, quomodolibet provideri contingeret, sub poena privationis ecclesiarum, monasteriorum et prioratuum huiusmodi ac omnis iuris eis ex provisionibus praefatis quomodolibet acquisiti, quam quemlibet negligentem incurrere voluit eo ipso, ac eius ecclesias, monasteria et prioratus ex tunc, prout ex ea die, vacare, et Sedis Apostolicae dispositioni specialiter reservata esse decrevit et declaravit, tenerentur et deberent, infra annum a die provisionis computandum, literas super eorum provisionibus huiusmodi in totum, usque ad earum receptionem inclusive, expedire fecisse; et interim, sub eadem poena, per se vel alios,

1 Adversus huiusmodi occupatores vide Ioannis XXII constitutionem XXX, *Inter*, tom. IV, pag. 298; Clementis VI constitutionem VIII, *Etsi solertem*, tom. IV, pag. 484; Leonis X constitutionem XIII, *Inter*, tom. V, pag. 625; ac bullas in die Coenae Domini quotannis a Summo Romano Pontifice legi solitas, quarum aliquas in hoc opere posui.

1 *Aut.* Cherub. (R. T.).

absque literis ipsis, de regimine et gubernatione seu administratione ecclesiarum, monasteriorum et prioratuum praefatorum vel alicuius eorum seu bonorum eorumdem, in spiritualibus vel temporalibus, nullatenus se ingerere vel aliter se immiscere, aut super his vel eorum aliquo, seu dependentibus vel connexis, iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere praesumerent, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Pius II statuit obligatos ad solutionem annatarum, non solventes in terminis praefixis, poenas, de quibus hi, incurrere.

§ 3. Ac Pius II per aliam statuerit et ordinaverit atque decreverit et declaraverit quod omnes et singulae obligationes, quae ex illa die super annatas quorumcumque beneficiorum in dicta Camera reciperentur, intelligerentur quod obligati, si infra cis praefixos terminos collectoribus Camerae in partibus pro tempore existentibus satisfacere defecissent, ipso facto, lapsis ipsis terminis, tam sententiam excommunicationis, incurrerent, quam beneficiis, pro quibus in dicta Camera se obligassent, omnino privati esse censerentur. Illi vero qui non pro se, sed pro aliis super huiusmodi annatis se obligarent, ultra incursum sententiae excommunicationis huiusmodi, si in termino constituto dictae Camerae vel eius collectoribus non solvissent, omnibus beneficiis, quae obtinerent, ipso facto privati esse intelligerentur, et eorum beneficia huiusmodi possent, in eventum praefatum, per quemcumque licite et libere impetrari.

Innocent. VIII (cuius constitutionem habes in tom. v, pag. 311) confirm. constitutionem Pii II, in § 3.

§ 4. Et Innocentius VIII, per reliquam constitutionem suam, ordinationem Pii omniaque et singula in ea contenta comprobaverit, et statuerit quod illi qui dictae Camerae se ex tunc obligarent, sententiam excommunicationis et poenam privationis huiusmodi, iuxta ordinationem Pii huiusmodi, omnino incurrerent, et impetrantes beneficia per privationem eamdem vacantia, vel contra eos de ipsa privatione excipientes, per quoscumque auditores audiri deberent; nec eo praetextu, quod ordinatio praefata non fuisset recepta, aut moribus utentium comprobata, repelli possent. Et insuper voluerit quod quietantiae, quas praefati obligati a collectoribus seu subcollectoribus Camerae Apostolicae haberent, nullam fidem facerent, nisi per publicum probarentur instrumentum.

Iulius II declaravit et ampliavit constitutiones Alexandri, Pii et Innocentii.

§ 5. Necnon Iulius etiam II, Romanus Pontifex praedecessor noster, sua constitutione perpetuo valitura declaraverit, decreverit, statuerit et ordinaverit quod constitutiones Alexandri, Pii et Innocentii praedecessorum huiusmodi, etiam quoad censuras et poenas, etiam privationis, in eis expressas quoad futura, in omnibus et per omnia, iuxta illarum tenores, omnino inviolabiliter perpetuis futuris temporibus observarentur. Et quod illi, quos pro annatis huiusmodi dictae Camerae teneri contingeret, etiam si illas solvere non promisissent, seu ad illarum solutionem se aliter specialiter non obligassent, si literas apostolicas, aliqua machinatione vel fraude adhibita, absque solutione annatae aut obligatione, in eadem Camera recepissent, dummodo beneficia ipsa forent realiter assecuti, ad solutionem annatae et iurium praedictorum efficaciter tenerentur: et nisi infra quatuor, si citramontani; et octo menses, si ultramontani forent, de annata debita satisfacerent eidem Camerae vel eius collectoribus, et de satisfactione huiusmodi per instrumentum publicum constaret, lapso termino praefato, beneficiis, pro quibus de annata solvenda tenerentur, omnino essent et intelligerentur eo ipso privati.

Fiscus igitur in Cam. Apostolica acceptavit omnes devolu-

§ 6. Et demum dilectus filius Alexander Pallenterius, noster et Camerae nostrae Apostolicae procurator fiscalis, coram di-

tiones et caducitates per quoscumque aliquid solvere obligatos incursas etc.

lectis filiis Guidone Ascanio, S. Mariae in Via-lata diacono cardinali, nostro et sanctae Romanae Ecclesiae camerario, ac praesidentibus et clericis ipsius Camerae, tunc insimul coadunatis et congregatis, omnes caducitates, devolutiones, privationes iurium, amissiones instrumentorum, et contractuum resolutiones et extinctiones, ac legales, conventionales et quaslibet alias poenas, per quoscumque feudatarios, vassallos, emphyteutas, censuarios, commendatarios, livellarios et conductores ac alios quoscumque, etiam, ratione monasteriorum, ecclesiarum, beneficiorum et congregationum regularium seu exemptionum eis concessarum, Camerae Apostolicae praefatae respondendas vel solvendas, aut aliquid ab ea recognoscentes seu aliter solvere obligatos, aut debitores incursas, tam declaratas quam non declaratas, necnon iura quaecumque dictae Camerae et Sedi Apostolicae iam quaesita, vel ex facto tunc praeterito, aut nunc praesenti, seu alias quomodolibet quaerenda, sive realiter sive in spe tantum, et tam ea quae ipso iure et facto quaererentur seu quaesita fuissent, quam illa quae declaratoriam seu sententiam requirerent, acceptaverit ac specialiter et expresse declaraverit; reputaveritque omnes et singulos, qui eatenus non responderant et integraliter non adimpleverant ab ipsis debita et promissa ac conventa, et aliter qualitercumque contravenerant, tam in omittendo quam in committendo, ab eorum praetensis iuribus et contractibus, necnon feudis, censibus, livellis, monasteriis et monasteriorum commendis ac quibuscumque aliis rebus et iuribus cecidisse et decadutos privatosque esse, et eorum commendas cessasse, et consequenter omnes eorum praetensas concessiones, omnesque contractus finitos, sopitos et extinctos in favorem ipsius Camerae esse; protestatusque fuerit aliquem, cuiusvis status, gradus, qualitatis, conditionis, dignitatis et praeeminentiae esset, etiamsi imperiali, regali aut mundana seu ecclesiastica vel quacumque alia dignitate, quae specialem et expressam requireret mentionem, praefulgeret, admitti non debere ad solutionem vel satisfactionem alicuius census, canonis, responsionis vel recognitionis aut cuiuslibet alterius rei promissae vel debitae, aut aliter etiam pro usu praerogativarum et exemptionum ac bonorum, rerum ac iurium eis forsan concessorum et illorum fructuum, reddituum et proventuum dandae seu solvendae, nisi conditionaliter, scilicet sine praeiudicio quorumcumque iurium Sedi et Camerae praefatis ac fisco nostro quomodolibet acquisitorum et competentium, vel quae eis acquiri et competere possent quomodocumque et quandocumque, ex quavis ratione et causa, et particulariter ex eo quod regna, ducatus, civitates, castra, oppida, terrae, villae, tenimenta, casalia, lacus, sylvae, proprietates, monasteria, ecclesiae, hospitalia, beneficia, prioratus, praepositatus, dignitates et alia quaecumque bona et iura corporalia et incorporalia ac alterius cuiuscumque generis in feudum ducale et regale, seu alias quomodolibet nobile et gentile seu ignobile, vel census, et emphyteusim perpetuam seu ad tempus, ad generationem et nominationem respective, aut alias quomodocumque et qualitercumque data, vel responsionis seu cuiusvis alterius debiti non factam, aut non perfectam, seu non congruo loco et tempore, aut per illegitimam personam subsecutam; vel ob contraventionem et inobservantiam contractuum et capitulorum, seu alias quomodolibet et ex quacumque causa, etiam invaliditatis concessionum et titulorum et illorum finis aut resolutionis, seu alia, quae de iure vel facto dici et cogitari possent, devoluta, et seu venirent devol-

venda, vel spectarent et pertinerent ac spectare et pertinere possent aut deberent, seu quia exemptiones et immunitates praefatae essent finitae et extinctae.

Camera Apost. declaravit tales non solventes incidisse in dictas poenas.

§ 7. Ac successive clerici Camerae huiusmodi per eorum definitivam sententiam declaraverint et procuraverint omnes et singulos feudatarios, vassallos, emphyteutas, censuarios, commendatarios monasteriorum, etiam consistorialium, ac aliorum beneficiorum, necnon livellarios, conductores et alios praefatae Camerae respondentes et solventes, aut aliquid ab ea recognoscentes, seu aliter solvere obligatos, et debitores, qui eatenus non solverant vel non responderant, seu integraliter non adimpleverant ab ipsis debita vel promissa aut conventa, seu aliter qualitercumque contravenerant, tam in omittendo quam in committendo, et eorum quemlibet pro contumacibus et ut contumaces reputandos esse, eosque sic contumaces sententiam excommunicationis ac alias censuras et poenas, etiam privationis, in literis Gregorii et Alexandri praedecessorum huiusmodi ac piae memoriae Pauli Papae III, praedecessoris nostri, contra non solventes et respondentes praefatae Camerae et ad quae tenentur, emanatis contentas, damnabiliter incidisse et incurrisse; ipsos feudatarios, vassallos aut emphyteutas, censuarios, commendatarios, livellarios et conductores aliosque dictae Camerae respondentes vel solventes aut ab ea aliquid recognoscentes vel alias solvere obligatos et debitores, qui eatenus non solverant aut non responderant vel non adimpleverant ab eis debita vel promissa aut conventa, seu aliter quomodocumque contravenerant, tam in omittendo quam in committendo, ab eorum iuribus, contractibus, feudis, censibus, livellis, monasteriis, prioratibus, ecclesiis et beneficiis ac ipsorum monasteriorum commendis, praerogativis et exemptionibus ac immunitatibus necnon regnis, ducatibus, civitatibus, castris, oppidis, terris, villis, tenimentis, casalibus, lacubus, sylvis, hospitalibus, praepositatibus et quibuscumque aliis bonis et iuribus, corporalibus et incorporalibus aut cuiuscumque alterius generis, in feudum ducale, regale et alias quomodolibet, nobile seu ignobile, aut in censum emphyteuticum perpetuum vel temporale, seu ad generationem et nominationem respective, vel alias quomodocumque et qualitercumque, datis vel concessis, cecidisse et privatos fuisse, illorumque commendas cessasse, dictaque monasteria, etiam consistorialia, et beneficia vacare, et eorum concessiones ac contractus omnes in favorem Camerae Apostolicae finitos, sopitos et extinctos esse; necnon eosdem emphyteutas, censuarios, commendatarios, livellarios, conductores et alios quoscumque praefatae Camerae respondentes vel solventes aut ab ea aliquid recognoscentes, vel alias solvere obligatos, aut debitores, qui eatenus iura eisdem Sedi et Camerae non solverant aut responderant et integraliter non adimpleverant ab ipsis debita, promissa vel conventa, aut alias qualitercumque contravenerant, tam in omittendo quam in committendo, iuribus, contractibus, feudis, immunitatibus, exemptionibus et praerogativis praedictis ulterius frui et gaudere non posse, et eis super illis perpetuum silentium imponendum esse.

Occupatores bonorum Respondendae Camerae cessant, ut hic, illa restituere, et provisi de ecclesiis ingerunt se administrationi illarum, literis apostolicis non expeditis et non solutis annatis.

§ 8. Nihilominus occupatores bonorum huiusmodi ea restituere aut revelare, et hi de quorum personis patriarchalibus seu metropolitanis vel aliis cathedralibus ecclesiis seu monasteriis pro tempore provisi literas super eorum provisionibus huiusmodi expediri facere non curant, quinimmo, literis ipsis non expeditis et ad se non receptis, seu non solutis annatae iuribus Camerae debitis, de regimine et gubernatione seu administratione ecclesia-

rum, monasteriorum, prioratuum et aliorum beneficiorum huiusmodi se intromittere, et iurisdictionem eisdem ecclesiis, monasteriis, prioratibus et beneficiis incumbentem exercere; ac praefati occupatores feuda, census, livellos, monasteria et alias res et iura, a quibus, ut praefertur, cecidisse declarati fuerunt, detinere; ac concessionibus eis factis, necnon contractibus iam, ut praemittitur, finitis et sopitis, ac immunitatibus et exemptionibus iam resolutis et cessantibus uti praesumunt, sententias, censuras et poenas praedictas damnabiliter incurrendo, et in eis more aspidis surdae insurdescendo, in animarum suarum periculum et dictae Camerae dispendium non modicum.

Pontifex confirmat sententiam Camerae et constitutiones praedecessorum.

§ 9. Nos, tam animarum saluti quam eiusdem Camerae indemnitati providere volentes, tam generales, quae anno quolibet, in vigilia et festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, fiunt, quam alias contra nonnullos particulares debitores, qui postmodum per eosdem clericos ad solutionem eorum debitorum condemnati fuerunt, in specie factas monitiones et protestationes, necnon protestationem Alexandri procuratoris huiusmodi admittentes, et sententiam praedictam et in ea contenta quaecumque approbantes et confirmantes, necnon eorumdem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, motu proprio, non ad ipsius Alexandri procuratoris aut alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera deliberatione et ex certa scientia nostra, constitutiones Gregorii, Alexandri, Pii et Innocentii necnon Iulii praedecessorum huiusmodi apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et innovamus, ac perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere decernimus. Volentes et apostolica auctoritate praefata, sine tamen praeiudicio sententiarum in praefata Camera vel alio tribunali contra particulares debitores latarum et quarumcumque litium et causarum super huiusmodi debitis vel aliquo eorum indecisarum pendentium, ac iurium fisco nostro aut ab eo causam habentibus in praemissis quomodolibet competentium, quibus nullo modo praeiudicare, sed ea omnia in suis statu, gradu, robore et terminis, in quibus de praesenti reperiuntur, remanere et esse volumus.

Occupatores bonorum, seu debitores Rev. Cam. Apost. non restituentes vel solventes infra duos menses a die publicat., poenas in sententiis et constitution. praedictis contentas incurrant.

§ 10. Statuentes quod, nisi infra duos menses a publicatione praesentium computandos, quacumque praescriptione, etiam centenaria et ultra, praetensa vel praetendenda non obstante, occupatores seu detentores bonorum Camerae et Sedis praedictarum ac Romanae Ecclesiae ea restituerint; et feudatarii, vassalli, emphyteutae, censuarii, ac monasteriorum, etiam consistorialium, et prioratuum commendatarii, livellarii, conductores et alii praefatae Camerae respondentes, seu alias, etiam ratione exemptionum, libertatum et immunitatum, eis concessarum, vel annatarum, seu quindenniorum, aut aliter qualitercumque et quomodocumque aliquid solvere obligati, seu in aliquo debitores, de eo, in quo Camerae, Sedi et Ecclesiae praefatis tenentur, integre satisfecerint et praemissa seu conventa aut alias ab eis debita non impleverint, omnes et singulas sententias et poenas, tam ecclesiasticas quam temporales, in singulis literis praedecessorum et protestatione Alexandri procuratoris ac sententia clericorum huiusmodi contentas, et etiam privationis feudorum et aliorum bonorum et monasteriorum, etiam consistorialium, quorum occasione etiam propter eorum exemptionem et immunitatem solvunt, ac eorumdem monasteriorum commendarum cessationis eo ipso incurrant et, absque alia declaratione desuper fienda, incurrisse censeantur; feudaque et bona ad nos devoluta et monasteria ipsa per alios a nobis et

dicta Sede libere impetrari possint, prout etiam nos, tenore praesentium, eos omnes sententiis, censuris et poenis praedictis expresse innodamus, ac privatos esse, commendasque cessasse ex nunc decernimus et declaramus; et nihilominus ad satisfactionem Camerae Apostolicae omnino teneantur.

Absolutionem sibi reservat.

§ 11. Decernentes eos ab alio quam a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constitutos, et praevia debita satisfactione, absolvi non posse.

Decretum irritans.

§ 12. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, ac eorum collegium, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, iudicari et definiri debere; ac si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

§ 13. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae singuli praedecessores praefati in singulis eorum literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes literae ad omnium quorum interest notitiam deducantur, nullusque deinceps adversus eas aliquam excusationem praetendere, aut ignorantiam allegare valeat, volumus et auctoritate apostolica, tenore præsentium, decernimus eas in valvis Camerae Apostolicae tribus vicibus et tribus diversis diebus, dum ipsa Camera 1 durabit, dimitti, affixionemque huiusmodi omnes praefatos afficere in omnibus et per omnia, perinde ac si ipsis et eorum cuilibet personaliter literae huiusmodi intimatae forent; ipsasque demum literas nostras in libro Camerae praedictae ad perpetuam rei memoriam rescribi et registrari.

1 Cherub. legit: *dum ipsa Camera fiet, per aliquem ex cursoribus nostris affigi, et affixas inibi, dum ipsa Camera durabit, dimitti etc.* (R. T.).

Nulli ergo *etc*.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, octavo kalendas novembris 1, pontificatus nostri anno II.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini MDLVI, indictione XIV, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Pauli divina providentia Papae IV, anno eius II, diebus vero tribus, diversis vicibus et diebus, videlicet XXVI et XXX mensis octobris proxime praeteriti et die III praesentis mensis novembris MDLVI, praesentes retroscriptae literae apostolicae in forma brevis expeditæ, affixæ et publicatae fuerunt in plena Camera Apostolica, ut moris est, in diebus superius nominatis dum starent ad iura reddendum in forma solita, cum omnibus solemnitatibus in similibus solitis fieri et consuetis, per me Thomam Roger, praefati sanctissimi D. N. Papae cursorem.

Ioannes Freile, magister cursorum.

Dat. die 25 octobris 1556, pontif. anno II.

XVII.

Contra eos qui, pro obtinendis beneficiis, se ipsos pro aliis supponunt, vel annuas pensiones offerunt; aut beneficia impetrant pro aliis, ut ab eis aliquid consequantur; vel pro se ipsis, ut aliis postea cum pensione resignent 2.

Paulus Papa IV, motu proprio, etc.

Causa huius constitutionis.

Inter ceteras curas, quibus ex apostolatus officio assidue urgemur et premimur, ea continue animo nostro fixa fuit, ut be-

1 *Kalendis novembris*, Cherub. (R. T.).

2 Hoc idem contra ita se pro aliis supponentes vetuit Benedictus XII in eius constitutione XVII, *Quoniam*, tom. IV, pag. 462; et similem constitutionem contra supponentes se pro aliis, ut literarum apostolicarum expeditionem gratis consequantur, edidit Leo X, constit. XXV, *Inhaerendo*, tom. V, pag. 690.

neficia ecclesiastica, praesertim curam animarum habentia, personis conferantur idoneis, quae vellent et possent apud ea personaliter residere, scirentque eis laudabiliter deservire. Et ad hoc dilectos filios nostros Bernardinum Sancti Matthaei Tranensem, et Scipionem Sanctae Potentianae de Pisis, ac Ioannem Sancti Ioannis ad Portam Latinam titulorum Reumanum, nuncupatos, presbyteros cardinales, qui, una cum venerabili fratre Francisco episcopo Gebennensi, datario nostro, distributioni et provisioni beneficiorum huiusmodi praeessent, iam dudum deputavimus. Verum, cum audiamus eosdem cardinales et datarium, licet in his eam quam possunt maiorem semper adhibuerint et in dies adhibeant diligentiam, personas, quibus beneficia ipsa conferenda sunt, super literatura examinando, de eorum vita et moribus ac beneficiis per eos obtentis aliisque ad praemissa facientibus accurato inquirendo, diversimode tamen circumveniri et falli, ac diversas eis fraudes in praemissis fieri, aliquibus se alios esse simulantibus, et tamquam tales se in examine supponentibus; aliis beneficia pro personis sibi cognitis et id ignorantibus, ut postmodum cum eis beneficia, etiam per simoniacam pravitatem, contractare et super eis paciscі possint; aliis beneficia, tam pro se quam aliis personis, cum oblatione diversarum pensionum annuarum diversis personis, etiam familiaribus, continuis commensalibus nostris, aut aliis, quos ipsi nobis gratos et acceptos esse existimant, annuatim persolvendarum, et sic simoniacam haeresim incurrendo; aliis beneficia huiusmodi pro diversis aliis, sub spe pensionem annuam aut aliud commodum temporale ab eis consequendi; aliis beneficia ipsa pro seipsis, animo et intentione et interdum pacto expresse firmato, de eis postmodum in favorem aliorum, qui aliquando minus idonei et non benemeriti existunt, cum simili pensione aut commodo, aut sine illa vel illo, resignandis et dimittendis, maxima cum instantia obtinere procurantibus.

§ 1. Nos, praemissis fraudibus et dolis ac haeresi simoniacae, quantum cum Deo possumus, efficaciter occurrere volentes, apostolica auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus atque decernimus quod de cetero omnes et singuli, qui, post publicationem praesentium in locis infrascriptis faciendam, occasione beneficiorum obtinendorum, se alios esse simulaverint, et tamquam tales se in examine supposuerint, aut beneficia pro personis id ignorantibus, seu pro se vel pro aliis, cum oblatione alicuius pensionis annuae, aut pro aliis, cum spe pensionem annuam aut aliud quantumvis modicum temporale commodum ab eis consequendi, vel pro se ipsis principaliter, animo et intentione ea postmodum in favorem aliorum, etiam quantumvis idoneorum et benemeritorum, cum simili pensione aut commodo, aut etiam sine eo, resignandi, obtinere procuraverint, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existant, etiam si episcopali aut alia maiori dignitate ecclesiastica vel cardinalatus honore, seu mundana, etiam regia, ducali aut marchionali praeeminentia praefulgeant, excommunicationis et anathematis ac maledictionis aeternae sententiam, a qua nisi a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant; necnon privationis omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, per eos in titulum vel commendam aut alias quomodolibet obtentorum, et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso, absque alia desuper facienda declaratione, incurrant, ita ut, constito solum summarie

Prohibitio supponendi se etc. pro obtinendis beneficiis ecclesiasticis.

et extraindicialiter quod ipsi, contra tenorem praesentium, aliquid fecerint, per Curiae causarum Camerae Apostolicae generalem auditorem seu viceauditorem vel eius locumtenentem pro talibus et ut tales publicari possint.

Provisionum annullatio sic obtentarum. § 2. Et nihilominus sic, ut praefertur, obtentae provisiones et commendae, aliaeque dispositiones nullae sint, irritae et inanes, nullumque alicui ius in ipsis beneficiis vel ad illa tribuant, nec aliquis earum vigore fructus suos faciat, sed ad eorum restitutionem teneantur, possintque beneficia, tam sic impetrata quam per eos antea obtenta, tamquam modo praemisso vacantia, a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente dumtaxat libere impetrari.

Extensio ad monasteria etc. monialium. § 3. Voluntusque statutum, ordinationem et decretum nostra huiusmodi, etiam quoad monasteria monialium et alia beneficia per moniales aut alias mulieres obtineri solita, locum habere.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus ac quibusvis privilegiis, indultis et literis apostolicis, quibusvis personis, etiam, ut praemittitur, qualificatis, etiam in forma confessionalis, et quod interdici, suspendi vel excommunicari nequeant, quomodolibet concessis, quae eis contra praemissa in aliquo suffragari non posse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi. § 5. Ceterum, ne quisquam statuti et ordinationis ac decreti nostri huiusmodi ignorantiam praetendere possit, volumus praesentes, quarum solam signaturam sufficere decernimus, in aedium residentiae praefati datarii et Cancellariae Apostolicae valvis et acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris publicari, et earum exemplum inibi affigi et dimitti, publicationemque et affixionem huiusmodi omnes et singulos arctare, perinde ac si eaedem praesentes illis personaliter intimatae et insinuatae fuissent, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Placet, motu proprio. I.

Affixus fuit supradictus motus proprius die vigesimaseptima novembris, anno millesimo quingentesimo quinquagesimoseptimo. Tryphon Victorellus, magister cursorum.

Pub. die 27 nov. 1557, pontif. anno III.

XVIII.

Quod provisiones ecclesiarum cathedralium in uno consistorio Summi Pontificis proponantur, et in alio, praeviis sanctae Rom. Eccles. votis, expediantur [1].

Paulus Papa IV.

Sanctissimus dominus noster attendens auctoritati suffragiorum in consistorio suo secreto, coram Sua Sanctitate pro tempore latorum, plurimum detrahi, si incontinenti ferantur, non intercedente aliquo temporis intervallo, quod de negotio informare et opportune deliberare possit. Et propterea, cupiens ut sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, in ferendis suffragiis huiusmodi, praesertim in provisionibus ecclesiarum cathedralium, quae in dicto consistorio fiunt, congruum tempus ad se de negotio plene informandum et mature deliberandum praestetur, nec vota ipsa violenta videantur, statuit, decrevit et ordinavit quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, non provideatur ecclesiis praedictis, pro tempore quovis modo vacantibus, eo consistorio, quo illae propositae fuerint, sed illarum provisio semper differatur ad aliud consistorium, et interim cardinales ipsi de rebus ad negotium facientibus se plene informent et

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

mature super voto per eos ferendo deliberent.

Datum Romae, die Veneris, tertia mensis decembris, millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, in consistorio.

Dat. die 3 dec. 1557, pontif. an. III.

XIX.

Restitutio festivitatis Cathedrae S. Petri apostoli Romae, pro die decima octava mensis ianuarii, in toto orbe, praeservata alia festivitate Cathedrae Anthiochenae, iuxta ritum, die vigesima secunda mensis februarii celebranda.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

S. Petrus cathedram episcopalem Romae constituit et tandem una cum Paulo Urbem martyrio consecravit, et ideo magistra veritatis et orbis caput illa effecta est.

Ineffabilis divinae Providentiae altitudo, quae, nullis inclusa limitibus, coelestia pariter et terrena disponit sui recti censura iudicii, voluit ut beatus Petrus apostolorum princeps, cui prius a Salvatore nostro Domino Iesu Christo dictum fuerat *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, postquam Antiochiae aliquandiu resederat, Romam veniens, cathedram in ea constitueret episcopalem, eamque vigintiquinque annis regeret, et demum, Simonis Magi detectis fallaciis et elusis praestigiis, ipsoque Simone Mago superato, idem Petrus et cum eo gloriosus coapostolus suus Paulus, vas electionis, Romanam Ecclesiam plantarent et suo sanguine consecrarent, ut ubi caput superstitionis erat, illic caput existeret sanctitatis, et ubi gentilium principes habitabant, ecclesiarum principes morarentur; et quae prius erat magistra erroris, fieret magistra veritatis, essetque ibi gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, et per sacram beati Petri cathedram ipsa urbs, caput orbis effecta, latius praesideret religione divina, quam antea praesedisset dominatione terrena. Verum, licet urbs ipsa multo plus debeat eidem Petro, qui eam per cathedram episcopalem in ea constitutam regnis coelestibus inserendam condidit, quam illis, quorum studio prima moenium suorum fundamenta iacta fuerunt, ex quibus is, qui illi nomen dedit, fraterna eam caede foedavit, festivitatem tamen ipsius Cathedrae, quae, iuxta antiquissimorum sanctorum Patrum nostrorum testimonium, quintodecimo kalendas februarii fuit, et in diversis orbis christiani et praesertim Galliae et Hispaniae partibus dicta die solemniter celebratur, minime observet, celebretque solum festivitatem Cathedrae Antiochenae, quae octavo kalendas martii, iuxta eorumdem Patrum testimonium, fuit, tamquam idem Salvator noster, qui saepius infirma eligit ut fortia quaeque confundat, non respiciens imbecillitatem nostram, festivitatem Cathedrae, qua ipse Petrus apostolus Romae primum sedit, nostris temporibus celebrandam, seu potius antiquae celebritati restituendam reservaverit.

Ideo hic Pontifex festivitatem Cathedrae S. Petri Romae, sub duplici officio celebrari iubet die XVIII ianuarii.

§ 1. Quamobrem, considerantes quod si in hac urbe Cathedram ecclesiae Antiochenae pie et solemniter veneramur, iustum est etiam et conveniens ut festivitatem Cathedrae, qua praefatus apostolus Romae primum sedit, eo solemnius et magis pie celebremus, quo magis urbs ipsa illi tenetur et debet, non dedignantes etiam inferiores ecclesias in hoc imitari, festivitatem Cathedrae, qua idem beatus Petrus Romae primum sedit, eodem die quintodecimo kalendas februarii, non solum in hac alma Urbe, verum etiam in universis orbis ecclesiis, etiam in quibus illa ad praesens celebratur, sub duplici officio, annis singulis, perpetuis futuris temporibus, solemniter celebrari volumus, statuimus et mandamus.

§ 2. Festivitati alterius Cathedrae, quae

Aliud festum praeservat.

dicto die octavo kalendas martii celebratur, nihil propter hoc detrahendo, sed illam, iuxta laudabilem hactenus superinde observatam consuetudinem, celebrari debere decernendo.

Sanctio poenalis.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, VIII idus ianuarii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 6 ianuarii 1558, pontif. anno III.

XX.

Sancita et declarationes super resignationibus beneficiorum publicandis infra sex menses [1].

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Paulus divina providentia Papa IV.

Paulus, initio sui pontificatus, indixit resignationes publicandas esse infra sex menses, alias, decedente in beneficio resignante, beneficium huiusmodi per obitum vacare censeatur.

§ 1. Qui in crastinum suae ad summi apostolatus apicem assumptionis, praedecessorum suorum vestigiis inhaerendo, inter alia, statuit et ordinavit, prout etiam singuli praedecessores praefati statuere et ordinare consueverant, quod quaecumque beneficia ecclesiastica in Romana Curia resignata, nisi de illis factae resignationes infra sex menses a die datae publicationis, et non a die praestiti consensus computandos, ubi beneficia ipsa consisterent, vel possessio illorum ab eis, quos id contingeret, petita extitisset, si resignantes illa postmodum in eorumdem resignatorum beneficiorum possessione decederent, non per resignationem, sed per obitum huiusmodi vacare censerentur. Collationes quoque et quaevis aliae dispositiones de illis, tamquam per resignationem vacantibus, factae et inde sequuta quaecumque nullius sint roboris vel momenti.

Cum tamen nonnullae ortae fuerint controversiae super beneficiis resignatis temporibus praedecessorum Pontificum,

§ 2. Et cui nuper innotuit nonnullos, etiam iuris peritos et dictae Curiae officiales ac causarum Palatii Apostolici auditores, contendere quod resignationes de beneficiis in manibus praedecessorum Sanctitatis Suae factae statuto et ordinationi praedecessorum huiusmodi, tamquam illa per obitum eorumdem praedecessorum expiraverint, non subiiciantur, et sub statuto et ordinatione Sanctitatis Suae, tamquam futura et non praeterita concernentibus, non comprehendantur; et sic occasionem praestare ut fraus fiat legi, et resignationes huiusmodi infra dictos sex menses non publicentur, nec ipsorum resignatorum beneficiorum possessio ab eis, quos id contingit, petatur; quinimo resignantes ipsi beneficia per eos resignata usque ad eorum obitum sine aliquo titulo detineant et eorum fructus percipiant in animarum suarum perniciem, et personarum, de eisdem beneficiis tamquam per obitum vacantibus pro tempora provisarum, detrimentum.

Rem clarius declarat,

§ 3. Volens periculis animarum occurrere et indemnitati personarum huiusmodi consulere, declaravit suae intentionis semper fuisse et esse ut quaecumque resignationes de quibusvis beneficiis ecclesiasticis, etiam in manibus praedecessorum huiusmodi eatenus factae et nondum suum plenarium effectum sortitae, etiam si infra sex menses obitum eorumdem praedecessorum praecedentes factae, nec super illis consensus tempore eorumdem praedecessorum praestiti fuerint, statuto et ordinationi suis praedictis subiicerentur et subiiciantur de praesenti, et sub illis comprehenderentur et comprehendantur de praesenti: quodque si, non satisfacto statuto et ordinationi suis huiusmodi, ii, qui beneficia praedicta in manibus eorumdem praedecessorum resignaverant, in eorumdem resignatorum beneficiorum possessione decederent, beneficia ipsa non per resignationem, sed per obitum huiusmodi

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic.

vacare censerentur et in posterum censeantur. Collationes quoque et quaevis aliae dispositiones de illis tamquam per resignationem vacantibus factae et faciendae, et inde sequuta et sequenda quaecumque nullius essent et in posterum sint roboris vel momenti.

Et secundum praesentem declaration., ubique definiri lites hac super re decernit.

§ 4. Decernens sic et non aliter per quoscumque iudices et commissarios, quavis, etiam apostolica, auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales et causarum Palatii Apostolici huiusmodi auditores, in quibusvis, etiam per appellationem pendentibus et in posterum movendis, causis et quavis eorum instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpetrandi auctoritate et facultate, iudicari, diffiniri et interpetrari debere; ac irritum *etc.*

Placet, publicetur et describatur. I.

XXI.

Confirmatio et ampliatio constitutionum apostolicarum circa solutionem annatarum et quindenniorum, pro beneficiis ecclesiasticis Reverendae Camerae Apostolicae debitorum.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decens esse censemus et acquum ut qui alios in sua iustitia confovemus, Camerae nostrae Apostolicae iura non negligamus, quinimmo ea usurpare satagentibus opportunis remediis, etiam medio declarationis nostrae, occurramus, nec patiamur illa, cavillationibus aut calumniosis litibus ea debentium, in discrimen aut dubium aliquod deduci.

Annatarum exactio in recognitionem dominii introducta fuit antiquitus Et postea

§ 1. Nuper sane accepimus quod, licet communium servitiorum et annatarum exactio, in recognitionem universalis dominii introducta, sit antiquissima, ita ut etiam peritissimi et probatissimi iuris interpretes, qui tempore concilii Viennensis, iam ducentis quadraginta et ultra annis celebrati, et post illud scripserunt, expressam de ea fecerint mentionem, et asserverint eam in dicto concilio roboratam fuisse; et in concilio Constantiensi, ante centum et quadraginta annos celebrato, statutum fuerit ut de ecclesiis et monasteriis virorum, vacantibus et vacaturis, solverentur, pro fructibus primi anni a die vacationis, summae pecuniarum in libris Camerae Apstolicae taxatae, quae communia servitia etiam tunc nuncupabantur; de ceteris autem dignitatibus, personatibus, officiis et beneficiis, saecularibus et regularibus, valorem viginti quatuor florenorum de Camera excedentibus, quae auctoritate Sedis Apostolicae, non tamen vigore gratiarum expectativarum, aut ex causa permutationis, censerentur[1] vel de quibus provideretur, solveretur annata seu medii fructus, iuxta taxam solitam.

Concil. Viennense et Constantiense talem exactionem approbarunt.

Eugenius IV et Callistus III idem fecerunt.

§ 2. Ac felicis recordationis Eugenius IV et Callistus III, Romani Pontifices praedecessores nostri, super solutione mediorum seu integrorum fructuum primi anni dictae Camerae, ratione monasteriorum et prioratuum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pro tempore unitorum, facienda disposuisse leguntur.

Paulus II statuit de beneficiis piis locis unitis et de cetero non vacantibus quindennia solvi Camerae Apostolicae.

§ 3. Et piae memoriae Paulus Papa II, etiam praedecessor noster, ut tam ipse quam dicti Eugenius et Callistus praedecessores ac recolendae memoriae Martinus V et Nicolaus etiam V ac Pius etiam II, Romani Pontifices similiter praedecessores nostri, tunc sui, complura diversorum ordinum monasteria, prioratus, praeposituras, praepositatus, dignitates *etc.*

Iulius II confirmavit constitution. Pauli II.

§ 4. Et sanctae memoriae Iulius Papa similiter II, praedecessor noster, accepto quod ex praedictis et aliis, quae postea

1. C nferrentur, Cherub (n. 1).

per similis memoriae Sixtum IV, Innocentium VIII et Alexandrum VI, Romanos Pontifices *etc.*

Iulius III confirmavit et ampliavit Pii II et Pauli II constitutiones.

§ 5. Et sanctae memoriae Iulius Papa III, praedecessor noster, accepto quod ordinationes, statuta, decreta et declaratio Pauli et Iulii II, praedecessorum huiusmodi, plene non observabantur, et a tempore ipsius Alexandri praedecessoris usque in eam diem, tam per ipsos Iulium II et Iulium III, quam felicis recordationis Leonem X, Hadrianum VI et Clementem VII ac Paulum pariter III, Romanos Pontifices praedecessores nostros, tunc suos, diversae aliae uniones, annexiones, incorporationes *etc.*

Hic Pontifex etiam approbavit Iulii III et praedec. constitutiones.

§ 6. Et postremo nos praemissa omnia per papyri cedulam, manu nostra, motu proprio, signatam, approbaverimus et innovaverimus, prout in singulis literis praedecessorum et cedula huiusmodi plenius continetur.

Nihilominus quaedam congregation. praetendunt non teneri ad solutionem annatarum etc.

§ 7. Nihilominus tam Sancti Georgii in Alga, sub praetextu quod dictus Eugenius praedecessor rectores et canonicos ipsius congregationis Sancti Georgii a sententiis, censuris et poenis, quibus, ob non solutionem mediorum seu integrorum fructuum primi anni monasteriorum et beneficiorum, per ipsum Eugenium praedecessorem vel dictam Sedem eorum monasteriis, prioratibus, ecclesiis et beneficiis sive locis eatenus unitorum, innodati erant, per suas literas absolverit, et quascumque obligationes per eos dictae Camerae propterea factas, ac medios seu integros fructus huiusmodi eis liberaliter remiserit, et de illis et aliis quibuscumque, quae praefatae Camerae eatenus solvere quomodolibet obligati erant, generalem quietantiam fecerit, decernens eos ad illorum solutionem non teneri, nec ad id cogi posse, ac irritum et inane quicquid ex tunc contra tenorem earumdem literarum, scienter vel ignoranter, contingeret attentari. Et Cassinensis, alias sanctae Iustinae de Padua, huiusmodi sub praetextu quod dictus Leo praedecessor ipsam congregationem Cassinensem illiusque monasteria et loca ac abbates et conventus ad solutionem annatarum, communium minutorum servitiorum et aliorum iurium Camerae collegio et officialibus praedictis, ratione quorumvis monasteriorum, prioratuum et beneficiorum congregationi Cassinensi et illius monasteriis seu locis praedictis eatenus perpetuo unitorum, super quibus nulla obligatio in eadem Camera reperiebatur, aut ad obligationem de eis solvendis faciendam minime obligatos fuisse, nec ad illas condemnari aut cogi posse; et literas Pauli ac Iulii II aliorumque praedecessorum suorum huiusmodi, ac super illis et illorum praetextu decreta, monitoria et mandata, quoad ipsam congregationem Cassinensem et illius monasteria et personas, locum sibi vendicare non potuisse; omnesque et singulas, de monasteriis et locis congregationis Cassinensis huiusmodi, tamquam per dissolutionem unionum praedictarum aut privationem de illis vel alias ob non solutionem annatarum communium et aliorum praedictorum, vel ob non factam obligationem huiusmodi, vacantibus, factas provisiones, commendas, uniones et alias dispositiones et inde secuta quaecumque nulla, irrita et inania fuisse et esse; monasteriaque et loca congregationis Cassinensis huiusmodi, ob non solutionem annatarum, communium et iurium, ac non factam obligationem huiusmodi nullatenus vacasse, nec in futurum vacare, attestatus et interpretatus fuerit, ac decreverit et declaraverit, necnon procuratori fisci et agentibus pro Camera ac cardinalibus et officialibus praefatis silentium desuper imposuerit. Et paris memoriae Clemens VII, pariter praedecessor noster, literas Leonis praedecessoris hu-

iusmodi, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, per suas literas approbaverit et innovaverit, ac perpetua roboris firmitate subsistere et inviolabiliter observari debere. Necnon congregationem Cassinensem praefatam et illius praelatos et personas, contra tenorem literarum Leonis praedecessoris huiusmodi, nulliter, iniuste et indebite molestatos et perturbatos fuisse, et sic iudicari debere, et si secus contigerit attentari, irritum et inane decreverit; quam diversae aliae regularium et forsan saecularium personarum congregationes et forsan aliae personae, forsan ex eo quod a nonnullis, nimium scrupolosis et plusquam oportet sapere contendentibus, haesitetur an uniones ante ipsum Martinum praedecessorem per alios Romanos Pontifices praedecessores suos factae, sub literis Pauli praedecessoris huiusmodi comprehendantur, et forsan diversis aliis praetextibus communia minuta servitia, annatas et alia iura Camerae et collegio ac officialibus praedictis, ratione unionum eis de monasteriis, prioratibus et aliis beneficiis ecclesiasticis hactenus factarum, debita persolvere recusent, censuras et poenas in singulis literis praedictis contentas damnabiliter incurrendo, in animarum suarum periculum, et Camerae ac collegii et officialium praedictorum detrimentum.

Declaret igitur hic Pontifex omnes congregationes et alios ad quorum favorem beneficia unita fuerunt teneri ad solutionem annatarum etc., et ad se obligandum de illis solvendis.

§ 8. Nos, considerantes praefatum Eugenium praedecessorem per eius literas successoribus suis Romanis Pontificibus, cum par in parem non habeat imperium, et per consequens collegio cardinalium et officialium Romanae Curiae causam ab ipsis Romanis Pontificibus habentibus, praeiudicare non potuisse; et propterea ius nostrum et collegii ac officialium praedictorum illaesum remansisse et remanere, ac literas Leonis et Clementis praedecessorum huiusmodi, cum contra ordinationes, statuta, decreta et declarationem Pauli et Iulii II, praedecessorum huiusmodi, ac causa non cognita et non vocatis nec auditis quorum intererat, emanaverint, et per eas ius tertii, contra tenorem constitutionum per eos editarum, manifeste tollatur, effectum sortiri non debere, omnium et singularum literarum praedictarum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes; ac singulas literas Eugenii et Leonis ac Clementis praedecessorum huiusmodi, ad viam et terminos iuris reducentes et reductas esse decernentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac de mera deliberatione nostra, omnes et singulas uniones, annexiones, incorporationes, applicationes et submissiones de quibusvis monasteriis, prioratibus, praepósituris, praepositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus et quorumvis Ordinum seu militiarum regularibus quibuscumque, collegiatis ecclesiis seu earum mensis capitularibus seu collegiis, universitatibus et utriusque sexus congregationibus, tam saecularibus quam regularibus, etiam Sancti Georgii in Alga, et Cassinensi praedictis, ac Montis Oliveti et Camaldulensi, necnon domibus, fabricis, hospitalibus et aliis piis locis, quae ex eorum perpetuitate non vacant, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, quocumque tempore, etiam ante ipsum Martinum praedecessorem ac nos, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, perpetuo factas, et de cetero tam per nos quam successores nostros similiter perpetuo faciendas, sub literis Pauli praedecessoris huiusmodi comprehendi et includi. Et propterea tam Cassinensem et Montis Oliveti ac Camaldulensem nec-

non Sancti Georgii in Alga et quascumque alias congregationes, quam quosvis alios in quorum favorem uniones, annexiones, incorporationes, applicationes et submissiones huiusmodi factae fuerunt, etiam si se superinde in Camera non obligaverint, ad solutionem communium et minutorum servitiorum ac annatarum et aliorum iurium praedictorum eidem Camerae, collegio et officialibus, ratione earumdem unionum, annexionum, incorporationum, applicationum et submissionum, singulis quindecim annis a die quo illae suum effectum sortitae fuerint, alias, iuxta tenorem literarum Iulii III, praedecessoris huiusmodi, faciendam teneri et obligatos esse; et ad id, necnon ad se communibus et minutis servitiis ac annatis et aliis iuribus prædictis, de quindecim annis in quindecim annos, realiter et cum effectu solvendis, in forma solita obligandum, etiam per sententias, censuras et poenas, etiam privationis et dissolutionis unionum, annexionum, incorporationum, applicationum et submissionum praedictarum, in literis Pauli, Iulii II ac Iulii III, prædecessorum huiusmodi, contentas, cogi et compelli posse; necnon monasteria, prioratus, praepositures, praepositatus, dignitates, personatus, administrationes, officia et beneficia unita huiusmodi onus solutionis communium et minutorum servitiorum ac annatarum et aliorum iurium praedictorum semper habuisse et ad praesens habere.

Decretum irritans.

§ 9. Sicque et non aliter, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis etiam dicta auctoritate apostolica fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, et dilectos filios nostros Ioannem Michaelem S. Anastasiae, Saracenum, et Virgilium S. Simonis tituli, de Spoleto nuncupatos, presbyteros, quibus alias omnes et singulas causas, occasione praemissorum pendentes, commisimus, et quosvis alios S. R. E. cardinales in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, iudicari et definiri debere; ac si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus et declaramus.

Cardinalis Saracenus et cardinalis de Spoleto iudices istarum causarum procedant iuxta formam istius constitutionis.

§ 10. Mandantes eidem Ioanni Michaeli et Virgilio cardinalibus ut omnes et singulas causas, coram eis inter dilectos filios procuratorem nostrum fiscalem et officiales praefatos ex una et quascumque congregationes seu alias personas ex altera partibus, super solutione communium et minutorum servitiorum ac annatarum et aliorum iurium praedictorum vel eorum occasione pro tempore pendentes, iuxta praesentium tenorem, terminent et decidant.

Beneficiaque indultum ea solvendi quindennia habentia notificentur cardinalib. praedictis.

§ 11. Et insuper, ut ratio communium minutorum servitiorum ac annatarum et aliorum iurium praedictorum clara habeatur, nec ulterius in ambiguo aut obscuro versetur, volumus et auctoritate apostolica praefata decernimus, statuimus et ordinamus quod omnes et singuli, in quorum favorem uniones, annexiones, incorporationes, applicationes et submissiones huiusmodi emanarunt, necnon cathedralium, etiam metropolitanarum, seu collegiatarum ecclesiarum capitula et tam virorum quam mulierum saeculares, et quorumvis, etiam exemptorum, Ordinum regulares congregationes et collegia ac hospitalia et alia pia loca, quibus a Sede praedicta indultum est ut abbates seu priores vel alios praelatos suos ad tempus et non ad vitam eligere possint, seu quorum abbates vel priores aut alii praelati non ad vitam sed ad tempus eliguntur, seu etiam ad vitam electi, absque confirmatione eiusdem Sedis, administrant, infra terminum eis a praefatis Ioanne Michaele

et Virgilio cardinalibus praefigendum, omnia et singula monasteria, prioratus, præposituras, praepositatus, ecclesias, cappellanias et alia beneficia ecclesiastica, quae possident, et ea specifice et expresse quae facultatem et indultum huiusmodi habent, seu quorum abbates seu priores vel alii praelati ad tempus eliguntur, seu etiam ad vitam electi, sine confirmatione praedicta, administrant, una cum illorum fructuum, reddituum et proventuum vero annuo valore, praefatis Ioanni Michaeli et Virgilio cardinalibus notificasse et intimasse debeant, et ad id per sententias, censuras et poenas in singulis literis prædictis contentas cogi et compelli possint.

Clausulae derogatoriae.

§ 12. Non obstantibus literis Eugenii, Leonis et Clementis, prædecessorum huiusmodi, et aliis præmissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis, indultis et literis apostolicis congregationi Camaldulensi Eremitarum et S. Michaelis de Murano, Torcellanensis dioecesis, per dictum Leonem praedecessorem in eius erectione et institutione, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu et scientia similibus, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet concessis ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, et sufficienter derogatum esse decernimus, necnon omnibus illis, quae singuli praedecessores praefati in singulis eorum literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poen.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, x kalendas februarii, pontificatus nostri anno IV [1].

Dat. die 23 ianuarii 1558, pontif. anno III.

XXII.

De lenonibus eorumque complicibus ultimi supplicii poena certis casibus in Urbe plectendis.

Sanctissimus dominus noster dominus Paulus divina providentia Papa IV.

Exordium.

Volens sceleribus, quae ex vitio et luxuria carnis in dicta Urbe in dies patrantur, quantum cum Deo potest, occurrere, vivae vocis oraculo statuit et decrevit ac sua irrefragabili constitutione sancivit quod omnes et singulae utriusque sexus personæ, quæ aliquam puellam aut aliam iuvenculam ex eius patria aut alio loco, in quo tunc honeste viveret, vestes aut alia id genus bona eis pollicendo, seu quavis alia corruptione seduxerint; easque aut aliquem puerum in eadem Urbe quomodolibet prostituerint, tamquam omni privilegio cuiuscumque ordinis vel dignitatis (iuxta constitutionem felicis recordationis Innocentii Papae IV, praedecessoris sui, quae incipit *Pro humani generis*) privati et nudati, ac per leges saeculares ipso iure et facto condemnati, per ordinarios Sanctitatis Suae iudices saeculares, nulla ab eadem Sanctitate Sua desuper expectata declaratione seu mentis suae intentione, irremissibiliter hoc modo puniantur.

1 Legimus anno III (R. T.).

Poenae contra lenones in prostituendo pueris aut virginibus.

§ 1. Lenones videlicet et lenae, circa prostitutionem masculorum versantes et cum eis circa prostitutionem ipsam agentes vel consentientes, necnon lenones et lenae puellam seu aliam inveniculam invitam assumentes et ad necessitatem nutrientes, ac postmodum prostituentes et lucrum ex eius prostitutione captantes, quotquot fuerint, ultimo supplicio afficiantur.

Complices huiusmodi stupri.

§ 2. Ili vero, qui corrupto comite stuprum puero suaserint, aut puellam virginem super violatione eius pudicitiae interpellaverint, seu ad hoc ei quicquam donaverint, vel pretium, ut id assequerentur, dederint, aut domum ad hoc eis commodaverint, seu quicquid aliud ad effectum praemissorum fecerint, flagitio perfecto, capitali poena plectantur; eo autem imperfecto, in aliquam insulam deportentur et inibi perpetuo relegentur; qui in praemissis comites corrupti fuerint, eisdem poenis subiaceant.

Lenones in aliis casibus.

§ 3. In ceteris vero casibus lenones et lenae huiusmodi, qui de cetero lenocinii artem exercuerint, fustibus per Urbem publice caesi, ab hac Urbe perpetuo exulare cogantur.

Domos eis locantes.

§ 4. Et qui domos suas eisdem lenonibus vel lenis de cetero scienter locaverint; vel si ignoranter id fecerint, nisi, postquam hoc eis notificatum fuerit, illos expulerint, domum sic locatam eo ipso amittant, et ea realiter et cum effectu priventur et spolientur, et insuper poenam mille scutorum auri ab eis auferendorum et in pios usus convertendorum ipso facto incurrant.

Hoc decretum habet vim motus proprii.

§ 5. Voluit quoque eadem Sanctitas Sua, et praefato gubernatori simili vivae vocis oraculo mandavit ut statutum et decretum ac sanctionem suam huiusmodi, quae perinde ac si sub nomine Sanctitatis Suae in scriptis redacta et per eamdem Sanctitatem Suam motu proprio subscripta et signata forent, et literae apostolicae desuper sub plumbo confectae essent, plenariam fidem facere, et eis indubiam fidem adhiberi debere decrevit, per publicum bannimentum et proclama omnibus, quorum interest, denunciari et intimari faceret.

Denunciatio ista per proclama ligat, prout si personaliter intimata foret.

§ 6. Decernens denunciationem et intimationem huiusmodi eos omnes ligare et arctare, perinde ac si praemissa omnia eis ex parte Sanctitatis Suae, aut per literas apostolicas personaliter intimata et notificata ac de verbo ad verbum recitata fuissent, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

XXIII.

Contra religiosos professos, extra claustra Religionum vagantes, et apostatas, eorumque fautores, cum revocatione privilegiorum quibuscumque Ordinibus concessorum recipiendi religiosos alterius Ordinis.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Plures Pontifices multa statuerunt ad tollendum abusum apostasiae.

Postquam divina bonitas nos, licet immeritos, ad summi apostolatus fastigium assumere dignata est, numquam cessavimus, abusus, qui in Ecclesia Dei, seu nimia Sedis Apostolicae indulgentia seu hominum malitia irrepsisse cernuntur, pro viribus tollere, et Ecclesiam ipsam in pristinum candorem restituere, diversas ad hoc saluberrimas constitutiones edendo et inviolabiliter observari mandando. Verum, cum non omnia uno et eodem tempore excogitari, nedum perfici potuerint, quinimmo circa ea sit nobis singulis ferme diebus aliquid enitendum, abusui apostasiae, quae per regulares personas, sub diversis falsis praetextibus, quotidie incurritur, ulterius parcendum non esse cen-

suimus. Nam, licet diversi Romani Pontifices praedecessores nostri, per eorum constitutiones complura contra apostasiam huiusmodi ediderint statuta et ordinationes, nondum tamen est plenum contra eam adinventum remedium.

Religiosi diversorum Ordinum, sub variis praetextibus, extra claustra Religionis degunt et apostasiae poenas incurrunt et errores multos committunt.

§ 1. Quinimmo diversi diversorum, etiam Mendicantium, Ordinum religiosi, propriae salutis immemores, Deique timore postposito, sub praetextu alii videlicet quod Religioni et Ordini in genere, ob varias confictas causas, adstricti non sint, et superinde sententiam declaratoriam obtinuerint; alii quod beneficium ecclesiasticum curatum assecuti sint; alii quod extra regularia sui Ordinis loca standi, et alicui beneficio ecclesiastico deserviendi a suis superioribus licentiam habent; et alii diversis aliis confictis coloribus; alii vero nullo suffulti praetextu, sed temeritate propria, contra proprium iuramentum per eos in eorum professione praestitum et regularia sui Ordinis instituta, extra claustra suorum regularium locorum degunt et in saeculo, aliqui habitu sui Ordinis retento, aliqui, illo abiecto, in habitu presbyterorum saecularium, et complures in habitu laicali temere vagantur. Et postquam Deo fidem fallere non sunt veriti, cetera omnia, quantumvis gravissima et detestanda, levia et licita reputantes, alii parochianos eorum curae commissos falsam doctrinam docere et pravis opinionibus ac haeresibus replere; alii uxores ducere, alii, sive paupertate eos cogente sive diabolico instinctu, saecularibus et mechanicis negotiis se dare; alii seditionibus popularibus, coniurationibus contra principes et alios, ac quibusvis aliis saevis actibus se implicare, et caetera omnia nequissima facere praesumunt, in gravissimam divinae Maiestatis offensam et Religionis opprobrium, ac animarum suarum perniciem et aliorum christifidelium scandalum.

§ 2. Quamobrem, considerantes apostatas huiusmodi infinitis erroribus in eadem Dei Ecclesia causam praestare, et propterea volentes contra apostasiam ipsam plenius providere, et eam, quantum nobis ex alto conceditur, de medio tollere, motu proprio et ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos qui, post professionem per eos, in aetate legitima constitutos, in aliquo approbato, etiam militari, Ordine pure et libere emissam; vel si ante aetatem legitimam professi fuerint, post illam per eos, in ipsa aetate legitima constitutos, pure et libere ratam et gratam habitam, temeritate propria aut quovis praetextu vel causa, etiam si se Religioni et Ordini non adstrictos esse, sine causae cognitione et his, quae a iure requiruntur servari, omissis vel non legitime probatis, declarari obtinuerint; aut beneficium ecclesiasticum, etiam curatum, non praecedente legitima dispensatione, possideant, vel alicui beneficio ecclesiastico, etiam curato, alterius nomine deserviant, extra claustra suorum regularium locorum degunt, aut in posterum degent, omnibus et singulis beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus aut sui vel cuiusvis Ordinis regularibus, per eos quomodolibet obtentis et de cetero obtinendis, cuiuscumque qualitatis fuerint, ac fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis eis quomodolibet reservatis seu assignatis, necnon baccalariatus, licentiaturae, doctoratus et magisterii ac quibusvis aliis in iure canonico vel civili aut theologia seu medicina vel artibus aut quavis alia facultate gradibus per eos, etiam antequam Religionem ingrederentur, obtentis seu assecutis, necnon quocumque ministerio ecclesiastico, apostolica auctoritate, tenore praesentium, penitus et omnino privamus, ac ad illa et alia quaecumque et qualiacumque in posterum obtinenda, seu fructus, redditus et proventus ecclesiasticos percipiendos, aut gradus

Ideo hic Pontifex declarat ut qui in legitima aetate professionem libere fecerint, aut antea factam confirmaverint, et extra claustra Religionis vagabunt poenas hic expressas incurrant;

assequendos perpetuo inhabilitamus, et ab executione quorumcumque ecclesiasticorum, etiam sacrorum, et praesertim presbyteratus, ordinum, necnon omni ministerio ecclesiastico praedicto perpetuo suspendimus, privatosque et inhabiles ac suspensos esse. Necnon beneficia ipsa de iure et de facto, etiam ad hoc ut eorum ordinarii collatores ea aliis libere conferre possint, et nisi ea, infra tempus a Lateranensi concilio statutum, contulerint, collatio beneficiorum eorumdem ad immediatum illorum superiorem et demum ad nos ac pro tempore existentem Romanum Pontificem devolvatur; patroni quoque eorumdem beneficiorum personas idoneas, infra tempus a iure statutum, ad ipsa beneficia praesentare possint, et nisi praesentaverint, eorum libera collatio ad ordinarium spectet et pertineat, vacare, ac reservationes fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi expirare decernimus, ita ut de cetero ipsi apostatae, quamdiu vixerint, aliqua beneficia ecclesiastica obtinere vel aliquod officium ecclesiasticum exercere, aut fructus, redditus et proventus ecclesiasticos, seu super illis pensiones annuas, percipere vel exigere, seu curam animarum vel aliquod ministerium ecclesiasticum exercere, aut sacramenta ecclesiastica ministrare, seu missam celebrare, aut praetextu ordinum, in quibus constituti erunt, aliquid facere vel exequi nequeant; et pensiones seu commendae ac reservationes fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum, necnon assignationes pensionum annuarum, eis etiam dicta auctoritate, etiam cum praesentium, toto earum tenore inserto, plenaria derogatione pro tempore factæ, nullae sint et irritae, ac viribus omnino careant, nec aliquod eis ius aut titulum beneficia possidendi, aut fructus, redditus et proventus seu pensiones huiusmodi exigendi vel percipiendi tribuant. Ipsique sic privati, inhabiles et suspensi, fructus suos non faciant, sed ad illorum restitutionem teneantur. Et nihilominus si curam animarum exercere vel ecclesiastica sacramenta ministrare, seu missam celebrare, aut, praetextu ordinum suorum praedictorum, aliquid facere aut aliquod ministerium ecclesiasticum exequi praesumpserint, tamquam suspensi ab executione ordinum suorum, et in illis contra suspensionem ipsam et in contemptum clavium ministrantes, condignis poenis omnino puniantur.

§ 3. Et ut omnis vagandi occasio apostatis huiusmodi tollatur, volumus et sancimus quod quaevis, tam ecclesiasticae quam saeculares personae, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae existant, etiam si archiepiscopali, patriarchali aut alia maiori ecclesiastica dignitate, etiam cardinalatus honore; seu mundana, etiam marchionali, ducali aut alia maiori auctoritate seu excellentia praefulgeant, aliquem apostatarum eorumdem receptare seu nutrire, vel illis, quo minus ad eorum monasterium seu domum vel alium locum regularem redeant, favorem aut auxilium seu consilium praestare non praesumant; et si eos receptaverint vel illis, ut praefertur, faverint, aut auxilium seu consilium praestiterint, et per ordinarium loci, sub quo moram trahent, commoniti, a praemissis non destiterint, sententiam excommunicationis eo ipso incurrant.

Receptatoribus quoque et fautoribus poenas infligit.

§ 4. Et si patroni alicuius beneficii ecclesiastici, sive sint laici sive clerici, aliquem ex eisdem apostatis ad beneficium de eorum iure patronatus existens tunc vacans praesentaverint, praesentationes huiusmodi sint eo ipso nullae, irritae et inanes, ac viribus careant; et ipsi patroni iure praesentandi alios ad eadem beneficia, pro ea vice tantum, privati existant.

Patronis etiam eos ad beneficia praesentantibus;

§ 5. Quodque superiores Ordinum, quos ipsi professi fuerint, et ordinarii locorum, in quibus ipsi apostatae pro tempore de-

Ordinarios et superiores Ordinum, contra eos procedere iubet.

gent, tam coniunctim quam divisim, eosdem apostatas ut ad eorum monasteria redeant requirere; et si ad dicta monasteria redire cessaverint, distulerint vel recusaverint, eos secundum Ordinis disciplinam, monitione praevia, per censuras ecclesiasticas et poenas, etiam corporis afflictivas, ad redeundum cogere et compellere possint, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod si regularis Ordo hoc non patiatur, auctoritate nostra providere valeant ut talibus apud eadem monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit; alioquin in aliis religiosis domibus eiusdem Ordinis ad agendam inibi poenitentiam vitae necessaria ministrentur. Si vero apostatae huiusmodi se in his inobedientes praestiterint, sint etiam auctoritate nostra maioris excommunicationis sententia eo ipso innodati, et superiores sui eos excommunicatos esse denuncient [1], ac ut tales ab omnibus suis subditis nunciari et publicari faciant.

Apostatae biretum de quo hic gestare teneantur.

§ 6. Teneanturque ipsi apostatae, cuiuscumque Ordinis, congregationis et habitus fuerint, biretum nigrum duabus lineis albis ex tela confectis et digito humano latis, ab una extremitate ad aliam extremitatem circumductis, distinctum et per totam eius circumferentiam simili linea alba suffultum, ita ut omnes lineae praefatae oculis intuentium manifeste appareant, continue gestare. Et si sine bireto huiusmodi deprehensi fuerint, possint, pro huiusmodi inobedientia, non solum per suos superiores, verum etiam per quoscumque, tam ecclesiasticos quam saeculares, iudices et magistratus condignis poenis puniri et ad delationem ipsius bireti, ut praefertur distincti et suffulti, omnino compelli.

Professi, qui praetendunt extra claustra stare posse, procedere teneantur ut hic.

§ 7. Decernentes quod de cetero qui aliquem Ordinem approbatum, ut praefertur, tacite vel expresse professus fuerit, et se illi Ordini non adstrictum esse contenderit, vel alias quovis modo, sive retento sive dimisso habitu, extra regularia loca ipsius Ordinis de iure aliquo casu stare posse putaverit, vel quavis ratione aut praetextu super hoc postulaverit seu supplicaverit, literas, quas a nobis seu officio Poenitentiariae nostrae obtinebit, cardinali protectori seu viceprotectori ipsius Ordinis in Curia residenti et procuratori generali Ordinis dirigi et praesentari facere, ac coram eo in hoc negotio, cum plena causae cognitione, procedere teneantur; alias omnia et singula per ipsum professum in praemissis gesta nullius sint roboris vel momenti, literaeque aliis directae nullam iurisdictionem tribuant.

Translationes de apostatis [illegible] ad parem vel arctiorem Ordinem et in observantia maneant [1].

§ 8. Quodque omnes et singulae translationes de apostatis ipsis ad alium Ordinem, etiam per nos aut praedecessores nostros vel per officium Poenitentiariae huiusmodi hactenus factae et quas deinceps fieri contigerit, nisi ad arctiorem vel parem Ordinem factae fuerint, et ipsi sic translati in monasteriis, in quibus regularis observantia vigeat, actu maneant, nullae sint et irritae; ipsique sic translati in pristinum Ordinem, etiam si in Ordine, ad quem translati fuerint, professionem in eo emitti solitam emiserint, redire teneantur. Et si, post unam et secundam monitionem sibi a praelatis seu superioribus Ordinum, a quibus translati sunt, factam, redire distulerint aut neglexerint, liceat ipsis praelatis seu superioribus procedere contra eos, modo et mediis contra apostatas statutis.

Translati praedicti redeant ad Ordinem, alioquin poenas hic positas incurrant.

§ 9. Et nihilominus praefatos sic translatos et, ut praefertur, non redeuntes, administratione cuiuscumque ecclesiastici beneficii seu officii et praelaturae perpetuo privamus et privatos esse, necnon bona quaecumque, mobilia seu immobilia, ac census, redditus et proventus, iura et ac-

[1] *Esse declarent et nuncient*, Matth. (R. T.).

[1] Ad hoc habes etiam Concil. Trid., sess. XIV, *De Reform.*, cap. XI.

tiones per eosdem fratres, tam egressos et eiectos quam ad alium Ordinem, ut praefertur, translatos, seu de licentia suorum superiorum extra eorum monasteria stantes, tempore quo extra monasteria sui Ordinis steterint, acquisita, etiam si acquisitiones huiusmodi ab ipsis fratribus ex redditibus beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, ab ipsis obtentorum seu detentorum, aut ex propria industria seu artificio, mercatura vel ex testamento seu successione ab intestato quorumvis consanguineorum, affinium vel amicorum suorum aut quorumcumque aliorum factae sint, non fisco nostro aut Camerae nostrae Apostolicae, sed Religioni aut monasteriis, in qua seu quibus primo professi fuerint, eo ipso applicata esse et censeri debere decernimus et declaramus: ita ut, iuxta regularia Religionis seu monasteriorum huiusmodi instituta, omnino distribui et dispensari, nec super illis, per protectores aut superiores Religionis et monasteriorum praedictorum aut quosvis alios, quacumque auctoritate fungentes, aliqua compositio seu concordia aut remissio fieri possit.

Decretum irritans.

§ 10. Sicque et non alias, aliter nec alio modo, in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis, etiam dicta apostolica, auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores et S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, iudicari et definiri debere; ac si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Privilegia recipiendi fratres aliorum Ordinum revocat.

§ 11. Et quoniam, experientia rerum magistra docente, cognovimus privilegia cunctis fere Ordinibus concessa recipiendi professos aliorum Ordinum in eorum monasteriis, domibus et regularibus locis, materiam praestare apostatis huiusmodi per saeculum evagandi, praesertim cum diversi Ordinum huiusmodi superiores praelati apostatas huiusmodi recipiant et, postquam illis eorum habitum regularem exhibuerint, eis standi extra monasterium licentiam concedant, nos abusui huiusmodi occurrere volentes, omnia et singula privilegia et indulta apostolica quibusvis Ordinibus, monasteriis et domibus seu aliis regularibus locis (Carthusiensi et eremitis Camandulensi eremo realiter degentibus dumtaxat exceptis) super recipiendis canonicis regularibus seu monacis vel fratribus aliorum Ordinum, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, sub quibusvis verborum formis et tenoribus, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessa, etiam *Mare Magnum* nuncupata, quoad facultatem recipiendi eosdem canonicos regulares seu monacos et fratres, penitus et omnino revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, et viribus penitus et omnino vacuamus.

Locorum ordinarii publicent hanc constitutionem, illamque publicari faciant.

§ 12. Mandantes universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis aliisque dioecesanis et locorum ordinariis, ut ipsi, per se vel alium seu alios, praesentes literas et eis contenta quaecumque, ubi et quando ac quoties opus fuerit, solemniter publicantes, faciant dicta auctoritate nostra easdem praesentes literas plenarie et totali executioni demandari, eos, qui illis contravenerint, iuxta ipsarum literarum continentiam et tenorem, condignis poenis plectendo et puniendo; ac contradictores quoslibet et rebelles eisque in praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas praedictas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc

etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae. § 13. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasteriorum et aliorum regularium locorum necnon Ordinum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, etiam *Mari Magno* seu *Bulla Aurea* aut alias quomodolibet nuncupatis, seu per officium Poenitentiariae huiusmodi expeditis, eisdem apostatis seu translatis, ac nostro Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, Ordinis S. Augustini, et quibusvis aliis hospitalibus, necnon B. Mariae Redemptionis captivorum et de Mercede, ac quibusvis aliis monasteriis et regularibus locis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, aut alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Forma publicandi hanc constitutionem. § 14. Ut autem praesentes literae ad omnium, quorum interest, notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam praetendere aut contra eas se excusare valeat, dicta auctoritate apostolica statuimus atque decernimus ut ipsaemet literae vel earum transumptum (cui, manu notarii publici subscripto et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munito, eam prorsus fidem, in iudicio et extra, adhiberi debere volumus, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si facto et realiter exhiberentur) in basilica Principis Apostolorum et ecclesia S. Ioannis Lateranensis ac Cancellariae Apostolicae valvis et acie Campi Florae per aliquos ex cursoribus nostris publicentur, earum exemplo in singulis valvis et acie praedictis affixo et dimisso.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, XIII kalendas augusti, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 20 iulii 1558, pontif. anno IV.

XXIV.

Quod festum S. Dominici, institutoris Ordinis fratrum Praedicatorum, die IV augusti, sub duplici officio, celebretur 1.

Paulus episcopus servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Gloriosus in sanctis suis Deus, qui omnia operatur in omnibus, quosdam docto-

1 Hoc festum sub die 5 agi iusserat Gregorius IX, qui hunc Sanctum canonizavit, ut in eius constitut.one XI, *Fons sapientiae*, tom. III, pag. 483.

Sanctorum festa sub die eorum mortis celebranda sunt.

res[1], quosdam martyres et quosdam confessores, quos per anni circuitum, die, ut plurimum, qua eos ad coelestia regna migrare contigit, sancta veneratur universalis Ecclesia, ut christifideles eorum venerationi per exercitium bonorum operum vacantes, piis ante thronum divinae Maiestatis eorum suffragiis adiuvari, et exinde Deo propitio, vitam aeternam facilius consequi valeant.

S. Dominicus obiit die VI augusti.

§ 1. Verum cum hoc in eximio Christi confessore Dominico, qui octavo idus augusti migravit ad Dominum, non observetur, quinimmo eius memoria nonis augusti, qua die et festum Beatae Mariae a Nivibus, quae ea die de coelo hic in Urbe in ea montis Exquilini parte, in qua nunc templum eiusdem Beatae Mariae Maioris visitur, volente Domino, ceciderunt, sub officio duplici celebramus, forsan ex eo quod ipsa die octavo idus augusti Transfigurationem Domini et Redemptoris nostri Iesu Christi sub simili officio duplici veneramur, diem eius obitus praeveniendo recolatur.

Iste Pontifex ex causa hic relata, eius festum celebrari mandat die IV augusti;

§ 2. Nos, considerantes Ecclesiam venerationi ipsius Virginis Dei Genitricis Mariae in memoriam miraculi nivium huiusmodi plurimum occupatam, celebrationi festivitatis huius almi Dei confessoris Dominici plene vacare nequire, et exinde facile obvenire posse ut memoria ipsius beati Dominici, qui Ordinem fratrum Praedicatorum, inspirante Domino, fundavit et instituit, ac inter quos plurima sanctitatis opera et virtutis signa, quibus, in carne positus, claruit, diversorum curatis languoribus, loquelam mutis, visum caecis, surdis auditum, gressum paralyticis et sanitatem pristinam languentibus restituit, in mentibus fidelium tepescat; et volentes in praemissis opportune providere, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio et unanimi consensu festivitatem ipsam pridie nonas augusti singulis annis, perpetuis futuris temporibus, in universis orbis ecclesiis, sub duplici officio solemniter celebrari volumus, statuimus et mandamus.

Indulgentias eius ecclesiam visitantib. concedit;

§ 3. Necnon de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum apostolorum eius Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui in die festivitatis huiusmodi ecclesiam alicuius ex domibus dicti Ordinis, a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem festivitatis, devote visitaverint, et pro pace confirmanda et unitate Ecclesiae catholicae Domino nostro Iesu Christo preces pie effuderint, decem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Exemplis credi iubet;

§ 4. Et quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus et auctoritate apostolica decernimus quod earum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius curiae ecclesiasticae aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique locorum, in iudicio et extra, quae eisdem originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ipsius Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, VI idus augusti[1], pontificatus nostri anno IV.

Publicatio.

Anno a nativitate Domini MDLIX, indictione II, die vero XXX iulii, retroscriptae

1 *Quosdam in Ecclesia sua posuit apostolos, quosdam prophetas, quosdam doctores*, Rip. (R. T.).

1 Ripoll legit VIII *idus augusti* (R. T.).

literae affixae et publicatae fuerunt ad valvas seu portas ecclesiae Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariae Apostolicae ac in acie Campi Florae, ut moris est, dimissis copiis affixis in locis solitis et consuetis, ut moris est, per me Thomam Rogeri, sanctissimi domini nostri Papae cursorem et sanctae Inquisitionis, per nos Thomam Roger et Medardi Nicolai, praelibati sanctissimi domini nostri Papae cursores.

Iacobus Carra, magister cursorum.

Dat. die 8 augusti 1558, pontif. anno IV.

XXV.

Contra ambientes papatum, aut, Papa vivente eoque inconsulto, tractantes de eligendo futuro Pontifice, ac eorum complices et fautores [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Detestatio criminis ambitus.

Cum, secundum Apostolum, nemo debeat sibi honorem assumere, sed qui, tamquam Aaron, vocatur a Deo, facile ab omnibus iudicari potest quam graviter excedant, errent et peccent qui tam inferiores quam superiores dignitates ecclesiasticas et ipsam denique beati Petri Sedem ac apostolicae dignitatis culmen et apicem a Deo optimo maximo, a quo omnia bona procedunt, nulla prorsus humana ope, nec cuiusvis auxilio, consilio vel favore interveniente, provenire non arbitrantur, sed illas, tamquam venales aut alias in dispositione mortalium constitutas, diversis modis et mediis ambire et assequi seu potius usurpare praesumunt. Nam, ut Romanae et cuiuslibet alterius, tam ante quam post Domini Dei et Redemptoris nostri Iesu Christi in terris adventum, bene institutae reipublicae de ambitu et contra ambitus reos sanctissime promulgatas et inviolabiliter observatas leges ad praesens omittamus, nonne huiusmodi detestabile ambitus scelus etiam iure divino gravissime punitur, cum Absalon, qui regnum genitoris sui adhuc viventis ambiebat, ex mulo, cui insederat, elevatus, capillis capitis sui quercui suspensus remansit, et a Ioab tribus lanceis in corde transfixus fuit? Nonne illud sacrorum conciliorum a sancta Dei Ecclesia receptorum et approbatorum auctoritas diversimode detestatur et punit, cum quemcumque presbyterum aut diaconum seu clericum, qui, Papa incolumi et eo inconsulto, subscriptionem pro Romano pontificatu commodare, aut pictatia promittere, seu sacramentum praebere tentaverit, aut aliquod suffragium polliceri, vel de hac causa, privatis conventiculis factis, aliquid deliberare et decernere praesumpserit, loci sui dignitate et communione privandum, anathematisque poena plectendum censeat; et propter occultas fraudes et coniurationum huiusmodi secretas insidias, si quis, harum actionum particeps, consilia eorum, qui de pontificali agunt ambitu, ad notitiam Ecclesiae delerat, et rationabili probatione convincat, eum non solum ab omni culpa purgatum remanere, verum etiam remuneratione non indigna sublevari velit et statuat; et exinde non modo sacrorum canonum, sed etiam saecularium legum interpretes peritissimi et probatissimi, ambientes papatum aut super eo, Papa vivente et inconsulto, tractantes, seu conventiculas facientes, crimen lesae maiestatis in primo capite et simoniacae haereseos incurrere decreverint, non sine clara et aperta ratione, cum omnis tractatus de loco, dignitate et bono alicuius viventis, eo non consentiente, ab utroque iure prohibeatur, et

[1] De simoniaca autem Papae electione habes in Iulio II, constitutionem v, *Cum, tam divino*, tom. v, pag. 405.

reprobationis[1], praesertim cum inde praestetur votum captandae mortis, quod sacri canones et venerandae leges passim abhorrent et detestantur? Accedit quod, cum inter Pontificem et Ecclesiam contrahatur spirituale coniugium, quod fortius est carnali, gravissimae poenae ex utriusque iuris censura imponuntur iis, qui, constante matrimonio, de alio coniuge tractare praesumunt. Quare cum, peccatis exigentibus, plures in dies beati Petri Sedem, nobis viventibus et inconsultis, ambire, et conventiculas superinde facere dignoscantur, et ad hoc suffragia sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium obtinere et quodammodo subharrare procurent et satagant.

Confirmatio et innovatio poenarum quomodolibet promulgatarum contra ambientes papatum etc.

§ 1. Nos, cupientes huiusmodi detestabile ambitus et illi coniuncta simoniacae haereseos et laesae maiestatis crimina non solum nostris, sed etiam successorum nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium temporibus perpetuo abolere, et non solum ex usu, sed etiam ex mentibus hominum praesentium[2] in electione Romani Pontificis, qui Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi in terris vicarius existit, radicitus evellere, et in praemissis, pro tantae rei necessitate et periculi magnitudine, ut tenemur, salubriter providere, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris ipsius sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio et unanimi assensu, hac nostra perpetuo valitura constitutione, apostolica auctoritate et de nostrae apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas excommunicationis, suspensionis et interdicti ac privationis et quasvis alias sententias, censuras et poenas, dudum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris aut sacris conciliis seu sanctorum Patrum nostrorum decretis, statutis, capitulis, canonibus constitutionibus et ordinationibus contra sic ambientes quomodolibet latas et promulgatas, approbamus et innovamus, ac perpetuo observari et in viridi observantia, si forsan in ea non sint, reponi et esse debere.

Poenae tractantium de electione futuri Pontificis, eo vivente et inconsulto,

§ 2. Necnon quoscumque in praemissis, tam nostro quam successorum nostrorum praedictorum tempore, publice vel occulte aut alias quomodolibet delinquentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae existant, etiam si episcopali, archiepiscopali, patriarchali aut alia ecclesiastica dignitate seu cardinalatus honore, vel mundana, etiam ducali, regali, reginali aut imperiali, auctoritate seu excellentia praefulgeant, et eorum quemlibet, sententias, censuras et poenas praedictas incurrere volumus et decernimus. Et nihilominus, considerantes dignum esse ut quos Dei timor a malo non revocat, ecclesiasticae saltem coerceat severitas disciplinae, de similibus consilio et assensu ac auctoritate et plenitudine potestatis, volumus et declarando statuimus, ordinamus et decernimus quod sententiis, censuris et poenis praedictis in suis robore et efficacia remanentibus, ac effectum suum sortientibus, omnes et singuli, tam clerici quam utriusque sexus laici, qui per se vel alios, nobis viventibus et inconsultis, verbis vel scriptis aut nunciis, cum aliquo de futuro Pontifice eligendo hactenus tractarunt vel tentarunt, seu in posterum, Romano Pontifice vivente et inconsulto, tractabunt vel tentabunt, etiam si, ut praefertur, qualificati et dignitate, honore et auctoritate et excellentia praedictis praediti existant, sint ipso iure et facto, absque alia desuper ferenda sententia, excommunicati excommunicatione maiori, et maledictione aeterna damnati; et ab excommunicatione et maledictione huiusmodi per alium quam per nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in mortis articulo, absolvi non possint; incurrerintque et in-

[1] *Reprobetur*, Matth. (R. T.). [2] *Praesertim*, Matth (R. T.).

currant respective crimen simoniacae haereseos et laesae maiestatis in primo capite, ac privationem omnis, etiam episcopalis, archiepiscopalis et patriarchalis, ac cuiusvis alterius maioris vel minoris dignitatis ac cardinalatus honoris, necnon ducalis, regiae, reginalis et imperialis auctoritatis et excellentiae, ac omnium et singularum ecclesiarum cathedralium, etiam metropolitanarum et patriarchalium, monasteriorum quoque ac prioratuum, aliorumque beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium ac quorumvis Ordinum regularium, per eorum quemlibet obtentorum, necnon quorumvis fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum, ac pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus et proventibus reservatarum et assignatarum, ac regnorum, dominiorum, feudorum et bonorum spiritualium et temporalium, vel ministrorum, etiam patrimonialium et allodialium, necnon iurium patronatus et iurisdictionum quarumcumque; careantque voce activa et passiva, ac effecti sint et efficiantur respective perpetuo inhabiles et incapaces omnium dignitatum, honorum, bonorum, iurium et legitimorum actuum, perpetuaque infamia ubique gentium sint notati[1] respective, nec infamia huiusmodi ab eis aboleri, neque ipsi ullo umquam tempore ad voces, dignitates, honores, bona, iura et actus huiusmodi, nisi ex speciali verbo et mandato nostro seu Romani Pontificis pro tempore existentis, nostra seu illius manu propria subscripto, ac specifica et individua reatus et culpae suae qualitate expressa, restitui possint.

Alliisque complicibus

§ 3. Quodque similes sententias, censuras et poenas respective incurrerint et incurrant ipso iure et facto, ac sine alicuius sententiae prolatione, omnes et singuli, etiam, ut praemittitur, qualificati et dignitatibus huiusmodi praediti, cuiusvis sexus et ordinis existant, qui, per se vel alium seu alios, a die nostrae ad summi apostolatus apicem assumptionis usque in hanc diem, in praemissis aut eorum aliquo, quodvis auxilium, consilium vel favorem seu operam, verbis vel scriptis, aut re vel facto, seu promissione, pollicitatione, suasione, vel his omnibus insimul, aut quovis alio modo, directe vel indirecte, principaliter vel incidentaliter, praestiterunt, seu in futurum, quovis etiam successorum nostrorum Romanorum Pontificum tempore, praestabunt, aut in praemissis mediatores, proxenetae, nuncii, mandatarii, procuratores seu trapezitae fuerunt, vel in posterum, ut praefertur, erunt, seu alias se in praemissis quovis modo intromiserunt vel immiscuerunt, seu in posterum, etiam tempore successorum huiusmodi, habebunt, nisi ea nobis aut successoribus nostris, quorum tempore id continget, vel alteri, cui id per nos vel successores praedictos commissum fuerit, per se vel alium seu alios, cum primum commode potuerint, revelaverint, etiam si in praemissis aliquod aliud auxilium, consilium vel favorem aut opem non praestiterint.

Revelantibus veniam et praemium promittit;

§ 4. Nos enim iis, qui praemissa revelaverint, etiam si complices fuerint, non solum veniam, sed etiam[1] successores nostros praefatos facturos esse confidimus, ad hoc ut, eorum indicio, participes tanti criminis valeant coerceri.

Oppugnantibus hanc bullam poenas imponit;

§ 5. Et si quis ullo umquam, etiam dictorum successorum nostrorum tempore, praesentes literas et in eis contenta quaecumque iniusta, illicita vel iniqua existere, aut in toto vel in parte non valere seu aliquo tempore non valitura esse, vel a nobis sic fieri non potuisse aut non debuisse ausu temerario asserere prae-

1 *Sint notati et notentur respective*, Cherub. et Matth. (R. T.).

1 *Sed etiam gratiam et praemia pollicemur, prout etiam successores nostros etc*, Cherub. et Matth. (R. T.).

sumpserit, cuiuscumque dignitatis existat, etiam si cardinalatus honore aut regia vel imperiali praeminentia et excellentia praefulgeat, ipso iure et facto anathematis mucrone percussus sit, et contra eum, tamquam vere schismaticum et haereticum, inquiri, et tamquam talis puniri, eiusque memoria damnari possit.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon cuiusvis conclavis capitulis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, quibusvis personis sub praesentibus comprehensis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac simili potestatis plenitudine, aut consistorialiter seu alias quomodolibet concessis et etiam [1] si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in sua robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus et sufficienter derogatum esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationem committit;

§ 7. Ut autem praesentes literae ad omnium, quorum interest, notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam praetendere valeat, volumus eas in basilicae Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariae Apostolicae [1] ac acie Campi Florae per aliquos ex cursoribus nostris publicari, earumque copiam inibi affixam dimitti, necnon publicationem et dimissionem copiae affixae huiusmodi sufficere, et omnes quos eaedem literae tangunt, arctare, perinde ac si eis personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Sanctionem poen. lem adiecit.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, innovationis, declarationis, statuti, ordinationis, derogationis decretorum et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, XVII kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 16 dec. 1558, pontif. anno IV.

XXVI.

Facultas custodum SS. Imaginis ad Sancta Sanctorum regendi et gubernandi collegia Capranicense et Nardinum de Urbe [2].

Paulus Papa IV, ad futuram rei memoriam.

P. exord.

Piis fidelium quorumlibet votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Custodes Papae supplicant pro confirmatione cuiusdam chirograp. Pauli Papae III.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum custodum societatis sacratissimae Imaginis Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe nobis exhibita petitio continebat postquam a felicis recordationis Paulo papa III, praedecessore nostro, emanaverat infrascriptum rescriptum, cuius tenor sequitur et est talis:

1 *Et etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiamsi, pro illorum etc.*, Cherub. et Matth. (R. T.).

1 *Apostolicae valvis*, Cherub. et Matth. (R. T.).
2 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Paulus III omnimodam iurisdiction. ipsis supra collegia Capranicense et Nardinum concessit, prout apparet in praesenti brevi.

§ 2. Motu proprio. Cum sicut accepimus, non sine animi nostri molestia, quod licet laudabiles constitutiones et statuta tam collegii Capranicensis quam Nardini per scholares et studentes pro tempore dictorum collegiorum observari debent, cum illas seu illa, etiam cum iuramento, servare promiserint, et mandatis dilectorum nostrorum custodum memorabilis societatis sacratissimae Imaginis Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe, et praedictorum collegiorum gubernatorum pro tempore existentium parere debuissent, cum illis per fundatores eorumdem data fuit facultas scholares et studentes in dictis collegiis gubernare, corrigere, mulctare et punire secundum praedictorum studentium demerita in eventum contraventionis; nihilominus praefati studentes, praedictas laudabiles constitutiones minime servare cupientes, et praesertim in vestiendo et deferendo longas vestes cum caputiis, iuxta formam praedictarum constitutionum, nullo habito respectu ad praemissa; imo in dies contradicentes mandatis praedictorum custodum pro tempore existentium ac praedictis sacris constitutionibus ac statutis, et contra ipsorum respective proprium iuramentum, non observando praedictas laudabiles constitutiones et statuta, sub praetextu paupertatis, et se non habere modum induendi praefatas vestes (cum postea plures sericis utantur), ut teneantur praedicti iuramenti vinculo; et non erubescunt, contra eorum proprium iuramentum, praedictas laudabiles constitutiones et statuta, in dies diversis commissionibus a Sacra Signatura Iustitiae extorquere, et in contemptum praedictorum dominorum custodum gubernatorum praedictorum collegiorum, et causam et causas praetensarum iactationum et molestationum contra praedictos dominos custodes gubernatores et patres eorumdem, illamque et illas diversis iudicibus committere desiderant, et committunt, et committi obtinuerunt, licet indebite et nulliter; cum nulli liceat, praeterquam Pontifici Romano et propriae ipsius Signaturae, similes sacras constitutiones permutare. Volentes igitur calumniis et fraudibus huiusmodi obviare, prout nostro incumbit officio pastorali, ac providere, motu simili, ex certa nostra scientia, omnes et singulas causas praedictas coram quibuscumque iudicibus, tam ordinariis quam commissariis, et tam commissas et pendentes quam in futurum committendas per praefatos scholares et omnes in collegiis habitantes, in statu et terminis, quibus reperiuntur, harum serie ad nos avocamus, et dictis modernis pro tempore custodibus dictorum collegiorum gubernatoribus et omnium in dictis collegiis habitantium et sub eorum statutis degentium iudicibus ordinariis committimus et mandamus audiendas et terminandas iuxta formam praedictorum collegiorum praedictarum constitutionum et statutorum, cum omnibus eorum inde dependentibus, emergentibus, annexis et connexis; insuper mandantes ut statuta collegiorum simpliciter, et ut iacent, intelligantur, nullis additis commentis sive cavillationibus a causidicis inventis; mandantes etiam ut qui secundum statuta conclusiones non habuerint, infra tempus constitutum, ipso facto, sine ulla monitione, a collegiis expellantur, et alii pro illis substituantur et cogantur expensas collegiis persolvere. Declarantes insuper, auctoritate nostra apostolica per praesentes, tam iudices ordinarios quam commissarios, nullam penitus iurisdictionem habere seu obtinere posse in collegiales et omnes in dictis collegiis habitantes, et omnes et singulas commissiones imposterum impetrandas et adhuc impetratas, tam sub nomine alicuius collegii quam particu-

larium in collegio seu collegiis habitantium, tam de scholaribus admittendis et removendis, nullas et invalidas, nullius roboris ac momenti foro et esse, nullamque in futurum tribuere alicui iudici ordinario vel delegato iurisdictionem, cui vel quibus commissum fuerit, vel committetur in futurum: et volentes quod quandocumque praefati scholares vel aliquis eorum senserint de aliqua diffinitiva sententia declaratoria, ferenda per dictos pro tempore custodes, se gravatos, tunc recursum habere possint ad dilectos filios nostros pro tempore Urbis conservatores, tamquam iudices appellationum, et non ad alios iudices; imo ipsis iudicibus, tam ordinariis quam commissariis, inhibemus, praecipimus et mandamus quatenus, sub poenis excommunicationis, suspensionis et interdicti ac nostrae indignationis, anathematis ac mille ducatorum auri ipso facto Camerae nostrae applicandorum, si secus fecerint (quod absit), a quibus, quovis modo, liberari non possint, praeterquam a nobis vel pro tempore Romano Pontifice: irritum quoque et inane quicquid scienter vel ignoranter factum fuerit secus ipso iure fore decernimus. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stylo Palatii, nomine et cognomine praedictorum studentium, causarum qualitate et instantia, ac tenore constitutionum et privilegiorum, et illarum forsan constitutionum et aliorum hic exprimi necessariorum, status causarum, tam in prima seu secunda aut ulteriori instantia indecis. pendentium, et alia, quae forsan de verbo ad verbum maiorem expressionem requirant, pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Audiant praefati iudices, citent, procedant, ut petitur, et institiam faciant, praemissis non obstantibus.

Placet. A.

Attestatio notarii de existentia originalis huiusmodi brevis et fide copiae.

§ 3. Extracta fuit praesens copia ex alia, cum suo originali auscultata et collationata, ut a tergo dictae copiae descriptum est, ac sub die quinta iunii, millesimo quingentesimo quinquagesimo, pro magnificis dominis guardianis Imaginis Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe contra rectores et collegiales collegiorum Capranicensis et Nardini etiam a tergo dictae copiae intitulata, et in filsa iurium productorum dicti anni millesimi quingentesimi quinquagesimi reperta, cuius originale etiam a tergo dictae copiae est descriptum fuisse restitutum et consignatum domino Petro de Celano, et cum eadem copia auscultata concordat; in cuius fidem hic me subscripsi manu propria, die decima quarta mensis novembris, millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo. Ioannes Antonius Curtus, Curiae causarum Camerae Apostolicae notarius.

Supplicant pro confirmatione.

§ 4. Ipsi custodes, sub quorum regimine et cura scholares et studentes collegiorum Capranicensis et Nardini huiusmodi reguntur et gubernantur, ut quiete et honeste viverent, iuxta eorumdem collegiorum respective constitutionum formam, dictum rescriptum tunc Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori seu in illius Curia praesentari fecerunt, prout ex suprascripta fide notarii eidem auditori Camerae apparet; cum tamen ipsius rescripti copia, cum illius originali auscultata, non autem originale reperiatur, ne a nimium scrupolosis de ipsius rescripti validitate in futurum dubitari contingat, pro parte eorumdem custodum nobis fuit humiliter supplicatum ut, ad omne dubium prorsus tollendum, quia copia rescripti huiusmodi, sicut praefertur auscultata, fidem faciat mandare, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Concedit Pontifex; § 5. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, per praesentes committimus et mandamus quod supradictae copiae, sic ut praefertur auscultatae, a quibusvis iudicibus ordinariis et extraordinariis seu delegatis et quavis dignitate et auctoritate fungentibus, in iudicio et extra, ubique plena fides adhibeatur, et quae aliter interpretari, cognosci aut terminari non possit neque valeat; quinimmo quicquid per quemvis iudicem, a die concessionis praedicti rescripti, citra, de et super administratione ac rebus dictorum collegiorum vel alias contra formam praedicti rescripti factum fuerit, irritum et nullius roboris vel momenti sit et esse debeat; et nihilominus, potiori pro cautela, dictum rescriptum, quatenus opus sit, eadem auctoritate apostolica per easdem praesentes confirmamus, illudque de novo concedimus.

Derogat contrariis. § 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die vigesima decembris, millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 20 dec. 1558, pontif. anno IV.

XXVII.

Innovatio quarumcumque censurarum et poenarum contra haereticos et schismaticos quomodolibet promulgatarum; et aliarum poenarum impositio in cuiuscumque gradus et dignitatis praelatos et principes, haereticae vel schismaticae pravitatis reos [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Cum ex apostolatus officio, nobis, meritis licet imparibus, divinitus credito, cura dominici gregis nobis immineat generalis, et exinde teneamur, pro fideli illius custodia et salubri directione, more vigilis pastoris, assidue vigilare et attentius providere, ut qui hac aetate, peccatis exigentibus, propriae prudentiae innitentes, scientius [1] et perniciosius solito contra orthodoxae fidei disciplinam insurgunt, et superstitiosis ac fictitiis adinventionibus sacrarum Scripturarum intelligentiam pervertentes, catholicae Ecclesiae unitatem et inconsutilem Domini tunicam scindere moliuntur, ab ovili Christi repellantur, ne magisterium erroris continuent, qui discipuli veritatis esse contemnunt.

§ 1. Nos, considerantes rem huiusmodi adeo gravem et periculosam esse, ut Romanus Pontifex, qui Dei et Domini nostri Iesu Christi vices gerit in terris, et super gentes et regna plenitudinem obtinet potestatis, omnesque iudicat, a nemine in hoc saeculo iudicandus, possit, si deprehendatur a fide devius, redargui; et quod, ubi maius intenditur periculum, ibi est plenius et diligentius consulendum ne pseudoprophetae aut alii etiam saecularem iurisdictionem habentes simplicium animas miserabiliter illaqueent, innumerabilesque populos, eorum in spiritualibus aut temporalibus curae et regimini commissos, secum in perditionem et damnationis interitum trahant, nec aliquando contingat nos abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, in loco sancto videre; cupientes, quantum cum Deo possumus, pro nostro munere pastorali, vulpes, vineam Domini demoliri satagentes, capere, et lupos ab ovilibus arcere, ne canes muti videamur nequeun- *Causa huius constitutionis.*

1 De poenis autem per alios Pontifices in eiusmodi haereticos latis, habes Nicolai III constitutionem IV, Nicolai, tom. IV, pag. 47; Innocentii IV constitutiones XXVI et XXVII, tom. III, pag. 551 et seqq., et const. XXIX, eodem tomo, pag. 561; Alexandri IV constit. XXXVI, ibid, pag. 646, et const. XLVI et seqq., et habes etiam alias aliorum Pontificum constitutiones. 1 *Licentius*, Cherub. et Matth. (R. T.).

tes latrare, et perdamur cum malis agricolis, ac mercenario comparemur.

Confirmat hic Pontifex omnes poenas in haereticos et schismaticos latas,

§ 2. Habita super his cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio et unanimi assensu, omnes et singulas excommunicationis, suspensionis et interdicti ac privationis et quasvis alias sententias, censuras et poenas, a quibusvis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris aut pro talibus habitis, etiam per eorum literas extravagantes, seu sacris conciliis ab Ecclesia Dei receptis, vel sanctorum Patrum decretis et statutis, aut sacris canonibus ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis contra haereticos aut schismaticos quomodolibet latas et promulgatas, apostolica auctoritate approbamus et innovamus, ac perpetuo observari et in viridi observantia, si forsan in ea non sint, reponi et esse debere; necnon quoscumque, qui hactenus a fide catholica deviasse aut in aliquam haeresim incidisse seu schisma incurrisse aut excitasse seu commisisse, deprehensi aut confessi vel convicti fuerint, seu (quod Deus pro sua clementia et in omnes bonitate avertere dignetur) in posterum deviabunt, seu in haeresim incident, aut schisma incurrent vel excitabunt seu committent, et deviasse seu incidisse, aut incurrisse vel excitasse seu commisisse deprehendentur aut confitebuntur seu convincentur, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praeminentiae existant, etiam episcopali, archiepiscopali, patriarchali, primatiali aut alia maiori dignitate ecclesiastica seu cardinalatus honore, et Apostolicae Sedis ubivis locorum, tam perpetuae quam temporalis, legationis munere, vel mundana, etiam comitali, baronali, marchionali, ducali, regia et imperiali auctoritate seu excellentia praefulgeant, et eorum quemlibet sententias, censuras et poenas praedictas incurrere volumus atque decernimus.

Praelatis et principibus a fide deviantibus alias poenas imponit.

§ 3. Et nihilominus, considerantes dignum esse ut qui virtutis amore a malis non abstinent, metu poenarum ab illis deterreantur; et quod episcopi, archiepiscopi, patriarchae, primates, cardinales, legati, comites, barones, marchiones, duces, reges et imperatores, qui alios docere et illis bono exemplo, ut in fide catholica contineantur, esse debent, praevaricando, gravius ceteris peccant, cum non solum seipsos perdant, verum etiam alios innumerabiles populos, eorum curae et regimini creditos seu alias eis subditos, secum in perditionem et puteum interitus trahant, de similibus consilio et assensu, hac nostra in perpetuum valitura constitutione, in odium tanti criminis, quo nullum in Ecclesia Dei maius aut perniciosius esse potest, de apostolicae potestatis plenitudine, sancimus, statuimus, decernimus et definimus quod, sententiis, censuris et poenis praedictis in suo robore et efficacia remanentibus, ac effectum suum sortientibus, omnes et singuli episcopi, archiepiscopi, patriarchae, primates, cardinales, legati, comites, barones, marchiones, duces, reges et imperatores, qui hactenus, ut praefertur, deviasse aut in haeresim incidisse, seu schisma incurrisse, excitasse vel commisisse deprehensi aut confessi vel convicti fuerint, et in posterum deviabunt aut in haeresim incident seu schisma incurrent vel excitabunt aut committent, et deviasse seu in haeresim incidisse vel schisma incurrisse aut excitasse seu commisisse deprehendentur aut confitebuntur seu convincentur, cum in hoc inexcusabiliores ceteris reddantur, ultra sententias, censuras et poenas praedictas, sint etiam eo ipso, absque aliquo iuris aut facti ministerio, suis ordinibus et cathedralibus, etiam metropolitanis, patriarchalibus et primatialibus ecclesiis ac

cardinalatus honore et cuiusvis legationis munere, necnon voce activa et passiva, omnique auctoritate, ac monasteriis, beneficiis et officiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, quae, ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis, in titulum, commendam et administrationem aut alias quomodolibet obtinuerint, et in quibus vel ad quae ius aliquod habuerint, necnon quibusvis fructibus, redditibus et proventibus annuis super similibus fructibus, redditibus et proventibus eis reservatis et assignatis, comitatibus quoque, baroniis, marchionatibus, ducatibus, regnis et imperio penitus et in totum perpetuo privati, et ad illa de cetero inhabiles et incapaces, habeanturque pro relapsis et subversis in omnibus et per omnia, perinde ac si prius haeresim huiusmodi in iudicio publice abiurassent; nec ullo umquam tempore ad eorum pristinum statum aut cathedrales, metropolitanas, patriarchales et primatiales ecclesias, seu cardinalatus vel alium honorem aut quamvis aliam maiorem vel minorem dignitatem, seu vocem activam vel passivam, aut auctoritatem, seu monasteria et beneficia, vel comitatus, baronias, marchionatus, ducatus, regna et imperium restitui, reponi, reintegrari aut rehabilitari possint, quinimmo saecularis relinquantur arbitrio potestatis, animadversione debita puniendi, nisi apparentibus in eis verae poenitentiae indiciis et condignae poenitentiae fructibus, ex ipsius Sedis benignitate et clementia in aliquo monasterio aut alio regulari loco, ad peragendum perpetuam in pane doloris et aqua mestitiae poenitentiam, retrudendi fuerint. Quodque pro talibus ab omnibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae existentibus, ac quacumque, etiam episcopali, archiepiscopali, patriarchali et primatiali aut alia maiori ecclesiastica dignitate, et etiam cardinalatus honore, seu mundana, etiam comitali, baronali, marchionali, ducali, regia et imperiali auctoritate et excellentia pollentibus, haberi, tractari et reputari, et ut tales evitari omnique humanitatis solatio destitui debeant.

Ius patronatus aut nominandi habentes ad beneficia propter haeresim vacantia teneantur infra legitima tempora praesent. alias personas.

§ 4. Et qui ius patronatus aut nominandi personas idoneas ad cathedrales, etiam metropolitanas, et patriarchales ac primatiales ecclesias seu monasteria vel alia beneficia ecclesiastica, per privationem huiusmodi vacantia, habere praetenderint, ne illa diutinae vacationis exponantur incommodis, sed, de servitute haereticorum erepta, personis concedantur idoneis, quae illarum populos in semitas iustitiae fideliter dirigant, teneantur ad ecclesias, monasteria et beneficia huiusmodi alias personas idoneas, infra tempus a iure vel ex eorum concordatis seu compactatis cum dicta Sede initis statutum, nobis seu pro tempore existenti Romano Pontifici praesentare, alioquin, tempore huiusmodi elapso, plena et libera ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum praedictorum dispositio ad nos et Romanum Pontificem praedictum eo ipso pleno iure devolvatur.

Fautoresque haeretic. poenas hic descriptas incurrant.

§ 5. Et insuper qui ipsos sic deprehensos aut confessos vel convictos scienter quomodolibet receptare vel defendere aut eis favere vel credere seu eorum dogmata dogmatizare praesumpserint, sententiam excommunicationis eo ipso incurrant, efficianturque infames, nec voce, persona, scriptis vel nuncio aut procuratore aliquo ad publica seu privata officia aut consilia seu synodum vel concilium, generale vel provinciale, nec conclave cardinalium aut aliquam fidelium congregationem seu electionem alicuius, aut testimonium perhibendum admittantur, nec admitti possint; sint etiam intestabiles, nec ad haereditatis successionem acce-

dant; nullus praeterea cogatur eis super aliquo negotio respondere. Quod si forsan iudices extiterint, eorum sententiae nullam obtineant firmitatem, nec aliquae causae ad eorum audientiam deducantur; et, si fuerint advocati, eorum patrocinium nullatenus recipiatur; si vero tabelliones extiterint, instrumenta confecta per eos nullius sint penitus roboris vel momenti. Et insuper clerici omnibus et singulis ecclesiis, etiam cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus et primatialibus, ac dignitatibus, monasteriis, beneficiis et officiis ecclesiasticis, etiam, ut praefertur, qualificatis, per eos quomodolibet obtentis, et tam ipsi quam laici, etiam, ut praemittitur, qualificati et dignitatibus praedictis praediti, quibuscumque regnis, ducatibus, dominiis, feudis et bonis temporalibus per eos possessis privati existant eo ipso; regnaque, ducatus, dominia, feuda et bona huiusmodi publicentur et publicata sint, efficianturque iuris et proprietatis eorum, qui illa primo occupaverint, si in sinceritate fidei et unitate sanctae Romanae Ecclesiae, ac sub nostra et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium obedientia fuerint.

Praelati et pontifices, quos ante eorum promotionem apparuerit a fide catholica deviasse, eo ipso privati sunt omni auctoritate et officio, et promotio nulla est et nullo pacto convalidari potest.

§ 6. Adiicientes quod si ullo umquam tempore apparuerit aliquem episcopum, etiam pro archiepiscopo seu patriarcha vel primate se gerentem, aut praedictae Romanae Ecclesiae cardinalem, etiam, ut praefertur, legatum, seu etiam Romanum Pontificem, ante eius promotionem vel in cardinalem seu Romanum Pontificem assumptionem, a fide catholica deviasse aut in aliquam haeresim incidisset, promotio seu assumptio de eo, etiam in concordiam et de unanimi omnium cardinalium assensu facta, nulla, irrita et inanis existat, nec per susceptionem muneris, consecrationis, aut subsecutam regiminis et administrationis, possessionem, seu quasi, vel ipsius Romani Pontificis inthronizationem aut adorationem, seu ei praestitam ab omnibus obedientiam, et cuiusvis temporis in praemissis cursum, convaluisse dici aut convalescere possit, nec pro legitima in aliqua sui parte habeatur, nullamque talibus in episcopos seu archiepiscopos vel patriarchas aut primates promotis, seu in cardinales vel Romanum Pontificem assumptis, in spiritualibus vel temporalibus administrandi facultatem tribuisse aut tribuere censeatur, sed omnia et singula per eos quomodolibet dicta, facta, gesta et administrata ac inde secuta quaecumque viribus careant, et nullam prorsus firmitatem nec ius alicui tribuant; sintque ipsi sic promoti et assumpti eo ipso, absque aliqua desuper facienda declaratione, omni dignitate, loco, honore, titulo, auctoritate, officio et potestate privati; liceatque omnibus et singulis sic promotis et assumptis, si a fide antea non deviassent nec haeretici fuissent, neque schisma incurrissent aut excitassent vel commisissent[1].

Subditisque eorum liceat ab obedientia et devotione impune recedere.

§ 7. Subditis personis, tam clericis saecularibus et regularibus quam etiam laicis, necnon cardinalibus, etiam qui electioni ipsius Pontificis antea a fide devii aut haeretici seu schismatici interfuerint, seu alias consenserint, et ei obedientiam praestiterint, eumque adoraverint, ac castellanis, praefectis, capitaneis et officialibus, etiam almae Urbis nostrae et totius Status Ecclesiastici, etiam eisdem sic promotis vel assumptis homagio seu iuramento vel cautione obligatis et obnoxiis, ab ipsorum sic promotorum vel assumptorum obedientia et devotione impune quandocumque recedere, eosque ut magos, ethnicos, publicanos et haeresiarcas evitare; eisdem subditis personis fidelitati et obedientiae futurorum episcoporum, archiepiscoporum, patriarcharum, primatum, cardinalium et Romani Pontificis canonice intrantis nihilominus

1 Matth. addit: *seu schisma incurrisse vel excitasse aut commisisse* (R. T.).

adstrictis remanentibus, et, ad maiorem ipsorum sic promotorum et assumptorum, si eorum regimen et administrationem continuare voluerint, confusionem, contra eosdem sic promotos et assumptos auxilium brachii saecularis implorare; nec propterea[1] ab ipsorum sic promotorum et assumptorum fidelitate et obedientia, praemissorum occasione, recedentes, tamquam tunicae Domini scissores, aliquarum censurarum seu poenarum ultioni subiaceant.

Contrariorum derogatio.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis, indultis et literis apostolicis eisdem episcopis, archiepiscopis, patriarchis, primatibus et cardinalibus ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, seu etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet concessis et etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, ac etiam in corpore iuris clausis, necnon quibusvis capitulis conclavis, etiam iuramento aut confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, et per nos ipsos iuratis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iussio publicandi.

§ 9. Ut autem praesentes literae ad omnium, quorum interest, notitiam deducantur, volumus eas seu earum transumptum (cui, manu notarii publici subscripto et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munito, plenam fidem adhiberi debere decernimus) in basilicae Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariae Apostolicae valvis atque in acie Campi Florae per aliquos ex cursoribus nostris publicari et affigi, earumque copiam inibi affixam dimitti, publicationemque, affixionem et copiae affixae dimissionem huiusmodi sufficere et pro solemni et legitima haberi, nec aliam publicationem requiri aut expectari debere.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, innovationis, sanctionis, statuti, derogationis voluntatum, decretorum infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo nono[1], xv kalendas martii, pontificatus nostri anno IV.

Papae et S. R. E. cardinalium subscriptiones.

✠ Ego PAULUS, catholicae Ecclesiae episcopus.
✠ Ego Io. Bellayus, episcopus Ostiensis.
✠ Ego R., cardinalis de Carpo, episcopus Portuensis.
✠ Ego F., cardinalis Pisanus, episcopus Tusculanus.
✠ Ego Fed., cardinalis Caesius, episcopus Praenestinus.
✠ Ego P., cardinalis episcopus Albanen.
✠
✠ Ego R., cardinalis S. Angeli, maior poenitentiarius.
✠ Ego T., cardinalis Crispus.
✠ Ego Fulvius, cardinalis Perusinus.
✠ Ego Io. Mich., cardinalis Saracenus.
✠ Ego Io., cardinalis S. Vitalis.
✠ Ego Io., cardinalis Puteus.
✠ Ego Hier., cardinalis Imolensis.
✠ Ego B., cardinalis Tranensis.
✠ Ego Diomedes, cardinalis Ariancnsis.
✠ Ego Scipio, cardinalis Pisarum.
✠ Io., cardinalis Beumanus.
✠ Io. Antonius, cardinalis S. Pancratii.
✠ Ego Tha., cardinalis Gaddus.
✠ Ego Virg., cardinalis de Spoleto.

[1] *Propterea tales*, Matth. (R. T.).

[1] *Octavo*, Matth. (R. T.).

✠ Ego F. M., cardinalis Alexandrinus.
✠ Ego Cle. Monilianus, cardinalis Araec.
✠ Ego G. Asc., diaconus cardinalis Cam.
✠ Ego N., cardinalis de Sermoneta.
✠ Ego Ia., cardinalis Sabellus.
✠ Ego Hier., cardinalis S. Georgii.
✠ Ego Inno., cardinalis de Monte.
✠ Ego Aloy., cardinalis Cornelius.
✠ Ego C., cardinalis Carafa.
✠ Ego Alfon., cardinalis Neapolitanus.
✠ Ego Vitellotius, cardinalis Vitellius.
✠ Ego Io. Baptista, cardinalis consiliarius.

(Locus Signi).

Dominus mihi adiutor.

Dat. die 15 februarii 1559, pontif. anno IV.

XXVIII.

Restituit stationem, quae antiquitus habebatur in ecclesia Sanctorum Silvestri et Martini in Montibus de Urbe 1.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Etsi ex iniuncto nobis apostolatus officio singulas orbis ecclesias, quae domus Dei sunt, spiritualibus muneribus ornamus: decorem tamen earum, quae in hac alma Urbe nostra consistunt, eo maiori procuramus affectu, quo saepius ad illas, tamquam ante oculos nostros constitutas, dirigimus nostrae considerationis intuitum.

Fide dignis scripturis eruitur feria V hebdomadae IV Quadrages. stationem in ecclesia Sancti Martini in Montibus fuisse.

§ 1. Sane ex diversis non vulgaribus scripturis accepimus quod antiquitus quinta feria quartae hebdomadae Quadragesimae, qua nostris temporibus statio in ecclesia monasterii monialium S. Silvestri de Urbe, Ordinis Sanctae Clarae, habetur, statio praedicta etiam in ecclesia Sancti Martini in Montibus de eadem Urbe, quae titulus presbyteri cardinalis existit, et apud quam complures Ordinis fratrum Carmelitarum professores, divina inibi celebrantes, ad praesens resident, publice habebatur, diversaeque christifidelibus ipsam ecclesiam S. Martini dicta feria visitantibus concessae dicebantur indulgentiae et peccatorum remissiones.

Restituit Paulus, consuetas elargiens indulgentias.

§ 2. Quamobrem nos, qui, iuxta nostri pastoralis officii debitum, salutem singulorum paterna affectamus charitate, ad hoc etiam excitati per dilectum filium nostrum Diomedem, tituli eiusdem Sancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem de Ariano nuncupatum, qui eidem ecclesiae Sancti Martini in presbyterum cardinalem præest, et illam suis sumptibus et expensis non parum ornavit seu reparavit, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, eandem ecclesiam Sancti Martini praedicta feria visitantibus concessas, ratas et gratas habentes, atque approbantes et innovantes, ac fidelibus praefatis suffragari debere decernentes, apostolica auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus quod de cetero perpetuis futuris temporibus statio huiusmodi etiam in ipsa ecclesia Sancti Martini dicta feria habeatur, itaut eandem ecclesiam feria praedicta visitantes, omnes indulgentias et peccatorum remissiones praedictas consequantur et consequi possint. Nos enim sperantes quod fideles praefati, ut suffragia eorumdem Ss. Silvestri et Martini consequantur in coelis, eorum ecclesias in terris visitare non gravabuntur, eosdem fideles hortamur et in Domino requirimus ut ecclesias ipsas dicta feria devote visitare, et indulgentias ac remissiones praedictas consequi studeant, ut exinde, etiam ipsorum sanctorum precibus adiuti, salutem suam facilius consequi possint. Per hoc autem non intendimus eidem ecclesiae S. Silvestri in aliquo praeiudicare.

Nulli ergo *etc.*

1 Ex Monsignano Bull. Carmelit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, v kalendas martii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 25 februarii 1559, pontif. anno IV.

XXIX.

Revocatio quarumcumque exemptionum concessarum a solutione subsidii triennalis in Statu Ecclesiastico impositi [1].

Paulus Papa IV, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Cupientes indemnitati Camerae Apostolicae, quae, ut omnibus notum est, multo aerae alieno gravata existit, quantum cum Deo possumus, consulere, quae in eius gravamen emanasse comperimus de medio tollere curamus, ut exinde suum, prout decens est et honestum, consequi possit.

Paulus III imposuit subsidium triennale. Sed pluribus personis exemptiones et libertates concessae fuerunt.

§ 1. Nuper sane nobis innotuit quod, licet alias felicis recordationis Paulus Papa III, praedecessor noster, de fratrum suorum, de quo numero tunc eramus, consilio, cunctis impositionibus extraordinariis sublatis, unum unicuique subsidium trecentorum millium scutorum per totam ditionem ecclesiasticam pro triennio solvendum et exigendum imposuerit, et impositio huiusmodi de triennio in triennium successive prorogata et semper exacta fuit, nihilominus exactio huiusmodi, causantibus diversis exceptionibus, libertatibus et immunitatibus a solutione ipsius subsidii, diversis communitatibus et universitatibus ac particularibus personis, necnon civitatibus, terris, oppidis et locis nostri Status Ecclesiastici concessis et factis, diversarum portionum eiusdem subsidii donationibus seu remissionibus, vix ad dimidium summae trecentorum millium scutorum huiusmodi ascendit, ex quo eidem Camerae, quae aliunde non habet unde onera illi in dies incumbentia sufferre possit, et illius creditoribus, qui sua credita ab ipsa recuperare nequeunt, maximum succedit detrimentum.

Eas propterea hic Pontifex revocat;

§ 2. Quapropter praemissis occurrere, et ut tam Camera quam creditores praefati quod suum est consequi possint, providere volentes, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas exemptiones, libertates et immunitates a solutione subsidii huiusmodi, quibusvis communitatibus, universitatibus ac particularibus personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis et praeminentiae existentibus, necnon civitatibus, terris, oppidis et locis dicti Status, sub quocumque, etiam comitali, marchionali, baronali vel ducali aut quovis alio, tam maiori quam inferiori, titulo, vel per aliquem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem regantur et gubernentur, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, sub quocumque [1], etiam comitum, marchionum, ducum et quorumvis aliorum principum seu etiam ipsius Romanae Ecclesiae cardinalium intuitu et contemplatione, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus aut alias quomodolibet concessas et factas, quarumvis ipsius subsidii portionum donationes seu remissiones vel alias gratias, ac quascumque superinde, tam sub plumbo quam in forma brevis, confectas literas, earum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, apostolica auctoritate, tenore praesentium, revocamus, cassamus,

[1] Hoc subsidium imposuit Paulus III sup. in eius constitutione XLIX, *Decens*, pag. 365.

[1] Cherub. supplet sequentia: *titulo vel colore, ex quibusvis, quantumcumque urgentissimis causis, et quorumvis etc.* (R. T.).

irritamus et annullamus, ac viribus penitus evacuamus, necnon pro revocatis, cassis, irritis et nullis ac viribus penitus et omnino vacuis haberi et nemini superinde suffragari posse volumus, Cameramque ipsam adversus exemptiones, libertates, immunitates, donationes et remissiones praedictas ad pristinum et eum, in quo, antequam illae emanarent, quomodolibet erat, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegratam esse decernimus, in omnibus et per omnia, ac si exemptiones, libertates, immunitates, donationes, remissiones et gratiae huiusmodi numquam emanassent.

Et subsidium ab omnibus exigi mandat.

§ 3. Mandantes thesaurariis provinciarum, civitatum, terrarum et locorum ditionis et Status praedictorum ac quibusvis aliis ipsius subsidii exactoribus ac ceteris ad quos spectat, ut subsidium praedictum, iuxta illius impositionis continentiam et tenorem, a communitatibus, universitatibus, personis, civitatibus, terris, oppidis et locis huiusmodi integre exigant et exigi curent et faciant.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv aprilis, millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 aprilis 1559, pont. an. IV.

XXX.

Quod habentes indulta utendi altari portatili nequeant illo uti, nisi in loco ab ordinario sive eius vicario approbando [1].

Paulus Papa IV, ad futuram rei memoriam.

Proemium.

Æqua Romani Pontificis provisio in concedendis gratiis eo debet dirigi affectu quo illis, quibus concessae fuerint, ita solatio perveniant, ut aliis per hoc scandali materia non praestetur.

Altaris portatilis privilegia abutentes aliqui illud in loco minus decenti collocabant.

§ 1. Nuper siquidem nobis innotuit quod, cum christifidelibus, praesertim nobilibus vel graduatis, a Sede Apostolica indulgeri soleat ut liceat eis habere altare portatile cum debitis reverentia et honore, super quo, in locis ad hoc congruentibus et honestis, possint per se ipsos, si presbyteri existant, aut per proprium vel alium sacerdotem idoneum missam celebrare seu celebrari facere, saepius contingit ut ipsi christifideles missam eamdem in loco minus congruenti ac honesto celebrent aut celebrari faciant, cum modica ministerii altaris, et, qui in eo immolatur, Domini nostri Iesu Christi reverentia, ac maximo aliorum christifidelium id videntium aut audientium scandalo.

Locum itaque ab ordinario vel eius vicario deputari iubet.

§ 2. Quamobrem inconvenientibus huiusmodi occurrere et neminem sibi concesso indulto frustrari volentes, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, eum solum, quoad hoc, congruentem et honestum locum censeri volumus, qui arbitrio ordinarii seu eius vicarii in spiritualibus generalis pro congruenti et honesto habitus et reputatus fuerit.

Secus agentes excommun. ferit.

§ 3. Omnibus et singulis utriusque sexus personis simile indultum habentibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, nobilitatis praeeminentiae existant, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena districtius inhibentes ne, praetextu cuiusvis indulti eis a dicta Sede hactenus concessi, aut in posterum concedendi, in aliquo loco, qui arbitrio ordinarii seu vicarii praedicti pro congruenti et honesto habitus et reputatus non fuerit, celebrare aut celebrari facere non praesumant.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac indultis praedictis contrariis quibuscumque.

[1] Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX maii MDLIX, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 maii 1559, pontif. anno IV.

XXXI.

Erectio ecclesiarum Cameracensis, Ultraiectinae et Mechliniensis in archiepiscopatus et metropolitanas, necnon aliarum ecclesiarum in Belgio in cathedrales episcopatusque supradictis suffraganeos [1].

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. Super universas orbis ecclesias, Eo disponente qui cunctis imperat et cui omnia obediunt, sine nostris meritis, constituti, levamus in circuitu agri dominici oculos nostrae mentis, more pervigilis pastoris inspecturi quid provinciarum et locorum quorumlibet statui et decori, quidve illorum incolarum animarum saluti congruat, ac desuper, hoc praesertim tempore, quo humani generis hostis omni conatu ad ipsarum animarum perniciem et fidei catholicae eversionem incumbit, disponi debeat; et divino fulti praesidio, dignum quin potius debitum arbitramur, in irriguo militantis Ecclesiae agro novas archiepiscopales et episcopales sedes et ecclesias plantare, ut per huiusmodi novas plantationes popularis augeatur devotio, divinus cultus effloreat, et animarum ipsarum salus subsequatur, ac loca insignia, ea praesertim quorum incolae, benedicente Domino, multiplicari noscuntur, dignioribus titulis et condignis favoribus illustrentur, ut, propagatione novarum sedium, venerabiliumque praesulum assistentia, regimine et doctrina suffulti, cum apostolicae auctoritatis amplitudine et orthodoxae fidei augmento, populi ipsi proficiant semper in Domino, et quod in temporalibus sunt adepti, non careant in spiritualibus incremento, praesertim cum id catholicorum regum et principum exposcat devotio.

Causae erigendarum ecclesiarum de quibus in rubrica. § 1. Cum itaque mentis nostrae aciem convertissemus in eam inferioris Germaniae partem, quae charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici ditioni haereditario iure subiecta est, scientes messem quidem ibi multam esse, operarios autem paucos; propter quod, cum ea regio antiquitus, erectionis cathedralium ecclesiarum suarum tempore, sparsim et infrequenter admodum habitaretur, a tot iam tantisque populis et gentibus incolitur ut, pro oppidorum celeberrimorum, quibus utique referta est, frequentia, et castellorum pagorumque multitudine, paucae admodum ibi sint ecclesiae cathedrales, quo fit ut tam pauci episcopi non ea, qua opus esset, diligentia, tantam animarum multitudinem regere possint: quod quibusdam eorum hoc etiam est difficilius, quod ipsorum dioecesani linguae idiomate, institutisque differant, et quidam eorum etiam eiusmodi privilegia habeant, ut ipsos ad Sedem episcopalem non liceat evocare: ita ut nec fidei doctrina et pie vivendi praeceptis commode instrui, nec, si quid deliquerint, facile corrigi ab episcopis suis possint.

Causae quoque erigendae metropoleos. § 2. Ad ipsos vero episcopos visitandos, admonendos et in officio continendos ne una quidem in tota illa tam celebri et tam longe lateque patente regione ecclesia est metropolitana: sed illae, quibus subiectae sunt, extra fines ipsius Philippi regis sunt, earumque archiepiscopi, propter multa et varia impedimenta, nulli suffraganeis suis usui iampridem fuerunt.

Aliae recensentur causae ex situatione regionis deductae. § 3. Ad quae tanta incommoda cum hoc quoque accedat, quod, cum ea regio omni fere ex parte cincta sit et obsessa a populis haereticis atque schismaticis, propter assiduas haereticorum insidias, dolos et fraudes pestiferasque doctrinas, catholica illic fides et animarum salus in maximo discrimine ac periculo versantur.

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

His de causis et accedentibus precibus Philippi II Hispaniorum regis, novas cathedrales et metropolitanas ecclesias erigere statuit Paulus.

§ 4. His causis aliisque, quae animum nostrum impulerunt, adducti, precibus etiam annuere volentes tamque pio desiderio satisfacere ipsius Philippi regis, qui, pro sua pietate et catholicae fidei studio, hac de re nobiscum et saepe ac perquam diligenter per literas et nuncios egit, habita, sicut rei magnitudo postulabat, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, tam graviter periclitanti in illis partibus fidei orthodoxae et animarum saluti aptissimum esse remedium duximus, si veterum ecclesiarum in illa regione positarum dioeceses, commodioris regiminis causa, divideremus, novisque erectis cathedralibus ecclesiis eiusmodi praeficerentur episcopi, qui tum exemplo tum verbo commissas sibi oves pascant, et proborum eorumdemque doctorum virorum copia muniti, idoneorumque opera ministrorum adiuti, illas adversus insidiantium [1] luporum rabiem tueantur atque custodiant, et metropolitanae aliquot ecclesiae opportunis eius regionis locis erigantur, ad quas commode adiri possit; quibus, qui praefuturi sunt, suffraganeos suos in officio contineant.

Itaque ecclesias, civitates et dioeceses hic nominatas eximit a iure metropolitico Remensis et Coloniensis ecclesiarum;

§ 5. Ex certa igitur nostra scientia, de eorumdem fratrum nostrorum consilio, ac de apostolicae plenitudine potestatis, ad Dei omnipotentis honorem et sanctae ipsius Ecclesiae utilitatem, Cameracensem, Traiectensem [2], Atrebatensem et Tornacensem ecclesias, civitates atque dioeceses a Remensi Coloniensique provinciis, quibus sunt metrop. iure subiectae.

Oppida vero a latere recensita a iure suarum respective ecclesiarum

§ 6. Ac Mechliniense, Antuerpiense, Harsemense, Daventrieuse, Levvardiense, Gruningense [3], Middelburgense, Buscoducense, Ruremundense, Namurcense, Audomarense, Iprense, Gandavense et Brugense, celeberrima Cameracensis, Traiectensis, Leodiensis, Morinensis et Tornacensis dioecesum oppida, a sua quodque [1] eorum dioecesi et provincia.

Separatio partis dioecesum praenomin pro constituen. dioecesibus novorum episcopatuum.

§ 7. Praeterea ab ecclesia Cameracensi, quam nuper ab omni potestate et iurisdictione Remensis archiepiscopi, cuius suffraganea erat, liberavimus, eam ipsius dioecesis Cameracensis partem, quae in Brabantiae ducatu et Flandriae comitatu existit; itemque ab ecclesia dioecesique Leodiensi eam ipsius dioecesis Leodiensis partem, quae est in Namurcensi et Hormensi [2] comitatibus ac Brabantiae et Gheldriae [3] ducatibus ditionis ipsius Philippi regis; itemque ab ecclesia et dioecesi Tornacensi eam partem ipsius dioecesis Tornacensis, quae a Roesbeke [4] pago et Audenardo [5] oppido ad oceanum vergit, ipsis pago et oppido inclusis; itemque ab ecclesia et dioecesi Traiectensi eam partem ipsius dioecesis Traiectensis, quae in Flandriae comitatu existit, et insulas Zelandiae ac totam Hollandiam aquaticam et partem illam [6] Hollandiae, quae firmior appellatur, usque ad oppida Leidense [7] exclusive et Amstelredamense [8] inclusive, ac insulas Ulietlant et Texel ac Wieringeuse, et totam regionem Transisellaniam ac Gruningiam [9] et Phrisiam, cum magna parte ducatus Gheldriae, quae inferior appellatur, usque ad Harder Wicum et Sherembergensem oppida [10] inclusive et usque ad Arnhem et Wageningensem [11] oppida, ipsis tamen exclusis, necnon partes quas [12] habet ultra Valciam [13] flumen, ad ipsum Gheldriae ducatum pertinentes, et magnam aquam Tornacensem [14] versus Brabantiam; a dilectis

1 Raynaldus, *insidentium*. 2 Editio Luxemburgensis, *Ultraiectensem*. 3 Ray., *Horlemense*, *Daventriense*, *Lenuardiense*, *Grunnigense*; Ed. Lux., *Harlemense*, *Daventriense*, *Leovardiense*, *Groeningense* (R. T.).

1 Ray., *a sua quoque*; Ed. Lux., *a suo quoque*. 2 Ead. Ed., *Hortensi*. 3 Ray., *Gueldriae*; Ed. Lux., *Geldriae*. 4 Ray., *Boesbeliae*. 5 Ed. Lux., *Aldenardo*. 6 Ead. Ed., *illius*. 7 Ray., *oppidum Leydense*. 8 Ray. et Ed. Lux., *Amstelodamense*. 9 Ray., *insulae Uhelant et Texel ac Wirigens et totam regionem Transiselanam ac Gruningiam*; Ed. Lux., *insulas Ulielant et Texel ac Wiering et totam regionem Transisalanae ac Gruningen*. 10 Ray., *Narderuvicum et Shembiergensi oppido*; Ed. Lux., *Hardevicum et Schernbergum oppido*; 11 Ray., *Vagemigense*; Ed. Lux., *Wageninge*. 12 Ead. Ed., *quasdam*. 13 Ray., *Waiayam*; Ed. Lux., *Wahalin*. 14 Ray. et Ed. Lux., *Dordrocensem* (R. T.).

autem filiis capitulo ipsius ecclesiae Traiectensis seu illius mensa capitulari omnem iurisdictionem omniaque iura episcopalia ipsius capituli, quae habet in regione Westphrisia vocata; ab Osnaburgensi[1] vero et Monasteriensi ac Coloniensi et Paderbornensi ecclesiis ac dioecesibus, et a Coloniensi provincia eas partes Osnaburgensis et Monasteriensis ac Coloniensis et Paderbornensis dioecesum, quae intra fines regis Philippi existunt, cum omnibus et singulis earum terminis et territoriis, ac cleris, populis et personis, monasteriis, ecclesiis ac piis locis ac beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus et Ordinum quorumcumque regularibus; ab ipsa autem ecclesia Morinensi, per obitum bonae memoriae[2] Francisci de Crequy, olim episcopi Morinensis, ab hinc circiter septennium defuncti, pastoris solatio destituta, eam partem ipsius dioecesis Morinensis, quae in Arthesiae et Flandriae comitatibus existit, ditionis ipsius Philippi regis, cum ipsius terminis, territorio, castellis, pagis et locis, clero, populo ac personis, monasteriis, ecclesiis et piis locis ac beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus aut Ordinum quorumcumque regularibus; fructusque, redditus, proventus, decimas, iura et emolumenta, quae episcopus Morinensis, iura quoque, quae archiepiscopus Rhemensis, in parte dioecesis Morinensis, ac terminis, territorio, castellis, pagis et locis praedictis, seu ratione visitationis aut quovis alio iure et causa, percipere consueverunt, a mensa archiepiscopali Rhemensi et episcopali Morinensi, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo eximimus, segregamus, dirimimus et separamus, ac ab omni iurisdictione, potestate et subiectione Rhemensis et Coloniensis archiepiscoporum, et Cameracensis, Traiectensis, Leodiensis, Morinensis, Tornacensis, Osnaburgensis, Monasteriensis et Paderbornensis episcoporum pro tempore existentium, ac dilectorum filiorum capitulorum Rhemensis, Coloniensis, Cameracensis, Traiectensis, Leodiensis, Morinensis, Tornacensis, Osnaburgensis, Monasteriensis et Paderbornensis ecclesiarum, atque a solutione decimarum et quorumvis aliorum iurium eisdem archiepiscopis, episcopis et capitulis ac cleris et aliis praedictis, ratione iurisdictionis, subiectionis ac legis dioecesanae et metropoliticae debitorum, ita ut, posthac, episcopus Morinensis iurisdictionem aliquam in partem a dioecesi separatam, et illius territorium, castella, pagos et loca ac clerum, populum et personas ac monasteria, ecclesias et pia loca ac beneficia exercere, et beneficia sub hac separatione ac divisione comprehensa, quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint, quae ad eius collationem antea pertinebant, conferre, seu fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta ab eo in parte a[1] dioecesi separata terminis, territorio, castellis, pagis et locis praedictis, subventionis causa aut alia qualibet ratione percipi solita, et episcopus Morinensis atque archiepiscopus Rhemensis praedicti in parte dioecesis ipsius adempta, ac terminis, territoriis, castellis, pagis ac locis praefatis de iis, quae ad eos, ratione visitationis episcoporum et legis dioecesanae ac metropoliticae, pertinebant, intromittere se nullo pacto possint, eximimus et omnino liberamus.

§ 8. Cameracensem vero et collegiatam Sancti Rumoldi oppidi Mechliniensis et Traiectensem[2] ecclesias in metropolitanas, ac Cameracensem et Traiectensem[3] sedes episcopales, in archiepiscopales, easque et ipsam ecclesiam Sancti Rumoldi metropolitanorum praesulum sedes ac provinciarum capita, scientia, consilio et potestatis plenitudine similibus, auctoritate et

Cameracensis et Traiectensis ecclesiae eriguntur in archiepiscop. et metropolitanas

[1] Ray. et Ed. Lux., *Osnabrugensi*. [2] Ead. Ed., *comitis* loco *bonae memoriae* (R. T.).

[1] Ray., *et*. [2] Ed. Lux., *Traiectensem ad Mosam*. [3] Ead. Ed., *Traiectensem ad Rhenum* (R. T.).

tenore praemissis, etiam erigimus et instituimus.

Utrique assignata dioecesis. § 9. Ex quibus archiepiscopis nuncupandis, Cameracensis quidem pro sua dioecesi habeat vigintiocto oppida, cum castellis, pagis et monasteriis interiacentibus intra spatium septuagintaduorum millium passuum italicorum in longitudinem, sexaginta [1] vero in latitudinem, per nuncium nostrum, propediem a nobis illud [2] mittendum, limitanda. Traiectensis autem pro sua dioecesi obtineat territorium Traiectense et maioris partis Hollandiae, magnaeque partis Gheldriae, cum dominiis de Bueren, de Culemburch, de Viariense, Ermeiidem [3], Iseilstein, triginta oppidorum, praeter pagos, in longitudinem nonaginta, in latitudinem quadraginta millium passuum similium terminanda, ut dictum est.

Archiepiscopis pallii et crucis usus datus. § 10. Iisdem autem duobus et tertio Mechliniensi nuncupandis archiepiscopis pallium et crucem, sicut mos est, deferendi, reliquisque omnibus insigniis, honoribus, ornamentis, privilegiis et praerogativis ecclesiarum ac sedium metropolitanarum utendi ius et potestatem concedimus.

Oppida in civitates erecta et ecclesiae collegiatae in cathedrales. § 11. Mechliniense autem, Antuerpiense, Harlemense, Daventriense, Lewardiense, Gruningense, Buscoducense, Ruremundense, Namurcense, Audomarense, Iprense, Gandavense, Middelburgense et Brugense oppida in civitates erigimus, ac in eis sic erectis ecclesias Sancti Albani Namurcensem, Sancti Audomari eiusdem civitatis Sancti Audomari, B. M. V. Antuerpiensem, Sancti Ioannis Gandavensem, Sancti Donatiani Brugensem, Sancti Lebuini Daventriensem, Sancti Ioannis Evangelistae Buscoducensem et Sancti Spiritus Ruremundensem collegiatas, ac Sancti Bavonis Harlemensem, Sancti Viti Lewardiensem et Sancti Martini Gruningensem parochiales, necnon Beatae Mariae Praemonstratensem, Middelburgensem, monasterii Sancti Martini, Sancti Augustini canonicorum regularium Ordinum, Ipreusem, sub eisdem invocationibus, in cathedrales, scientia, consilio, potestate ac auctoritate et tenore praemissis, erigimus, pro cuiusque earum civitatum creandis episcopis, qui suae quisque praesint earumque aedificia augeant et in cathedralium ecclesiarum formam redigant, ac iurisdictionem episcopalem aliaque omnia et singula, quae ad ordinem et iurisdictionem ac munus episcopale pertinent, in civitatibus, oppidis, terminis, territoriis, insulis, finibus et partibus dioecesum divisarum, postquam terminata fuerint, respective exerceant, atque in eisdem metropolitanis archiepiscopales, in cathedralibus vero sic erectis ecclesiis episcopales dignitates, cum sedibus et mensis archiepiscopalibus ac episcopalibus, aliisque metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum insigniis, mensis, arcis [1], sigillis aliisque capitularibus insigniis, honoribus et privilegiis, quibus ceterae metropolitanae et cathedrales ecclesiae de iure vel consuetudine utuntur vel uti poterunt, similiter erigimus ac instituimus.

§ 12. Ecclesiis vero supra commemoratis, sic in cathedrales erectis, eisdemque civitatibus in perpetuum concedimus et assignamus pro suis dioecesibus: Namurcensi comitatum Namurcensem et Gallicae Brabantiae partem, longitudinis quadraginta, latitudinis triginta millium passuum italicorum; Audomarensi districtum decem oppida continentem, longitudinis quadragintaduorum, latitudinis trigintanovem millium passuum similium; Mechliniensi districtum decem et septem oppidorum, cum pagis interiacentibus, longitudinis sexagintanovem, latitudinis triginta millium passuum similium; Antuerpiensi territorium septem oppidorum, cum pagis interiacentibus, longitudinis quinquagintasex, latitudinis triginta millium passuum Ecclesiis sic erectis assignatae dioeceses.

1 Ray., *septuaginta*. 2 Ed. Lux., *illuc*. 3 Ray., *de Culemburch, de Vianen, Ermeyden*; Ed. Lux., *de Cuylemburg, de Vianen, Armuyden* (R. T.).

1 Ed. Lux., *arcis* (R. T.).

similium; Gandavensi territorium quatuor oppidorum, cum pagis interiacentibus, longitudinis quadragintasex, latitudinis vigintiquatuor millium passuum similium; Brugensi territorium novem oppidorum, cum pagis interiacentibus, longitudinis quinquagintaquatuor [1], latitudinis vigintiquinque millium passuum similium; Iprensi territorium decem oppidorum, cum interiacentibus pagis, longitudinis quadraginta duorum, latitudinis trigintatrium [2] millium passuum similium; Buscoducensi territorium decem oppidorum, cum interiacentibus pagis, longitudinis sexaginta [3], latitudinis triginta millium passuum similium; Ruremundensi territorium decem oppidorum, cum pagis interiacentibus, longitudinis quinquaginta, latitudinis triginta millium passuum similium, comitatu Hornensi in eis comprehenso; Harlemensi territorium duodecim oppidorum, praeter pagos interiacentes, longitudinis nonaginta, latitudinis triginta millium passuum similium; Daventriensi territorium vigintiquinque oppidorum, praeter pagos interiacentes, longitudinis sexagintaduorum, latitudinis quadragintasex millium passuum similium; Lewardiensi territorium decem oppidorum, praeter pagos interiacentes, longitudinis septuagintaduorum, latitudinis quadraginta [4] millium passuum similium; Gruningensi territorium Patriae Gruningensis et Drentiae, ac insularum Rolluge et Borchim [5]; Middelburgensi territorium decem oppidorum, praeter pagos adiacentes, longitudinis quinquagintasex, latitudinis trigintatrium [6] millium passuum similium, pro sua cuiuscumque eorum episcoporum dioecesi, sicut dictum est, assignanda; personas vero ecclesiasticas pro cleris, et laicos in illis habitantes pro populis eorumdem.

Archiepiscopalibus attribu-

§ 13. Praeterea Cameracensi Attrebatensem, Tornacensem, Audomarensem et Namurcensem; Mechliniensi vero Antuerpiensem, Gandavensem, Brugensem, Iprensem, Buscoducensem et Ruremundensem; Traiectensi autem ecclesiis praedictis Harlemensem, Daventriensem, Lewardiensem, Gruningensem et Middelburgensem civitates dioecesesque praedictas, eisdem scientia, consilio et potestatis plenitudine, ac auctoritate apostolica, tenore praesentium, attribuimus, et pro cuiuscumque ipsarum metropolitanis provinciis esse statuimus; ipsasque sic erectas cathedrales ecclesias, eosque, qui pro tempore fuerint ipsarum episcopi pro suffraganeis eorum, qui pro tempore fuerint Cameraci, Mechliniae et Traiecti archiepiscopi, qui suffraganei, ut membra capiti, sic eisdem archiepiscopis metropolitico iure subiecti sint; et Cameracensis, Mechliniensis et Traiectensis, Protensis [1] provinciarum cleros et populos pro suis cuiusque ecclesiarum provincialibus, quorum singulorum causae ad suum cuiusque eorum archiepiscopum, secundum sacros canones, deferantur, perpetuo similiter concedimus et assignamus. Et quod ad archiepiscopalia, metropolitica et provincialia iura pertinet, civitates, dioeceses, cleros et populos saepius commemoratos eisdem praesulibus, qui pro tempore fuerint, subiicimus, sicut easdem civitates, dioeceses, cleros et populos, quod ad ordinariam episcopalem iurisdictionem et potestatem attinet, suis quoquo ipsorum, qui pro tempore fuerint, episcopis subiectos esse decernimus.

tae ecclesiae suffraganeo.

Dos archiepiscopatui Mechliniensi et novis erectis ecclesiis a Philippo rege assignanda.

§ 14. Archiepiscopali vero Mechliniensi quinque millium, et cuilibet ex episcopalibus mensis huiusmodi trium millium ducatorum auri de Camera annuos redditus ex certis decimis et bonis ac fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis, per dictum nuncium specificandis et repartiendis, ex nunc, prout ex tunc et e contra, postquam specificati et repartiti fuerint; ac interim donec specificatio et

1 Ed. Lux., *quadragintaquatuor*. 2 Ray., *triginta*. 3 Id., *quinquaginta*. 4 Ray., *quadraginta duorum*. 5 Ed. Lux., *Rollinghe et Borchum*. 6 Ead. Ed., *triginta* (R. T.).

1 Ed. cit. omittit *Protensis* (R. T.).

repartitio huiusmodi factae, ac effectum sortitae sint, et non ultra, Mechliniensi trium millium, ac cuilibet ex episcopalibus mensis praedictis mille et quingentorum ducatorum similium annuos redditus, per ipsum Philippum regem ex redditibus et proventibus, quos ex dicta regione percipit, assignandos, et archiepiscopo Mechliniensi ac singulis episcopis praefatis pro tempore existentibus, singulis annis, quousque specificatio et repartitio praedictae, ac pro ea tantum parte, quae plenarium suum effectum minus sortita fuerit, et non ultra, integre ac proportionabiliter persolvendos pro earum dote, de pari consilio, eadem auctoritate, etiam perpetuo applicamus et appropriamus.

Eidem regi eiusque successoribus ius nominationis ad dictas ecclesias.

§ 15. Eidem autem Philippo regi eiusque successoribus, qui pro tempore eiusdem regionis in temporalibus domini extiterint, ius nominandi personas idoneas in theologia magistros, aut in decretis doctores seu licentiatos, nobilium universitatum more, diligenti examine praecedente, promotos, ad Mechliniensem, Antuerpiensem, Traiectensem, Attrebatensem, Tornacensem, Harlemensem, Daventriensem, Lewardiensem, Gruningensem, Middelburgensem, Buscoducensem, Ruremundensem, Namurcensem, Audomarensem, Iprensem, Gandavensem et Brugensem ecclesias praedictas, tam hac prima vice quam quotiescumque illas pro tempore vacare contigerit, nobis et Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, per nos et eumdem Pontificem in archiepiscopos et episcopos earum ad nominationem huiusmodi instituendos, de eodem consilio, scientia et auctoritate praemissis, in perpetuum reservamus atque concedimus.

Clausula irritans.

§ 16. Ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 17. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac praedictarum et quarumvis aliarum ecclesiarum, necnon monasteriorum et Ordinum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, ecclesiis, monasteriis, Ordinibus, archiepiscopis, episcopis, capitulis et aliis praefatis ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia ac consistorialiter concessis, ac etiam iteratis vicibus confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter et expresse derogamus, illaque adversus praemissa suffragari nullo modo posse seu debere decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Poenae contra temeratores huiusce constitutionis.

§ 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum exemptionis, segregationis, divisionis, separationis, liberationis, erectionum, institutionum, concessionum, assignationum, attributionis, statuti, subiectionis, decretorum, applicationis, appropriationis, reservationis et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem om-

nipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimonono, quarto idus maii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 12 maii 1559, pontif. anno IV.

XXXII.

Archiepiscopi et episcopi cuiuscumque Ordinis professores, ad claustra suorum Ordinum redeuntes, ad eius officia et dignitates assumi non possint.

Paulus Papa IV, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In Sacra B. Petri Sede, meritis licet imparibus, divina dispositione collocati, ad ea per quae sub Religionis iugo Domino famulantium quieti consulitur et ambitionis via praecluditur, diligenter intendimus, et in his nostri pastoralis officii partes favorabiliter impartimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Causa istius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis innotuit, nonnulli episcopi et archiepiscopi diversorum Ordinum professores, dignitates et officia, etiam superioritates nuncupata, suorum Ordinum ambientes, ad hoc ut ad illa assumi eaque obtinere valerent, ab eorum ecclesiis, quibus præerant, etiam munere consecrationis per eos suscepto, per Sedem Apostolicam absolvi procuraverint, et ad claustra suorum Ordinum redeuntes, se ad dignitates et officia ac superioritates huiusmodi diversis modis et viis assumi eaque consequi sategerint, et exinde quamplures dissensiones et contentiones ac Religionis inobedientiae exortae fuerint et in dies exoriantur, in animarum suarum periculum et dictorum Ordinum opprobrium ac scandalum plurimorum.

Archiepiscopi et episcopi redeuntes ad claustra suorum Ordinum ad officia assumi non possint.

§ 2. Nos, praemissis, prout ex debito pastoralis officii tenemur, providere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia volumus, et apostolica auctoritate statuimus et ordinamus quod nullus cuiusvis Ordinis seu Religionis professor, episcopus seu archiepiscopus, postquam munus consecrationis huiusmodi susceperit (etiam si a vinculo ecclesiae, cui praefuerat, per Sedem eamdem absolutus, eique quod in suo Ordine remanere et ad dignitates ac officia et superioritates huiusmodi assumi, eaque obtinere posset per Sedem eamdem seu illius auctoritate concessum foret), ad dignitates aut officia seu superioritates huiusmodi, cuiuscumque qualitatis existant et quovis nomine nuncupentur, eligi seu assequi aut obtinere nullatenus possit, et ineligibilis ac ad ea obtinenda perpetuo inhabilis existat.

Dispensationes desuper concessae annullantur.

§ 3. Ac quaevis indulta, concessiones, dispensationes et facultates ac aliae gratiæ ei, tam a nobis et Sede praedicta, etiam per literas apostolicas, etiam in forma brevis, vel alias ab eius legatis seu nunciis aut maiori poenitentiario nostro, quam a superioribus dictorum Ordinum ac quibusvis aliis, etiam ad id potestatem et auctoritatem habentibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibuscumque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu et scientia similibus et desuper hactenus concessa et in posterum concedenda, nulla et invalida, nulliusque roboris vel momenti sint et esse censeantur.

Eligentes eos ad officia eriguntur, iure eligendi ac voce activa et passiva privantur.

§ 4. Et si quis eum de cetero ad dignitates seu officia aut superioritates huiusmodi scienter elegerit, iure eligendi perpetuo careat, ac voce activa et passiva eo ipso privatus existat. Revocantes, cassantes et annullantes omnia et singula indulta, concessiones, dispensationes, facultates et gratias huiusmodi, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, prae-

sentibus haberi volumus pro expressis; ac decernentes irritum *etc.*

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictorum Ordinum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis episcopis et archiepiscopis praedictis ac quibusvis alias concessis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem et dicta auctoritate decernimus quod praesentium literarum transumptis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius curiae ecclesiasticae seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX iulii, pontificatus nostri anno V.

Publicatio.

Die XXII iulii MDLIX retroscriptae literae apostolicae in forma brevis affixae et publicatae fuerunt in valvis Cancellariae Apostolicae ac acie Campi Florae, dimissis copiis affixis per me Medardum Nicolaum, SS. D. N. Papae cursorem.

Nicolaus de Matthaeis, magister cursorem.

Dat. die 19 iulii 1559, pontif. anno V.

FINIS TOMI SEXTI

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM

NUMERUS PAGINAM INDICAT. — *a* PRIMAM COLUMNAM — *b* SECUNDAM DESIGNANT.

A

Abbatis S. Antonii conventus privilegia. *V.* Antonii (S.) conventus.

Advocati consistoriales. *V.* Collegium advocatorum.

Ægidius cardinalis in variis provinciis Status Ecclesiastici legatus, 263 *a*; plures edidit, pro illarum bono regimine, constitutiones, quae ab eius nomine Ægidianae nuncupantur, *ibid.*; ad totum Statum extenduntur, *ibid. b*.

Agricultura in territorio Urbis et patrimonii B. Petri. *V.* Patrimonium B. Petri.

Alcantara et Calatrava (de) milites obtinent a Paulo III facultatem matrimonia contrahendi 299 *a* et *seq*. Capitula eorum generalia novas constitutiones edere queunt, 300 *b*. Militibus omnia privilegia militiae S. Iacobi de Spatha communicantur, *ibid*. *V.* Calatrava *et* Milites.

Aleatorium forum, vulgo *barattaria*, vetatur. *V.* Blasphemia.

Altaris portatilis privilegium habentes interdum in loco minus decenti illud collocant, 558 *b*. Paulus IV idcirco praescribit ab ordinario vel eius vicario locum deputari, *ibid*. Privilegio in posterum abutentes excommunicantur, *ibid*.

Ambitus crimen, tam inferiores quam supremas dignitates spectans, grave peccatum est, cum illae a Deo procedere debeant, 545 *a*. Quod crimen gravissime punitur etiam iure divino, *ibid. b*.

Anathematizatio haereticorum. *V.* Excommunicati.

Anconitana Marchia. *V.* Marchia Anconitana.

Angelos Deus pro salute hominum destinavit, 26 *b*.

Annatae beneficiales. *V.* Beneficia, Beneficiati *et* Camera Apostolica.

Antonii (S.) conventus, Viennensis dioecesis, Ordinis S. Augustini, privilegiis decoratus, et praesertim quaestuandi pro hospitum subventione, 39 *a*. Gratiae huius Ordinis durant etiamsi aliorum suspendantur, *ibid. b*. Haec Religio eximitur ab impositionibus, legataque recipere potest, *ibid*. Supplicationes gratiam vel iustitiam

concernentes, in negotiis et causis eius Ordinis, nonnisi certa data forma expediri possunt, 44 *a*. Beneficia Ordinis, eius tantum religiosis conferuntur, *ibid.* Cappellae, oratoria et omnia pia loca, sub invocatione S. Antonii erecta, abbati huius conventus subiiciuntur, *ibid b*. Eleemosynas nolis sonantibus colligere, et nolas animalibus appendere huic Ordini tantum conceditur, 45 *a*. Uniones et suppressiones beneficiorum dicti Ordinis vetantur, *ibid. b*.

Antoninus (S.), archiepiscopus Florentinus, Ordinis fratrum Praedicatorum, virginitatem infans vovet et servat, 30 *b*; ieiunia et studia frequentat, 31 *a*; Religionem S. Dominici, anno suae aetatis XIII, ingredi petit, *ibid.*; repulsus, ad domum paternam redit, et anni spatio integrum decretorum librum memoriae mandat, *ibid. b*; habitum Religionis obtinet, in qua multum proficit, quamque reformat, *ibid.* et *seq.*; orationibus, vigiliis, ieiuniis et praedicationibus vacat, 32 *a*; ab Eugenio IV archiepiscopus Florentinus creatur, *ibid. b*; opera pietatis exercet, 33 *a*; annum agens septuagesimum, in Domino obdormit, 34 *a*; miraculis claret, *ibid. b*; sanctorum confessorum numero adscribitur, eiusque festum statuitur ab Hadriano VI, 35 *b* et *seq.* Quo mortuo, litteras de canonizatione non expeditas Clemens VII expedit, 37 *b*.

Apostatae. *V.* Regulares.

Apostoli sancti, divinae legis promulgatores et praedicatores, Dei verbum in omnem terram diffuderunt, 18 *a*.

Appellationes non admittuntur nisi facto deposito poenae, in qua rei vel eorum fideiussores condemnantur ad favorem R. Camerae vel eius fisci, 302 *a* et *seq.*

Archivii Romanae Curiae scriptores. *V.* Collegium scriptorum.

Auditores Rotae Romanae. *V.* Rotae Romanae auditores.

Aviensis seu De Avis militia. *V.* Ioannes Lusitaniae rex.

B

Banniti (qui et exititi) ob homicidium, in Statu Ecclesiastico, a Pontifice Maximo remissionem obtinent, 69 *b* et *seq.*; non solum a loco homicidii, sed ab omnibus locis Status exulare debent, 71 *a*. Horum receptatores subiiciuntur poenis privationis bonorum, rebellionis ac criminis laesae maiestatis, *ibid. b*. Communitates et locorum domini tenentur illos capere, sub poenis maioris excommunicationis et quinque millium ducatorum *ibid.* et *seq.* Facultas quibuscumque concessa absolvendi homicidas revocatur, 72 *a*. Locorum dominis praecipitur homicidas remittant officiali Sedis Apostolicae, *ibid. b*.

Belgradum. *V.* Taurunum.

Bellayo (de) Ioannes. *V.* Cardinales.

Benedicti (S.) Ordo. *V.* Cassinensium monachorum congregatio.

Beneficia consistorialia. *V.* Constitutiones.

Beneficia, contra formam concordatorum, praelati et principes conferunt et usurpant, 169 *b* et *seq.* Actus huiusmodi irritat Clemens VII, et possessores talium beneficiorum ad fructus restitutionem obligat, 170 *a*; provisis autem a Sede Apostolica iuxta formam concordatorum iura quaecumque reservat, etiam agendi

quandocumque contra intrusos, 171 *b* et *seq.* Beneficiorum impetrationes obtentas titulari vivente, nullas declarat Paulus III, 313 *a*; quasdam conditiones imponit impetrantibus beneficia iam per annum ab aliis possessa, *ibid. b.* Quae cum a plerisque non observentur, Pontifex determinatam impetrandi formulam praescribit, 314 *a*; impetrationes aliter factas invalidas declarat, 315 *a*; imo, impetrantibus poenas adiicit, *ibid. b.* Beneficiorum fructus, tempore obitus titularium inexacti, illis in locis quibus non existunt spoliorum collectores, spectant ad successores in beneficio, non ad beneficiatorum haeredes, 417 *b* et *seq.* Ornamenta cappellae et pretium annuli cardinalis defuncti devolvuntur Camerae Apostolicae, 418 *b* et *seq.* Declarationes variae circa praemissa, 420 *a* et *seq.* Annatas, communia et minuta servitia non solventes Reverendae Camerae Apostolicae censuris et poenis subiiciuntur a Pio II, Paulo II, Innocentio VIII et Iulio II, 473 *b* et *seq.* Post quorum litteras multae beneficiorum uniones factae, quin beneficiati obligationes erga Cameram persolverint, 474 *a.* Hinc Iulius III, praedecessorum dispositiones approbans, extendit ad beneficia de iure patronatus imperatoris et principum quorumcumque, *ibid. b.* Beneficia, ad quorum legitimam possessionem requiritur approbatio Sedis Apostolicae, a quibusdam possidentur, litteris apostolicis desuper non expeditis, 477 *a.* Iulius III, praedecessorum exemplo, nullas huiusmodi possessionis apprehensiones declarat, *ibid.*; litterarum apostolicarum expeditionem necessariam omnibus id genus beneficia impetrantibus statuit, *ibid.*; sin minus ab aliis impetrari posse, primosque provisos ad illa in posterum obtinenda inhabiles reddi, 478 *a*; supplicationesque clausulam non continentes *quod sola signatura sufficiat* nemini prodesse, *ibid. b.* Beneficia ecclesiastica per fraudem obtinentes excommunicantur, 529 *b.* Provisiones hinc secutae, nullae declarantur, 530 *a.* Beneficiorum resignationes publicandas esse infra sex menses Paulus IV statuit, 532 *a*; rem clarius explicat, *ibid. b.* Annatarum exactio in recognitionem dominii, antiqua est, et a conciliis Viennensi et Constantiensi approbata, necnon a Pontificibus Maximis Eugenio IV et Callisto III, 533 *a* et *b*; Paulus II statuit de beneficiis piis locis unitis et non vacantibus quindennia solvi Camerae Apostolicae, *ibid. b.* Iulius II hoc confirmat, *ibid.*; et Iulius III, qui ampliat Iulii II et Pauli II constitutiones, 534 *a.* Paulus IV praedicta approbat, *ibid.* Cum quaedam tamen congregationes affirmarent se non teneri ad annatarum solutionem, *ibid.* et *seq.*; ad hanc decreto obligantur, 535 *a* et *seq.* Cardinales Saracenus et de Spoleto iudices istarum causarum deputantur, 536 *b.* Beneficia cum indulto non solvendi quindennia notificentur cardinalibus praedictis, *ibid.* et *seq.* *V. etiam* Camera Apostolica, Constitutiones, Filii presbyterorum, Praelati.

Beneficiati, quorum redditus annui non excedunt valorem XXIV ducatorum, Camerae Apostolicae annatas solvere minime tenentur, 152 *b.* Cuius officiales aliquid a supradictis exigentes excommunicantur et suspenduntur a perceptione proventuum officiorum, 153 *a.* *V. insuper* Curiales.

Benno (S.), episcopus Misnensis, pius et eximius vineae Domini cultor, 18 *b*; virtutibus splendet, 19 *a*; miraculis emicat adhuc vivens, quorum nonnulla recensentur, 20 *a*; itemque post obitum, 21 *a.* Carolus V et alii principes Pontificem Maximum supplicant pro Beati canonizatione, 22 *a.* Bennonis canonizatio, *ibid.* et *seq.*;

festum pro die xvi iunii instituitur, 23 *b*. Indulgentiae ad eius sepulcrum accedentibus, *ibid.*

Blasphemia damnatur, poenis adiectis, 479 *a*. Blasphemi variis poenis afficiuntur non solum pro varietate culpae, sed etiam status, *ibid. a* et *b*. Inquisitorum generalium iurisdictio in huiusmodi causis, *ibid. b*. Blasphemos qui non revelat, ultra indignationem divinam, illorum poenas incurrit, *ibid.* et *seq.* Denunciationis modus, 480 *a*. Duorum testium fides sufficit ad iudicium condemnationis, *ibid. b*. Falsus denunciator aut testis poenas blasphemorum incurrit, *ibid.* Blasphemi se denunciantes non puniuntur, *ibid.* Prohibitio tenendi barattarias (aleatorium forum), utpote blasphemiae aliarumque iniquitatum fomites, *ibid.*

Bona ecclesiastica alienare prohibet Symmachus Papa, 496 *b*. Paulus II alienationes interdicit, necnon locationes ultra triennium, *ibid.* Illarum nihilominus multas in damnum ecclesiarum factas detegit Paulus IV, 497 *a*; annullat, innovatque prohibitionem Pauli II, *ibid. b*; bonorum detentores ad restitutionem immobilium corumque fructuum damnat, sub poenis spiritualibus et temporalibus, 498 *a*. *V.* Beneficia, Camera Apostolica, Praelati.

Bona naufragantium occupare vetatur, praemiumque designatur auxilium ferentibus ad illorum recuperationem, 374 *b*. Declaratio praemissorum, 375 *a* et *seq.*

Brixiensis communitatis studium pro haeresis Lutheranae extirpatione laudatur, 115 *b*. Inquisitores agant diligenter in omnes haereticos, et praesertim in quemdam Ioannem Baptistam-Pallavicinum Carmelitam, 116 *a*; testes ad verum confitendum Ecclesiae censuris adstringant, *ibid.* Quoscumque possunt citare, etiam per edicta publica, *ibid. b*. Haeresim abiurantes absolvuntur, sub datis conditionibus, et dispensatur ab irregularitate, *ibid.* Deputati ad inquirendum in dicta communitate omnia necessaria et opportuna ad haeresis extirpationem facere possunt, 117 *a*.

Bulla in Coena Domini. *V.* Excommunicati.

C

Caesarinus Alexander cardinalis. *V.* Corporis Christi (SS.) confraternitas.

Caietanus Thienæus. *V.* Theatinorum congregatio.

Calatrava (de) militia, Ordinis Cisterciensis, potest ex communi thesauro omnibus providere necessitatibus et utilitatibus locorum et personarum ad ipsam pertinentium, 75 *a* et *seq.* Milites non nudi sed cincti dormire, et divina officia tam diurnis quam nocturnis horis recitare tenentur, 104 *b*. Quae cum inobservata remanerent, Papae supplicatum pro absolutione a praemissis, 105 *a*. Annuit Pontifex, et priori militiae concedit eamdem absolutionem in quolibet capitulo impendere, *ibid. a* et *b*. *V.* Alcantara et Milites.

Camaldulenses Eremitae S. Romualdi Montis Coronae, meritis et virtute insignes, 117 *b*. Privilegia plura obtinent abbatum generalium Ordinis Sancti Benedicti, *ibid.* Congregatio isthæc ab nonnullis gravaminibus eximitur, *ibid.* et *seq.* Editae ab Eremitis constitutiones approbantur 118 *b* et *seq.* Cur et quomodo a congregatione sacrae Eremi et Sancti Michaelis de Murano separetur, 173 *b* et *seq.*

Montis Coronae congregatio ab uno regitur superiore, maiore nuncupato, 175 *b*; facultatem habet generalia et provincialia capitula celebrandi, in eisque ministros eligendi, et cetera, ut aliae similes societates, ordinandi, *ibid.* Fratres barbam deferre, et propria statuta in capitulis generalibus condere possunt, 176 *a*; ab omni superioritate et impositione eximuntur, *ibid. b* et *seq.* Pleraque alia privilegia eis conceduntur, 177 *a* et *seq.* Camaldulensium generalis, a quibus eligi possit infra mensem a die obitus praedecessoris, 393 *a*; a quibus post elapsum mensem, *ibid. b.*

Camera Apostolica ad se avocat ab omnibus iudicibus causas fiscum concernentes, 217 *b*; in eis procedit, nisi a Papa aliter disponatur, 218 *a*. Eiusdem Camerae officiales contractibus cameralibus participare vetantur, 265 *b* et *seq.*; illam adire nequeunt dum ibi de contractibus agitur inter fiscum et ipsorum consanguineos, 266 *a*. Camera subsidium annuum per triennium a subditis Status Ecclesiastici solvendum accipit, 365 *a*. Exemptiones cuiusvis generis revocantur, 366 *a*. Declarationes circa praemissa, praesertim exemptiones, *ibid. b* et *seq.* Ministri et alii officiales computa reddere tenentur, 371 *a*. Contrafacientium poenae, *ibid.* Ordo sedendi in Camera Apostolica a camerario, clericis aliisque officialibus servandus, 372 *a* et *b*. Camerae Apostolicae bona occupantes variis poenis subiiciuntur a Gregorio XII, 523 *a*. Alexander V decernit ut provisi de ecclesiis, earum regimini se non ingererent, nisi litteris apostolicis desuper expeditis, *ibid. b.* Pius II poenas infligit non solventibus canones tempore debito, 524 *a*. Innocentius VIII eas confirmat, *ibid.* Iulius II praedictas constitutiones dilucidat, *ibid. b.* Procurator fiscalis illos qui non solverunt a iuribus decidisse declarat, *ibid.* et *seq.*; Camera Apostolica confirmat, 526 *a*. Nonnulli tamen inhibitiones et praecepta spernunt, *ibid. b.* Paulus igitur IV dictas litteras innovat, et quaedam adiicit, 527 *a* et *b*; inobedientium absolutionem sibi reservat, 528 *a*. Exemptiones omnes a subsidio triennali denuo revocantur, 557 *b* et *seq.* V. Cancellariarum criminalium concessiones, Curiales, Expeditiones.

Cameracensis, Ultraiectensis et Mechliniensis ecclesiae cathedrales ab antiqua iurisdictione metropolitica eximuntur, ipsaeque in metropolitanas eriguntur, 560 *a*. Varia etiam oppida a priori iurisdictione subducta, inque civitates et episcopatus erecta, novis subiiciuntur metropolitanis, *ibid. b* et *seq.* Dos archiepiscopatui Mechliniensi ipsiusque suffraganeis a Philippo II Hispaniarum rege assignanda, 563 *b*. Eidem regi ius nominationis ad dictas ecclesias conceditur, 564 *a*. Poenae contra temeratores huiusce constitutionis, *ibid. b.*

Camerae Apostolicae notariis praefinitur tempus adnotandi resignationes beneficiorum factas et faciendas, 99 *b*. Eadem dispositio bis terque confirmata cum additionibus et explicationibus, 100 *a* et *seq.*

Camerae Apostolicae procuratori conceditur vigesima pars mulctarum quae, ipso vel eius substitutis procurantibus, ad eamdem Cameram proveniunt, 108 *a* et *b*.

Camerarius S. R. E. rerum Camerae Apostolicae curam gerit, et Romani Pontificis personam repraesentat, 373 *a*; eius imperio subsunt omnes ditionis ecclesiasticae officiales, *ibid. b.* Contravenientium poenae, *ibid.* Camerarius excelsa iurisdictione et pingui proventu a Paulo III donatus, 406 *a*. Pontifex confirmans decretum Iulii II contra officiales Camerae eius contractibus participantes, declarat came-

rarium nunquam a Camera exlcusum, *ibid.* *a* et *b*; antiquas eius facultates et privilegia innovat, 407 *a*; expeditiones camerales omnes a clericis fieri iubet camerarii nomine, *ibid.* *b*. Iulius III a praedecessore concessa confirmat et innovat, 408 *a*; clericos vult sigillo camerarii uti, *ibid.* *b*.

Campania et Maritima (in), causarum quarumcumque cognitio ad illius rectorem spectat, 383 *b*.

Cancellaria Apostolica (in), quando registratio consensuum circa beneficiorum resignationes fieri debeat, 171 *b*. Quid agendum si consensus praestetur super supplicationibus nondum registratis, *ibid.* Tempore praefixo elapso, registratio haud amplius fieri debet, 172 *a*; si fiat, nulla est, *ibid.* Clemens VII supplet defectui registrationis non factae tempore suae absentiae ab Urbe, *ibid.* *b*. *V. etiam* Expeditiones.

Cancellariarum criminalium concessiones, praeterquam ex causa onerosa factas, revocat Paulus IV, easque Camerae Apostolicae applicat, 519 *a*; thesaurarium deputat ad illas alienandum ad vitam tantummodo, *ibid.* *b*; resignabiles esse decernit uti reliqua Romanae Curiae officia, 520 *a*. Super cancellariis accipiuntur pecuniae ad societatem, *ibid.* *b*. Provinciales eas non possunt habere, *ibid.* Cancellarii gaudent privilegiis notariorum Romanae Curiae, *ibid.*; arma gestare possunt, *ibid.*; lucra cum gubernatoribus non participant, sed ab eis habitationem habent, *ibid.* Sigilli emolumentum ad gubernatorem spectat, *ibid.* Cancellarii praedicti, privative quoad alios, causarum criminalium scripturas conficiunt, 521 *a*; ceteros autem contractus ipsi rogare possunt, *ibid.*; taxas servare debent necnon secretum circa examen cuiuscumque rei, *ibid.* Librorum enumeratio quos tenero obligantur, *ibid.* *b*; syndicatui subiiciuntur, 522 *a*; scripturas officii consignare debent, *ibid.*; officia per substitutos exercere possunt, *ibid.*

Canones. *V.* Camera Apostolica.

Canonizatio S. Antonini, archiepiscopi Florentini. *V.* Antoninus (S.).

Canonizatio S. Bennonis. *V.* Benno (S.).

Cantus ecclesiasticus, Ecclesiae saec. XI, a beato Bennone in Saxonia institutus ad recentiora usque tempora viguit, 20 *b*.

Capitaneus generalis custodiae Romani Pontificis. *V.* Gubernator.

Capitula cathedralium et collegiatarum decimas quotidianae distributionis solvere teneutur Camerae Apostolicae, 316 *a*.

Cappellus Franciscus. *V.* Spiritus.

Cappuccinorum congregatio a Clemente VII approbata, confirmatur a Paulo III, 229 *b* et *seq.* Vicarius generalis, quolibet triennio, capitulum generale congregat, 230 *a* et *b*. Successor in vicariatu a capitulo eligitur, et electus generali Conventualium magistro praesentatur confirmandus, *ibid.* *b* et *seq.* Vicario deficiente generali, provincialis vicarius, in cuius provincia illo obit, convocat capitulum generale ad novum eligendum, 231 *a*. Deficiente vicario provinciali, statim ad successoris electionem convocatur capitulum provinciale per primum definitorem, *ibid.* *b*. Solus magister generalis Ordinis Cappuccinos visitare potest, *ibid.*

Capranicensis collegii statuta quaedam et vices, 548 *b* et *seq.*

Carceribus detenti quando gratis relaxandi, 385 *a*; quomodo capti tamquam testes, *ibid.* *b*. Detenti examinentur infra triduum, et deinde vel dimittantur vel po-

nantur ad *largam*, *ibid*. Sine indiciis, nemo capiatur, nisi de mandato gubernatoris, 386 *a*. Indiciorum copia detur captivis, ante torturam, praeterquam in criminibus exceptis, *ibid*. Nemo torqueatur, non legitimato processu, *ibid*. Captus pro crimine non interrogetur supra aliis sine indiciis, *ibid*. *b*. Verba rei scribantur illo idiomate, quo prolata fuerunt, *ibid*. Indiciorum copiae dentur in modum extractus, *ibid*. Regestum fiat actorum transportatorum, *ibid*. Si captus reperiatur innocens, nihil ab eo, sub quocumque praetextu, exigatur, 387 *a*. Custodes carcerum et executores servent decreta Camerae, *ibid*. Captivorum cibatio, *ibid*. Custodes praesentent visitatoribus delegatis detentos in *publicis* et notificent detentos in *secretis*, *ibid*. Arresta dentur per iudicem cuius mandato aliquis captus est, *ibid*. *b*. Significationes ordinariae serventur per duos menses, *ibid*. Eadem causa unus iudex carceri mancipat, *ibid*. Visitatio singulis hebdomadis fiat, *ibid*. Visitatorum resolutiones attendantur, *ibid*. Relaxandi ex decreto visitatorum, non retineantur, nisi vi alicuius mandati manu duorum ad minus visitatorum subscripti, *ibid*. Compositionum pecuniae deponantur, 388 *a*. Eleemosynae favore incarceratorum factae, quomodo distribui debeant, *ibid*. Capti omnes ad carcerem publicum ducantur, *ibid*. Significationes concessae a R. Camera serventur, *ibid*. Infirmi, pro debito detenti quando relaxandi, *ibid*. Bona penes incarceratos reperta, custodiantur, *ibid*. *b*. Custodes quid recipere possint a capientibus, *ibid*. Barisellus nil petat ab incarceratis pro exploratoribus, *ibid*. Triremes bis in anno visitentur, *ibid*. Aliae custodum obligationes, *ibid*. Executorum merces, *ibid*. Detenti qui non acceperunt processuum copiam, nil solvere tenentur, 389 *a*. Nemo pro iniuriosis verbis aut parvi momenti causis carceri mancipetur, *ibid*. Pauperes absoluti nullas propinas solvere tenentur, *ibid*. Incarcerati Ripae et Burgi, ubi visitandi, *ibid*.

Carcerum visitatores quibus gaudeant facultatibus, 385 *a*, *b* et *seq*.

Cardinales, uti Pontificis membra, in Curia residere debent, et residentes absentibus praeferri in optionibus titulorum et sex ecclesiarum cathedralium, 502 *b* et *seq*. Cardinalium decanatus vacat ob titularis electionem in S. Pontificem, sicut accidit in exaltatione cardinalis Carafa, qui Paulus IV voluit appellari, 503 *a*; quique decanatum concessit Ioanni, episcopo Ostiensi, cardinali de Bellayo, *ibid*. Declaratio quoad futuras decanorum nominationes, *ibid*. *b*. Ad huiusmodi dignitatem electus omnes alios cardinales, etiam antiquiores, semper, in quibusvis sessionibus et actibus publicis, praecedit, *ibid*. Lites inter cardinales a Summo Pontifice decidendas esse statuit Paulus IV, 508 *a* et *seq*. Ab Urbe absentes nec distributionibus ratione pilei, nec ecclesiarum optionibus gaudent, 513 *b* et *seq*.

Cardinalis archipresbyter et iudex causarum capituli canonicorum et aliarum personarum ecclesiae S. Petri de Urbe facultatem habet cognoscendi et definiendi omnes causas capitulum eiusque membra concernentes, 347 *b*; citandi et inhibendi in Curia et extra, 348 *a*; omniaque faciendi in praemissis necessaria et opportuna, *ibid*. *b*.

Carmelitae nonnulli sub variis praetextibus extra claustra vagantur, 270 *a*. Leo X huiusmodi divagationes prohibet, *ibid*. *b*; provincialibus Ordinis mandat divagantes puniant, 271 *a*. Clemens VII confirmat a Leone statuta, *ibid*. *b*; decernit etiam Carmelitis ad alios Ordines transeuntibus non licere bona in priori acquisita

secum deferre, 272 *a*; formam praescribit suas publicandi litteras et reducendi vagantes ad claustra, *ibid. b*. Leonis et Clementis constitutiones innovat Paulus III, 274 *a*; divagantes prohibet promoveri ad quemcumque gradum academicum nec non ad sacros ordines, *ibid.*; praelatis mandat ut superiores Ordinis adiuvent in executione horum decretorum, *ibid. b*.

Carolus Magnus imperator christianam fidem disseminat apud Saxones, 3 *b*.

Carolus V imperator pacem cum Italiae potentatibus init, ut contra Turcas bellum gerere posset, 131 *a*; cum Summo Pontifice Clemente VII Bononiam convenit Italiae paci et bono catholicae rei consulturus, 133 *a*. Eius electio in imperatorem examinanda committitur cardinali Sabinensi, *ibid.* Quae, cum legitima omnino recognoscatur, approbatur a Pontifice Maximo una cum dominio regni Neapolitani, a Leone X iam antea concesso, *ibid. b* et *seq*. Bononiae a Clemente coronatur, 137 *b*. Describuntur coronationis caeremoniae, *ibid.* et *seq*. Idem Pontifex super retentione imperii et regni Neapolitani, Caroli vita durante, dispensat, 138 *b*. *V*. Concilium oecumenicum, Milites.

Carpo (de) cardinalis, pro Marchia Anconitana, constitutiones edidit, quae a conditoris nomine Carpenses nuncupantur, 265 *a*.

Cassinensium monachorum congregatio, alias S. Iustinae de Padua, Ordinis S. Benedicti, multis gratiis a Summis Pontificibus ditata, 259 *b*; monasteria aedificare potest, 260 *a*. Abbas monasterii SS. Trinitatis Cavensis facultatem habet exercendi varia pontificalia, *ibid.*; Ordinis molestatores excommunicantur, *ibid. b*. Abbas monasterii S. Pauli extra muros Urbis, cum mitra celebrat, et minores ordines monachis confert, *ibid.* Hoc monasterium centenaria praescriptione gaudet, 261 *a*. Dubia circa privilegia, interpretanda sunt favore congregationis, *ibid.* Indulta unius monasterii ceteris communicantur, *ibid.*

Cathecumenorum et neophytorum hospitale monasteriumque in Urbe erigitur ad supplicationem Ioannis de Iorano, 354 *a*. Archiconfraternitas instituitur ad illorum gubernium et curam, *ibid. b* et *seq*. Confratribus et benefactoribus gratiae et indulgentiae dantur, 355 *b*. Personis archiconfraternitatis, hospitalis et monasterii confessionale conceditur, 356 *b* et *seq*. Earum protectoris et iudicis est omnes causas concernentes dictas personas decidere, 357 *a*. Hospitale, cathecumeni eorumque bona et officiales a quorumcumque iudicum superioritate eximuntur, 511 *b*. *V*. Synagoga.

Cathedra S. Petri. *V*. Petrus (S.).

Causae cessionis et discussionis bonorum, necnon dilationis quinquennalis, spatio trium mensium terminari debent, 97 *a* et *seq*.

Causae in prima instantia. *V*. Marchia Anconitana.

Census *V*. Beneficia, Beneficiati, Camera Apostolica.

Cessio bonorum. *V*. Causae cessionis.

Christus nullis nostris meritis, sed infinita clementia pretioso suo sanguine nos redemit, 43 *a*.

Clarinarum syndici et procuratores. *V*. Syndici.

Clemens VII, Papa CCXXI eligitur die XIX novembris MDXXIII, coronatur die XXVI eiusdem mensis; Bononiam, Viennam vel alio profecturus, statuit, si ante reditum

decessisset, electionem novi Pontificis in Urbe faciendam, 130 *b* et *seq.*; statutum innovat 132 *a* et *b*.

Clerici Camerae Apostolicae. *V.* Camera Apostolica.

Clerici Regulares. *V.* Pauli (S.) Decollati clerici et Societas Iesu.

Collegium advocatorum consistorialium exclusive facultatem habet creandi doctores, 454 *a*; pauperes gratis creare tenetur, *ibid. b*.

Collegium medicorum. *V.* Medicorum collegium.

Collegium scriptorum archivii Romanae Curiae facultatem habet legitimandi filios illegitimos, 258 *a*; multos legitimat, *ibid.* Dubium excitatur circa validitatem quarumdam legitimationum, *ibid. b*. Illud solvitur, *ibid.*

Collegium sexaginta virorum instituitur ad curandam fabricam basilicae Sancti Petri de Urbe, 48 *b*. Quod facultatem habet deputandi iudicem causarum dictae fabricae et alios officiales, 49 *b*. Qui iuramentum praestant recte administrandi, 50 *a*; eleemosynas collectas in opus fabricae, et non aliter, exponendi, *ibid.*; cum debitoribus fabricae transigere possunt, et collectores designare ad exigenda legata, *ibid. b*. Iudex causarum fabricae, etiam Sede vacante, causas summarie cognoscit, 51 *a*; censuras poenasque infligit, 52 *a*. Ab eius sententiis appellatio licet solum ad collegium, *ibid. b*. Iudicis mandata omnes exequi obligantur, *ibid.* Dispositiones favore fabricae impedire nefas, 53 *a*. Notarii eas eidem notificant collegio, *ibid. b*. Hoc vero in fabricae favorem componit male ablata incertis personis, debita privatis ecclesiis, restituenda ignotis personis, legata pauperibus aut locis piis indeterminatis, 77 *b* et *seq.*; varia alia legata et donata, 78 *a* et *b*; restituenda cui receptio non competit, *ibid. b* et 323 *a*; exponenda in conviviis et spectaculis occasione festivitatum, *ibid.*; cognoscit et terminat omnes causas fabricam concernentes, 79 *a*. Unusquisque deputatus confessorem cum amplis facultatibus sibi eligere valet, *ibid.* Basilica Sancti Petri diversis Pontificum indultis decorata, 320 *a*. Iulius II subvenientibus illius fabricae infra annum a data die, concedit confessarium cum specialibus facultatibus eligere, 321 *a*; Ultramontanorum favore, annum ad eius arbitrium prorogat, et penes eosdem commissarium deputat ad eleemosynas colligendas, *ibid.*; quo vita functo, alium mittit, atque eleemosynas elargientibus plenariam peccatorum remissionem concedit, *ibid. b*; commissario confirmat facultatem componendi male ablata incertis personis, quaesita per usuras, pluraque alia illicita contingentia, 322 *b*; dispensandi in multis casibus, 323 *a*. Iulius praedictus applicat etiam fabricae bona ecclesiastica indebite occupata, relicta piis locis aut personis pro male ablatis, relicta vel debita Redemptioni captivorum, *ibid. b* et *seq.* Commissarii etiam est interpretare dubia exorienda in sibi commissis, 324 *a*; suspendere indulgentias aliis concessas, *ibid.* Quae suffragari possunt animabus in purgatorio existentibus, *ibid. b*. Leo X praedicta omnia validat, et notarios ad ostendendum legata praefata cogi posse statuit, 325 *a*; commissario concedit componere, ad utilitatem fabricae, super legatis certis infra annum non executis, *ibid. b*; stabilia bona fabricae donata vendere, mobilia autem ad Urbem transferre absque solutione gabellae, *ibid.* et *seq.* Idem Pontifex eximit fabricae commissarios a superioritate ordinariorum et aliorum, 326 *a*; eisdemque dat componere super

votis et peregrinationibus a testatoribus relictis et non executis, *ibid.;* fraudem contra fabricam committentes excommunicat, *ibid. b;* notarios obligat ostendere libros, oblata mercede duorum cum dimidio pro centenario pecuniae exigendae, *ibid.;* relicta etiam ante septennium dicta commissione comprehendi vult, *ibid.;* plures alias facultates tribuit commissariis, et indulgentias fabricae subvenientibus, 327 *a* et *seq.* Plura innuuntur favore fabricæ disposita ab Hadriano VI et Clemente VII, 328 *b.* Paulus III, aliquid innovans, declarat nunquam voluisse revocare indulta ab Hadriano VI concessa, *ibid;* revocatis tamen omnibus commissariis, totum negotium collegio fabricae remittit, 329 *a;* eidem concedit alios deputandi commissarios, ceterasque facultates a praedecessoribus suis hactenus concessas, quibusdam etiam adiectis, *ibid.* et *seq.;* erigit societatem Principis Apostolorum, et confratres pluribus gratiis ditat, *ibid. b;* Hispanis confratribus eleemosynas porrigentibus plenariam indulgentiam, multaque privilegia elargitur, 330 *a* et *seq.* Declarationes circa praemissa, 333 *b* et *seq.* Collegium fabricae amplioribus facultatibus donatur in exequendis donationibus inter vivos ad pias causas factis, et in applicanda quinta earum parte dictae fabricae, 445 *b* et *seq.*

Columna (de) Clarina. *V.* Mariae (B.) Campi Martii sanctimoniales.

Communia et minuta beneficiorum servitia. *V.* Beneficia *et* Beneficiati.

Concilium oecumenicum a Paulo III indicitur variis de causis, sed praesertim ut exercitus in Turcas pararetur, 224 *a* et *b.* Mantua pro loco concilii, et dies XXIII maii MDXXXVII pro eius assumptione statuitur, *ibid.* Reges, episcopi aliique ad concilium invitantur, 225 *a.* Carolus V imperator et Franciscus I rex eius indictionem approbant, et celebrationem sollicitant, *ibid. b.* Imperatorem et reges hortatur Pontifex ut subditos, qui, de iure vel consuetudine, generalibus conciliis interesse consueverunt, ad hoc convenire procurent, *ibid.* Cur tamdiu concilium differatur, 338 *b;* celebrandum Tridenti, kalendis novembris MDXLII PP. admonet, 342 *a;* præcipit prælatis ut ad illud accedant, *ibid. b;* imperatorem, reges et principes hortatur ut concilio intersint, per se vel per legatos, *ibid.* Bellorum causa, concilium prorogatur ab eodem Pontifice, 362 *a* et *seq.* Paulo interim vita functo, illud reassumit Iulius III, 430 *b.* Ad hoc impellitur etiam precibus Caroli V imperatoris, *ibid.* Tridentina civitas et dies prima maii MDLI, pro reassumptione designantur, 431 *a.* Pontifex legatos, ad praesidendum concilio, spondet, *ibid. b.*

Confraternitas ad pie educandum orphanos in Urbe a curialibus instituta, 307 *a;* a Paulo III approbata *ibid. b;* ab eodem in archiconfraternitatem erecta, 308 *a.* Privilegia aliorum locorum piorum Urbis ei conceduntur, *ibid.* Celebrantes in eius ecclesia speciales indulgentias consequuntur, 309 *a.* Eleemosynas colligendi pro orphanis archiconfraternitati conceditur, *ibid.* Confratres propria statuta edere possunt, *ibid. b;* confessionalis privilegio donantur, *ibid.;* protectorem et iudicem causarum sibi eligunt, qui summarie illas cognoscit, 310 *a;* ab aliorum iurisdictione eximuntur, *ibid. b.* Ecclesiam visitantium indulgentiae, 311 *a.*

Conservatores Urbis. *V.* Senatus.

Constantinus imperator basilicas in honorem Salvatoris nec non Ss. apostolorum Petri et Pauli aedificat, 48 *b.*

Constitutiones plurium Pontificum circa impetrationes beneficiorum consistorialium confirmantur et extenduntur a Clemente VII, 67 *b* et *seq.*

Consulum artis nautarum in Urbe iurisdictio, 55 *a*. Quae transfertur in iudicem deputandum a praeside Riparum, *ibid.* Iudex omnes causas ripales civiles et quasdam etiam criminales cognoscit, *ibid. b.*

Conventuales fratres extra Ordinem divagantes coerceri debent a superioribus, ad obviandum scandalis quae inde oriuntur, 381 *a* et *b*.

Corporis Christi (SS.) confraternitas in ecclesia Beatae Mariae supra Minervam erigitur, 276 *a*. Confratres curant ut ubique Sanctissimum Sacramentum honorifice custodiatur, *ibid.*; impensas necessarias faciunt, *ibid. b;* et ut a parochis ad infirmos decenter deferatur provident, *ibid.*; in dicta ecclesia, tertia dominica cuinslibet mensis solemnem missam celebrari faciunt, *ibid.*; et sequenti die post festum Corporis Christi processionem circa ecclesiam, *ibid.*; confratres infirmos visitant, eosque ad confessionem et Eucharistiae susceptionem hortantur, *ibid.*; singulis dominicis quinquies Orationem Dominicam et Angelicam recitant 277 *a*. Mulieres non valentes Sacramentum associare, quinquies ut supra orantes, indulgentias confratribus associantibus concessas consequuntur, *ibid.* Alexander cardinalis Caesarinus confraternitatis protector, *ibid.* Paulus III praedicta statuta et gratias confirmat, aliaque concedit privilegia, *ibid.* et *seq.*

Curiales et incolae Urbis disponere possunt de suis bonis, etiam acquisitis ex fructibus beneficiorum, in Urbe et eius districtu existentibus, ad favorem quorumlibet, 412 *b;* si ab intestato decesserint, eis succedunt haeredes legitimi, exclusa Camera Apostolica, 413 *a*.

Cursores Papae, iuxta statutum Alexandri VI, private ius habent citandi in causis ordinariis, coram iudicibus Palatii Apostolici pertractandis, et in causis omnium iudicum commissariorum, 119 *a*. Hoc statutum a pluribus Summis Pontificibus approbatur et declaratur, 120 *a* et *seq.* Cursores praedicti privative, quoad mandatarios curiarum, citant in omnibus causis commissariis, 444 *a*. Ceteri mandatarii citant solummodo in causis ordinariis tribunalium quibus inserviunt, *ibid.*

D

Debitores. *V.* Ripales.

Deus omnipotens bonos scelerate oppressos erigit, 20 *a*.

Diabolo obedientiam praestantes. *V.* Inquisitores haereticae pravitatis.

Dilatio quinquennalis. *V.* Causae cessionis.

Dilinga, Germaniae urbs, ad preces cardinalis Othonis, archiepiscopi Augustani, studiorum Universitate decoratur, 456 *b*. Rector, lectores ceteraque Academiae membra eisdem gaudent privilegiis, quibus Parisiensis et aliarum Universitatum membra, *ibid.* Archiepiscopus Augustanus facultatem habet condendi statuta et super eorum observantia invigilandi, 457 *b;* rectorem et alios officiales eligendi et removendi, 458 *a;* scholares ad gradus, etiam doctoris, promovendi *ibid.*; doctoresque digniores, equites creandi, *ibid.*; vices suas vicario generali com-

mittendi, *ibid. b.* Rector aliique officiales necnon scholares percipiunt redditus suorum beneficiorum, etiam tempore quo in Universitate resident, *ibid.*

Discussio bonorum. *V.* Causae cessionis.

Divina humanis, et perpetua temporalibus digniora sunt, 168 *a.*

Doctores sanctae Ecclesiae doctrinis et exemplis orthodoxam doctrinam elucidant, defensant ab adversariis, ecclesiam multipliciter illustrant, 18 *b.*

Dominici (S.), Ordinis Praedicatorum institutoris, festum, quod antea die v augusti celebrabatur, pridie in posterum celebrandum, sub ritu duplici, statuitur, quum die quinta B. Mariae ad Nives memoria recolatur, 543 *b* et *seq.*

E

Ecclesiarum capitula. *V.* Capitula.

Ecclesiarum cathedralium provisiones in uno consistorio proponuntur, in altero expediuntur, 530 *b* et *seq.*

Eleemosynae. *V.* Quaestorum facultates.

Eleutherii (S.) excommunicationes publicare prohibet Paulus III, 312 *a* et *seq.*

Equites S. Ioannis Hierosolymitani. *V.* Ioannis (S.) Hierosolymitani equites.

Eucharistiae sacramentum institutum ut fideles eximiae Christi caritatis memoriam recolant, 275 *b.*

Excommunicati in constitutione, quae Bulla in Coena Domini appellatur, 218 *b* et *seq.*

Excommunicationes S. Eleutherii. *V.* Eleutherii (S.) excommunicationes.

Exititii. *V.* Banniti.

Expeditiones Camerae et Cancellariae Apostolicae pluribus abusibus vitiatae, 379 *a.* Abutentium poenae, 380 *a.*

F

Fabrica basilicae S. Petri de Urbe. *V.* Collegium sexaginta virorum.

Facinorosi a toto Statu Ecclesiastico exulare debent ex Iulii III dispositione, 483 *a;* cum autem exortae essent quaestiones circa comprehensos in dicta dispositione, declarat Pontifex illos comprehendi, quorum condemnationes fuere per gubernatorem intimatae, *ibid. a* et *b.*

Familiares et continui commensales Summi Pontificis qui sint, 185 *a.* Declaratio trium dubiorum circa idem subiectum, 186 *a* et *seq.*

Familiares et servitores praelatorum Romanae Curiae salarium pro biennio tantum, et infra annum a die obitus illorum, ab haeredibus petere possunt, 377 *b.*

Filii presbyterorum, ex fornicatione nati, beneficia ecclesiastica, per eorum patres obtenta, obtinere nequeunt, 143 *b* et *seq.*

Fons-Ebraldus, gall. *Fontevrault*, parva Galliae urbs, ubi monasterium illustre, anno 1099 fundatum, 292 *a* et in nota 1 *ibi.*

Franchitias in Urbe retinentes, Curiamque impedientes in executionibus, poenis afficiuntur in facinorosos eorumque fautores promulgatis, 463 *a* et *seq.*

Francisci (S.) de Paula Minimorum Ordo exponit multa gravamina pati circa quartam canonicam, decimas et funeralia et apostatas, 62 *b;* supplicat pro opportuna provisione, 63 *a.* Clemens VII indices conservatores Ordinis cum amplis facultatibus deputat, *ibid. b* et *seq.*

Francisci (S.) Ordo de Observantia. *V.* Observantes.

Frater germanus alicuius S. R. E. cardinalis viventis, ad cardinalatum promoveri nequit, 475 *b* et *seq.*

Fratres Minimi, Ordinis S. Francisci de Paula. *V.* Francisci (S.) de Paula Minimorum Ordo.

Fratres Ordinis Redemptionis captivorum. *V.* Trinitatis (SS.) Redemptionis captivorum Ordo.

Fratrum Minorum syndici. *V.* Syndici.

Fraudes in testamentis. *V.* Praelati.

Furnarii. *V.* Pistorum universitas.

G

Georgii (S.) in Alga Venetiarum congregatio quomodo gerere se debeat in celebratione capituli generalis et in officialium electione, 368 *b* et *seq.* Contravenientium poenae, 369 *a.*

Germanicum collegium Romae institutum ad instruendos iuvenes Germanicae nationis, qui illius gentes christianam religionem doceant, 460 *a;* sex cardinales directores habet, 461 *a;* Papae tantum et Sedi Apostolicae subest, *ibid.;* ab omnibus impositionibus liberum, *ibid.;* iisdem ornatur privilegiis quibus Studium generale Urbis, *ibid. b.* Superioribus collegii data facultas scholares laurea redimendi, *ibid.* et *seq.* Dicti cardinales, pro bono collegii regimine, leges condere queunt, 462 *a.*

Gubernator utriusque Burgi Urbis, capitaneus generalis custodiae Romani Pontificis, facultatem habet cognoscendi et definiendi, per se vel per suos deputatos, omnes causas habitatorum Urbis, in prima instantia, privative quoad alios iudices, 410 *a;* inhibendi executionem mandati alius cuiuscumque iudicis Urbis, *ibid.;* deputandi procuratorem fiscalem, notarios et barisellos in sua iurisdictione, 411 *a;* eligendi et amovendi portarum custodes, *ibid.;* bannimenta et cetera necessaria faciendi, *ibid. b.*

H

Hadrianus VI, Papa CCXX, eligitur die IX ianuarii MDXXII, et XXX augusti eiusdem anni coronatur, 1 *a.*

Haeredes beneficiatorum. *V.* Beneficia.

Haeretici complures in Portugalliae et Algarbiorum partibus extant, contra quos inquisitorem deputat Clemens VII, 205 *b;* inquisitoris facultatem suspendit, 206 *a;* ad fidem se convertentes infra datum terminum, absolvit, *ibid.* et *seq.;* illos

eorumque successores ad dignitates habilitat, et indultis fidelibus concessis uti permittit, 207 *b;* confiscationes bonorum fisco non incorporatorum, processus et sententias contra haereticos latas delet, 208 *a;* habentes fidem a confessoribus vel in eorum libris inscriptos securos esse vult, *ibid. b;* condemnatos de haeresibus, publice illas abiurare debere, *ibid.* et *seq.;* condemnatis sentientibus se gravatos ad nuncium recursum concedit, 209 *a;* relapsos debitis poenis puniri decernit, *ibid.;* de haeresi diffamatos, coram nuncio se purgare posse, *ibid. b;* praemissis functos veniam obtinere, *ibid.;* contra noviter conversos eorumque descendentes, quorum excusationes Summo Pontifici missae fuerant, supersederi, *ibid.* et *seq.;* praelatis inhibet molestare eos qui gratiam obtinuerant, 210 *a.* Contravenientium poenae, *ibid. b;* Ioannem, Portugalliae et Algarbiorum regem, ut nuncio pontificio faveat, hortatur, 211 *a;* per alias litteras, ad regis instantiam, praemissorum publicationem prohibet, *ibid. b;* eadem postea publicari et exequi mandat, 212 *a.* Paulus autem III executionem suspendit, *ibid. b;* tandem supersessoriam revocat, et executionem praecipit, 213 *a* et *seq.;* in haereticos magis magisque indulgentem se praebet, 214 *a;* indulta catholicorum ad catholicam fidem redeuntibus concedit, *ibid. b;* processus et sententias in eos latas annullat, et in pristinum statum eosdem reponit, 215 *a;* indulta impedientes pluribus poenis coercet, *ibid.* Declaratio circa supradicta, 217 *a.* Haeretici quamplures ad fidem non redeunt horrore publicae poenitentiae, 414 *b;* idcirco Pontifex M. ad privatam eos admittit, quibusdam exceptis, *ibid.;* illisque illorumque successoribus honores restituit, 415 *a;* impoenitentes nunciari et puniri mandat, *ibid. b;* formam abiurationis praescribit, 416 *a.* Paulus IV confirmat omnes poenas in haereticos et schismaticos latas, 552 *a;* praelatis et principibus a fide deviantibus alias poenas imponit, *ibid. b* et *seq.* Si beneficia propter haeresim vacent, ius nominationis habentes praesentent alias personas infra legitima tempora, 503 *b.* Variae poenae in haereticorum fautores, *ibid.* Praelati et etiam Romani Pontifices, quos haereticas opiniones ante promotionem habuisse apparuerit, sint ipso facto omni auctoritate et officio privati, 554 *a.* Eorum subditis licet ab obedientia impune recedere, *ibid. b.*

Hebraei coguntur ad comburendos libros Thalmudi et alios, in quibus nomen Iesu Salvatoris nostri ignominiose usurpatur, 482 *a.* V. Iudaei.

Henricus VIII, Angliae rex, iam a Leone X *fidei defensor* appellatus, a catholica veritate desciscens, enormia multa patrat, 195 *b;* a Clemente VII excommunicatus, in deterius ruit, 196 *a.* Paulus III eum hortatur ut ab erroribus desistat, *ibid. b;* complices et fautores monet ne de cetero regi adhaereant vel adsistant, 197 *a;* inobedientes maiori excommunicatione innodat, *ibid.;* rebellionis quoque poenam et regni amissionem minitatur, terminumque praefinit ad coram se comparendum, *ibid. b;* civitates, ecclesias et alia loca, ad quae ipsi declinaverint, ecclesiastico interdicto supponit, 198 *a;* eorum filios dignitatibus, gratiis et bonis omnibus privatos, et inhabiles ad alia consequenda declarat, *ibid. b;* subditos ab eius obedientia solvit, 199 *a;* Henricum et complices declarat infames, inhabilesque ad testimonium, ad testamentum conficiendum, necnon ad successiones, *ibid.;* christifidelibus, sub variis poenis, praecipit ut illorum commercium evitent, *ibid. b;* praelatis et ceteris ecclesiasticis mandat, sub gravibus

itidem poenis, ut a regno Angliae discedant, 200 *a;* easdemque minatur poenas ducibus et ceteris, qui Henricum de regno expellere non student, *ibid. b;* principum christianorum confoederationes cum Henrico nullas esse decernit, 201 *a;* principibus et aliis mandat ut contra Henricum et complices arma capiant, *ibid. b;* haereticos capientium servos fieri, et illorum bona occupantium esse statuit, 202 *a;* praelatis et aliis ecclesiasticis praecipit, sub poena excommunicationis et privationis beneficiorum, Henricum et complices solemniter excommunicatos nuncient et evitari faciant, *ibid.;* praemissorum publicationem impedientes poenas easdem iucurrunt, *ibid. b.* Ad insignium personarum preces, excommunicatio per tres annos suspenditur, 204 *a.* Henrici magis improba et saeva protervia, *ibid.* Bullam excommunicationis publicari iubet, *ibid. b.*

Hibernia insula regio titulo decoratur a Paulo IV, instantibus Philippo II Hispaniarum rege et Maria Angliae regina, 489 *b* et *seq.*

Hieronymus Emilianus eiusque socii hospitalia pro pauperibus orphanis et mulieribus conversis erigunt, 285 *a;* petunt a Paulo III nonnulla privilegia et licentiam sibi constituendi superiorem, *ibid.* Quam concedit Pontifex, *ibid. b;* et insuper Societatis sacerdotes recitare posse horas diurnas et nocturnas aliaque divina officia, secundum ritum novissime tunc editum, 286 *a;* omnium in eorum locis degentium confessiones audire, eosque absolvere, ut locorum ordinarii possunt, *ibid.*

Hieronymus Pacificus. *V.* Silvestrinorum congregatio.

Homicidae aliique delinquentes poenis damnati a Pontificibus Maximis, 486 *a.* Sed cum in dictos delinquentes remisse procederent officiales, Iulius III praedecessorum constitutiones innovat, et gubernatori Urbis earumdem executionem committit, *ibid. b;* contra facinorosos, non inquisitione vel denunciatione tantum, sed etiam ex officio procedi mandat, 487 *a;* eos citare permittit publico edicto, eiusque formam tradit, *ibid.;* contra eosdem summarie procedendum, 488 *a.* Bannitorum receptatores et fautores gravibus poenis plectuntur, *ibid. V.* Banniti.

Hospitale. *V.* Cathecumenorum et neophytorum hospitale *et* Spiritus.

I.

Iacobi (S.) de Spatha praeceptores et fratres, de suis bonis certo modo disponere possunt, 150 *b* et *seq.* Eiusdem facultatis extensio ad fratres clericos non conventuales, 151 *b* et *seq. V. etiam* Ioannes Lusitaniae rex *et* Milites.

Iesuati Sancti Hieronymi, privilegiis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini donantur, 158 *b* et *seq.*

Iesu Christi conceptio et divinitas. *V.* Trinitas.

Ignatius (S.) de Loyola. *V.* Societas Iesu.

Imaginis Salvatoris ad Sancta Sanctorum custodes obtinent a Paulo IV confirmationem omnimodae iurisdictionis supra collegia Capranicense et Nardinum de Urbe, 548 *b* et *seq.*

Incapaces ad successiones. *V.* Curiales.

Incolae Urbis. *V.* Curiales.

Inquisitionis sacrae congregatio instituitur ex cardinalibus amplissimam auctoritatem habentibus procedendi contra quoscumque in negotio fidei, 344 *b*; officiales eligendi, 345 *a*; degradationem clericorum pronunciandi, *ibid.*; contradictores coercendi, *ibid.*; auxilium brachii saecularis invocandi, *ibid.*; inquisitores ubique locorum deputandi, *ibid. b*; appellationes ab aliis inquisitoribus decidendi, *ibid.*; in Curia et extra citandi et inhibendi, 346 *a*.

Inquisitores haereticae pravitatis Cremonae procedunt contra maleficos et diabolo obedientes, 24 *b*. Nonnulli se illis opponunt, 25 *a*. Summus Pontifex in contradictores procedi iubet, veluti contra haereticos, *ibid.* Auxilium inquisitoribus praestantes gaudent eisdem indulgentiis, quibus crucesignati pugnantes contra haereticos, *ibid. b*. Inquisitores procedant contra quoscumque, etiam regulares cuiuscumque Ordinis, 135 *a*. Indulgentiarum descriptio ab inquisitoribus concedendarum crucesignatis, 136 *a*. Episcopis eorumque officialibus mandatur inquisitores adiuvent, *ibid. b*. Ipsi in omnes, etiam regulares, proponentes scandalosas aut haereticas opiniones, procedere queunt, 318 *b* et *seq.*; a multis impediuntur in eorum officiis, sub variis praetextibus, 431 *b*. Iulius III omnibus non inquisitoribus prohibet se sponte ingerere in haeresum cognitionem, 432 *a*. Inobedientes maiorem excommunicationem et alias poenas incurrunt, *ibid. b*. Easdem incurrunt dioecesani et inquisitores qui laicos sibi in huiusmodi iudicio associant, 433 *a*.

Ioannes Lusitaniae rex eiusque praedecessores erga Sedem Apostolicam devotione clari, 446 *b*; plura oppida, castra et alia loca donarunt militiis S. Iacobi de Spatha et de Avis, *ibid.* et *seq.* Ioannis praeclara gesta in Africa, Indiis et Ethiopia, pro religione christiana dilatanda, 447 *a*. Quorum intuitu Iulius III illum creat ad vitam administratorem militiarum S. Iacobi et de Avis, *ibid.* Amplissimae regiones, Lusitanorum opera, Christi Evangelium amplectuntur, *ibid. b*. Hinc Iulius PP. Ioanni eiusque successoribus utriusque sexus concedit in perpetuum administrationem dictarum militiarum ad maiorem diffusionem catholicae religionis, 448 *b* et *seq.* Bazaim et Dio, civitates Indiarum, bis e manibus infidelium ereptae, 449 *a*. Omnimoda iurisdictio eisdem regibus tribuitur in personas et res militiarum de Spatha et de Avis, 450 *a*. Spiritualia ipsarum a personis religiosis earumdem militiarum exerceri debent, *ibid. b*. Praeceptoribus et militibus ius magistri eligendi adimitur, *ibid.* et *seq.* Dantur regibus nonnullae leges pro recta militiarum administratione, 453 *a*.

Ioannes Petrus Carafa. V. Theatinorum congregatio.

Ioannis (S.) Hierosolymitani equites Tripolis, insula Melitae necnon terra Gaudisii a Carolo V donantur, 140 *a*. Magnus magister et fratres, in capitulo generali Syracusis habito, donationem acceptant cum conditionibus in litteris Caroli expressis, *ibid. b*. Census annuus unius accipitris dumtaxat, viceregi Siciliae solvendus, Ordini imponitur, *ibid.* Iuramentum a Magno magistro praestandum favore Caroli, 141 *a*. Ius patronatus Ecclesiae Melitensis, qua lege Carolo reservatum, *ibid.* Episcopus Melitensis magna cruce decorandus et ad consilium Ordinis admittendus, *ibid. b*. Nonnulla statuta edita et confirmata in eodem capitulo, favore nationis Italicae, *ibid.* Clemens VII Caroli litteras et donationem, necnon statuta capituli confirmat, 142 *a*.

Iorano (de) Ioannes. *V.* Cathecumenorum et neophytorum hospitale.

Iudaei aliique infideles, ratione conversionis, non perdunt sua bona, 336 *a*; nec tenentur restituere male ablata personis incertis, *ibid.*; si pauperes, piorum eleemosynis adiuvandi sunt, *ibid. b*; cives efficiuntur loci ubi baptizantur, *ibid.*; in articulis fidei instrui debent, sed cum infidelibus versari nefas, *ibid.*; ad matrimonium cum christianis originariis contrahendum excitandi, 337 *a*; ne ad antiquae sectae ritus redeant caveatur, *ibid.* Neophytorum contemptores ab inquisitoribus coercecantur, *ibid.* Redeuntes ad pristinum ritum, uti haeretici puniantur, *ibid.* Iudaei in Statu Ecclesiastico habitent in locis a christianorum habitatione separatis, 499 *a*; in singulis civitatibus vel communitatibus unicam synagogam habeant, *ibid.*; masculi biretum, foeminae aliquod signum glauci coloris, ut distinguantur a christianis, deferant, *ibid.*; nutrices aut servientes ex christianis non habeant, *ibid. b*; diebus festis de praecepto Ecclesiae, publice non laborent, *ibid.*; christianos in contractibus vel alias non gravent, nec cum eis versentur, *ibid.*; libros computorum italice scribant, nullamque mercaturam, nisi vulgo dictam *cenciariam* exerceant, *ibid.*; medici si siut, christianos non curent, *ibid.*; menses xxx dierum computent in creditis exigendis, *ibid.*; statuta locorum servent, 500 *a*; contraveuicutium poenae, *ibid.* Iudaei Status Ecclesiastici solvere debent singulis annis, pro unaquaque synagoga, etiam demolita, decem ducatos hospitali cathecumenorum, 509 *a* et *seq.* Hoc statutum omnes iudaeorum congregationes in solidum obligat, 510 *b* et *seq.* Ministri congregationum, iuxta uniuscuiusque congregationis facultates, taxam imponere possunt et ad solvendum cogere, 511 *a*.

Iulius III, Papa ccxxiii, electus die viii et coronatus xxii mensis februarii mdl, 401 *b*.

Iuris patronatus et praesentationis concessiones revocatae quoad beneficia electiva, 2 *a*; et non electiva, *ibid. b*.

Iustinae (S.) de Padua congregatio. *V.* Cassiuensium monachorum congregatio.

L.

Lenones et lenae, pro vario criminis gradu, variis poenis, etiam extremo supplicio, damnantur, 537 *b* et *seq.*

Litterarum apostolicarum executionem impedientes a pluribus Pontificibus Maximis poenis variis mulctati, 163 *a* et *seq.* Clemens VII decernit quascumque ordinationes videndi litteras apostolicas ante earum executionem nullas esse, 165 *b* et *seq.*; deputatos in dictis litteris ad eas exequendum nullius indigere consensu, 166, *a*. Executioni se opponentium poenae, *ibid.*

Locationes bonorum ecclesiasticorum varia excitant litigia, cum antiqui conductores antelationes in novos praetendant, 228 *a*. Paulus III declarat eorum praetensiones iniustas, ideoque reiiciendas, 229 *a*.

Lutheri perversitas, 4 *a*; immanis audacia, 5 *a*; conciliis ipse detrahit, *ibid. b*; vitam licentiosam ducit, *ibid.*; se alterum Danielem iactat, 6 *a*; reapse tamen perfidum se ostendit, *ibid. b*; sacerdotes et Romanum Pontificem in suis sermonibus lacerat, *ibid.* Leo X hortatur Fridericum, Saxoniae ducem, ut Lutherum

dimittat, 9 *b*; denuo hunc hortatur et minatur, sed frustra, *ibid.* et *seq.*; praemia conversionis, poenas impoenitentiae denunciat, 10 *a*. Lutheri haeresis quanto citius extinguenda, ne nimium serpat sicut Ariana, 135 *a*.

M.

Maceratensis civitas studio generali decoratur, 283 *b* et *seq.* Officialium universitatis facultates, 284 *b*. Scholarium privilegia, *ibid.*

Malefici. *V.* Inquisitores haereticae pravitatis.

Mantua. *V.* Concilium oecumenicum.

Marcellus II, Papa CCXXIV, die IX aprilis MDLV electus, sequenti die coronatus, obiit die prima mai i eiusdem anni, 489 *a*. Nullam eius in hoc Bullario constitutionem aut bullam habes.

Marchia Anconitana (in) causae in prima instantia, coram iudicibus ordinariis pendentes, nec biscentum ducatos excedentes, avocari non possunt, 370 *a*. *V. etiam* Carpo (de) cardinalis.

Maria, Angliae regina. *V.* Hibernia.

Mariae (B.) Campi Martii, Ordinis S. Benedicti, sanctimoniales triennalem abbatissam habent, 128 *b*. Clemens VII, ad supplicationes conventus, approbat electionem Clarinae de Columna in abbatissam perpetuam, statuens omnes in futurum eligendas abbatissas, perpetuas fore, 129 *a* et *b*.

Mariae (B.) de Monte Carmelo fratres et sorores supplicant Clementi VII pro confirmatione privilegiorum Ordinis, 145 *b*. Qui ea confirmat cum extensione privilegiorum aliorum Ordinum, *ibid.* et *seq.* Fratres eximit a subiectione inquisitorum, 146 *a*. Eosque et consorores habilitat ad confessarium eligendum cum ampla absolvendi potestate, *ibid. b*, et ad usum altaris portatilis, in quo celebretur etiam tempore interdicti, 147 *a*. Indulgentias demum concedit omnibus benefactoribus Ordinis, *ibid. b*.

Mariae (B.) Maioris de Urbe archipresbyter omnes causas capituli, canonicorum et aliarum personarum ecclesiae cognoscit, 266 *b* et *seq.* Causae ab archipresbytero nemo avocare potest, 268 *a*. Isque procedit etiam in obligationibus cameralibus, *ibid. b*. Feriae non obstant in causis appellationis, *ibid.* Iurisdictio archipresbyteri se extendit ad habitantes in *Franco*, 269 *a*; contra quoscumque religiosos et privilegiatos, *ibid.* Poenitentiarii in dicta basilica per archipresbyterum deputantur, *ibid. b*.

Mariae (B.) virginitas. *V.* Trinitas.

Mariae Magdalenae (B.) monasterium pro impudicis mulieribus poenitentibus, quo auspice in Urbe fundatum, 92 *b*. Eius gubernatores quolibet mense ipsum visitare debent, 93 *a*. Facultas eisdem statuta condendi et mutandi, omniaque ordinandi ad bonum regimen opportuna, *ibid.*; bona alienandi et permutandi, *ibid.*; protectorem eligendi, *ibid.* Gratiae monialibus et benefactoribus concessae, *ibid. b*. Spolia meretricum monasterio applicantur, *ibid.* et *seq.* Detinentes earum bona, infra decem dies ab earumdem obitu, consignare debent, 94 *a*. Si quis ius in haereditatem pertendat, bona deponantur usque ad controversiae

definitionem, *ibid. b*. Bonis monasterio applicatis alantur illarum filii, *ibid.* Curati ecclesiarum hanc bullam publicent, si fuerint requisiti, 95 *a*. Notariis praecipitur revelare dispositiones testamentarias mulierum impudicarum, *ibid.* Dubia super praemissis definiuntur a iudicibus deputatis, *ibid.*

Martyres, Iesum Christum imitantes, sempiternam sui memoriam et exemplum venerabile militanti Ecclesiae reliquerunt, 18 *a*.

Matrimonia nonnulli contrahunt in gradibus probibitis, spe dispensationes facilius obtinendi post matrimonium contractum, 507 *a*. Paulus IV dispensationes huiusmodi se negaturum spondet, *ibid. b*.

Mechliniensis ecclesia. *V*. Cameracensis.

Medicis (de) Hippolytus card. *V*. Vicecancellariatus.

Medicorum collegium in Urbe statuit, sub poena xxv ducatorum, ne quis curam infirmorum susciperet, nisi prius rite probatus ab eodem collegio, 148 *b*. Sixtus IV hanc legem firmavit, aromatariosque examini subiecit, 149 *a*. Easdem et nonnullas alias leges a medicis conditas sancit Clemens VII, *ibid.* et *seq.* Collegium in antiquis privilegiis confirmatur a Iulio III, 471 *b*; privative, quoad alios quoscumque, in philosophia et medicina ad doctoris gradum promovet, *ibid. b*. Protomedicus privative cognoscit omnes causas medicinam concernentes, 472 *a* et *b*.

Mercatores. *V*. Ripales.

Mianus Hieronymus. *V*. Hieronymus Emilianus.

Milites S. Iacobi de Spatha, de Calatrava et Alcantara necnon Carolus V commendantur ob eorum virtutem in expugnatione plurium civitatum et dominiorum contra Mauros, 13 *a* et *seq.* Earumdem militiarum administratio quandoque regibus et ipsorum primogenitis data, 14 *b*. Causae cur perpetuo danda sit regibus, *ibid.* Castellae et Legionis regibus eiusque successoribus conceditur, 15 *b* et *seq.* Administrator nequit alienare bona immobilia aut mobilia, 17 *b*; antequam administrationem suscipiat, solvit Summo Pontifici iura consneta, *ibid.*; officium amittit, ubi a Sedis Apostolicae devotione se subtrahat, *ibid.*

Minoribus conventualibus (ex) nonnulli, concedente provinciali Marchiae, vitam eremeticam amplectuntur, et Clementi VII supplicant pro novae regulae approbatione, 113 *b*. Pontifex annuit, eisque concedit cum habitu peculiari barbam deferre, socios recipere, et eremitoria habere *ibid. a*; necnon privilegia fratrum Minorum et Camaldulensium, *ibid.*

Missa celebrari congruit non noctis tenebris, sed in luce, 297 *a*.

Monasterium pro impud. mulieribus conversis. *V*. Mariae Magdalenae (B.) monasterium.

Montis Coronae Eremitae. *V*. Camaldulenses Eremitae.

Mulieres a turpi vita conversae. *V*. Hieronymus Emilianus *et* Mariae Magdalenae (B.) monasterium.

N

Nardini collegii statuta quaedam et vices, 458 *b* et *seq.*

Nautae Tiberis et Anienis. *V*. Consulum artis nautarum in Urbe iurisdictio.

Neophyti. *V*. Cathecumenorum et neophytorum hospitale.

O

Observantes fratres omnes, Ordinis S. Francisci, comprehenduntur sub nomine Reformatorum, 156 *a*. In quibus, cum nonnulli strictius Regulam observare inceperint, distincta loca obtinent, *ibid*. *a* et *b*. Minister generalis aliique hanc strictiorem observantiam impedire vetantur, 157 *a*. Forma habitus una in tota Observantia, *ibid*. Volentes profiteri strictiorem observantiam, quomodo recipiendi, *ibid*. Quinam et quomodo amovendi, *ibid*. Custodem habeant Reformati in singulis provinciis, *ibid*. Eius potestas, *ibid*. *b*. Vocales in capitulis quinam sint, *ibid*. *b*. Quaenam in eis peragenda, *ibid*. Custodis officium triennio expletur, *ibid*. Ordo de Observantia multis meritis refulget, 490 *b*; a Romanis Pontificibus gratiis plurimis donatus, *ibid*. Martinus IV praesertim tribuit ei facultatem nominandi extra Ordinem personas pro oeconomis, syndicis *etc*., eosque ad libitum revocandi, 491 *a* et *seq*. Ioannes XXII facultatem abstulit, 492 *a*; Martinus V restituit, *ibid*.; Eugenius IV confirmavit, *ibid*.; Nicolaus V adiecit facultatem audiendi confessiones et administrandi sacramenta *ibid*. Ordo petit confirmationem a Paulo IV, qui libenter assentitur, *ibid*. et *seq*.; gratias concessas clarius explicat, 494 *a* et *seq*.

Officiales Camerae Apostolicae. *V*. Camera Apostolica.

Officiales Status Ecclesiastici, finito officio, rationem reddere debent, coram Papa aut eius legatis, gestorum tam per se, quam per deputatos ab eis, 124 *a*. Officiales condemnati in hoc syndicatu, appellare nequeunt, *ibid*. *b* et *seq*. Antequam officium ineant iureiurando adstringuntur fideliter se gerendi et cautionem praestant, 125 *a*. Solutio tertiae partis salarii in fine officii eis debitae suspenditur usque ad terminum syndicatus, *ibid*. Quo durante edictis publicis invitentur gravati ad exponendas querelas, *ibid*. Syndicantium facultas summarie procedendi, *ibid*. *b*. Multi tamen gravati querelas non proponunt, ut expensas itineris ad Urbem evitent, *ibid*. Clemens VII statuit officiales syndicari in loco officii, per commissarium Pontificis et alios, 126 *a*. A quibus condemnati ad Papam appellant, 127 *a*. Cautiones praestandae ab officialibus describuntur in libris R. Camerae Apostolicae, *ibid*. *b*.

Officiorum societates non contrahantur, nisi super officiis vacabilibus, et non ultra dimidium valoris officiorum, 505 *a*, *b* et *seq*.

Ornamenta cappellae cardinalis defuncti. *V*. Beneficia.

Orphani. *V*. Confraternitas *et* Hieronymus Emilianus.

Otho cardinalis Augustanus. *V*. Dilinga.

P

Pallavicinus Ioannes Baptista. *V*. Brixiensis communitatis studium.

Papae familiares. *V*. Familiares.

Papatum ambientes aut, Papa vivente eoque inconsulto, tractantes de eligendo futuro Pontifice, quam criminosi sint, 545 *a*, *b* et *seq*. In eos eorumque fautores poenae, 546 *a*, *b* et *seq*. Revelantium venia et praemium, 547 *b*.

Patriarchae sancti, angelorum susceptores, fide praeclari, Deum facie ad faciem videre meruerunt, 18 *a*.

Patrimonium Beati Petri et territorium Urbis pro tertia parte colere omnibus licet, 56 *b*. Iudices deputati differentias cognoscunt inter agrorum dominos et cultores, 57 *a*. Qui nequeunt impediri a baronibus aliisque possessoribus quominus frumentum ad Urbem deferant, *ibid. b*; a repressaliis molestiisque pro debitis eximuntur, 60 *a*; locationibus renunciare possunt, *ibid. b*; Romani et incolae advenis praeferri debent, *ibid.* Praediorum domini ementes a colonis frumenta supra usum familiarum suarum, aut impedientes frumentorum ad Urbem delationem poenis plectuntur, 61 *a*.

Pauli (S.) Decollati clerici regulares tria vota substantialia emittere possunt, dummodo in communi vivant et sub obedientia ordinarii, 160 *a*; propria statuta sibi conficiunt, *ibid. b*; obtinent a Paulo III facultatem emittendi tria vota substantialia, 191 *a* et *b*; habitum clericalem deferendi et in communi vivendi sub Sedis Apostolicae protectione ad quinquennium, *ibid. b*; praepositum ad triennium eligendi, aliosque ad Religionem recipiendi, *ibid.*; officia divina recitandi et sacramenta administrandi, 192 *a*. Praepositi auctoritas dispensandi cum infirmis et eos curantibus, circa officii recitationem et ieiunia, *ibid. a* et *b*. Confessoribus congregationis liceat uti speciali forma in absolvendo, *ibid. b*. Eamdem facultatem habent extranei in absolvendis personis Ordinis, *ibid.* Congregatio templum construere potest sub invocatione S. Pauli, *ibid.*; Canonicorum Regularium Lateranensium privilegiis gaudet, 193 *a*. Dictae gratiae in aevum firmantur, *ibid. b*. Iidem clerici multa damna patiuntur in suis possessionibus et privilegiis, 427 *b*. Iden Iulius III concedit eis conservatores et iudices cum amplis facultatibus, 428 *a*.

Paulus III Papa CCXXII, die XIII octobris MDXXXIV electus, die III novembris eiusdem anni coronatur, 173 *a*.

Paulus IV, Papa CCXXV, die XXIII maii MDLV electus et coronatus, obiit XVII augusti MDLIX, 489 *a*.

Peccatum non dimittitur, nisi restituatur male ablatum, 336 *a*.

Personae ecclesiasticae. *V.* Spolia.

Perusinae civitatis priores et communitas, per Guillelmum Poutanum oratorem a Clemente VII institutionem Rotae in dicta Urbe petunt, 139 *a*. Pontificis concessio et Rotae institutio, *ibid. b*.

Petri (S.) in Urbe basilica. *V.* Collegium sexaginta virorum.

Petrus (S.), apostolorum princeps, sibi et suis in Christi vicariatu successoribus sedem Romae constituit, 412 *b*; episcopalem cathedram, 531 *a*; urbem ipsam, una cum gentium Apostolo, martyrio consecrat, *ibid.* Paulus IV festivitatem Cathedrae S. Petri Romae celebrari iubet XV kalendas februarii, *ibid. b*; festum autem Cathedrae Antiochenae VIII kalendas martii, *ibid.*

Philippus II, Hispaniarum rex. *V.* Cameracensis ecclesia *et* Hibernia.

Pistorum universitas varia statuta conficit eorum artem concernentia, 467 *a*. Eorumdem statutorum vigore, consules artis definiunt omnes causas pecuniarias inter homines artis, *ibid. b*; inter extraneos autem, causas dumtaxat XX scutata non excedentes, *ibid.* Leo X decernit debitores pro pretio panis non ad-

mitti ad dilationes nec ad bonorum cessiones, *ibid.*; in causis panem concernentibus, a quocumque iudice summarie procedi mandat, 468 *a*. Pistorum universitas obtinet a Iulio III praedictorum confirmationem, *ibid.* et *seq.*

Poenitentiarii summi auctoritas et potestas a Sixto IV concessa confirmatur a Paulo III, 402 *a*. Qui deinde statuit inobedientes poenas incurrere in bulla Coenae Domini contentas, *ibid. b;* pariter impedientes summi poenitentiarii litterarum executionem, *ibid.;* eiusdem litteras apertas in utroque foro suffragari, *ibid.* Litteras Pauli praedicti, ob eius obitum non expeditas, Iulius III edit, 403 *b*.

Pontanus Guillelmus. *V.* Perusinae civitatis priores.

Pontifex Maximus universae ecclesiae pastor; imperator vero advocatus censendus, 14 *a*.

Populus Romanus. *V.* Senatus.

Portugalliae et Algarbiorum reges. *V.* Ioannes Lusitaniae rex.

Praelati quidam, testandi facultatem non habentes, ut ea aliquo modo potiantur, loca pia haeredes instituunt, quo praetextu multa legata illegitima faciunt, in Camerae Apostolicae praeiudicium, 382 *b*. Paulus III, ad obviandum malis praedictis, statuit decimam tantum partem bonorum loca pia acceptare posse, 383 *a*. Praelati saepe donationes inter vivos simulant, in Camerae Apostolicae praeiudicium, 433 *b*. Iulius III nullos huiusmodi actus declarat, nisi donatores per dies viginti donationibus supervivant, 434 *a*. Praelati in cappella Summi Pontificis assistentes amplissimam habent de suis beneficiis disponendi facultatem, 434 *b* et *seq.*; nobilitatisque decus cum usu insigniorum Papae, 435 *b*; a decimis eximuntur, necnon, pro sex vegetibus, a vini vectigali, 436 *a*. Indulto gaudent visitandi ecclesias suarum civitatum et dioecesum, et iura procurationis exigendi, *ibid.*; locandique ad biennium, etiam anticipata solutione, sua beneficia, *ibid. b*; libere disponendi de suis bonis, quamvis acquisitis ex fructibus beneficiorum, 437 *a*. Remittuntur eis fructus male percepti et omnis infamiae macula omnisque censura, *ibid.* Arrendationes pro dicto biennio factae praeiudicant successoribus, *ibid. b*; octo equites deauratos, quotquot notarios, tabelliones ac iudices ordinarios extra Romanam Curiam creare queunt, *ibid.*; illegitimos legitimare, 438 *a*; ad omnes gradus in utroque iure, theologia et artibus idoneos promovere, *ibid.*; sacros ordines, etiam extra tempora, conferre, *ibid.*; contra quoscumque criminosos in sua dioecesi procedere, *ibid. b*; ecclesias suarum dioecesum, etiam exemptas, visitare, *ibid.*; causas omnes, exceptis irregularitatem concernentibus, cognoscere, *ibid.*; propria beneficia resignare et permutare, *ibid.* et *seq.*; in eorum absentia a Romana Curia per quinquennium eximuntur a visitatione Liminum Apostolorum, 439 *b*; confessorem sibi eligunt cum specialibus facultatibus, *ibid.* et *seq.* Forma iuramenti praestandi a notariis, tabellionibus et iudicibus per dictos praelatos creandis, 442 *a*. Praelati panem habentes ex Palatio Apostolico sunt veri familiares et continui commensales Romani Pontificis, 481 *a*. Collatio beneficiorum ab eis obtentorum, cum per obitum illa vacabunt, Summo Pontifici reservatur, *ibid. b*. Archiepiscopi et episcopi ad claustra suorum Ordinum redeuntes officia consequi nequeunt, 565 *b*. Dispensationes desuper concessae annullantur, *ibid.*

Qui scienter illos ad officia eligunt, privantur iure eligendi, necnon voce activa et passiva, *ibid. V. etiam* Familiares *et* Spolia.

Praelatorum servitores. *V.* Familiares.

Principes christiani admonentur, ut contra Turcas conveniant, 10 *b*. Mala ex eorum discordia, *ibid.* Taurunum, vulgo Belgradum, et alia loca a Turcis capta, 11 *a*; Roma periclitans, *ibid.* Nuncii mittuntur ad principes, ut pacem inter se ineant, *ibid. b*; additis censuris ecclesiasticis ut induciae fiant, 12 *a*. Triennales induciae indicuntur, sub excommunicationis poena, *ibid b*. Dubia super induciis solvenda Pontifici reservata, 13 *a*.

Prophetae sancti, Deo secreta sua ostendente, ac Spiritu Sancto illuminante, ventura quasi præsentia enunciarunt, 18 *a*.

Publica poenitentia. *V.* Haeretici.

Q

Quaestorum facultates a commissariis hospitalium Urbis concessas revocat Clemens VII, 280 *b*. Huiusmodi revocationem innovat Paulus III contra quaecumque hospitalia et loca pia, fabrica basilicae S. Petri de Urbe excepta, 281 *a*; eleemosynas, hospitalibus, Ordinibus *etc.* nondum incorporatas, basilicae Principis Apostolorum applicat, *ibid. b*; quaestuas fieri prohibet, nisi de consensu praesidum dictae basilicae, 282 *a*; hospitalium, Ordinum *etc.* quaestoribus mandat receptas pecunias collegio fabricae persolvant, *ibid. b*; cui elargitur facultatem inobedientes compellendi, *ibid.*

Quindennia. *V.* Beneficia.

R

Referendarii utriusque signaturae Romani Pontificis fiunt Sedis Apostolicae notarii, comites Palatini verique nobiles, 287 *a*; Papae armis gentilitiis uti possunt, 288 *a*; notarios extra muros Urbis creant, *ibid*; illegitimos legitimant, *ibid.*; doctoris lauream conferunt in utroque iure, theologia et artibus, *ibid. b*; mitra, annulo et baculo pastorali utuntur, solemniter benedicunt, *ibid.* Unusquisque referendarius et duo eiusdem familiares litteras apostolicas et alias expeditiones gratis obtinent, 289 *a*; a vini vectigali, pro sex vegetibus, eximuntur, *ibid.*; item ipsi et eorum familiares nec non beneficia ab ordinariorum iurisdictione, *ibid.*; gratias expectativas et plura beneficia consequi possunt, 290 *a*, *b* et *seq.*; in quibuscumque provinciis beneficia retinere valent, veluti si in illis nati essent, 292 *b*. Referendarii absentes iussione Pontificis vel studii occasione, fructus beneficiorum percipere valent, *ibid.* et *seq.*; confessionalis privilegio gaudent, 293 *a*; facultatem habent utendi altari portatili necnon celebrandi in locis interdicto suppositis, *ibid. b*; indulgentias stationum Urbis consequuntur visitando duo aut plura altaria ab ipsis eligenda, 294 *a*; carnibus vesci possunt diebus vetitis, *ibid.*; horas canonicas, postposito ordine, recitare, *ibid.*; necnon

testari etiam de bonis acquisitis ex beneficiis, *ibid. b;* item resignare et permutare beneficia, 295 *a;* eorum officia sunt ad vitam, et primo admissi ceteris praeferuntur, 296 *a*. Referendariorum defensores, *ibid.* Declaratio circa beneficia, *ibid. b;* confessionalo, 297 *a;* facultatem celebrandi ante diem, recitandique horas canonicas, et disponendi de bonis ecclesiasticis, *ibid.* Forma iuramenti notariorum, tabellionum et iudicum a referendariis creandorum, *ibid. b.* Moderatio privilegii circa vectigal vini, 298 *a*.

Regulares extra claustra vagantes et apostatae a Pontificibus Maximis pluries revocantur ad stabilitatem et Regulae observantiam 538 *b* et *seq.* Paulus IV contra huiusmodi abusus severius insurgit, 539 *b;* contravenientium fautoribus poenas etiam infligit, 540 *b;* item patronis apostatas ad beneficia praesentantibus, *ibid;* ordinarios et superiores contra eos procedere iubet, *ibid.* Apostatae ad poenitentiam reversi peculiare biretum gestare tenentur, 541 *a*. Professis, extra claustra manere cupientibus, modus procedendi praescribitur, *ibid.* Apostatarum translationes nullae sunt, nisi ad parem vel arctiorem Ordinem, *ibid. b* et *seq.* Privilegia recipiendi fratres aliorum Ordinum revocantur, 542 *a*.

Rei forsan torquendi, extra carceres non audiantur, 504 *b*. Confessi non relaxentur, poena non soluta, *ibid.*

Resignationes beneficiorum. *V.* Beneficia.

Ripae almae Urbis camerarius privative, quoad alios iudices, cognoscit omnes causas ripales criminales, sententiasque executioni demandat, 194 *a*. Sine eius consensu, relaxari nequeunt carceribus mancipati propter debitum ripale, *ibid. b.* Sui tantum executores eius mandata exequi possunt, *ibid.*

Ripa et Ripetta almae Urbis. *V.* Consulum artis nautarum in Urbe iurisdictio.

Ripales debitores ad dilationes admitti non debere, a pluribus Summis Pontificibus statutum fuit, 390 *a*. Quidam hoc statutum se non respicere praetendunt, *ibid. b.* Paulus III mandatum validat contra quoscumque, 391 *a;* mercatorum ripalium libris iuncto libro proxenetarum, credi iubet, *ibid.* Mercatorum huiusmodi praelationes quoad alios creditores, *ibid.* et *seq.*

Romanae Curiae iudices et officiales vetantur concedere transumpta supplicationum et mandata capiendi beneficiorum possessionem, litteris apostolicis desuper non expeditis, 188 *a*. Utentes dictis transumptis et mandatis amissionem incurrunt beneficiorum fructuumque iam perceptorum et inhabilitatem ad eadem beneficia, *ibid. b. V.* Cancellariarum criminalium concessiones *et* Collegium scriptorum.

Rosarii Beatae Mariae Virginis confraternitas a pluribus Romanis Pontificibus indulgentias et privilegia obtinet, 168 *b*. Quae confirmat Clemens VII, *ibid.;* declarat, ad consequendum indulgentias, satis esse Rosarium in hebdomadae cursu recitare, *ibid.;* novas addit indulgentias, 169 *a*.

Rotae Romanae auditores pluralitate beneficiorum gaudent, 81 *a* et *seq.;* facultatem habent absolvendi sicut ordinarii, 83 *a;* testandi etiam de bonis acquisitis ex beneficiis, *ibid.;* transferendi et resignandi beneficia, *ibid. b;* et extra ea residendi, 84 *a;* recitandi horas canonicas, horis postpositis, *ibid. b;* confessorem sibi eligendi qui eos absolvat a pluribus casibus reservatis, *ibid. b;* celebrandi ante diem et in locis interdictis, 85 *a;* consequendi indulgentias stationum Ur-

bis, propriam cappellam vel altaria sibi eligenda visitando, *ibid. b;* carnes, ova et lacticinia tam ipsi quam eorum familiares, omni tempore comedendi, *ibid.* Auditorum privilegium circa expectativas, *ibid.* et *seq.;* circa formam publicandi provisiones beneficiorum, 86 *a*. Bullae pro eis gratis expediuntur, *ibid. b* et *seq.* Ab ordinariorum iurisdictione, a decimis, vectigalibus, *etc.* iidem eximuntur, 87 *b*. Declarationes variae circa praedicta, 91 *a* et *seq.* Auditores pluribus privilegiis a variis Pontificibus Maximis donati, 254 *b*; quae confirmat Paulus III, *ibid.;* et auditoribus communicat concessa et concedenda referendariis apostolicis, 255 *a;* illosque eximit a gabella vini, *ibid. b* et *seq.*

Rota seu tribunal in civitate Bononia Status Ecclesiastici instituitur, causasque ab illa avocare prohibetur, 189 *b* et *seq.*

S

Salaria lectorum Universitatis Romanae. *V.* Senatus.

Salinae, in praeiudicium Rev. Camerae a nonnullis fabricantur, 109 *a*. Poenae in fabricantes necnon in subditos impedientes venditionem vel asportationem salis R. Camerae, *ibid. b*. Non subditi, per quorum terras sal asportatur, ut modis omnibus faveant, invitantur, 110 *a*.

Saxonum fides commendatur, 3 *b*.

Scriptores archivii Romanae Curiae. *V.* Collegium scriptorum.

Sedis Apostolicae seu Romanae Ecclesiae subditi sub alienis vexillis militare vetantur, 226 *b* et *seq.* Transgressores pluribus temporalibus et spiritualibus poenis afficiuntur, 227 *b* et 469 *b* et *seq.*

Senatus populique Romani iura et privilegia a Clemente VII confirmantur, 111 *b*. Redditus *gabellae terrae* vini in Urbe destinantur pro salario lectorum Universitatis Romanae, *ibid.* Leo X, praefinitis eorum salariis, quamdam vectigalium portionem in augmentum salarii conservatorum Urbis et aliorum officialium decernit, et si quid supersit, in moenium reparationem Urbis impendatur, *ibid.* et *seq.* Ubi non sint lectores, portio eis decreta, in reparationem tota impendatur, 112 *a*. Actu tantum legentibus solvenda salaria, *ibid.* Concessiones in contrarium, irritae declarantur, *ibid.* Moenia non reficiantur, absque consensu personae a S. Sanctitate deputandae, quae rationem de exactis et expensis reddat, 113 *a*.

Servarum insula a Carolo V expugnata, 14 *a*. Rex ipse commendatur ob eius contra Mauros profligandos virtutem, *ibid.*

Servorum Beatae Mariae Virginis fratres, beneficia ecclesiastica obtinentes, aut exercentes officium poenitentiarii, nequeunt vocem habere activam vel passivam, aut domibus Ordinis commorari, 421 *b* et *seq.* Fratribus professis ad laxiorem Ordinem transire, et extra domus Ordinis commorari vetatur, 422 *a*.

Sexaginta viri a fabrica Vaticani. *V.* Collegium sexaginta virorum.

Silvestri et Martini (Ss.) ecclesia, in Montibus de Urbe, stationem habebat quinta feria quartae hebdomadae Quadragesimae, 556 *a*. Confirmat Paulus IV, *ibid. b*.

Silvestrinorum congregatio, Ordinis S. Benedicti, Hieronymum Pacificum in suum priorem generalem eligit ad vitam, 359 *a*. Postea cum utilior visa esset electio

ad triennium tantum, interiectis duobus annis ad novam electionem, petit et obtinet a Paulo III huiusmodi provisionem, *ibid.* *b* et *seq.* Prioris electio ad capitulum generale pertinet, 360 *b*. Prioris auctoritas totalis est, *ibid.* Prioratus nemini commendari potest, 361 *a*.

Societas Iesu a Sancto Ignatio de Loyola et quibusdam sociis Romae instituitur, 303 *b* et *seq.* Qui vitae regulam sibi proponunt, quam multi laudant et amplectuntur, 304 *a*. Regulae expositio, *ibid.* et *seq.* Paulus III institutum approbat, praefiniens numerum sociorum, 306 *a* et *b*. Praepositi generalis libera est administratio et perpetua, 394 *a*. Certis tamen casibus removeri potest, *ibid.* *b*. Eius circa missiones potestas, *ibid.* Nulla dignitas a sociis, absque praepositi consensu; nulla a praeposito, absque consensu Societatis acceptari potest, *ibid.* Appellatio a correctione Regulae non datur, 395 *a*. Superiores non tenentur aliquem ad praelati cuiusquam ministerium deputare, *ibid.* Deputati ad negotia, transferri queunt a praeposito, *ibid.* Qui per se vel alios potest omnes socios absolvere et circa irregularitatem cum eis dispensare, paucis exceptis casibus, *ibid.* Absoluti, qui vota emiserint, mox Societatem ingredi tenentur ne in censuras relabantur, *ibid.* *b*. Personae Societatis cuinam debeant confiteri, *ibid.* Qui voverint hanc Religionem, alium Ordinem, praeter Carthusiensium ingredi nequeunt, 396 *a*. Apostatae et insolentes coerceantur a praeposito, *ibid.* Societatis exemptio a superioritate ordinariorum, *ibid.;* facultas celebrandi super altare portatili et tempore interdicti, *ibid.;* suis familiaribus ministrandi sacramenta et sepulturam, *ibid.* *b;* eosdem admittendi ad divina officia tempore interdicti, *ibid.* Contra Societatis privilegia a nemine ferri possunt censurae, nec interpretatio dari, *ibid.* Qui Societatis concionibus intersunt, missas audire et sacramenta ibidem recipere possunt, *ibid.* Socii, volente praeposito, possunt a quolibet antistite in sacris promoveri, 397 *a;* in terris infidelium et haereticorum commorari, *ibid.;* non tenentur ullam suscipere visitationem, iustitiae ministrationem, curamve monialium, *ibid.;* nec ad ullas contributiones, *ibid.* *b*. Bona vel collegia Societatis auctoritate apostolica censeantur donata vel erecta, 398 *a*. Idem intelligatur de bonis pro collegiorum sustentatione donatis, *ibid.* Ecclesiae benedicuntur et consecrantur a quolibet episcopo, et de novo ubique construuntur, *ibid.* Superiores cum sociis dispensant in pluribus casibus, *ibid.* *b*. Socii confessores quorumcumque confessiones audiunt, omnibusque sacramenta ministrant, praeterquam tempore Paschatis et in articulo mortis, *ibid.* Visitantibus ecclesias Societatis indulgentiae conceduntur, 399 *a*. Praepositus generalis lectores theologiae deputat, *ibid.* *b*. In terris infidelium et partibus remotissimis socii rite absolvunt etiam a casibus in bulla Coenae Domini reservatis, *ibid.;* dispensant quoad infidelium matrimonia, *ibid.;* ecclesias erigunt, paramenta benedicunt, *ibid.;* decedente praeposito provinciali, alium eligunt, *ibid.;* missam bis in die interdum celebrant, *ibid.* Privilegia omnia confirmantur, 400 *a*. Professio ubique emitti potest, concedente praeposito, *ibid.* Numerus coadiutorum qui recipi queunt a praeposito, indeterminatus est, *ibid.* Ipse etiam per alios munus suum exercet, *ibid.* Societas eiusque personae principibus et praelatis commendantur a Paulo III *ibid.* Illa supplicat Iulio III, ut aliqua obscurius dicta in Formula seu Regula vivendi approbata a Paulo III, explicare dignetur,

423 *a*. Annuit Pontifex clariore Regulae expositione, *ibid.* Praepositi generalis auctoritas, *ibid. b*. Obedientia praestanda Romano Pontifici et Sedi Apostolicae, 424 *a*. Votum emittunt Iesuitae obediendi Romano Pontifici, cum eos ad praedicandum ad infideles mittit; quod ultra tria consueta, quartum est, *ibid.* Obedientia a sociis praestanda praeposito, *ibid. b*. Ipsius munus, *ibid.* Domus professae perpetuam paupertatem vovent, *ibid.;* non tamen collegia, quae, pro studentium sustentatione, bona stabilia possident, 425 *a*. Collegiorum gubernatio tota penes praepositum vel Societatem est, *ibid.* Socii in sacris constituti officium privatim recitare, necnon victu et vestitu honestorum sacerdotum morem sequi tenentur, *ibid. b*. Ad professionem non admittuntur, nisi diu probati, *ibid.* Coadiutores et scholares vota sua debent emittere, aliqui vero tria vota solemnia emittere possunt, *ibid.* et *seq.* Iulius III institutum confirmat et omnia Societatis privilegia, 426 *a;* denuo innovat et ampliat, 464 *b* et *seq.* Praepositus generalis horas recitationis officii commutare potest, 465 *b;* et ipsum officium in alias orationes, pro sociis infirmis, *ibid.;* scholares et socios promovere ad gradus academicos, etiam doctoris, in Societatis collegiis, *ibid.* et *seq.;* suas facultates aliis delegare, 466 *a*. Religiosis senio confectis, vel aliqua infirmitate gravatis conceditur usus propriorum redituum, *ibid. b*.

Societates officiorum. *V.* Officiorum societates.

Spiritus (S.) in Saxia hospitale multo aere alieno gravatum, 514 *b*. Suppressa eius praeceptoria, administrandum tradit Iulius III confraternitati a se institutae, *ibid.* et *seq.* Quod remedium cum insufficiens reperiretur, revocata Iulii dispositione, praeceptoriam restituit Paulus IV, 515 *b* et *seq.*; praeceptoremque constituit Franciscum Cappellum, 516 *b*.

Spolia ecclesiasticarum personarum ad Cameram Apostolicam spectant, 317 *a* et *seq.;* distrahunt saepe praelati, sub specie donationum inter vivos, 378 *b*. Quae nullae declarantur, nisi praelati viginti dies supervixerint donationibus, *ibid.* Spoliorum causae, in Italia, a quibuscumque iudicibus avocantur, et remittuntur thesaurario generali Summi Pontificis, 512 *b* et *seq.*

Subsidium triennale. *V.* Camera Apostolica.

Synagoga quaecumque hebraeorum Status Ecclesiastici decem ducatos annuos domui cathecumenorum solvere debet, 484 *a* et *seq.*

Syndici et procuratores fratrum Minorum de Observantia et monialium S. Clarae multos labores in ministerio sustinent, 106 *a*. Ipsi idcirco eorumdemque uxores et filii donantur a Summo Pontifice omnibus gratiis dictorum fratrum et privilegio fori, *ibid.*

T

Taurunum, vulgo Belgradum, urbs Pannoniae, a Turcis capta, 11 *a*.

Theatina civitas, amplitudine celebris, in novem alias civitates, quamplura oppida et castra dominatur, et proprium viceregem habet, 107 *a*. Eius ecclesia cathedralis in metropolitanam erigitur, assignatis ecclesiis suffraganeis, novisque redditibus metropolitanae, *ibid. b*.

Theatinorum congregatio clericorum regular. ab Ioanne Petro Caraffa, episc. Theatino, et Caietano Thienæo, presbytero Vicentino erecta, approbatur, 73 *a* et *b*. Facultas ei datur eligendi praepositum, et ad Religionem recipiendi, *ibid.*; propria statuta condendi, 74 *a*, privilegiisque Canonicorum Lateranensium gaudendi, *ibid.* Theatini studiis, praedicationibus et confessionibus vacantes, 161 *a*; a Clemente VII, eorum praeposito mediante, dispensationem obtinent super recitatione officiorum, lectionibus, ieiuniis et absolutione in confessionibus a censuris, *ibid.*; ab omni superioritate eximuntur, *ibid. b*. Intrantes eorum congregationem implent votum Religionis, 162 *a*; superiores Ordinis ad triennium confirmari possunt, *ibid.* Religiosorum habitus, caeremoniarum ritus, officialium munus, mensae benedicendi modus, quinam vocales in capitulo, *ibid.* Privilegia et gratiae omnium Ordinum eisdem conceduntur, *ibid.*

Tortura. *V.* Carceribus detenti *et* Rei.

Transumpta supplicationum. *V.* Romanae Curiae indices.

Tridentinum concilium. *V.* Concilium oecumenicum.

Trinitas divinarum personarum, divinitas Iesu Christi, eius conceptio de Spiritu Sancto, eiusque mors ut nos redimeret, beataeque Dei Genitricis virginitas a nonnullis denegatur, 500 *b* et *seq.* Qui haeretici declarantur, atque ad abiurandum, infra datum terminum, in manibus inquisitorum, monentur, 501 *a*. Sponte abiurantes, dummodo non relapsi, plenariam remissionem consequuntur, *ibid. b*. Impoenitentes et de cetero errantes poenas relapsorum incurrunt, 502 *a*.

Trinitatis (SS.) Redemptionis captivorum Ordo facultatem habet quaerendi eleemosynas, 65 *b*. Ordinarii, abbates et generatim universi faveant fratribus Ordinis in quaestuis, *ibid. b* et *seq.* Qui non sunt mendicantes, sed tantum quaerentes eleemosynas ad opus redemptionis, 66 *a*. Ideoque ab aliis religiosis impediri nequeunt, *ibid.* Interdictum suspenditur, occasione eorum adventus, in locis illi suppositis, *ibid. b*. Ordinis molestatores excommunicantur, *ibid.*; benefactores indulgentias consequuntur, 67 *a*. Fratres eorumque loca, in Regno Portugalliae, gaudent iisdem privilegiis quibus fratres et loca eiusdem Ordinis in provinciis Castellae et Legionis et Bethicae, 183 *b* et *seq.*

Turcae minitantur Romanae urbi, 11 *a*.

U

Ultraiectina ecclesia. *V.* Cameracensis.

Unitate et charitate mutua cessante, nihil Deo acceptum, 12 *b*.

Universitas Dilingana. *V.* Dilinga.

Universitas Studiorum Urbis. *V.* Senatus.

Uxores nequeunt a suis maritis cautiones praetendere de non offendendo, neque cum eisdem litigare, nisi prius in aliquo loco honesto receptae, 256 *b* et *seq.*

V

Vaticani fabrica. *V.* Collegium sexaginta virorum.

Vezeliacensis monasterii fundatio, dotatio, exemptio a quacumque ordinarii iurisdictione, eiusque abbatum privilegia, 233 *b*. Monasterium saecularizatur, 234 *b*.

Causae saecularizationis, inter quas Francisci Francorum regis et abbatis postulatio, *ibid.* et *seq.* Claustralia et monachalia officia supprimit Paulus III, 235 *b*; ea ad statum saeculare transire iubet, 236 *b*. Monachi saecularizati, habitum, monasticum deferre possunt et antiquis privilegiis gaudere, 237 *a*. Abbatia saecularis erigitur, abbatique usus pontificalium conceditur, *ibid. b*. Aliae dignitates instituuntur, *ibid.* Leges nonnullae pro numero et portionibus canonicatuum, 238 *a*. Mensae capitulari prioratus uniuntur, lege adimplendi annexa onera, 239 *a*. Norma sedendi dignitates obtinentibus praescribitur, *ibid. b*. Psalmodiae et missarum celebrandarum modus, 240 *a*. Dotes requirendae in promovendis ad cappellanias, *ibid. b*. Res et bona capituli qua ratione sint administranda, 241 *a*, *b* et *seq.* Peculiares redditus dignitatibus assignati, 242 *b* et *seq.* Spolia monachorum decedentium ab intestato spectant ad abbatem, 243 *b*. Bona mensarum non arrendanda nec alienanda, *ibid.* Ius nominandi ad abbatiam Francorum regi concessum, *ibid.*; ad canonicatus vero, alternative regi et abbati, *ibid.*; ad dignitates et personatus, abbati, *ibid.*; ad beneficia a prioribus dependentia, capitulo, 244 *a*. Causae capitularium a capitulo ipso cognoscuntur, *ibid.* Abbas et capitulum ab ordinarii iurisdictione eximuntur, *ibid.* Capituli facultas condendi statuta pro meliori rerum directione, *ibid b*; cum abbatibus et monachis dispensat a quacumque irregularitate, eosque ad quaecumque beneficia, etiam saecularia, habilitat, 245 *a*, *b* et *seq.*

Vicarius Summi Pontificis facultatem habet monasteria et religiosos visitandi et coercendi, 349 *b*; causas sexaginta florenos non excedentes et alias quamplures iuxta stilum Curiae et commissiones, definiendi, 350 *a*; appellationes a quinque florenis infra reiiciendi, *ibid.*; moratorias in eis denegandi, *ibid. b*; carceres visitandi, *ibid.*; iudæorum, monachorum, hospitalium *etc.* causas iudicandi, *ibid.*; synodum Romani cleri congregandi, *ibid.*; ordines conferendi, ecclesias consecrandi, vetita exercitia puniendi, 351 *a;* blasphematores, periuros, usurarios et quoscunque criminosos coercendi, *ibid.*; eorum mulctas piis operibus applicandi, *ibid.*; causas civiles et criminales clericorum Urbis, matrimoniorum spiritualium *etc.* cognoscendi, *ibid. b*; item causas alienationis vel permutationis bonorum ecclesiasticorum, 352 *a*. Vicarius in praemissis est iudex ordinarius, *ibid.* Eiusdem iurisdictio in causis hebræorum de Urbe, 404 *b*.

Vicecancellarii Papae officium et ecclesia S. Laurentii in Damaso de Urbe conferuntur cardinali Hippolyto de Medicis, 153 *b* et *seq.*

Vincentius cardinalis Neapolitanus a Paulo III, Placentiam discessuro, legatus a latere in alma Urbe deputatur, 248 *a* et *b*. Legatus omnes causas cognoscit, et quoscumque, etiam exemptos, punire potest, *ibid. b* et *seq.*; derogare privilegiis et constitutionibus per signaturam iustitiae derogari solitis, 249 *b* et *seq.*; referendarios signaturae iustitiae unum vel duos deputare, 250 *a*. Eiusdem facultas beneficia conferendi, *ibid.*; ius dicendi contra officiales Romanae Curiae et alios, 251 *a*; dispensandi quoad plura beneficia, aetatem et natalium defectum, *ibid.*; derogandi regulae Cancellariae et iuri patronatus, *ibid. b*; absolvendi a censuris, 252 *a*; commissiones in forma *Si in evidentem* super alienationibus bonorum ecclesiasticorum concedendi, *ibid.*; omnia, prout Papa, faciendi, quae ad honorem Romanae Ecclesiae conducunt, 252 *b*.

Virginitatem servanti tantum datur propius coelestia contemplari, quantum ea virtus a terrenis sordibus longius abest, 31 *a*.
Visitatores carcerum almae Urbis possunt quidem pauperibus propter debita carceribus detentis dilationes concedere, non autem ipsorum fideiussoribus, 443 *a*.

W

Waltkirk Balthassar episcopus Melitensis creatur, 141 *a* et in nota.

INDEX ALPHABETICUS PONTIFICUM

Clemens VII	habet Constit.	L.	Marcellus II	habet Constit.	.
Hadrianus VI	»	VI.	Paulus III	»	LXV.
Iulius III	»	XXXV.	Paulus IV	»	XXXII.

IDEM CHRONOLOGICE DISPOSITUS

Hadrianus VI	Anno 1522	*pag.* 1	Iulius III	Anno 1550	*pag.* 401
Clemens VII	» 1523	» 26	Marcellus II	» 1555	» 489
Paulus III	» 1534	» 173	Paulus IV	» 1555	» 489

INDEX INITIALIS

A.

Ab ea, 507.
Accepimus nuper quod dudum, 374.
Accepimus nuper quod licet, 119.
Accepimus per statuta, 375.
Accepimus vos, 445.
Ad canonum, 143.
Ad dominici gregis, 224.
Ad fidei constantiam, 409.
Ad hoc, 427.
Admonet nos incumbentis, 169.
Admonet nos suscepti, 48.
Ad onus, 384.
Ad sacram, 56.
Æqua, 558.
Alias, 265.
Altitudo, 307.
Apostolicae nobis, 128.
Apostolicae Sedis consueta, 104.
Apostolicae Sedis providentia, 514.
Attendentes, 255.

B.

Benignitas Sedis, 259.

C.

Conquestionibus, 62.
Consueverunt, 218.
Convenit aequitati, 81.
Copiosus in misericordia, 455.
Cum ad tollenda, 430.
Cum alias dilecti filii, 118.
Cum alias nos, 389.
Cum autem, 420.
Cum carissimus, 130.
Cum civitates, 463.
Cum de viribus, 121.
Cum dilectus, 346.
Cum dudum, 67.
Cum ea firmius, 443.
Cum ex apostolatus, 551.
Cum ex corpore, 92.
Cum ex multorum, 97.
Cum gravissimae, 379.
Cum nimis, 498.
Cum nobis constet, 194.
Cum nobis, inter alia, 188.
Cum nos, 111.
Cum nuper ad amputandum, 98.
Cum nuper, ex rationabilibus, 442.

Cum postquam, 390.
Cum proximo, 137.
Cum quorumdam, 500.
Cum Redemptor, 203.
Cum saepius, 507.
Cum, secundum Apostolum, 545.
Cum, sicut accepimus, ad parcendum, 266.
Cum, sicut accepimus, alias, 371.
Cum, sicut accepimus, diversa capitula, 316.
Cum, sicut accepimus, diversae mulieres, 256.
Cum, sicut accepimus, fratres, 421.
Cum, sicut accepimus, licet, 486.
Cum, sicut accepimus, nonnulli, 370.
Cum, sicut accepimus, universitatem, 404.
Cum, sicut accepimus ex plurimorum fide dignorum, 302.
Cum, sicut ex relatione, 135.
Cum, sicut fide dignorum, 453.
Cum, sicut nobis exponi fecistis, 467.
Cum, sicut nobis innotuit, 152.
Cum, sicut nobis nuper innotuit, diversi, 417.
Cum, sicut nobis nuper innotuit, saepius, 377.
Cum, sicut nuper, 482.
Cum venerabiles, 502.
Cupientes Camerae, 473.
Cupientes indemnitati, 557.
Cupientes iudaeos, 336.
Cupientes ut alma, 412.
Cura pastoralis officii..... in regnis, 378.
Cura pastoralis officii..... regnorum, 433.

D

Debita, 286.
Decens esse censemus et aequum, 533.
Decens esse censemus ut ii, 365.
Decet, 369.
Dominus, 275.
Dudum admonente, 76.
Dudum, ex certis, 420.
Dudum felicis recordationis, 190.
Dudum postquam, 509.
Dudum pro parte, 160.
Dudum, uti nobis, 24.
Dum ad universas, 320.
Dum consideramus, 106.
Dum intra, 13.
Dum sollicita, 459.

E

Eius, qui immobilis, 195.
Etsi ad singula, 153.
Etsi cunctis, 362.
Etsi ex iniuncto, 556.
Etsi ex sollicitudinis, 140.
Etsi temporalium, 168.
Ex apostolicae, 150.
Excelsus, 18.
Ex clementi Apostolicae Sedis, 270.
Ex clementi Sedis Apostolicae...... profectu, 490.
Ex clementi Sedis Apostolicae..... sub Religionis, 144.
Ex debito pastoralis officii, ad ea, 366.
Ex debito pastoralis officii, meritis, 264.
Ex iniuncto nobis desuper apostolicae, 189.
Ex iniuncto nobis desuper, meritis, 285.
Exponi nobis nuper fecerunt, 229.
Exponi nobis nuper fecisti per dilectum, 139.
Exponi nobis nuper fecistis quod licet, 392.
Exponi nobis nuper fecistis quod vos, 73.
Exposcit debitum pastoralis officii, cui, disponente, 358.
Exposcit debitum pastoralis officii, cui nos, 422.
Ex supernae, 233.

G.

Gloriosus in sanctis, 543.
Gratum Deo, 65.

I.

Illius, per quem, 489.
Illius qui, misericors, 414.
Illius, qui pro dominici, 353.
Illius vices, 205.
In apostolici, 318.
Incumbentia, 523.
Ineffabilis, 531.
In eminenti, 283.
Initio nostri, 337.
Iniunctum nobis desuper apostolicae, 383.
Iniunctum nobis desuper, meritis, 496.
In multis, 478.
In sacra, 565.
In sancta, 69.
In supernae, 148.
In suprema militantis, 155.
Inter ceteras curas, quibus ex apostolatus, 528.
Inter ceteras curas, quibus ex ministerio, 505.
Inter curas, 182.

L.

Licet ab initio, 344.
Licet a diversis, 431.
Licet debitum, 394.
Licet ea, 405.
Licet ecclesiarum, 349.
Licet ex iuris, 504.
Licet nuper, 312.
Licet potestatis, 248.
Licet variae, 132.

M.

Meditatio, 381.
Meritis, 471.
Monet, 10.

N.

Non sine, 217.
Nuper felicis recordationis, 55.

Nuper, postquam, 280.
Nuper pro parte, 96.
Nuper volentes, 483.

O.

Officii nostri, 262.
Onus pastoralis, 123.

P.

Pastoralis officii, 193.
Pastoris aeterni, 484.
Piis fidelium, 548.
Placuit, 115.
Postquam, 538.
Praeclara, 446.
Pro iniuncta, 109.

Q.

Quoniam, 108.

R.

Rationi congruit et convenit aequitati, 26.
Rationi congruit et convenit honestati ut ea . . . . confectae, 173.
Rationi congruit, et convenit honestati, ut ea . . . . desuper, 38.
Rationi congruit, et convenit ut ea, 401.
Regimini, 303.
Religionis, 113.
Romani Pontificis consueta, 254.
Romani Pontificis praecellens, 373.
Romani Pontificis providentia circumspecta dubia, 317.
Romani Pontificis providentia circumspecta nonnumquam, 258.
Romanus Pontifex, Christi, 298.
Romanus Pontifex ex iniuncto, 74.
Romanus Pontifex ex sua circumspecta, 434.
Romanus Pontifex nonnumqnam, 518.
Romanus Pontifex qui ex assueta, 382.

Romanus Pontifex, qui solet, 163.
Romanus Pontifex, qui vices, 132.

S.

Sacrae Religionis sinceritas, 158.
Sacrae Religionis, sub qua, 464.
Sanctissimus....., accepto, 1.
Sanctissimus....., attendens auctoritati, 530.
Sanctissimus....., attendens non aequum esse, 513.
Sanctissimus....., computandos, 103.
Sanctissimus....., cui dudum, 186.
Sanctissimus....., huiusmodi, 171.
Sanctissimus....., pro bono regimine, 475.
Sanctissimus....., provide attendens, 99.
Sanctissimus....., provide considerans, 185.
Sanctissimus....., qui dudum, 102.
Sanctissimus....., qui in crastino, 313.
Sanctissimus....., qui in crastinum, 532.
Sanctissimus....., quod a nonnullis, 481.
Sanctissimus....., quod licet, 476.
Sanctissimus....., volens, 537.
Satis, 3.
Si diffusis, 228.
Superioribus, 226.
Super universas . . . . cui omnia obediunt, 559.
Super universas . . . . cui universa deserviunt, 107.

U.

Ut electiones, 368.
Ut exactio, 512.

V.

Vestrum Ordinem, 117.
Videntes, 469.
Vota, per quae, 160.

INDEX RUBRICARUM

HADRIANUS VI.

I. Declaratio et revocatio concessionum iuris patronatus et praesentandi ad beneficia ecclesiastica, a Sede Apostolica et eius officialibus ab anno primo pontificatus Innocentii Papae VIII citra factarum, *pag.* 1.

II. Hortatur Fridericum, Saxoniae ducem, ut Martinum Lutherum haeresiarcam dimittat, eiusque relictis erroribus, catholicam fidem sequatur, 3.

III. Ad parandam expeditionem contra Turcas treugas triennales principibus christianis indicit, sub poena excommunicationis incurrenda per infractores, 10.

IV. Administratio militiarum Sancti Iacobi de Spatha, de Calatrava et de Alcantara, in regnis Hispaniarum institutarum, Ordinum Sancti Augustini et Cisterciensis, coronae regiae perpetuo conceditur, cum omnibus iuribus quae earum magni magistri habere consueverunt, 13.

V. Canonizatio Sancti Bennonis, episcopi Misnensis, eiusque in sanctorum confessorum numerum relatio, cum eius festivitatis pro die decimasexta maii institutione, et indulgentiarum pro ea die ad illius sepulcrum quotannis accedentibus elargitione, 18.

VI. Contra christianam fidem susceptam abnegantes, sacramentis abutentes, sortilegiisque et maleficiis alios laedentes, ab inquisitoribus haereticae pravitatis graviter puniendos, 24.

CLEMENS VII.

I. Canonizatio sancti Antonini, archiepiscopi Florentini, professoris Ordinis fratrum Praedicatorum Sancti Dominici, cum institutione suae festivitatis pro die II mensis maii, ex constitutione Hadriani VI, 26.

II. Gratiae, immunitates et privilegia abbatis conventus fratrum S. Antonii Viennensis, Ordinis S. Augustini, ex constitutione Leonis X, 38.

III. Institutio collegii LX virorum, ad curandam perfectionem fabricae basilicae S. Petri principis apostolorum de Urbe, cum facultate deputandi iudicem ad cognitionem causarum interesse dictae fabricae concernentium, 48.

IV. Iurisdictio iudicis curiae Ripettae almae Urbis, cognoscendi causas civiles occasione mercium per Ripettam vehendarum et nonnullas causas criminales, 55.

V. Privilegia pro abundantia rei frumentariae et agricultura in districtu almae Urbis, 56.

VI. Iurisdictio et facultates conservatorum Ordinis fratrum Minimorum S. Francisci de Paula in litibus, causis et controversiis, 62.

VII. Facultas fratrum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum quaerendi eleemosynas pro opere dictae redemptionis, non obstante quacumque prohibitione contra quaestores, 65.

VIII. Confirmatio et extensio constitutionum a praedecessoribus Pontificibus editarum circa ea, quae observanda sunt quoad impetrationes beneficiorum ecclesiasticorum consistorialium, 67.

IX. Approbatio et extensio constitutionum Pii II, Pauli II, Sixti IV, Iulii II et Leonis X contra homicidas, bannitos sumentesque vindictam de propinquis offendentis, nec non brigosos, *etc.*, ac barones et communitates eorum territoria a praedictis non custodientes in Statu Ecclesiastico, 69.

X. Approbatio congregationis clericorum regularium (qui deinde Theatini nuncupati sunt) cum elargitione omnium gratiarum et privilegiorum congregationis canonicorum regular. Lateranensium, 73.

XI. Declaratio circa expensas fieri permissas militiae de Calatrava, Ordinis Cisterciensis, de communi thesauro dictae militiae, 74.

XII. Facultas collegii deputatorum fabricae basilicae S. Petri de Urbe componendi, pro subventione dictae fabricae, super legatis loco pio vel personae incertae aut ignotae, et pro male ablatis maleve ablatorum restitutione relictis, ac bonis ecclesiarum et beneficiorum occupatis *etc.*, 76.

XIII. Privilegia, indulta et exemptiones, auditorum Rotae Romanae, 81.

XIV. Confirmatio institutionis monasterii B. Mariae Magdalenae pro impudicis mulieribus ad honestam vitam se convertentibus in Urbe, cum declaratione circa spolia impudicarum mulierum ei applicata, 92.

XV. Quod fratres Minores de Observantia, Ordinis S. Francisci, possint componere cum haeredibus testatorum super legatis Ordini relictis, 96.

XVI. Quod in Statu Ecclesiastico causae cessionis et discussionis bonorum aut dilationis quinquennalis sive beneficii cap. *Pervenit* et cap. *Odoardus*, spatio trium mensium terminentur, 97.

Sequitur extensio dictae constitutionis ad causas cap. *Pervenit* (*De fideiussione*) et cap. *Odoardus* (*De solutione*), 98.

XVII. Ordinationes observandae per notarios Reverendae Camerae Apostolicae circa adnotationem et extensionem consensuum de cessionibus iurium et resignationibus beneficiorum ecclesiasticorum; necnon circa litteras apostolicas desuper expediendas, ac mandata per iudices, eorum consensuum vigore, concedenda, 99.

Sequitur alia constitutio praecedenti connexa, 102.

Sequitur alia declaratio praecedentis constitutionis, 103.

XVIII. De dispensatione fratrum militiae de Calatrava, Ordinis Cisterciensis, circa ordinationes quibus cavetur quod ipsi non nudi et cincti dormiant, et tam diurnis quam nocturnis horis divina officia recitent, 104.

XIX. Quod syndici et procuratores fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia et monialium S. Clarae, cum eorum coniugibus atque filiis, domibus et monasteriis eorum servientes, gaudeant omnibus gratiis et favoribus ac privilegio fori, quibus ipsi fratres potiuntur et gaudent, 106.

XX. Erectio cathedralis ecclesiae Theatinae in metropolitanam cum iurisdictione, superioritate ac praefinitione suffraganeorum, 107.

XXI. Procuratori Reverendae Camerae Apostolicae assignatur vigesima portio omnium poenarum, quae, ex causis criminalibus aut ab eis procedentibus, ad eamdem Cameram, ipso vel eius substitutis procurantibus, perveniunt, 108.

XXII. Animadversio contra illos, qui sal Camerae Apostolicae rapiunt, distrahunt vel alias quomodolibet illius asportationem impediunt ac perturbant, 109.

XXIII. Statuta, constitutiones, privilegia, indulta, exemptiones, libertates, concessiones, immunitates et gratias senatus populique Romani innovat, aliaque circa conservatorum salaria et lectorum stipendia decernit, 111.

XXIV. Approbatio congregationis fratrum Eremitarum, nunc Cappuccinorum, Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci, cum habitus praefinitione gratiarumque et privilegiorum concessione, 113.

XXV. Communitas civitatis Brixiensis de exacta pro Lutheranae haeresis extirpatione protinus adhibita diligentia laudatur; amplaque iurisdictio episcopo et inquisitoribus datur contra perfidum eiusmodi haereticorum eorumque complicum genus procedendi, 115.

XXVI. Exemptio monachorum Eremitarum Sancti Romualdi Montis Coronae, Ordinis Camaldulensis, sub Regula Sancti Benedicti, et auctoritas eorum Maioris, 117.

XXVII. Approbatio constitutionum Eremitarum societatis Sancti Romualdi nuncupatae, 118.

XXVIII. Cursores Papae et mandatarii aliarum curiarum Urbis in quibus causis citare, intimare *etc.* valeant, 119.

Sequitur declaratio constitutionis praecedentis, 121.

XXIX. De syndicatu iudicum et officialium Status Ecclesiastici, 123.

XXX. Sanctimoniales monasterii Sanctae Mariae Campi Martii, Ordinis Sancti Benedicti, sub cura fratrum Ordinis eiusdem Servorum Beatae Mariae, perpetuam sibi abbatissam eligere posse decernit, 128.

XXXI. Declaratio quod electio successoris huius Papae, Bononiam, Viennam vel alibi profecturi, fiat in ipsa Urbe, si, ante ad eam reditum, ipse decesserit; et innovatio constitutionum Alexandri III, Gregorii X et Clementis V, circa electionem Papae, 130.

Sequitur innovatio dictae constitutionis, 132.

XXXII. Approbatio electionis et coronationis Caroli V, in Romanorum regem et imperatorem electi, 132.

XXXIII. Inquisitorum haereticae pravitatis facultas procedendi adversus quoscumque, etiam regulares cuiuscumque Ordinis, in causis haeresis; indulgentiasque concedendi confratribus societatis crucesignatorum pro servitio sanctae Inquisitionis, 134.

XXXIV. Coronatio Caroli V imperatoris in civitate Bononiae, provinciae Lombardiae, 137.

XXXV. Institutio Rotae, ad causas et lites cognoscendas et decidendas, in civitate Perusii, provinciae Hetruriae, in Statu Ecclesiastico, 139.

XXXVI. Confirmatio infeudationis insularum Tripolis, Melitae et Terrae Gaudisii a Carolo, Romanorum imperatore, hospitali Sancti Ioannis Hierosolymitani concessarum, 140.

XXXVII. Filii presbyterorum, ex fornicatione nati, beneficia ecclesiastica, per eorum patres obtenta, minime obtinere possint, 143.

XXXVIII. Approbatio gratiarum et privilegiorum Ordinis fratrum ac monialium Beatae Mariae de Monte Carmelo, et concessio quorumcumque aliorum indultorum omnibus aliis Ordinibus concessorum et concedendorum; et indulgentiarum elargitio pro confratribus utriusque sexus confraternitatum institutarum in loco dicti Ordinis, 144.

XXXIX. Approbatio statutorum et ordinationum pro bono regimine collegii artium et medicinae magistrorum almae Urbis, cum praefinitione facultatum protomedici circa aromatariorum examen et medicinalium admissionem, 148.

XL. Facultas militum et fratrum militiae Sancti Iacobi de Spatha testandi ac de eorum bonis disponendi, 150.

XLI. Annatae de beneficiis vel pensionibus ecclesiasticis annuum valorem XXIV ducatorum non excedentibus, non debentur Reverendae Camerae Apostolicae, 152.

XLII. De officio vice-cancellariatus Papae, cum annexione curae et tituli S. Laurentii in Damaso de Urbe, 153.

XLIII. Approbatio congregationis fratrum Minorum S. Francisci strictioris Observantiae nuper institutae, et ordinationes pro eorum bono regimine, 155.

XLIV. Extensio ad fratres Iesuatos S. Hieronymi omnium gratiarum et indultorum Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, 158.

XLV. Approbatio congregationis clericorum regularium S. Pauli Decollati, in communi viventium, triaque vota substantialia emittentium, in dioecesi Mediolanensi, et sub ordinarii obedientia degentium, 160.

XLVI. Gratiae et privilegia congregationis regularium, qui Theatini nuncupantur, 160.

XLVII. Contra impedientes quocumque modo executionem litterarum apostolicarum, eorumque complices et fautores, 163.

XLVIII. Approbatio confraternitatis Rosarii Beatae Mariae Virginis, et declaratio circa eius recitationem, indulgentiarumque extensio pro confratribus, 168.

XLIX. Annullatio quarumcumque dispositionum de beneficiis ecclesiasticis Sedi Apostolicae reservatis, obtentarum contra formam concordatorum inter Sedem Apostolicam et nationem Germanicam a principibus et praelatis quibuscumque, 169.

L. Declaratio constitutionis de praestandis et registrandis consensibus in Cancellaria Apostolica, 171.

PAULUS III.

I. Separatio congregationis Eremitarum Sancti Romualdi Montis Coronae, Ordinis Camaldulensis, a congregatione sacrae Eremi Camaldulensis et Sancti Michaelis de Murano, sub Regula Sancti Benedicti, cum plurimarum gratiarum concessione et cuiuscumque alterius Ordinis privilegiorum communicatione ex indulto Clementis VII, 173.

II. Quod omnes gratiae et exemptiones concessae et concedendae per Sedem Apostolicam locis et personis Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis

captivorum in provincia Castellae et Legionis ac Bethicae, concessae censeantur locis et personis eiusdem Ordinis in regno Portugalliae, 182.

III. Qui veri sint familiares et continui commensales Summi Romani Pontificis, 185.

Sequitur declaratio dictae constitutionis, 186.

IV. Iudices et officiales Romanae Curiae non concedant transumpta supplicationum, neque eorum praetextu mandata adipiscendi possessionem beneficiorum, vigore supplicationum, nisi prius litteris apostolicis desuper expeditis, 188.

V. De Rotae institutione in civitate Bononiae provinciae Lombardiae et Status Ecclesiastici, causisque cognoscendis et terminandis in ea, 189.

VI. Comprobatio congregationis clericorum regularium S. Pauli Decollati, cum praefinitione quarumdam ordinationum et concessione privilegiorum, 190.

Sequitur perpetuatio dictarum gratiarum, 193.

VII. Iurisdictio camerarii et iudicis curiae Ripae almae Urbis, quoad causas ripales, 194.

VIII. Damnatio et excommunicatio Henrici VIII regis Angliae, eiusque fautorum et complicum, cum aliarum poenarum adiectione, 195.

Sequitur suspensio dictae bullae, et tandem suspensionis revocatio et bullae executio, 203.

IX. Approbatio et publicatio absolutionis Clementis VII, de haereticis et infidelibus regni Portugalliae et Algarbii ad fidem conversis; et confirmatio indultorum eis concessorum et extensio eorumdem, 205.

X. Causae civiles, interesse fisci Reverendae Camerae Apostolicae concernentes, in eadem Camera cognoscantur in omnibus instantiis, 217.

XI. Anathematizatio haereticorum et aliorum contravenientium contentis in constitutione, quae *Bulla in Coena Domini* appellatur, 218.

XII. Indictio Concilii Œcumenici in civitate Mantuana pro die XXIII mensis maii, anni MDXXXVII, 224.

XIII. Prohibitio ne subditi S. R. E. sub alienigenorum principum stipendiis militent, ac in ditione ecclesiastica pro eorumdem servitio milites aliasque copias parent, 226.

XIV. Declarat novas locationes, arrendationes seu concessiones in emphyteusim bonorum ecclesiarum, monasteriorum *etc.* in districtu Urbis validas esse, etiam non citatis antiquis colonis, inquilinis *etc.*, 228.

XV. Approbatio secunda congregationis Cappuccinorum Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci, cum declarationibus circa munus eorum vicarii generalis et aliorum officialium, 229.

XVI. Saecularizatio Vezeliacensis monasterii, quod in saecularem abbatiam et capitulum reducitur, 233.

XVII. Iurisdictio et facultates Vincentii cardinalis Neapolitani nuncupati, in alma Urbe legati de latere deputati, ob discessum Pontificis versus civitatem Placentiae, 247.

XVIII. Confirmatio et nova concessio privilegiorum et gratiarum auditorum Rotae Romanae, 254.

Sequitur concessio exemptionis a *gabella* vini, 255.

XIX. Uxores non possint ab eorum maritis cautiones de non offendendo petere aut alia de causa cum eis in Urbe litigare, nisi prius in monasterio aut alio honesto loco ponantur, 256.

XX. Declaratio et ampliatio facultatum collegii scriptorum archivii Romanae Curiae in legitimandis bastardis, 258.

XXI. Privilegium centenariae praescriptionis, et aliae gratiae congregationis Cassinensis, alias S. Iustinae de Padua, monachorum Ordinis Sancti Benedicti, 259.

XXII. Constitutiones Ægidianae in toto Statu Ecclesiastico et locis ei immediate subiectis; Carpenses vero in provincia Marchiae observentur, 262.

Sequitur bulla quoad constitutiones Carpenses, 264.

XXIII. Confirmatio constitutionis Iulii II contra officiales Reverendae Camerae Apostolicae quomodolibet in contractibus cameralibus participantes, et eius extensio ad omnes intervenientes in Camera, quando de illis agitur pro eorum attinentibus, 265.

XXIV. Iurisdictio et facultates archipresbyteri et iudicis causarum capituli, canonicorum et aliarum personarum ecclesiae Beatae Mariae Maioris de Urbe, et habitatorum in illius *Franco*, 266.

XXV. Confirmat constitutiones Leonis X et Clementis VII contra fratres Ordinis Carmelitarum extra claustra divagantes, et gradus vel ordines, absque licentia Sedis Apostolicae et suorum praelatorum, accipientes, 270.

XXVI. Approbatio confraternitatis sub invocatione Sanctissimi Corporis Christi, pro decentiori eius veneratione in Urbe institutae; indulgentiarumque elargitio, tam pro ea quam pro aliis confraternitatibus ubique locorum institutis et instituendis, 275.

XXVII. Innovatio literarum contra quaestores omnium hospitalium et piorum locorum; et renovatio facultatum eis concessarum, cum prohibitione similes deputandi, nisi de consensu praefectorum fabricae basilicae Sancti Petri de Urbe, cui quaestuatae eleemosynae et nondum dictis hospitalibus incorporatae applicantur, 280.

XXVIII. Institutio Studii generalis in civitate Maceratensi, provinciae Piceni Status Ecclesiastici, cum aliorum Studiorum generalium gratiis et privilegiis, 281.

XXIX. Approbatio societatis, tam ecclesiasticarum quam saecularium personarum nuper institutae ad erigendum hospitalia pro subventione pauperum orphanorum et mulierum conversarum, 285.

XXX. Privilegia et gratiae praelatorum referendariorum utriusque signaturae Romani Pontificis, 286.

XXXI. Militibus de Calatrava et de Alcantara, ut, voto aliquo castitatis non emisso, ad instar militiae S. Iacobi de Spatha, matrimonia contrahere, atque in militiam ingredi possint, facultatem elargitur, 298.

XXXII. De appellationibus non admittendis, non facto deposito poenae, in qua rei vel eorum fideiussores ad favorem R. Camerae Apostolicae aut eius fisci condemnantur, 302.

XXXIII. Approbatio instituti et Religionis Clericorum Regularium Societatis Iesu, 303.

XXXIV. Approbatio confraternitatis nuper in Urbe institutae, ad pauperes orphanos pie educandos bonisque artibus instruendos, eiusque erectio in archiconfraternitatem, cum privilegiorum elargitione, iurisdictioneque S. R. E. cardinalis eius protectoris ad eiusdem lites et causas cognoscendas, 306.

XXXV. Excommunicationes S. Eleutherii nuncupatas de cetero concedi vel publicari prohibet, et concessas annullat, 312.

XXXVI. De impetrationibus beneficiorum tamquam certo modo vacantium, 313.

XXXVII. Innovatio litterarum Bonifacii PP. VIII super solutione decimarum, cum

declaratione quod de distributionibus quotidianis decima etiam solvi debeat, 316.

XXXVIII. Spolia ecclesiasticarum personarum, sine testamento aut facultate testandi decedentium, vel ultra quantitatem, de qua testari possunt, disponentium, ad Reverendam Cameram Apostolicam spectant, 317.

XXXIX. Inquisitorum haereticae pravitatis facultas procedendi contra omnes, etiam regulares, praedicantes aut proponentes scandalosas propositiones, et a fide catholica discrepantes, 318.

XL. Comprobatio gratiarum, iurisdictionum et indultorum collegii fabricae Beati Petri principis apostolorum de Urbe, cum aliorum privilegiorum concessione, 320.

XLI. Privilegia neophytorum sive iudaeorum et infidelium ad catholicam fidem se convertentium; ordinationesque circa eorum vivendi modum, 336.

XLII. Indictio sacri et oecumenici concilii Tridentini, ad kalendas octobris MDXLII, 337.

XLIII. Deputatio nonnullorum S. R. E. cardinalium generalium inquisitorum haereticae pravitatis, cum amplissima auctoritate, 344.

XLIV. Iurisdictio cardinalis archipresbyteri et iudicis causarum capituli canonicorum et aliarum personarum ecclesiae S. Petri principis apostolorum de Urbe vel eorum interesse concernentium, 346.

XLV. Iurisdictio et facultates vicarii Summi Pontificis in alma Urbe eiusque districtu, 349.

XLVI. Institutio hospitalis et monasterii in Urbe pro neophytis, cathecumenis iudæisque et infidelibus ad catholicam fidem se convertentibus; et erectio archiconfraternitatis pro eorum regimine; iurisdictioque S. R. E. cardinalis protectoris et iudicis causarum, eorum interesse concernentium, 353.

XLVII. De electione prioris generalis et aliorum priorum congregationis monachorum Silvestrinorum, Ordinis Sancti Benedicti, ad triennium tantum, eiusque auctoritate circa regimen dictae congregationis, 358.

XLVIII. Prorogatio celebrationis generalis concilii Tridentini usque ad bellorum sedationem, 362.

XLIX. Impositio annui subsidii trecentorum millium scutorum, a subditis Status Ecclesiastici annis singulis, quacumque exemptione non obstante, ad triennium, Reverendae Camerae Apostolicae persolvendi, omnibus extraordinariis exactionibus interim interdictis, 365.

Sequitur declaratio dictae constitutionis quoad exemptiones, 366.

L. De celebratione capituli generalis congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum et de iis, quae observari debent in electione praelatorum, 368.

LI. Quod causae tam civiles quam criminales et mixtae provinciae Marchiae Anconitanae, coram iudicibus ordinariis pro tempore motae, donec in prima instantia pependerint, non possint avocari praetextu literarum auditoris Camerae vel appellationis, et dummodo causae civiles biscentum ducatos non excedant, 369.

LII. De falsi et decupli aliisque poenis ministrorum Reverendae Camerae Apostolicae et aliorum rationes integre et fideliter non reddentium, 370.

LIII. De ordine et ratione sedendi in Camera Apostolica, per dominum camerarium et clericos aliosque officiales eiusdem servandis, 371.

LIV. Quod omnes officiales Urbis et ditionis ecclesiasticae mandatis cardinalis S. R. E. camerarii omnino parere debeant, 373.

LV. Prohibitio occupandi bona naufragantium in locis maritimis S. R. E., praemiique designatio illa recuperantibus vel auxilium praestantibus, 374.

Sequitur declaratio huius bullae, 375.

LVI. Familiares et servitores praelatorum Romanae Curiae, salarium et stipendium pro biennio tantum et infra annum a die obitus illorum petere possint, 377.

LVII. Quod donationes spoliorum factae inter vivos per praelatos Hispaniae non valeant, nisi donatores per viginti dies supervixerint, 378.

LVIII. Prohibitio immutandi, alterandi vel innovandi stylum Camerae Apostolicae vel Cancellariae in expeditionibus, cum poenarum assignatione, 379.

LIX. Contra fratres Conventuales extra Ordinem, absque Sedis Apostolicae licentia, vagantes procedendi facultas praelatis eorum tribuitur, 381.

LX. Personae ecclesiasticae testandi licentiam a Sede Apostolica non habentes, decimam tantummodo partem locis piis relinquere et donare possint, 382.

LXI. Causarum tam criminalium quam mixtarum cognitionem provinciarum Campaniae et Maritimae ad eumdem rectorem tantummodo spectare, ab eoque decidi et definiri debere decernit, 383.

LXII. Iurisdictio ac facultates praelatorum et officialium visitationis carcerum almae Urbis, et ordinationes ab eis observandae, 384.

Sequitur deputatio executoris praecedentis constitutionis, 389.

LXIII. Indulta mercatorum utriusque Ripae Urbis, circa prioritatem et potioritatem suorum creditorum ripalium, et circa dilationes et moratorias eorum debitoribus non concedendas, 390.

LXIV. De electione vicarii generalis congregationis Eremi Camaldulensis ac S. Michaelis de Murano, monachorum Ordinis S. Benedicti, 392.

LXV. Explicatio muneris et auctoritatis praepositi generalis clericorum regularium Societatis Iesu, cum diversarum gratiarum concessione, ordinationumque pro eius bono regimine constitutione, 394.

IULIUS III.

I. De auctoritate et potestate summi poenitentiarii, ex indulto Sixti IV et Pauli III, 401.

II. Iurisdictio vicarii Papae in causis hebraeorum de Urbe, 404.

III. Innovatio et nova concessio privilegiorum cardinalis S. R. E. camerarii, et signanter circa eius interventum in Camera Apostolica, dum agitur de contractibus eius consanguineorum, et circa expeditiones a clericis dictae Camerae sub ipsius nomine et sigillo signandas, 405.

IV. Iurisdictio et potestas gubernatoris utriusque Burgi almae Urbis et generalis capitanei custodiae Romani Pontificis, 409.

V. Indulta curialium et incolarum Urbis disponendi de eorum bonis in Urbe et eius districtu existentibus, etiam ex fructibus bonorum ecclesiasticorum acquisitis, et ad favorem incapacium; et facultas proximiorum in illis succedendi ab intestato, 412.

VI. Absolutio omnium haereticorum (praeterquam sub generali Inquisitione regnorum Hispaniae et Portugalliae comprehensorum) ad catholicam fidem et S. R. E. gremium redeuntium, 414.

VII. Fructus beneficiorum tempore obitus beneficiatorum, etiam cardinalium, inexacti, ad successores in beneficiis et non ad haeredes spectant, in locis

in quibus non deputantur a Reverenda Camera Apostolica spoliorum collectores; et ornamenta cappellae cardinalis defuncti debentur eidem Camerae, una cum pretio annuli, 417.

Prima declaratio dictae constitutionis, 420.

Secunda declaratio dictae constitutionis, 420

VIII. Quod fratres Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, qui officium poenitentiarii vel beneficia in titulum vel commendam tenent, non habeant vocem activam nec passivam, neque in locis Ordinis commorari possint, 421.

IX. Approbatio secunda instituti Religionis clericorum regularium Societatis Iesu, melius explicati, 422.

X. Iurisdictio et facultates iudicum et conservatorum congregationis clericorum regularium Sancti Pauli Decollati, 427.

XI. Reductio Tridentini concilii generalis reassumendi die prima maii MDLI, 430.

XII. Contra impedientes inquisitores haereticae pravitatis in eorum officio, aut in causis inquisitionis se ingerentes, et contra ipsos inquisitores admittentes laicos ad criminis haeresis cognitionem, 431.

XIII. Praelatorum donationes tempore infirmitatis factas, nisi per viginti dies supervixerint, nullas esse decernit, 433.

XIV. Indulta et privilegia patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in cappella Summi Romani Pontificis assistentium, 434.

XV. Visitatores carcerum almae Urbis pauperibus carceratis dilationes dare, sed ad eorum fideiussores extendere non possint, 442.

XVI. Cursores Papae et mandatarii aliarum curiarum almae Urbis, in quibus causis citare, intimare *etc.* possint, 443.

XVII. Declaratio et extensio auctoritatis collegii fabricae basilicae Sancti Petri de Urbe in exequendis donationibus inter vivos, ad pias causas factis et fiendis, et in applicanda quinta earum parte dictae fabricae, 445.

XVIII. Lusitaniae reges perpetui militiae Avisiensis administratores et magistri constituuntur, 446.

XIX. Doctores in alma Urbe a collegio advocatorum consistorialium dumtaxat, in iure civili et canonico creari possunt, 453.

XX. Erectio Studii generalis in oppido Dilingae Augustanae dioecesis in Alamania, cum privilegiis et facultatibus ad instar Universitatis Parisiensis et aliarum, 455.

XXI. Institutio collegii in Urbe pro scholaribus Germanicae nationis educandis, cum gratiarum et indultorum elargitione, 459.

XXII. Contra franchitias in Urbe retinentes et Curiam in executione impedientes, cum approbatione constitutionum contra bannitos *etc.* editarum, 463.

XXIII. Innovatio et ampliatio gratiarum et privilegiorum Societatis Iesu, eiusque collegiorum, 464.

XXIV. Iurisdictio consulum artis pistorum almae Urbis cognoscendi causas et differentias ipsam artem tangentes; et privilegium, quo debitoribus ex causa panis dilationes concedi prohibetur, 467.

XXV. Prohibitio ne quis subditus mediate vel immediate Sedis Apostolicae militare audeat sub vexillo alicuius principis, praeterquam sub ducibus Ecclesiae Romanae, 469.

XXVI. Facultas collegii physicorum medicorum almae Urbis quoscumque promovendi ad gradus philosophiae et medicinae, privative quoad alios; et confirmatio iurisdictionis proto-

medici cognoscendi causas civiles et criminales ad eius officium spectantes, 471.

XXVII. Confirmatio et extensio constitutionum a plerisque Romanis Pontificibus editarum contra non solventes Rev. Camerae Apostolicae communia et minuta servitia ac annatas, 473.

XXVIII. Quod frater germanus alicuius Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis viventis, ad cardinalatum promoveri non possit, 475.

XXIX. Beneficiorum ecclesiasticorum possessionem, per provisos, litteris apostolicis minime expeditis, apprehensam, nullam esse declarat, illosque privatos beneficiis fore decernit, 476.

XXX. Prohibitio blasphemiarum et barattariarum in alma Urbe, et iurisdictio generalium inquisitorum haereticae pravitatis coercendi ipsos blasphematores ac eos scientes et non revelantes, 478.

XXXI. Ecclesiarum praelati ex Palatio Apostolico panem habentes, familiares et continui commensales Romani Pontificis declarantur; eorumque beneficia ipsi Pontifici reservantur, 481.

XXXII. Contra hebraeos retinentes libros Thalmudi et alios, in quibus nomen Iesu Salvatoris nostri *etc.* cum blasphemia aut alias ignominiose nominatur, 482.

XXXIII. Declaratio bannimentorum contra facinorosos aliosque exules et bannitos Status Ecclesiastici editorum, 483.

XXXIV. Impositio annui subsidii decem ducatorum auri de Camera, per unamquamque iudaeorum synagogam Status Ecclesiastici persolvendorum, pro manutentione domus cathecumenorum Urbis, 484.

XXXV. Contra homicidas, brigosos, duellantes et alia gravia crimina patrantes, bannitosque et eorum complices, receptatores et fautores, 486.

MARCELLUS II.

Eius tantum vita, 489.

PAULUS IV.

I. Hiberniae insulam regio titulo aliisque regalibus praeeminentiis decorat, instantibus Philippo II Hispaniarum et Maria Angliae regibus, 489.

II. Privilegium Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia deputandi personas extra Ordinem in syndicos et oeconomos, ad exigenda legata pia et alia negotia pertractanda, una cum aliarum gratiarum eiusdem Ordinis confirmatione, 490.

III. Rescissio alienationum et locationum quorumcumque bonorum ecclesiasticorum in damnum ecclesiarum, vel non servatis iuris solemnitatibus, aut alias nulliter factarum, 496.

IV. Leges et ordinationes a iudaeis in Statu Ecclesiastico degentibus observandae, 498.

V. Negantes Trinitatem, aut divinitatem Iesu Christi, aut Eius conceptionem de Spiritu Sancto, aut Eius mortem ut nos redimeret, aut virginitatem B. M. V., haeretici declarantur, 500.

VI. Decanatus collegii S. R. E. cardinalium, cum omnimoda praecedentia spectat ad episcopum cardinalem antiquiorem, in Curia tempore vacationis praesentem, aut ex causa publica absentem et per Summum Pontificem extra eam destinatum, 502.

VII. Rei ex indiciis forsan torquendi pro habenda veritate criminum, non audiantur extra carceres, nisi fisco desuper audito; et neque crimen con-

fessi relaxentur, nisi debita prius soluta poena, 504.

VIII. Probibitio contrahendi societates, officiorum nuncupatas, aliter quam super officiis dictae Curiae vacabilibus, et non ultra dimidium valoris ipsorum officiorum, 505.

IX. Dispositiones matrimonales, post contractum matrimonium sub spe facilius eas obtinendi, nullatenus concedi debere decernit, 507.

X. Lites et causae inter cardinales S. R. E., quomodolibet vertentes, a Summo Romano Pontifice, appellatione remota, decidendae sunt, 507.

XI. Iurisdictio et facultates protectoris et iudicis cathecumenorum et neophytorum; et declaratio, quod eorum hospitali in Urbe iudaei Status Ecclesiastici solvere debeant quolibet anno ducatos dccc10 pro qualibet synagoga, etiam demolita et alienata, vel demolienda ac alienanda, 509.

XII. Advocatio causarum spoliorum a quibuscumque iudicibus, eorumque remissio ad thesaurarium generalem eiusque ministros privative, cum inhibitione aliis similes causas committendi, nisi eodem thesaurario citato, 512.

XIII. Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ab Urbe quavis de causa absentes, de distributionibus ratione pilei minime gaudere, nec cum praesentibus ad ecclesiarum optionem eis pro titulis assignandarum admitti posse sancit, 513.

XIV. Suppressa confraternitate, quam Iulius III praeposuerat gubernio hospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, praeceptoriam restituit Paulus, eamque confert Vincentio Cappello Veronensi, 514.

XV. Cancellariae criminales Status Ecclesiastici, ex quavis causa, praeterquam vere onerosa, quibuscumque concessae, Reverendae Camerae Apostolicae applicantur; ordinationesque per cancellarios observandae praefiniuntur, cum privilegiorum elargitione, 518.

XVI. Contra occupantes aut invadentes bona, terras et loca Reverendae Camerae Apostolicae; et contra se ingerentes in beneficiis ecclesiasticis, non expeditis litteris apostolicis; ac non solventes in tempore annatas et quindennia, census, canones aliaque regalia dictae Camerae debita, 523.

XVII. Contra eos qui, pro obtinendis beneficiis, se ipsos pro aliis supponunt, vel annuas pensiones offerunt; aut beneficia impetrant pro aliis, ut ab eis aliquid consequantur; vel pro se ipsis, ut aliis postea cum pensione resigneut, 528.

XVIII. Quod provisiones ecclesiarum cathedralium in uno consistorio Summi Pontificis proponantur, et in alio, praeviis sanctae Romanae Ecclesiae Card. votis, expediantur, 530.

XIX. Restitutio festivitatis Cathedrae S. Petri apostoli Romae, pro die decima octava mensis ianuarii, in toto orbe, praeservata alia festivitate Cathedrae Anthiochenae, iuxta ritum, die vigesima secunda mensis februarii celebranda, 531.

XX. Sancita et declarationes super resignationibus beneficiorum publicandis infra sex menses, 532.

XXI. Confirmatio et ampliatio constitutionum apostolicarum circa solutionem annatarum et quindenniorum, pro beneficiis ecclesiasticis Reverendae Camerae Apostolicae debitorum, 533.

XXII. De lenonibus eorumque complicibus ultimi supplicii poena certis casibus in Urbe plectendis, 537.

XXIII. Contra religiosos professos, extra claustra Religionum vagantes, et apo-

statas, eorumque fautores, cum revocatione privilegiorum quibuscumque Ordinibus concessorum recipiendi religiosos alterius Ordinis, 538.

XXIV. Quod festum S. Dominici, institutoris Ordinis fratrum Praedicatorum, die IV augusti sub duplici officio celebretur, 543.

XXV. Contra ambientes papatum, aut, Papa vivente eoque inconsulto, tractantes de eligendo futuro Pontifice, ac eorum complices et fautores, 545.

XXVI. Facultas custodum SS. Imaginis ad Sancta Sanctorum regendi et gubernandi collegia Capranicense et Nardinum de Urbe, 548.

XXVII. Innovatio quarumcumque censurarum et poenarum contra haereticos et schismaticos quomodolibet promulgatarum; et aliarum poenarum impositio in cuiuscumque gradus et dignitatis praelatos et principes, haereticae vel schismaticae pravitatis reos, 551.

XXVIII. Restituit stationem quae antiquitus habebatur in ecclesiis Ss. Silvestri et Martini in Montibus de Urbe, 556.

XXIX. Revocatio quarumcumque exemptionum concessarum a solutione subsidii triennalis in Statu Ecclesiastico impositi, 557.

XXX. Quod habentes indulta utendi altari portatili nequeant illo uti, nisi in loco ab ordinario sive eius vicario approbando, 558.

XXXI. Erectio ecclesiarum Cameracensis, Ultraiectinae et Mechliniensis in archiepiscopatus et metropolitanas, nec non aliarum ecclesiarum in Belgio in cathedrales episcopatusque supradictis suffraganeos, 559.

XXXII. Archiepiscopi et episcopi cuiuscumque Ordinis professores, ad claustra suorum Ordinum redeuntes, ad eius officia et dignitates assumi non possint, 565.

V. ex delegatione D. D. Archiepiscopi Taur.

P. CLODOVÆUS A COSTILIOLIS Ord. Min.